
NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
12
17 K
18

LOCI MEDICINÆ COMMVNES,

TRIBVS LIBRIS DIGESTI.

Quibus accessit Appendix, vniuersa complectens ea, quæ ad totius operis integritatem deesse videbantur.

Francisco Valleriola Medico Autore.

Cum triplici Indice, videlicet capitum totius operis, dubiorum, seu quæstionum medicinalium, & demum eorum, quæ toto opere notatu digniora habentur.



30

Sumptibus
FRANCISCI FABRI LVGDVN.
& SAMVELIS CRISPINI.

M. DC. IV.



IN LIBROS DE LOCIS MEDICINAE COMMVNIBVS Franc. Vallerìolæ Medici, ad Medicinæ studiosos,

PRÆFATIO.



Iogenem Cynicum summum suæ ætatis Philosophum, lector optime, admonitum à quodam legimus, vt iam senex quiesceret à laboribus. Hunc ita respondisse accepimus, in stadio quidem currentem, non oportere iam metæ vicinum cursum remittere, sed magis intendere. Rectè nimirum sentiens, virtutis studium, hoc magis intendendum, quo minus superest vitæ. Nec tum quidem ab honestis laboribus, cœptóque cursu desistendum, cùm hinc migrare incipimus. Quòd pulchrũ sit (vt AEschylus appositissimè dixit) senem sapientiæ studere καλὸν δὲ καὶ γέροντα μανθάνειν σοφά. *Nam si vllius vnquam honestæ rei actionisve, iucundissimum fructum capere ad virtutem nati homines solent, hæc profectò ea est, qua ad fœlicitatem exercitationum honestarum studio, excultisque laboribus viam sibi parant,*

Laertius li. 6. in vita Diogenis

ac præstituunt, vnde summum decus, immortalémque gloriam consequantur. Ob id Pythagoras virtutis viam difficilem aditum, arduum ascensum, duros casus, catenatósque labores primum spectantibus, séque adeuntibus offerre: sed requiem præbere fessis in vertice summo scitissimè affirmauit: ea (vt arbitror) ratione, quòd virtus per labores incedat. Vnde est illud Hesiodi: Ἀλλ' ἀρετὰ βαίνει διὰ μοχθῶν. *Ac proinde Philosophorum summus (vno excepto Platone) Aristoteles frequenter dicere solebat, artium radices satis quidem amaras, sed dulcissimum tamen afferre fructum: existimans nihil absque duro labore, quod honestum, pulchrúmque esset, ab homine parari posse: nec inde tamē, à præclaris facinoribus obeundis homines deterreri debere. Nam etsi difficile, atque arduum videri debet, hominem eum qui se totum philosophiæ studiis adstrinxerit, virtutis, ac veritatis amore, noctes insomnes totas traducere, vigilatis laboribus altissima contemplari, immori chartis, assiduo studio impallescere, vitā, atque salutem negligere, rerum omnium curam à se abdicare, vt vni rerum contemplationi incumbat: hæc omnia tamen, etsi perpessu difficillima, nihili ducenda certè putat, dum fructus inde nati suauitatem (is est exacta rerum cognitio) animo meditatur, dum ad quiduis intelligendum, & ad aliis monstrandum probè instructum se nouit: dum animum tam egregiis dotibus, quasi propriis ornamentis, præfulgentem vagari intrepidum per omnia videt, & quasi radiis diuinitatis Deum factum, quid in quaque re veri insit, quid eruditum, fidele, consentiens, verum (quod maximè proprium putatur esse sapientis) tenere se, & nosse percipit. Quæ me certè ratio vna maximè impulit, vt tametsi*

metsi iam de via fessus, & terram quasi spectans, decurso iam vitæ spatio, ne postremum hoc tempus, quasi otio marcescens, laborúmque metuens, infructuosum abire sinerem. Sed quod mihi ab ineunte ætate propositum fuit iuuandi mortales studium, id ad extremum vsque spiritum intrepidus retinerem. Eò effectum est, vt cùm antea quidem adhuc ætate florens, ingenij neruos ad commentandum applicauissem eam mihi Galeni partem illustrandam primùm suscepi, quæ à nostra memoria hominibus intacta tum, sed eadem & medicorum schola apprimè vtilis, ac necessaria esset: nempe quæ de morborum differentiis, causis, ac symptomatis tractat. Qua quidem parte, pro ingenij mei viribus si non fortasse ad seuerum (vt dicitur) vnguem, tractata: certè fideliter explanata, ad aliud me conuerti studiorum genus, quo vel iniquè tradita in censuram reuocari, vel nusquam antea à quoquam animaduersa, in lucem, & aspectum hominum venire possent. Ei sanè commentationi, Enarrationum Medicinalium nomen indidimus. Ea omnia iandiu à me in lucem prolata, cùm non improbari meæ sortis hominibus, exquisitis etiam iudiciis cernerem, à multisque & Medicinæ studiosis, & mei amantissimis hominibus valde rogarer, vt in explicanda vniuersa medicina, officia, & studia augere ipse mea vellem, in eo appuli animum, vt & maius aliquid aggrediundum, & amicorum votis satisfaciendum putarem. Disquirenti autem mihi, quonam in genere commentandi perficere id rectè possem, venit in mentē vniuersos Medicinæ locos, palantes quidem illos, longéque dispersos, in vnum veluti ordinem cogere, coactos disponere, dispositos explicare. Vt quòd longi temporis vsum percepturi Medicinæ studiosi

diosi eßent, id breui spatio, meo quidem priuato labore redimerent. In eam autem conscribendorum locorũ Medicinæ communium curam me præcipuè addixi, quòd nulla ex re alia magis cognosci præstantia artis, & amplitudo, quam ex locorum communium illius accurata tractatione posset. Vt in qua seu in tabula quadam, expressa vniuersa artis ornamenta, & opes sint: & vt in fidibus, ex eo qui reddatur sono, illius qui pulset scientiam perspici, sic Medicinæ vim ex his maximè communibus locis, qui omnem complectantur artẽ intelligi. Quamobrem cùm vniuersæ Medicinæ locos, mihi non tenendos solùm, sed propè ediscendos, ad animi informationem mei dignum ducerem, vt in Medicina fructum me aliquem fecisse iure existimarer, collegi in ordinem ea omnia, ex quibus constare ars medica omnibus hactenus visa eßet, eáque & probè (vt puto) disposita, & serie quadam non inconcinnè distributa, in vnum volumen quasi in horreum recondita posui, atque digessi, vt quæ variis in locis fusè nimium sparsa, dissolutáque essent, nunc in locum vnum veluti congesta, ad manum omnibus parata expositáque haberentur, quò & facilius intelligi, & libentius legi Medicinæ placita possent. Qua in re præstanda, non Medicinæ solùm profuisse (dum illam vniuersim in ordinem redigo, totámque compono) sed & Medicis etiam ipsis, qui tum medendi, tum publicè profitendi facultate præstant, non parum opis attulisse videri debeo: dum inquirendi laborem ab ipsis amoueo, dum de quaque re quid asserẽdum, quid statuendum sit (qui vnus mihi præcipuus in his edendis communibus locis scopus fuit) ex præiudicatæ autoritatis hominum sentẽtiis trado dum ad rerum accuratam explicationem,

locos

locos omnes ceu aphorismos quosdam ab Hippocrate, & Galeno prolatos, ad singula rerum capita subiicio. Citatis etiam eorundem autorum monimentis, è quibus ceu è fontibus hausta delibatáque hæc mihi sunt. Ego quidem certè, quantum in me virium est, & ingenij, id omne in hanc rem confero, vt me ea quam profiteor, arte, non prorsus indignum præbeam, & cùm maiora non ausim (cùm sint tamen hæc non minima habenda) id saltem enitor, vt Medicinæ placita, meo qualicunque labore cultiora effecta, & fortasse diligentius quasi decurso artis vniuersæ spatio, animaduersa, suóque ordini restituta, in lucem prodeant. Quod ego viri imprimis literarum amantis munus præcipuum esse existimo. Equidem cùm omnia quæ studiosi hominis vitam illustrare posse videntur, nihil propè aliud, quàm veritatem, & artis eius cuius se quis professorem vult haberi, amplificationem spectent, in eo enitendum cuique esse indico, vt pro sui quisque ingenij captu, artem eam in qua tenere cursum possit, scriptis exornet, commentationéque illustrare contendat: eáque omnia, quæ ad artis amplificationem, & dignitatem pertineant, complectatur. In quam se curam, ac cogitationem qui dare volet (& velle quidem omnes virtutis, & literarum amantes debent) hic profectò non minimum in promouendis artibus ac disciplinis operæ pretium fecerit: séque sua non indignum arte præstiterit. Hic certe dum rerum intelligentiæ studet, improbas opiniones eiicit, tuetur bonas, alienam à veritate, & artis dignitate sententiam refellit, quæ vtilia simul, & artis propria existimat, fideliter accuratéque docet, demonstrationibus in docendo vtitur, quæ artium virtutes sunt. quæ quasi exempla quædam studiosis, vt ea sequantur proponit:

quid in arte fugiendum maximè, ac vitandum sit, ostendit: denique quasi in specula quadam positus, omnia circunspicit quæ ad profectum, & dignitatem artis pertinent, ac nullam illius partem prætermittit. Sed magnum quiddam profectò haberi debet, & vt nihil fortasse prastatius, ita longè difficilius quiddam quàm homines arbitrantur, commentandi, atque scribendi studio niti, cùm ob alia multa, tum ob id præcipuè, quòd mandare quenquam literis cogitationes suas, haudquaquam facile sit existimandum. Nisi quis enim disponere eas, & doctrina illustrare, & dictione ornare valeat, & id quod sentit politè eloqui possit, vt delectatione, ac fructu lectorem alliciat, is profectò (vt bellè Cicero dixit) & otio, & literis intemperanter abuti videbitur, tum quòd iudiciorum seueritate deterreri sæpe, ne in ea incurrant, sapientes homines solent, malúntque quem habent thesaurum, reconditum apud se tenere, quàm proferētes in apertum, iudiciorum aleam subire. Sed honestum & generosum videri profectò debet, vel periclitantes se in lucem proferre, & qua datur via mortales assiduo commentandi studio iuuare. Vni tantum est id homini insitum, legéque naturæ datum, vt ea quæ mente concipimus, communicare inter nos aut voce, aut scriptura valeamus. Qua vna re maximè à cæteris nos animantibus natura seiunxit. Quæ dos homini propria, maximas nobis semper vtilitates attulit. At hoc (si quis id rectè consideret) eiusmodi est, vt eò omnia quæ in hominum cognitionem cadere possunt, comprehendantur. Nihil est enim, quod non ab eo homine qui rerum fontes, ceu seminaria quædam contineat, & aptè scribi, & commodè explicari queat. Tanta est humani ingenij vis, atque potestas. Hinc

exacta

exacta rerum cognitio, hinc ea quæ necessaria ad rerũ maximarum explicationem præcepta dantur, hinc artium, & disciplinarum incrementa, hinc ornamenta manasse videntur: dum quisque ingenij vires exerens, in illustrandis artibus egregiam operam nauat. Qua in re si quis se ad naturæ vim, & frequentem, aut publicè profitendi, aut scribendi vsum comparet, desperandum non est, quin ad summum exculta, suóque nitori restituta disciplina eæ omnes, quæ libero homine digna, liberales, vt sunt, nuncupantur, videri possint. Quod cùm in cæteris disciplinis feliciter euenire nostra memoria videamus, in Medicina certè summum res fastigium iam attigisse videtur, adeò fœlicibus præstantium virorum monumentis illustrata, vt quò amplius progrediatur, iam ferè non habeat. Sed tanta est tamen artis amplitudo, tam diues rerum in ea contentarum copia, vt etsi ad summum perducta esse videatur, expoliendum semper tamen aliquid, & indagandum restet, quòd vberem commentandi materiam præstantibus ingeniis præbeat. Vnde tot, tantáque nostræ ætatis hominum præclara scripta, quæ vniuersam artem non illustrasse solùm, sed prorsus instaurasse iure meritò videri queant: dum alius aliam sibi Medicinæ partem exornandam, & locupletandam assumẽs, in eo sibi omnes maximè elaborandum putauerunt, vt vniuersam ex æquo per partes artem excolerẽt. Quod cùm à multis tum nostra, tum priscorum memoria nauiter curatum sit, & prouisum, nemo tamen (quod meminisse queam inuentus adhuc est, qui locis omnibus, quasi suis sedibus digestam artem collocarit, & quid de vnaquaque re affirmandum, vel publice profitenti, vel disputanti, vel intra priuatos parietes consistenti

de rebus tamen solerter & anxiè sollicito, esset, de scripto tradiderit. Ego quidem certè hac parte consultum Medicinæ volẽs, vniuersam artem in suas partes, seu membra quædam, digessi in eam scilicet quæ de naturæ est, quæ de salubribus, quæ de morborum, causarum, & symptomatum ratione, quæ de signis est, & eam postremò quæ curare docet. Hæ namque in vniuersum totius Medicinæ (vel authore Galeno) partes sunt. Rursus, quæ in vnaquaque earum partium continentur, singulatim per capita tracto, edisserens (demonstrationibus etiam adhibitis) quid de quaque re adstruendũ Medico sit, docens in primis antequam partium Medicinæ tractationem ingrediar (quæ præludij loco sint) quid Medicina, qui illius inuentores, quæ ipsius dignitas, quis finis sit. Abhinc de Medicinæ subiecto, de Medicinæ partibus, de Medico, & eius in vniuersum officiis tracto. Tum de natura, de arte, de consuetudine, vt ad Medicum spectant, edissero. Quibus absolutis, ad ea tractanda quæ in memoratis medicinæ partibus continentur, accedo: à naturali exorsus, quo loco de elementis, de temperamentis, de humoribus, & eorum generatione, de membris, déque partium humani corporis vsu, principatu, & totius corporis ex ipsis conformatione, de facultatibus quibus nostrum regitur corpus, de actionibus, de calore innato, & quid in nobis operetur, de spiritibus, de genitali semine, de conceptis, fœtuum formatione, gestatione, & partu, quæ omnia ad naturalem Medicinæ partem pertinere videntur, edissero. A qua ad eam quæ de salubribus est digressus, de omnis aeris natura inprimis, mutatione & effectibus in corpore, tracto. Item de temporum anni natura, de ventis, de locorum salubrium delectu, & omni alimento-

Ordo tractationis locorum communium. Libro de partibus artis me.

mentorum ratione, & quid in corpore præstent, de potu tum vini, tam aquæ, & eorum delectu, ac viribus, de somno, eiúsque effectionibus, de vigilia, de motu, & quiete, de frictione, de plenitate, & inanitione, de concubitu, de animi accidentibus, seu perturbationibus. Quibus expensis, ad tertiam Medicinæ partem conuersus, de morbis in genere primùm, déque eorum differentiis tractationem ingredior, de morborum causis, de morborum casibus, seu symptomatis, de morborum temporibus, de morborum crisibus, de indicialibus diebus. Inde ad quartam Medicinæ partem quæ de signis est, progrediens, de signis in vniuersum rationem ineo: & vnde petenda ea sint, de pulsuum significatione & vsu: de vrinis, de deiectionibus, de sputis, demum caput vnum, de sanitate tuenda, in vniuersum inserui, quòd prius sit, atque præstantius, sanitatem seruare, quàm amissam restituere. Hinc ad postremã artis partẽ cursum dirigẽs, de medendi methodo in vniuersum dissero. Dein de victus ratione in morbis seruanda, de medicamẽtis quibus recte curari morbi possunt, déque sanguinis missione, & purgatione tracto. Postremò de chirurgia & chirurgo, eius dignitate & officiis, de venenorum natura, & arte præcauendi ea, atque curandi vbi aßumpta casu aliquo fuerint. Coronidis loco supremique fastigij, de vita, tum de morte, eius neceßitate, ac causis tractationem ingredior. Quoniam verò absoluto iam, atque perfecto opere, deesse quædam mihi videbantur, quæ ad hanc rem optimè facerent (qualia sunt quæ de febribus est tractatio, de popularibus, pestilentibus, & contagiosis morbis, de abscessibus, de vlceribus, & vulneribus, de fracturis, de luxationibus,) hæc seorsim appendice concinnata, subnectenda

censui: ne quid esset, quod ad omnium Medicinæ locorum exactam explicationem desiderari vsquam posset. Vt autem publicis professoribus prodessem, qui in eorum prælectionibus copiosi, ac diuites fieri, locorúmque plurium instructissima manu, atque congestione suas ornari lectiones cupiunt, ad singularum rerum capita locos valdé multos, aphorismorum instar, ex Hippocrate, & Galeno appinxi, unde vberem materiam, & expeditam de quaque re in promptu, ac veluti ad manum habere queant, sicq; auditoribus suis, exacta, & locuplete rerum narratione satisfacere, & prodesse valeant, inquirendíque prætermisso labore, hinc tanquam è promptuaria cella, instructissimas dapes apponere conuiuis suis possint. In his autem citandis, & congerendis ex Hippocrate & Galeno de vnaquaque re locis, quos ad singula capita subieci, operum Galeni Germanicam sum secutus impressionem, quod in id de industria significatum volui, vt eorum, qui à me citantur locorum (si quando paginas addo) fides apud vos mea constaret: néve alibi quàm in eis voluminibus quæ Germaniæ excusa sunt, locum paginæ respondentem quæreretis. Hic meus labor, hæc mea curatio fuit, ô Medicinæ sanctissimi mystæ. Quod ego opus profecto immensis vigiliis, intenta mente, ac cogitatione, tẽpore multo, immenso labore, magna etiam corpusculi huius iactura, nec minore valetudinis dispendio, in vestra omnium commoda, adiutore, & auspice Deo (qui perpetuò facientes adiuuat) confeci. Quam meã fœturam si vobis placere intellexero, lib. obseruationũ Medicinalium, h. e. eoru quæ mira, quæ grauia, quæ periculosa, quæ etiam monstrosa, & præter fidẽ in morbis apparuerũt (quæ nos diutino, ac quotidiano medendi v-

di vsu obseruauimus) pari alacritate, qua hæc damus, nec minore vt arbitror fructu, sumus optimo animo daturi, si modò conatibus nostris faueat is, qui & vitam nobis, & literarum amorem, bonáque cuncta de sinu largitatis suæ suppeditat, Deus Opt. Maximus. Quem supplex oro, vt & vestra omnium studia, & virtutes, meámque in illustranda arte alacritatem, benignitate sua fouere, nobísque in hoc sancto labore dexter, atque propitius perpetuò adesse velit. Viuite fœlices, & literis incumbite.



AVTORVM NOMINA, ex quibus dictorum testimonia toto hoc opere adferuntur, & quorum loci, vel scitius explicantur, vel corrupti emendantur.

MEDICI,

Hippocrates.
Galenus.
Paulus Ægineta.
Cornelius Cellsus.
Auicenna.
Aëtius.
Actuarius.
Alexander Trallianus.
Cœlius Aurelianus.
Albucasis.
Auerrous.
Auenzoar.
Ioannes Mesueus.
Ioannes Alexandrinus.
Serapio.
Rasius.

Oribasius.
Theodorus Priscianus.
Dioscorides,
Hali Rodoan.
Plinius senior.
Plinius Valerianus.
Rabi Moses,
Isaac Israelita.
Scribonius Largus.
Guido Cauliacus.
Ioannes Manardus.
Leonhardus Fuchsius.
Ioannes Vigonius.
Hierony. Fracastorius.
Ludouicus Mundella.
Halyabbas.
Ioannes Damascenus.
Antonius Musa Brassauolus.
Petrus de Ebano, Conciliator.
Valesius Tarentinus.
Iacobus Syluius.
Ioannes Tagautius.
Athenus.
Nicolaus Florentinus.
Hermolaus Barbarus.
Marsilius Ficinus.
Nicolaus Leonicensis.
Philagrius.

PHILOSOPHI.

Plato.
Democritus,
Aristoteles.
Theophrastus.
Chalcidius.
Plotinus.
Proclus.
Albertus magnus.
Plutarchus.
Iamblichus.
Mercurius Trismegistus.
Themistius.
Ioannes Picus Mirandula.
Georgius Agricola.
Maximus Titius.
Phauorinus.
Seneca.
Alexander Aphrodiseus

ASTRONOMI

Ptolomæus.
Ioannes à Sacrobosco.

Alph-

Alphonſus.
Georgius Purbacius.

Alchabitius.

Avtores varie mixti.

Diuus Tomas Aquinas.
Diuus Ambroſius.
Strabo.
Pomponius Mela.
Solinus.
Ludouicus Romanus.
Americus Veſpucius.
Columella.
Cato.
Varro.
Paladius.
Conſtantinus Cæſar.
Cicero.
Demoſthenes.


Herodotus.
Artemidorus.
Ælianus.
Lucius Florus.
Nonius Marcellus.
Suetonius Tranquillus.
Valerius Maximus.
Diodorus Siculus.
Diogenes Laertius.
Polybius.
Macrobius.
Aulus Gellius.
Chriſtophorus Columbus.

Poetæ.

Homerus.
Heſiodus.
Ariſtophanes.
Virgilius.
Ouidius.
Plautus.

Lucanus.
Manilius.
Scropha.
Horatius.
Martialis.
Lucretius.

INDEX



INDEX CAPITVM TOTIVS OPERIS Locorum Communium Medicinæ.

CAPITA LIBRI PRIMI.

CAPITA LIBRI SECVNDI.

CAPITA LIBRI TERTII.

De



INDEX DVBIORVM ET QVÆSTIONVM MEDICINALIVM


FINIS.

INDEX CAPITVM APPENDICIS LOCORVM COMM. MEDICINÆ FRANC. VALLERIOLÆ.

INDEX

DVBIORVM APPENDICIS.

LOCO-



LOCORVM MEDICINAE COMMVNIVM

FRANCISCO VALERIOLA MEDICO AVTORE,

Liber primus.

De Medicina, inuentoribus eius, artis dignitate, & fine.

CAPVT I.



CONSTANS omnium assertio est, Medicinam Dei Opt. Max. munere atque concessu mortalium generi in id datam, vt humani generis imbecillam, caducámque naturam præsidiis suis iuuaret. Nam si in nobis (quod ait Gal. optima semper constitutio permaneret, neque alterationi, aut mutationi obnoxij ipsi essemus, artis medicę præsidiis profecto nõ egeremus. Quoniã vero fragilitate naturæ alterari, euerti, corrũpiq; humanũ genus cernimus, nec eundẽ perpętuo seruare tenorem: ea sane ratione artem desiderare ipsum, qua naturæ suæ imbecillitati prospici queat, euidentissimum haberi debet. Hanc artem Medicinam esse, eámque vnam omnium in primis nobilem, necessariam, vtilem, communi omnium consensu, atque testimonio constat. Nobilitatem porro illud inter cętera attestatur, quòd à Deo Opt. Max. sata, vnà cum nascente mundo originis suæ initia ducat, perennitatémque cum eo parem habere se glorietur. Virentem enim omnem herbã,

In arte Medica, ca. 84.

Genes. 1. lignúmque frugiferum produxit mox (testante Mose) ab initio Deus, vt iis humanum genus, & ad vitę tutelam in alimoniam vteretur, & iisdem ipsis infestantes morbos depelleret. Vnde est illud sapientis Hebręi Iesu Syrach Ecclesia-
Eccle. 38. stici, Ab altissimo manat Medicina: altissimus de terra medicamenta procreauit, nec abhorrebit ea vir sapiens. Ipse (subdit) sanat per hęc, tollítque dolorem hominis. Quid hac tanta medicinę laude, atque commendatione appositius excogitari diciq; potest? Illud quoq; nō minimum artem nobilitare videtur, quod pręter originis splendorem, & subiecto, & fine, & constituentium claritudine, professorúmque excellentia, tum varia, ac multiplici rerum arcanarum omnium cognitione, & vsu, & operum supra alias admirabilium, longeque nobiliorum effectione, cęteris omnibus antecellat.
lib. de salubri victu, quem Gal. Polybij esse dicit. Nam & materiam tractat omnium longè præstantissimam, hominem, & finem eum habet, quo nullus præstabilior, aut vtilior excogitari vsquam potest: nempe sanitatis possessionem, sine qua (vt diuus testatur Hippocrates) nulla est reliquarum rerum omnium, aut voluptas, aut fructus. Necessitatem porrò humani generis fluxa, fragilísque natura, nulli non mutationi, & alterationi obnoxia, abundè declarat. Siquidem vixdum natis, & à matre adhuc rubentibus (quod i-
Apho. 3. sectione. dem affirmat Hippocrates) aphthæ, vomitus, vigiliæ, tusses, pauores, vmbilici inflammationes, aurium putredines euenire solent: dentire incipientibus, gingiuarum prurigines, febres, conuulsiones, alui profluuia: progredientibus tonsillę, asthmata, calculi, strumæ, tubercula multa: grandioribus autem, sanguinis eruptiones, satyriases, lumbrici, febres: adolescentibus, tabes, comitiales acutæ febres: viris iam factis, laterales morbi, peripneumoniæ, lethargi, insaniæ, ardores, choleræ, difficultates intestinorum, & leuitates: senibus, & ad mortem properantibus, distillationes, stranguriæ, articulorum dolores, renum, & viscerum obstructiones, vertigines, apoplexiæ, mali habitus, sensuum, ac virium omnium defectiones. Cúmque huius vnius ope, atque præsidio à tam ingentibus malis ægroti leuentur (siquidem morbis, doloribus, anxietatibus, morte denique ipsa non raro artis beneficio homines liberantur, vt autor libri de flatibus prodidit) annon artem medicam humano generi summè necessariam dicemus? Vtilitatem testari possunt, qui à tantis malis artis bene-

beneficio leuati, optatum sentiunt restitutæ sanitatis, integræque valetudinis fructum. Quibus porrò authoribus ceu ducibus quibusdam, exculta, nata, propagatáque sit, si vetera consulamus, inueniemus profectò de quorundam sententia ab Ægyptiis medendi artem manasse, etsi eam sibi laudem Græcia disciplinarum omnium parens, & altrix vendicat. Nam cùm vel Herodoti, atque Diodori Siculi testimonio, primos hominum Ægyptios fuisse constet, qui se vetustatis titulo cęteris cunctis, & cœli clementia, & soli bonitate pręferri volunt: eósque omnium primos, & astrorum cursus annotasse: & quæ ad victum vtilia essent, vario artium cultu, inuentionéque prodidisse, haud iniquo iure censendum, non medicinam solùm ab his, sed & Astronomiam, & Musicen, & Arithmeticen, agríque colendi artem esse inuentas. Mercurio enim Diodorus palmam hanc tribuit, Medicinæq; illi inuentionem adscribit. Quem Osiris Saturni & Rheæ filius, ob insignem ingenij præstantiam, ob tantarum inuentionem artium, summis honorib. affecisse dicitur. Quod & Sttabo lib. suæ Geographiæ vltimo apertè confirmare videtur, dũ Thebanos sacerdotes Astronomiæ, Philosophiæq; omnis cultores, artium inuentionem Mercurio Trimegisto in primis tribuerre scribit. Ad quod facit Ægypti in ferendis variis medicamentis ferax solum, quod tanta in iis proferendis quæ hominum salubritati vsui sunt, vbertate pollet, vt de eo merito illud dixisse Homerus sit visus:

Plin. lib. 7 c. 56. Aegyptiis medicinæ inuentionem tribuit.

Hero. li. 2.

Dio. lib. 2. antiq ca. 2.

vbi suprà.

Odyss. 8.

Αἰγυπτίη, τῇ πλεῖστα φέρει ζείδωρος ἄρουρα
Φάρμακα, πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

Fertilis Ægyptus rerum medicamina mista,
Optima multa, simul deterrima plurima profert.

Hæc certè faciunt, vt ab Ægyptiis Medicinam originem duxisse existimandum sit. Gręcia omnis Apollini Deo habito, & Iouis atque Latonæ filio, Medicinæ inuentionem tribuit. Quem ob id Athenienses ἀλεξίκακον, quasi malorũ depulsorem vocabant. Et Vestales virgines Romæ in sacris ita Apollinem salutabant, Appollo Medice, Appollo Pæan, ita à sedandis morbis nominantes. Quem οὔλιον, hoc est, salubritatis autorem vocauit. Vnde est illud Ouidij. 1. Metamorphoseos:

Inuentum medicina meum est, opifexque per orbem
Dicor: & herbarum subiecta potentia nobis.

Medecinam porrò id temporis rudem,& impolitam, paulò altiùs excoluit Æsculapius Apollinis filius, multa inuentis patris adiiciens: atque ob id in deorum numerum relatus. Qua quidē in arte ita excelluisse dicitur, vt nedum morbis sæuissimis ægros alleuare, sed & ad vitam reuocare homines existimatus sit. Vnde ab eo Hippolitum & Androgęum Minois filium,ab Atheniensibus interemptū ad vitam reuocasse Græci scriptores ꝓdiderint. De Æsculapio enim agens Q. Serenus Samonicus,id luculento carmine testatus est:

Túque potens artis,reduces qui tradere vitas
Nosti,atque in cælum manes reuocare sepultos.
Qui colis Ægeas, qui Pergama, quique Epidaurum.

Plinius certè Chironi Centauro Thessallo,Saturni & Phyllirae filio, ob admirandam in dignoscendis plantis peritiam, medicinæ inuentionem tribuit.Ab Æsculapij porrò filiis Podalirio & Machaone, prorogatam deinceps medendi artem Celsus scribit. Hi enim bello Troiano Agamemnonem ducem secuti,magno commilitonibus vsui, præsidióq; fuêre,vulneribus præsertim manu medentes. Hæc quidem de artis inuentione ab autoribus prodita, quam postea Asclepiodorum nobilitate famæ, & eruditionis familia, non paulò plurimum promouisse,& adolescentem iam artem in suum robur dignitatémque euexisse, ex eorum monumentis abundè constat. Hinc summus in arte, omníq; ætate habitus Hippocrates Cous Medicinæ parens, ac instaurator primus,apud Græcos,desitam Medicinam, ac dissolutam in artem breuissimis quibusdam, sed argutis præceptionibus, prægnantibúsque sententiis,quas ἀφορισμοὺς vocant, redegit.De quo Soranus in præfatione Isagogici sui libri, Medicinam quidem (ait) inuenit Apollo, amplificauit Æsculapius,perfecit Hippocrates. Hic sæuientem omni Græcia pestem,cùm arte medica tutissimis auxiliis profligasset, Atheniensium Senatusconsulto & ciuitate,& corona aurea mille pondo publicè donatus, summísque honoribus affectus ob ingentia illius in rempublicam merita fuit. Cui vita functo Græci (authore Adylo) tumulum honorificentissimum

iis ver-

jis versibus posuêre:

Θεσσαλὸς ἱπποκράτης κῶος γένος, ἐνθάδε κεῖται,
Φοίβου ἀπὸ ῥίζης ἀθανάτου γεγαώς
Πλεῖστα τρόπαια νόσων στήσας ὅπλοις ὑγιείης,
Δόξαν ἑλὼν πολλὴν, οὐ τύχῃ, ἀλλὰ τέχνῃ.

Morus sic vertit.

Thessalus Hippocrates, Cous genere, hac iacet vrna,
Phœbi immortalis semine progenitus.
Crebra trophea tulit, morborum armis medicinæ
Laus cui magna, nec id sorte, sed arte fuit.

Sexcentis circiter ab Hippocrate annis subsecutus Galenus Pergamenus, quem Heroa potiùs ac dæmonem, quàm hominem appellare, suo sanè merito possumus, ita artem excoluit, ac propagauit, totamque absoluit, præclaris in eam rem editis monimentis, vt quæ Hippocrates duriùs iecerat medicinæ semina, hic quasi in optimum fundum, lætúmque solum demissa, plenis doctrinę suę fluminibus, purisque fontibus irrigarit: Vt qui absolutam illam medicinæ speciem (quam vix inueniri posse Hippocrates affirmauit, & in nullo se vnquam vidisse testatur) hic vnus expresserit, ac exornarit. Quamobrem, & cùm viueret, regnare in medecina dictus est, & post mortem in hodiernum diem sic apud omnes gentes illius nomē viget, sic celebratur, & claret, vt nulla id vnquam obliuio obscuratura, nulla eius laudibus allatura finem æternitas videatur: vt cuius nimirum scriptis, & monimentis, ne cogitari quidem maiora, ornatiora, plenioraque possint. Hunc postea reliqua omnis Gręcorum turba secuta, variis scriptis artem valdè locupletarunt. Ab hoc fonte Paulus, Aëtius, Alexander, Soranus, Oribasius, Actuarius, cæterique omnes manarunt. Hinc Pœnorum medicorum schola: cuius princeps Auicennas iure statuendus est, qui se Galeni interpretem gloriatur. Hinc Auenzoar, Rasius, Serapio, Haliabbas, Auerrous, Mesueúsque processêre, artem quique suis monumentis valde iuuantes. Hinc etiam Latini proceres, Celsus, Plinius, & ante hos Cato, & Varro, ac plerique alij. Nec verò quos nostra tulit ętas, quique immensis vigiliis ac laboribus artem medicam tota Europa

In epist. ad Democritum.

illustrem reddere conati sunt, sua laude fraudandi veniunt. Italia vna certè terrarum omnium alumna, eadem & parés (Plinius ait) numinéque Deûm electa, quæ cœlum clarius faceret, multos tulit summi ingenij, nobilitatæ eruditionis famæque viros. Leonicenum melioris medicinæ in Italia parentem, Hermolaum, Picum, Manardum, Brassauolam, Mundellam, Cardanum, Vidum Vidium Hippocratis fidum interpretem, mihíque omnibus omnium necessitudinum vinculis coniunctissimum, innumerósque alios: quorum scriptis, & illustriorem effectam medicinam, & longè suis finibus egressam in confesso est. Nec minorem ea in re operam ingeniorum ferax Germania nauauit. Testes sunt Leonhardus Fuchsius Medicorum nostri seculi decus, & ornamentum: qui tam strenuum in amplificanda medicina sese ducem præstitit, vt cultis eius laboribus, & fructuosis quotquot Medicinæ manus dederunt, felicissimo euentu versantur, Ianus Cornarius, Otho Brunfelsius, Gesnerus, Hieremias Thriuerus, innumerique alij. Quid doctrinarum, & artium fœlicissima parens & altrix Gallia? quæ nobis Syluiũ illum Medicinæ melioris parentem, ac vendicem, penéque tutelarem quendam Deum peperit? Qui vnus publico profitendi munere tam multos, tam eximios, ac eruditionis titulo præstantes genuit medicos, vt multarum gentium pater, nouæ semper prolis amplificatione (quod de Abrahamo dictum in sacris est) de eo in Medicina dici summo suo merito possit. Quid Tagautium æqualem, & commilitonem in philosophiæ studiis meum, virum ingenio, doctrina, omníque cumulata virtute clarum, suísque chirurgicis monimentis illustrem prætereo? Quid Acakiam, Fernelium, Vasseum, Guinterium, innumerósque, qui è vbertimo illo bonarum disciplinarum fonte Lutetia, magno totius orbis commodo profluxêre? Quid Academiam Mõspeliẽsem matrem sanctissimam meam prætereo? Ex qua ceu ex equo Troiano innumera Heroum in medicina turba profluxit? Vnde Tremoletus, Gryphius, Falco, Schyronnios, Rondeletus, Saporta, Fontanonus, Honoratus Castellanus medicinæ lumina manarunt? Sed iam de artis origine, dignitate, professorúmque excellentia satis. Nunc de medicinæ definitione dicamus. Medicinam porrò aliter alij definiunt.

Lib. 3. natu. hist. c. 5.

Autor

Autor libri de flatibus, qui Hippocrati adscribitur, Medicinam adiectionem, & detractionem esse dixit. ἰατρική ἐστὶ πρόσθεσις καὶ ἀφαίρεσις. Est quidem certè Medicina adiectio eorum quæ desunt, substractio eorum quæ superfluunt. Lib. verò de arte, Hippo. Medicinam esse dixit, morbos tollere, & eorum impetus retundere. Galenus ex Herophili sententia, salubrium, insalubrium, neutrorúmque scientiam definiuit. *In arte medicinali.* Inter Pœnos vero præstantissimus Auicenna hoc pacto: Medicina est scientia, qua humani corporis dispositiones noscuntur, qua sanum est, vel ægrotum. Omnium appositissimè Auerrous collectionum suarum lib. 6. cap. 1. Est (inquit) medicina ars effectrix, ratione, & experimento inuenta, quæ, & sanitatem conseruat, & morbos pellit. Esse vero Medicinam artem, non scientiam propriè, Hippocrates, Aristoteles, Galenus, Herodotus, Auerroúsque abundè demonstrant. Siquidem Hippocrates lib. de lege, Medicinam artium esse præclarissimam confitetur. *Cap. 4.* Aristoteles verò artem 6. moralium definiens, artis rationem medicinæ in primis conuenire docet, dum artem habitum esse quendam recta cum ratione efficientem definiuit: nec eorum esse quæ necessario eueniunt, quod certè Medicinæ congruit, sanitatem enim ipsa efficit, morbósque via quadam ac methodo tollit. Gal. verò. 6. Epidemiorum, commentario eius lib. 5. medicinam artis nomine dignatur, dum medicam artem medicis dignitate præstare affirmat. Herodotus lib. qui Introductorius, seu medicus inscribitur (est enim is eius libri autor, vt Galenus testatur) idipsum conceptis verbis planissimè monstrat, inquiens, Aberrant & Methodici, & Rationales, dum scientiam medicinam esse prædicant. Scientia enim (subdit) est conueniens, firma, & nunquam à ratione declinans, cognitio. Eam neque apud Philosophos (præsertim dum rerum naturas perscrutantur) inuenias, multó sanè minus in re medica: imo, vt verbo expediam, ne ad homines quidem venit. Quamobrem Medicina ars meritò dici potest. Idipsum quoque Auerrous. 1. & 7. suarum collectionum libris, & Ammonius in enarratione libri Prædicamentorum Aristotelis, atque in procemio quinque vocum Porphirij: Eustatius. 1. & 6. Ethicorum. Quam nos rem plenius

in nostris enarrationum medicinalium libris, enarratione decima libri quarti explicauimus, vt longiore ad id in præsens disquisitione opus non sit. Artem itaque Medecinam esse abundè docuimus. At qualis ars sit, nondum demonstratum. Galenus certè lib. de constit. artis, è factitiarum numero eam esse probat, sanitatem enim ipsa efficit, vt eodem loco, & Epidemiorum. 6. idem autor conceptis verbis demõstrat. Extremum est, vt de Medicinæ fine dicamus. Hunc porrò Gal. lib. de sectis, atque de optima secta, sanitatis possessionem esse vult. Medicæ artis scopus (inquit) sanitas est: finis, ipsius sanitatis possessio. Vt aliud omnino ab scopo finem esse velit. Quod paucis video animaduersum. Scopum enim plerique omnes cum fine confundunt, idem esse putantes, cùm contra se res habeat. Est enim scopus id quod primum sibi effingit, atque proponit medicus, etsi id non perpetuo assequatur. Finis verò id est, cuius causa omnia ars molitur, id autem est sanitatis adeptio. Nam vt rectè valeãt homines, & à morbis liberati optata sanitate fruantur, omnia præstat ars: omnibus in id præsidiis nititur. Quod pulchre animaduertens autor Introductorij, ita de tota re pronuntiauit. *Aliud* (inquit) *ars, aliud eius finis est. Hunc autem non affectat illa, sed quod circa ipsam est scilicet, neque id perpetuò. Quò fit, vt quousque hoc non assequitur, non finis eius, sed scopus dicatur: cùm autem contigerit, finis.* Hactenus ille. Itaque sanitatem artis præsidiis parare, artis medicæ finis est, vti sanitas ipsa scopus: quem semper sibi propositum habet medicus, etsi non perpetuò finem artis consequatur. Quod quidem non artis imperfectione accidit. Est enim ars vndique perfecta, exacta, atque absoluta, iis omnibus prospiciens, quæ sub ipsam cadunt: sed aut artificum imperitia, aut infelici hominum qui arte egent, statu, aut rerum necessariarum inopia, atque defectu. Vnde est illud vulgatum, *Non est in medico semper sanetur vt æger.* Atque hæc in præsens de Medicinæ origine, præstantia & fine tantisper dicta sint.

De Medicina, inuentoribus eius, ac fine, Hippocratis, & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

MEDICINA artium prę̨clarissima. *lib. de lege.*

Medicinam esse, morbos ab ægris in totũ tollere. *lib. de arte.*

Medicina

Medicina est adiectio,& detractio. *lib.de flatibus.*
Medicina cum sapientia coniungenda.*lib.de decenti ornatu, seu de probitate.*
Medicinæ insunt omnia,quæ ad sapientiã requirũtur.*eod.lib.*
Medicina ob id vituperatur,quod non omnes sanare possit. Atq; huiusmodi calũniatoribus respõdet *Hip.lib.de arte.*
Medicinam,artem dignam quæ Deo adscriberetur primi inuentores indicauerunt. *lib.de veteri medicina.*
Medicina erga Deos valdè reuerenter se habet.*lib.de probi.*
Medicina est secundùm naturam.*lib.de flatibus.*
Medicinę principium est,morborum curas,& modos,& medicamentorum vires memoria tenere.*lib.de probi.*
Medicinam qui rectè nouit,minimè fortunam respicit,aut expectat:sed & citra fortunã,& cũ fortuna rectè facit.*lib. de locis in homine.*
Medicina tota constans,ac firma est. *lib.de arte.*
Medicina necessario inuenta. *lib.de veteri medicina.*
Medicina nec simplex,nec facilis. *lib.de veteri medicinæ.*
Medicina ex his quæ propter quid demonstrata sunt,esse cernitur. *lib.de arte.*
Medicina propter ægros inuenta.*lib.de veteri med.*
Medicina,inuentũ ad hominũ sanitatẽ,& alimentũ.*lib.eodẽ.*
Medicina,& vaticinatio valdè cognatæ sunt. *In epistola ad Philopœmenem.*
Medicina iam ab antiquo existit. *lib.de veteri medicina.*
Medicinam propter ingratitudinem,intemperantiam,insaniam, & inuidiam insensatorum hominum contemptui haberi, & contumelia affici. *In epist ad Damagetum.*
Medicinam cito discere non est. Propterea quòd impossibile est statã ac certam doctrinam in ipsa fieri,*lib.de locis in homine.*
Medicinæ exacta certitudo difficilis. *lib.de veteri medi.*
Medicinam inquirere,ac inuenire ipsa necessitas homines coëgit *lib.eodem.*
Sine medicina nemo quisquam sanari potest. *lib.de arte.*
Medicina ars longa est, vita breuis. *1.Aphorismorum.*

GALENI.

MEDICINA salubrium,insalubriúmque scientia, ab an-

tiquis dicta est. *lib. de sectis, in arte medicinali. & lib. ad Thrasib.*

Medicina est scientia sanitatis conseruatrix, morborum repultrix. *lib. qui medicus inscribitur.*

Medicina, ars est, & eius rei probatio. *ibidem.*

Medicinæ finis proprius, medicorúmque proprium munus morbos adimere. *lib. 2. meth. meden.*

Medicinæ finem alij sanare, alij ea facere quæ ad sanitatem sint conducibilia, alij morborum causas adimere, dixerūt. *lib. 1. meth.*

Medicinæ finis, non est actionem vitiatam sanare: sed qui hanc efficit, affectum. *lib. 1. meth.*

Medicina est, cuius finis est sanitas. *lib. ad Thrasi.*

Medicina, quod in affectuum cognitione consistit, coniecturale habet: quod in curatione, scientificum. *lib. 2. de comp. med. secundùm locos.*

Medicinalis facultas cum his quæ generantur, & corrumpuntūr, suum exhibet ministerium. *lib. 1. de elementis.*

Medicinam à Deorum filijs, vel eorum propinquis, quibus Dij primùm communicarint, inuētam esse volunt Græci. *in Introdu.*

Medicinam quomodo constitutam esse tum Empirici, tum Rationales velint. *lib. de sectis ad initium*

Medicinæ artem constituere volentem, partem quamlibet simplicem quali substantia, ac figura constet, quanta magnitudine, numerum earum vniuersum mutuámque cōpositionem tenere est necesse. *lib. de consti. artis.*

Medicina ex artium factitiarum genere vna est. *lib. eodem.*

Medicina, hanc ad alias effectiuas artes proportionem habet, quod ea non simpliciter effectiua est, perinde atque ædificaria, lignaria, fabrica, atque textoria, sed vt reparatrix collapsæ domus, ac lacerarum vestium sartrix. *lib. eodem.*

Medicina inter effectiuas artes maxima ex parte naturæ operanti ministrat. *ibidem sub finem libri.*

Medicina & partium similarium substantiā nouit, & instrumentalium generationis modum: prætereà & affectuum similiter inuentionem, & pro quoque eorum scopos confert curationis. *ibidem ad finem.*

Medicina & agricultura artibus instaurantibus similes. *lib. ad Thrasib.*

Medi-

Medicinæ quædam principia omnibus noscuntur: quædam ab artifice tantùm. *lib. 5 de simpl. fac. cap. 12.*

Medicinæ principia tria, inuentio, constitutio, interpretatio. Inuentionis porro vetustissimum principium experientia est, constitutionis ratio & experientia, interpretationis initium naturalis est speculatio. *In Introducto.*

Medicinæ inter initia hæc tria statim se offerunt, Curationis indicatio, quæ à morbi natura sumitur, nondum verò pars artis est, & vulgo quoque nota. Proximum nouisse an talis indicatio perfici queat, veluti an vulnus glutinari. Postremum quibus auxiliis id fiat, & hæc duo artis sunt, in quibus sese occupat methodi constitutio. *Lib. 3. meth.*

Medicinam non esse coniecturalem secundùm Hippo. *Com. 1. in primum aphor.*

Medicina quomodo ars sit sanitatis effectrix. *Lib. de Cons. artis.*

Medicinæ artis verus sectator qualis. Lib. Quòd optimus medicus idem sit & philosophus.

Medicinam non esse artem populares tum putant, cùm inter se dissident in curando medici. *Lib. 9. de placi. Hippo. & Plat.*

Medicina longa, ac ferè incomprehensibilis. *Com. 1. in primum aphoris. Hippocratis.*

Medicinæ veritas non est inuentu facilis. *Ibid.*

Medicina non semper verum vniuersaliter affirmat, sed satis est in pluribus verificari. Commento 68. sexti aphoris.

De subiecto Medicinæ. CAP. II.

ARtibus singulis, atque disciplinis commune esse solet, vnum aliquid habere, in quod intentè munia ipsæ sua obeant, & circa quod tractandum accuratè versentur. Id autem materiam artis seu subiectum Philosophi omnes vocandum censuerunt. Equidem artium alia aurum, æs, ferrum: alia corium, linum, lanam, lapidem, lignum tractat. Itaque cùm Medicinam artem præcedente capite constituerimus, vt cuius nimirum finis effectio sit, consequens quidem est, vt vnum aliquid reliquarum instar ea habeat, quod illi materiæ, atque subiecti vice sit. Nam quæ in efficiendo positæ artes sunt, & materiam in quam agant habere eas est

necesse, & efficiendi vim ac facultatem. Cùm actio omnis his duobus potissimùm, atque necessariò constet, materia, inquam, & efficiente, si quid Aristoteli philosophorum summo creditur. Cúmque sanitatem ars medica præstet, atque efficiat (vt Galenus commentario secundo in sextum Epidemiorum Hippocr. affirmat,) necessarium est ei effectioni vnum aliquid subesse, quod actionem eam excipiat. Humanum itaque corpus ad eam excipiendam suapte natura idoneum, verum medicæ artis subiectum dici meritò debet. Vnde est illud Auicennæ: *Quoniam* (inquit) *medicina corpus humanum ea ratione, qua morbo sanitatique obnoxium est, considerat, neque cuiusquam rei scientia, nisi causa um cognitione haberi possit, sanitatis, & morbi in medicina causas scire in primis conuenit. At verò cùm corpus humanum medicinæ subiectum dicimus, non considerationis quidem, & scopi in medicina præcipui, sed operis esse subiectum intelligendum est.* Constat enim subiectum illud considerationis in arte quapiam dici non posse, quod non primò & per se, sed secundariò in considerationem cadat · corpus autem humanum non per se, & primò in medicina considerari, docet lib. de partibus artis medicinalis sub libri finem, Galenus, in hæc verba: Corpus hominis (ait) medicatiuæ artis est materia secunda, & vti dicat quis secundum accidens: eo quod huius dispositiones sunt sanitas, & ægritudo. Itaque cum secundum accidens, (vt hoc loco testatur Galenus) arti subiiciatur humanum corpus, proprium illius subiectum, de quo potissimum ars considerat, esse non potest. Est autem proprium artis subiectum, quod ad considerationem attinet, sanitas ipsa (vt eodem ipso loco Galenus conceptis verbis testatur) vt quam nimirum medicus per se primò considerat, & ad quam, ceu ad scopum, omnem reliquam suam refert considerationem. Est .n. medicinæ scopus sanitas, ex Galeni lib. de sectis, & de optima secta, sententia. Per hanc enim (quam medicus præcipuo munere tractat) ab omni alio artifice discernitur, ac separatur. Artes enim non à materia, sed à fine potius sunt distinguendæ, vt bellè Galenus lib. ad Thrasibulum docet. Equidem cùm sit medicina effectrix ars, aut potiùs refectiua (quod libro de artis medicæ constit. asserit Galenus) per id quod reficit, non per id circa quod operatur, est à cæteris artibus seiungenda. Sola enim artium medicina sanitatem reficit,

7. Metaph. c. 7.

Fen. 1. primi cap. 2.

reficit,& instaurat. Hoc sanè est, quod lib. ad Thrasibulum dicebat Galenus, artes non à materia quam tractant, sed à fine oportere distingui. Nihil enim impedit vnum aliquid plurium artium fieri materiam, vti lignum (quod eodem loco scribit Galenus) & nauium artifici,& carpentario, & machinarum instructori,& ædeis fabricanti, multisque aliis artibus materia est. Quin & humanum corpus (varia tamen ratione) plurium artium, atque disciplinarum materia efficitur. Quatenus enim naturale est, Physicæ scientiæ subiicitur: vt sanitatis capax, medicinæ: quatenus euectum, id est bono habitu præditum,exercitatoriæ. Quæ docta Galeni præcitato loco sententia est. Constat igitur humanum corpus operis tantum,& veluti eius in quo actio, seu potius effectio medicinæ excipitur, quàm considerationis esse subiectum. Vnde Galenus, *Medicæ artis, vna cùm sit, infinitæ materiæ sunt, & corpus ipsum sanitatem accipiens, & cibi, ac potus, ac medicamenta omnia, & vocata diætemata. Hæ igitur medicorum materiæ. Corpus autem tanquam id ex quo finis, aut in quo* Hactenus Galenus. Et meritò quidem corpus id in quo esse dixit,cùm sit vtique sanitas medicinæ finis, in homine ipso ceu in subiecto proprio. Est enim sanitas vel Aristotelis testimonio,ex qualitatum primo ordine,nempe habitus,vel dispositio homini inhærens. Pro constituto itaque habendum, humanum corpus medicæ artis subiectum quidem esse,non considerationis,sed operis,hoc est eius quod per medicam artem efficitur,atque præstatur, nempe sanitatis, vt ex suprà adductis locis,atque ex commentario.i.in primum apho. Hippo. vbi conceptis verbis Galenus humanum corpus medicinæ materiam vocat, probasse me abundè puto. Et in hanc quoque pedibus eunt sententiam, Diuus Thomas Aquinates secunda parte secundæ partis quæstionis primæ, articulo primo ad finem, dum medicinæ obiectum sanitatem esse testatur, quod nihil medicina nisi in ordine ad sanitatem consideret, & ex medicis doctissimus Manardus commentario suo ad artem medicinalem Galeni circa principium. Cùm itaque humanum corpus (quo nullum aliud nobilius, nullum excellentius, aut diuinius excogitari potest) Medicinæ subiectum,atque materiam esse probauerimus, artium autem eæ nobilissimæ existimandæ, quæ & nobiliorem tractent materiam, & finem habeant longè

Libr. ad Thrasil.

Lib. prædicamētorum,ca de qualitate.

omnium præstantissimum, atque vtilissimum, vtraque sanè ratione medendi artem,& subiecti nobilitate, & finis excellentia, atque vtilitate, cæteris cunctis præstare planè censendum est. Nobilitatem subiecti & ipsa corporis structura, ac forma, & ipsa temperamenti ratio, atque humorum, & formæ prorsus diuinæ indita species diuinitatis plenissima, indicant. Siquidem prona cùm fecerit animalia cætera cuncta natura, vnum tantùm hominem erectum cœlúmque aspicientem produxit, iussitque (vt Poëta ait) erectos ad sydera tollere vultus, vt mente naturam rerum consideraret. Hoc enim de Galeni sententia sursum aspicere est, & cœlum intueri, vt idem ex Platonis mente lib. tertio de vsu partium astruit. Quin & temperamenti perfectione longè cæteris animalibus antecellit, vt Auicenna post Galenum conceptis verbis sensisse est visus: mentis vero diuinitate diuinum & ipsum animal habitum. Vnde Cicero hominem, animal prouidum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenũ consilij & rationis, præclaráque quadam conditione generatum esse, pleno iure affirmauit. Et meritò quidem cùm sit mundi miraculum homo, superiorúmque, atque inferiorum corporum nexus, ac vinculum, vt Plato, Plotinus, Iamblichus, atque Pimander volunt. Atque hæc de subiecti nobilitate, vt ad rem præsentem satis. De finis vero, hoc est, sanitatis perfectione, stultus sim, si rem per se sensibus expositam demonstrare satagam: cùm illud in confesso sit, sanitate,& robore corporis nihil præstabilius, nihil optatius, nihil etiam iucundius inueniri posse: cùm sine ea (vt ait Hippocr.) nulla sit reliquarum rerum voluptas aut fructus.

3. de vsu partium.

Auic. fen. 1. p. Doc. 3. c. 2. Gal. lib. de temperamentis.

de. 5. leg.

De medicina subiecto, Hippocratis, & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

HOMO totus, à natiuitate morbus est. *in epistola ad Damagetum.*

Homo dum educatur, inutilis est, & alienum auxilium implorat: dum crescit proteruus, insipiens, pædagogo indigens: dum in vigore est, audax est: dum decrescit, miserabilis, vbi labores suos imprudenter recolit, ac iactat. *in epistola eadem ad Damagetum.*

Homo ex maternis vteri inquinamentis miser prodiit. *ibid.*

Huma-

Humanam omnem naturam inuestigauit Democritus, Hippocratis testimonio. *ibid.*

Hominem qui non nouit, medicinam nescit. *lib. de vet. med.*

Homo absque congenitis, viuere nequit. *lib. de nat. hu.*

Humanum corpus hæc omnia semper habet, sanguinem, pituitam, bilem vtramque, etsi horum quædam modo præualeant, modo desinant. *lib. de nat. hu.*

Homo ad anni mutationes comparatur. Ibid.

Hominem non esse vnum, sed plura. *lib. de natura hu.*

GALENI.

HOMO est animal rationale, mortale, mẽtis capax, & scientiæ. *in definitionibus medicis.*

Homo cùm longè cæteris animantibus sit ratione præstantior, ipse vnus excellentiæ magnitudine animal rationale nuncupatur. *in orat. suaso. ad bonas artes.*

Homo ad omnes artes perdiscendas, & exercendas aptus. *ibidem.*

Homo quicquid in se terra occultat, & vltra cœlum positũ est, vt ait Pindarus, contemplatur. *in orat. suas.*

Homo (quod in diuinis bonis maximum est) Philosophiam industria & labore consecutus est. *ibid.*

Homo sapiens animal, & solum eorum quæ sunt in terra diuinum. *1. de vsu part. ca. 2. & 3.*

Homo animantium prudentissimum. *1. de temper. ad finem.*

Homo non solùm his quæ in terra sunt animalibus, sed eis etiam quæ in mari, & aëre dominatur. *de vsu part. cap. 2.*

Homo animal pacificum, & ciuile. *ibid.*

Homo sicuti corpus armis nudum, ita & animam artibus destitutam habet. *1. de vsu part. ca. 4.*

Homo solus erectus stat. *3. de vsu part. cap. 3.*

Hominem opinari ob id rectè stare, vt ad cœlum promptè respiciat, hominum est qui nunquam viderunt piscem Græcè dictum οὐρανοσκόπον, id est, cœli speculatorem. Cic namque vel inuitus cœlum aspicit semper: homo autem nisi collum reflexerit retrorsum, cœlum nunquam viderit. Hoc verò refractum, non soli inest huic animali, sed nihilominus, & asinis, (vt omittam aues longum collum habentes) quibus non solùm facile est sursum, si volue-

rint, aſpicere, ſed quoquouerſum etiam circumferre promptè oculos. Quod verò ne Platonem quidem intellexerunt dicentem, id non eſſe ſurſum aſpicere, cùm quis ſeipſum reclinarit oſcitans: ſed quando (ni fallor) mente naturam rerum conſiderat, turpiſſimum eſt. *3. de vſu part. cap. 3.*

Hominis valetudinem, multis modis corrumpi. *11. de vſu par. cap. 10.*

Homo è cæteris diuinius quidpiam ſortitus, rebus eſt vniuerſis melior. *lib. an animal ſit, quod in vtero continetur.*

Homo corporum omnium, atque animalium temperatiſſimus. *1. de tempera.*

Homo exquiſitè temperatus Polycleti ſtatua, quam canonem appellant. *1. de tempera.*

In humano corpore ea experiri, quæ non ſunt experientia comprobata, non eſt citra periculum, cùm mala experientia ad totius animalis interitum terminetur. *com. 1. in primum aphor. Hipp.*

Humani corporis ad ligna & coria comparatio. *ibidem.*

Humanum corpus medicinæ materia: & ob huius fluxum occaſio agendorũ præceps eſt. *com. 1. in primum apho. Hippo.*

Humanum corpus ab extrinſecis læditur. *ibid ad finem.*

Humani corporis fabrica non fortuna facta, ſed arte naturæ. *9. de placit. Hipp. & Plato.*

De partibus Medicinæ. CAP. III.

HAud immeritò Galenus ad Iuſtum de partibus artis medicinalis, opus conſcribens, appoſitè de eo illum dubitaſſe ſibi videri affirmat, quænam & quæ eſſent medicæ artis partes, aliis aliter eas ſcribentibus. Vt quidam in φαρμακευτικὴν, διαιτικὴν, καὶ χειρουργικὴν artem ſecarent. Nonnulli, curatricem, ſanitatis conſeruatricem, tum & præſeruatiuam (quas Græci θεραπευτικὴν, ὑγιεινὴν, προφυλακτικὴν, vocant) præcipuas eſſe medicinæ partes aſtruebant, adiicientibus aliis, reſumptiuam, eucctiuam, & gerocomicam, hoc eſt ſenum educatricem. Quidam & pedotrophicam, id eſt, infantium, prout & alij decoratiuam eam à comptiua ſeparãtes. His partibus alij quidã Phyſiologicã, & pathologicã, h. e. naturalem, & morborum, ſeu affectuum cognitricem

gnitricem: tum & signorum, & causarum alias duas adiicientes, integras medicinæ partes esse volebant. Verùm cùm ij omnes, etsi non omnino ineptè, artem in sua quasi membra dispartiantur, pleraque tamen vel omitterent, vel confusè, & inaccuratè tractarent eorum non esse sequendas, vt ab his positæ sunt partitiones rectè Gale. astruxit. Primas itaque, atque præcipuas partes eas esse voluit Galenus, quæ à fine artis petuntur, & per quas finem artis consequimur. Nā vel præsentem sanitatem seruare studemus, vel morbum depellere (quæ præcipua medicorum munia Galenus vbique putat) si primum, id ea parte perficimus, quæ salubrium esse dicitur, quam paulò anteà ὑγιεινὴν vocari diximus: si alterum, curatrice parte obimus. Non enim morbus auferri nisi curationis via potest. Sed cùm ad hanc complendam materiis quibusdam ceu instrumentis idoneis opus sit, nempe victu, medicamentis tum intrò assumptis, tum foris admotis, denique etiam manuum sæpe ministerio, hinc tres aliæ partes à materia medendi sumptæ deriuantur, quas vocant diętam, pharmaciam, chirurgiam. Sunt enim hæc tria materiæ idoneæ, sine quibus curari nequicquam vllius generis morbi possunt. Itaque artis partes, vel à corporis dispositionibus, quæ sub ipsam cadunt petendæ sunt, vel à materia, seu instrumentis. Corporis porro dispositiones, cùm tres à medicis constitutæ sint, sanitas, morbus, neutralitas, has ipsas eæ artis partes consequuntur, curatiua, resumptiua, pręseruatiua, sanitatis conseruatrix, senum educatrix, infantiū procuratrix, & euectiua, seu boni habitus productiua. Ad sanitatem pertinent euectiua, & sanitatis conseruatrix, ad morbum curatiua, ad neutralitatem præseruatiua & resumptiua: vti ad ætates, senum, & infantium, educatrix. Primas verò Galenus, & maximè proprias artis partes eas vocat, per quas (vt anteà dictum) finem artis consequimur: Eæ porrò sunt sanitatis conseruatrix, & curatiua: per has enim maximè finem artis (qui sanitatis est possessio) nanciscimur. Nā siue præsentem seruamus valetudinem, seu morbum medendi methodo propulsamus, vtraque sanè ratione sanitate fruimur. Nos verò paulo pressiùs hæc distinguentes, ita ex Galeni sententia in Medico (vel Herodoti potius, qui eius libri autor fuit) medicinæ partes diducemus, vt primam naturæ, & eorum quæ ad ipsam pertinent contemplationi tri-

Eod. lib.

Lib. de partibus artis medic.

buamus, quæ Græcis φυσιολογικὴ dicitur: secundam, causarum, seu effectuum considerationi, quã modò αἰτιολογικὴν, modò παθολογικὴν vocant; tertiam sanitati tuendæ quam ὑγιεινὴν; quartã signorum obseruationi, quam σημειωτικὴν, quintam & vltimam curandi rationi, quam θεραπευτικὴν, dicunt, assignemus. Quid vero harum vnaquęque medicinę conferat, & quid tractet, paulo enodatiùs explicandum. Naturę contemplatio id pręstat, vt hominis naturam (qui medicę artis subiectum, & materia est) vniuersam planè dignoscamus, quęnam hominis elementa sint, quę temperamenti ratio, quę humorum, quę membrorum structura, ratio, positio, nexus, quis horum vsus. Rursus quę facultatum, quibus regimur, vis, atque potestas: quę actionum ab his manantiũ ratio: quę natiui coloris, quę spirituum in nobis natura: quę generationis, item conceptus, & formationis industria. Hęc omnia, hęc tanta artis pars suppeditat: ac proinde id commodi adfert, vt sine huius partis exacta cognitione, morbi, & eorum causę, & symptomata deprehendi non satis possint, vt eodem ipso loco, & 2. metho. explicatè docet Galenus. Nam nisi naturalibus cognitis, ea quę à naturali habitu recesserunt cognoscere queas nunquam quod pręter illorum naturam morbi consistant. Hanc partem totam locupletissimè Gal. libris de elementis, de tẽperamentis, de vsu partiũ, de anatomicis administrationibus, de fœtuum formatione, de semine, de naturalib⁹ facultatibus, de placit. Hippocratis, & Platonis, & eo quo quærit, an sanguis in arteriis contineatur, & an animal sit quod in vtero continetur tractauit. Qua quidem in tractatione, non reliquos modò sui seculi medicos, ac philosophos, sed & omnis æui, vt & seipsum etiam superasse sit visus, longo post se interuallo reliquisse omnibus sit exploratum. His enim libris causæ constitutionis naturæ nostræ ad seuerum (vt dicitur) vnguem explicantur omnes. Sequitur vt affectuũ cognitionem, quam παθολογικὴν nuncupari diximus, quæque secunda est partium medicinæ, tractemus. Huius vnius præsidio, quæ præter naturam sunt exactè cognoscimus: morborum causas, accidentium concursus, morborum status, naturámque omnem indagamus: sine quorum scientia, atque cognitione nemo vnquam

rectè

rectè nouerit, quo pacto infestantes morbos curare conueniat, ac proinde arti valdè necessaria. Ob id enim pars hæc desideratur, vt affectuum origines quib. resistere conuenit, intelligamus, morborum species atque naturas (quas in primis considerandas vetustissimus prodidit Hippoc.) tum & symptomatum naturam, quæ affectus ipsos velut vmbra corpus sequi solent, dignoscamus. Hæc huius partis vtilitas; de qua accuratè Gal. libris de morb. diff. ac caussis, & de simptõmatum libris de loc. affect. tractauit. text. 38. Tertia sanitatis tuendæ rationem continet, ὑγιεινὴν hanc Græcè vocari diximus, hoc est salubrium rerum, quib. sanitas seruatur, inuentricẽ. Salubris porrò hæc pars, non solum vt pars medicinæ præcipua, sed tanquã potior ea quæ medetur (quã θεραπευτικὴν nominamus) habenda omnino est, eámque longè antecellit. Siquidem multò præstat; morbum prorsus non admittere, quàm morbo liberare: perinde atque gubernatori longè præstabilius est, antequàm in tempestatem incidat, iter salubriter dirigere, quàm oborta tempestate, magno negotio, atque labore, nec citra periculum euadere. Quæ docta Gal. in Introduct. sententia est. Ad hanc partem libri Gal. de sanit. tuen. scripti, verè aurei, tum & qui de alimentorum facultatibus, & de boni, & mali succi cibis inscripti sunt, pertinent. Quæ vero de signis est tractatio quartum sibi locum vendicat, Σημειωτικὴν vocant. Hac parte longè præstantissima, & qua ipsa cum vaticinatione maximum medicina cõmercium habet (vt epistola ad Philopæmenem testatur Hippocr.) præteritorum memoriam, inspectionem præsentium, & futurorum prædictionem, nanciscimur: Rem certè omnium maximè, & ad affectuum dignotionem necessariã, & ad curandi rationem valdè vtilem. Siquidem ex anteacta vita, & iis quæ affectum quempiam præcesserunt, in morbi notitiam facilè deuenimus, & ex his quę adsunt indiciis morbi naturam agnoscimus, & ex prognosticis signis futura facilè præsagimus, ac prædicimus. De hac tota significatiua parte exactissimè ab Hippocr. traditum est libris de præsagiis & de Coacis prænotionibus, & de insomniis, de iudicationibus, & diebus iudicatoriis, de prænotionibus, & iis libris, quę prædictionum inscripti sunt: à Galeno verò commentariis suis iii libros præsagiorum Hippocratis, libris de crisibus, &

decretoriis diebus, & partim etiam libris de locis affect. & de feb. diff. Vltima superest curatiua pars, quæ Græcis θεραπευτικὴ dicitur. Hæc vna infestantes morbos sedula manu, operosóque medicorum labore tollit, rem quidem certè longè omnium vtilissimam. Quid enim vtilius, quàm hominem lethali morbo correptum, sæuissimis doloribus enectum, in naturæ statum methodo quadam deducere? Id fœlicissimè hæc artis pars præstat: quæ id tribus veluti instrumentis perficere solet, victu, medicamentis, chirurgia. Victu omnibus ex æquo morbis medemur, vt sine cuius congruo vsu, nec in secunda, nec in aduersa valetudine consistere vsquam valeamus, si quid Gale. creditur. 1. de alimentorũ facultatibus: medicamentis, internorum morbis potissimum medemur: chirurgia externis. Hanc partem totam doctissimè Gal. xiiij. Therapeu. libris, & ad Glauc. duobus, tum libris de simpl. facultatib. & de compositione medicamentorum secundùm locos, & κατὰ γένη, absoluit. Hæ verò partes omnes hanc in seipsis rationem continent, vt medico futuro naturam omnem imprimis scire necessarium sit, quæ hominis elementa, quæ temperamenti, humorum, ac membrorum ratio, quæ facultatum, & actionum: dein vt affectuũ in corpore naturam causásque agnoscat: tertiò vt signis propriis, præteritorum memoriam, præsentium inspectionem, futurorum prædictionem nanciscatur: quartò vt sanitatem maximè tueatur: quintò vt si qui morbi ingruant, hos, methodo congruis adhibitis auxiliis (de quibus mox diximus) curare sciat.

De partibus Medicinæ Hippocratis, & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

DE his partibus Hippocrates, variis in locis tractauit. Physiologiam libris de elementis, seu de natura humana, lib. de semine, seu genitura: pathologiam libris de Affectionibus, lib. de internis morbis, de virginum item morbis, de morbis mulierum, & libr. de popularibus morbis. Salubrem tractauit lib. de diæta, seu victus ratione, de alimento. Significatiuam, libris præsagiorum, libris prædictionum, lib. item prænotionum, & de Coacis prænotionibus, tum de insomniis

&

& de iudicationib,& diebus iudicatoriis. Curatiuam passim, in plerisque suorum lib. Quare ad ea loca, ad assertiones de his partibus ex Hippocr. colligendas, lectorem remittimus.

GALENI.

CVRATIVA Medicinæ pars multum subitò corrigit. *Lib. ad Thrasibulum.*

Conseruatiua artis per pauxillum corrigit. *Ibid.*

Conseruatiua artis pars cùm perfectè valentem accipit, in hoc ipsum gradu conseruat. *Ibid.*

Euecticæ artis pars ea est, qua perfectè valens in eo gradu seruatur: quam & ipsam boni habitus seruatricem dicunt. *Ibidem.*

Refectrix medicinæ pars his debetur qui iam morbum euaserunt. *Ibidem.*

Instauratiua artis pars analeptice vocatur. ibid.

Salubris artis pars, quæ eadem & conseruatiua, inter analepticen,& euecticen media collocatur. *Ibidem.*

Analeptice, salubris, & euectice sunt quidem omnes ab ea medicinæ parte, quæ exigua vitia tollit. *ibid.*

Præseruatoria medicinæ pars, quam prophilacticen dicunt, facultatem ei oppositam habet, quæ à morbo proxime liberatos recreat. *Ibidem.*

Præseruatiua his qui in morbum casuri sunt, debetur. *Lib. de constit. artis.*

Prophilactice neutris corporibus competit. *Lib. de consti. art.*

Præseruatiua,& instauratiua in medio salubris, atque euectice positæ sunt,& cur. *Lib. ad Thrasibulum.*

Citra naturam corporis exactè inuentam (quòd præstat physiologica pars) nec inueniri, nec curari morbi possunt. 1. *&* 2. *meth.*


Præsensio,& prouidentia idem. *Commenta.* 1. *in* 1. *præsag.*

Præsensionis est, præsentire futura. *Commenta. eodem.*

Præsagia visui medicorum habentur necessaria. *Ibidem.*

Præsagiorum vtilitas, quòd ægri propensiùs parent, quod medicus præsentiendo futura, de longinquo obuiam it, quòd demum crimine vacat internecionis. *Ibidem.*

Curatiua artis pars, seu curatio, dignotionem, prænotionem-



que sequitur. 10. *meth.*
Curatio rei præsentis est. 4. *meth.*
Curationis prima indicatio à morbo sumpta contrarietas. 7. *meth.*

De Medico, eiúsque in vniuersum officiis.
CAP. IIII.

CVm de Medicina, illius inuentione, fine, ac partibus tractatum à nobis sit, superesse illud videtur, vt Hippocratem imitati, de Medico, eiúsque officiis disseramus. Hippocrates enim vbi primùm de arte, déque veteri medicina sermonem instituit, mox de Medico tractare ingreditur, idque summa certè ratione. Nam cùm medicam artem summis ipse laudibus celebrasset, congruum videbatur, vt quantus tãtæ artis minister esset (quem Medicum vocamus) pari quoq; filo tractationis doceret. Hanc nos methodum secuti, de Medico tractare hoc capite ingredimur: hoc est, artifice omniũ nobiliss mo, ac præstantissimo, vitæque hominum, ac publicę salutis seruatore maximè necessario, & qui viribus suis, ac potestate, rerúmque admirabilium effectione, cùm Heroibus, diuinísque viris conferri, summo suo merito possit. Itaque primum omnium quid Medicus sit, quę pręcipua eius munia, quę ministerij sui ratio, docere hoc capite proposuimus. Medicum definit Hippocrates naturæ ministrum, ac virum philosophum, hoc est sapientię studiosum. Inquit enim, primo de popularibus morbis, Ars his tribus constat, morbo, ęgro, & medico artis ministro. Quem quidem locum interpretans Galenus, in quibusdam exemplaribus, non artis, sed naturę ministrum medicum esse, scriptum testatur. Et meritò quidem: nam cùm natura (quod idem lib. de arte confirmat Hippocrates) artis peritis, quid agendum sit demonstret, ea, quæ à natura veluti duce præmonstrantur, ab artis peritis, hoc est medicis pro naturæ ductu obiri oportet. Vnde est illud Galeni, Medico imitanda ea in artis operibus esse, quæ rectè à natura fiunt. Nec naturæ solùm imitatorem esse medicum: sed eorum etiam quæ cum sua sponte veniunt, conferunt, vt 4. meth. idem conceptis verbis explicasse est visus. Ego verò ex his, quæ tũ ab Hippocrate, tum à Galeno variis in locis de medico dicta sunt, ita definiendum

Hip. lib. de probit. & 1. de popularib. mor. sect. 2. aph. 51. cuius initium, Ars his tribus constat.

Gal. 1. aph. com. 2. & 6. aph. cõ. 25. & 17.

niendum censeo, vt sit Medicus, rerum naturæ omnium sciē-
tissimus cultor naturæ in vniuersum minister, malorum de-
pulsor, fidúsque sanitatis custos. Verum autem naturæ om-
nium callentissimum esse oportere medicum, multis Gale-
ni, Hippocratisque assertionibus perspectissimum fieri po-
test. Siquidem naturæ corporis, eorúmque, quæ nobis à na-
tura insunt, notionem tenere in primis medicum oportere,
cùm 1. & 2. meth. tum Democriti ad Hippocratem scriben-
tis testimonio, constat. Non enim citra naturam corporis
exactè inuentum, vel de morborum natura inuenire quic-
quam: vel conuenientia morbo adhibere auxilia vsquam li-
cebit, si modo Galeno fides habenda. Itaque hominis vni-
uersam naturam, hoc est temperiem, habitudinem, formam,
structuram, illius elementa, partes, partium positus, atque
nexus, eorundémque vsus, & actiones, tum & facultates, qui-
bus humanum regitur corpus, earúmque in homine functio-
nes scire imprimis medicum conuenit. In quam rem libri
de elementis, de natura humana, de temperamentis, de vsu
partium, de facultatibus naturalibus, nobis suppetias ferent.
At cùm ex quibus constemus, & quibus regamur, scire non
satis sit Medico, sed multo præstantius à quibus vel bene, vel
malè afficiamur (sunt autem hæc, quæ nulla est euitan-
di ratio, & à quibus, vt ait Galenus, alteratur necessario cor-
pus) horum rationem omnem exactè tenere Medicum cō-
uenit. Ac proinde aëris, temporum, ac tempestatum, cœli,
regionis, ventorum, nubium, anni constitutionis, ortúsque, &
occasus siderum, ad hæc alimentorum, quibus foueri sub-
stantiam nostram contingit, vires, ac potestates omnes, tum
somni, vigiliarum, quietis, motionis, plenitatis, inanitionis,
atque animi pathematum, iræ dico, mœroris, metus, lætitiæ,
naturam omnem, & quid in nobis efficiant (vt horum om-
nium congruus ad corporis conseruationem vsus esse possit)
scire Medicum oportet. Et (quod propriè ad muneris sui
rationem attinet) vt morborum omnium discrimina for-
mas, nocendi modos teneat. Insuper causas morborum, sym-
ptomatáque morbos consequentia, affectas sedes, signáque
quibus hæc omnia deprehendantur. Tum denique vt iis co-
gnitis stirpium, ac metallorum, si fieri possit omnium, aut
saltem quàm plurium (quod monet Galenus) peritiam
nanciscatur: Sunt enim hæc, medicæ materiæ, morbo auxi-
lia futura, vt à quibus iuuari nos, à quibus contingit lædi, sci-

Hipp. 1. & 6. epid. lib. de medic. li. de præceptionib. de probitate, & in iureiurando.

Gal. com. 2. ad 1. epid. 9. de placitis in arte medica, & 1. & 2. met. & 6. epid.

In Epist. ad Hippocrat.

Libr. 2. metho. med.

In arte medic. cap. 85.

1. de antidotis.

re horum notitia possit. Optimum enim medicum eum, autor definitionum medicarum esse vult, qui omnia quæ ad artis rationem, morborúmque curationem pertinent, summa, & optima agit ratione, hoc est methodo certa. Consummatus enim tum profecto habebitur medicus, & (vt Galenus vocat) τριβὸν, cum in rerum contemplatione, & actione, omnes numeros impleuit. Itaque verissimum id esse video, quod ab Hippocr. lib. de articulis dictum est, multarum rerum peritiam habere debere medicum. Et lib. de lege, eum qui se medici nomine dignum existimarit, oportere non natura modo, sed doctrina, institutione, industria, & tempore, ceu ducibus quibusdam artis sibi notionem parare. Ad hæc vt veritatis insano quodam amore (quod monet Galenus) ceu afflatus, teneatur: tum vt quæ à clarissimis veterum tradita sunt, ea improbo quodam labore, ac indefesso discere, & explorare, adhibito iudicio aggrediatur. Ac proinde perspicaci ipsum esse natura, recta à puero institutione, & iis artibus, atque disciplinis omnibus expolitum, quæ vt sunt, ita optimæ vocantur, esse omnino oportet. Rerum omnium gnarum medicum esse debere ostendimus. Naturæ esse ministrum, & imitatorem, nunc doceamus. Quòd planè fiet, si naturæ in nobis opera, ad quorum imitationem sese componere medicus debet, explicauerimus. Nõ enim omnibus sese accommodare medicus potest. Itaque cum Hippocrate, & Galeno naturam in nobis eruditam, iustam, artificiosam, animalium prouidam, solicitámque dicamus. Vt quæ nihil vnquam frustra, nihil temerè, nihil incõmode, aut quod perniciem adferre animanti possit ex sese (nisi causa præter naturam quapiam irritata) operetur: omnia verò ad salutem, conseruationémque agat. Id quod ex generationis nostræ primordiis intueri apertissimè licet, dũ eiusdem admirabili effectione, corpus in vtero primum indicibili artificio componit, effingitque, effictum tandiu locis continet, quoad magnitudine sua vasa disrumpens, fœtus aditum sibi ad exitum faciat: mox eodem quo erat genitus sanguine, materno inquam lacte, vbertim in mammillis naturæ, vi irrumpente felicissimè alit: nec alit solùm, sed in iustam incremento magnitudinem extollit. Interea verò facultatum suarum ministeriis vsa, & acceptum in viscera alimentum ipsa conficit, & in partes singulas vt cuique opus est digerit,

lib. de sub-sign. empirica.

Lib. 3. de natur. fac. & lib. de consi. artis.

Hip. lib. de nat. quo caremus præter fragmẽtũ quoddam à Fabio vers. Et lib. de arte Gal. 3. & 5. de vsu part. & li. de plac. Hipp. & Plat.

digerit, distributúmque vitalem succum partibus apponit, appositum vnit, vnitum membro tandem simile facit, quod nostri assimilationem vocant. Rursus quæ nocitura excrementa erant, crassiora quidem aluo, tenuiora, & liquidiora vesica exonerat, fuliginosa insensili perspiratu interdum, nõnũquam vero in pilorum naturam deducit. Eadem ipsa somnum animanti ad quietem, appetentiam ad capiendum cibũ excitat. Quæ vero, vel copia vel qualitate noxia, detrimentum allatura sunt, ea sæpenumero spontinis vacuationibus 1. Apho. 2.
tollit. In quibus dum talia purgantur qualia purgari oportet, & ad vtilitatem id confert, & ferunt facilè, qui eam vacuationem tolerant. Vnde est illud Celsi: Vno die fluere alLib. 4. c.
uum sæpe pro valetudine est: quin & pluribus modò absit 29
febris, & intra diem septimum conquiescat. Purgatur enim corpus, & vtiliter quod læsurum erat effunditur. Hæc profectò naturæ opera, imitari non potest medicus, vt quæ à sola natura fiant, nec cuiusquam ministerio egeant. Generationem enim, accretionem, nutritionem, concoctionem, sola operatur natura: nec ea præstare medicus potest, nisi tantùm adminiculo quodam (deficiente à suo munere natura) quadam tenus adiuuare. Alia sunt naturæ opera, quæ in morbis, morborúmque decretoriis maximè apparent. Quale est noxios humores primùm secernere, secretos dein per loca conferentia ducere. Hæc imitari medicus potest, dum crassa attenuat, attenuata per congrua vacuationi loca deducit, dũ viscida, lenta, & glutinosa dissecat, & detergit, obstruentia aufert, saniem, & sordes eluit, & (vt compendio dicam) cùm 1. de sani.
omnia natura statis & ordinatis suis motibus in animantis tuen.
salutem moliatur, vt quæ vna tradente Gal. satis sit ad proprias conuenientésque excitandas appetitiones, quibus vitá, 2. Aph.
salutémque tueamur, hoc imitari medicus omni studio de- 51.
bet, vt neque multum, neque repentè corpus aut refrigeret, aut calefaciat, non inanitione, aut impletione nimia, & repentina vtatur (natura enim, quod ait Gal. in arte medic. non sustinet repentinas mutationes) neque omnino corpus confertim moueat. Quod enim immodicum est, naturæ esse 2. Apho.
inimicum Hipp. dixit: quod vero paulatim fit, tutum. Pro- 51
pterea in his & regionem, & ætatem, & vires potissimùm inspicere oportet, ad eásque scopum dirigentes, omnia ad æ- 1. Apho.
gri salutem moliri. Vnde est illud eiusdem autoris, compres- 3.

ſiones ad extremum non eſſe ducendas, quod periculoſum ſit: ſed qualis natura fuerit eius qui debet perferre, ad hoc ducere. Euacuationes enim omnes, & refectiones cum extremæ fuerint, periculoſæ. Nec verò ſi natura interdum ad animi vſque defectionem prauo, aut nimium copioſo irritata ſucco, eiuſmodi efficiat vacuationes, non ſine magno ægrorum diſcrimine, pares eſſe à medico moliendas. Rectius.n. natura quod immodicè agitare cœpit, ſuis ſemper viribus vſa, reſarcire, atque faciliùs quàm medicus poteſt. Neque in hoc à medico imitandam eſſe naturam cenſeo. Etſi id Hip. atque Gal. ſenſerint: qui nonnunquam id animi vſque deliquium (ſi id fieri expediat) efficiendum iubeant, ſi modò æger tolerare queat, veluti in ardentiſſimis febribus, & magnis inflammationibus, atque doloribus fieri iubet Galenus. Niſi enim & ingens plenitudo ſubſit, & conſtans virium robur, immodicas has euacuationes, nunquam à medico obeũdas cenſeo, quòd immodicum omne, naturæ (vel prodente ipſomet Hippocrate) ſit inimicum. Cùm verò miniſtrum naturæ medicum in arte medicinali, & 1. de popularibus morbis dixit Galenus, ita id intelligendum, ſi modo natura ſponte ſua, ſtatiſque motibus ſuis, nullo præter naturam præuertente, aut irritante operetur. Sic .n. agentem naturam ſequi medicus, imitaríque debet. Eſſe verò, & ſanitatis cuſtodem medicum, & morborum depulſorem (quod in definitione explicandum reſtabat) notius eſt, quàm vt probari oporteat. Eſt enim medici finis (vt capite primo monſtratum à nobis eſt) ſanitatis cuſtodia, ſeu adeptio. Præcipuũ verò medici munus (tradente ſecundo methodi Galeno) eſt morbos adimere. Quidni igitur medicum, & ſanitatis cuſtodem, & malorum depulſorem rectè vocabimus? Quicquid enim in homine arte ſua medicus molitur, in id facit, vel vt præſenté ſeruet quę ſecundùm naturam eſt conſtitutionem, quam ſanitatem dicimus, vel vt deperditam illam ſedula manu inſtauret, atque reficiat. Sed iam de medico ſatis. Eius nunc officia (quod polliciti ſumus) paulo pleniùs aggrediamur. Officia porrò intelligimus munia ea, & opera, quæ ad medicum propriè pertinent. Eſt enim officium, quod quiſq; efficere debet, Cicerone autore. Medici itaque quà medicus eſt, plura ſunt officia iuxta eas, quæ in nobis inſunt diſpoſitiones. Quas tres in totum eſſe medici voluerunt, ſanitatem, mor-

An medico ad animi vſq; deliquium vacuare liceat.

1. Apho. 23.

Lib. 1. Aphor. Com. 23.

2. Apho. 51.

Lib. offic.

morbum, neutralitatem. Aut. n. eum qui secundùm naturā est, statum seruare studet, aut eum qui præter naturā est auferre, aut tandē periculosum statū, qui nondū in eum qui præter naturā est permutatus, prohibere. Si primum facere studeat, conseruare id dicimus: si secundum, curare: si tertium prospicere, ac præseruare. Ad sanos enim propriè conseruatio, ad ægros curatio, ad neutros præseruatio pertinet. Sunt itaque tria hæc præcipua medici officia, conseruatio, curatio, præseruatio. Coeseruare tum dicimus, cùm eum in quo sumus, naturalem statum retinere, atque immotum, & inalteratum, similium oblatione seruare studemus. Curare verò statum eum, qui cōtra naturam sit adimere, quoquo id modo fiat, seu causarum ablatione, seu alteratione, seu partiū repositione, seu tandem vnione. Præseruare autem, cum statum eum, qui periculosus est, sed nondum præter naturam, adhibitam (contrariorum moderato vsu) cautione, in melius deducere conamur. Nec verò hæc solùm medicorum munia existimare oportet, sed & alia quoque non minoris momenti habenda: qualia certè sunt correctio, mitigatio, refectio. Quæ quidem & ipsa tum senibus, tum conualescentibus congruit. Conualescentium enim corpora viribus iam exhausta, tum & senum, ea artis parte indigent, quæ renutritoria dicitur. Hanc Græci ἀναληπτικὴν vocant. Vt verò in in totum omnia medicorum officia, quasi in aceruum colligamus, hæc erunt, conseruatio, præseruatio, curatio, correctio, refectio, seu renutritio, mitigatio. Conseruatio inculpate sanis: præseruatio sanis, vt nunc, hoc est valdè ab optima sanitate diss. tis, seu neutris debetur: curatio ægris: correctio ex æquo omnibus, præterquàm optimè sanis. Hęc. n. corpora cùm optimam sint nacta in simplicibus partibus temperaturam, & in instrumentariis commoderationem, correctione non indigent, quod vitiūm non habeant. Non enim minùs corrigit, qui morbos curat, quàm qui ingentes naturales lapsus, in eos qui præter naturam sunt, transire prohibet. Quin & conseruatiuum ipsum genus totum (si in vniuersum sumas) alteratiuum, & naturalium defectiuum, correctiuum rectè vnà cum Galeno vocari potest. Dum enim sana vt nūc corpora, à deteriori lapsu congrua victus ratione præseruamus, naturæ vitia corrigere, & emendare dicimus. Mitigatio verò propriè symptomatis competit, etsi ad morbos com-

Curare quid.

Præseruare.

Gal. lib. de const. art. et li. ad Thrasil. & in arte medic. cap.

86. *nonæ versionis.* muni vsu transferri soleat: cùm morborum sit curatio, symptomatum verò, maximè autem doloris, mitigatio. Refectio senibus, & à morbo resurgentibus, vel Galeni in arte medicinali testimonio, congruit. Senibus quidem, quòd ætatis decursu, calorísque natiui refrigeratione, plenéque extinctione defectas vires habeant, quas optimo, & congruo alimento reficere expedit: conualescentibus, quòd ij non ætatis culpa, sed morbi sæuitia exhaustum item habeant, atque conuulsum virium robur, vnde resumptione, ea sanè ratione indigent. Atque hæc de medici officiis. De ministerij verò sui ratione, vt se pro dignitate, & ea quam sustinet persona gerere debeat, etsi id à me cumulatissimè libri enarrationum medicinalium quarti enarratione decima ostensum est, compendio hîc tamen ex Hippocratis potissimùm sensis referre ea non pigebit. Si quid igitur tanto autori creditur, moribus admirabilem, modestia grauem, innocentia, & vitæ integritate inculpatum, scientia venerandum, artis operibus, & exercitatione insignem, prudentia conspicuum, fide, & taciturnitate ornatum, iustitia seuerum, ne quid à recto deflectat, sedulitate alacrem, amore, & charitate in ægros inflammatum, omni demum vitæ instituto rigidum frugi medicum esse oportet. Sunt enim medici secundùm Deum, humani generis seruatores, vitæ moderatores, morborum vindices, publicæ salutis vigilãtissimi custodes, ac pene terrestria quædam numina, Diíque tutelares. Ob idque summo honore afficiendos sacræ literæ produnt, quòd in humani generis tutelam eos Deus creauerit. Medicis itaque præ cæteris suus esse debet in ciuitate locus, eísque quàm cumulatissimus honos haberi, vt quos semper omnis hominum ratio, quà patet orbis, omnis gens honestauit, sempérque plurimi fecit: vt de quib. ab Homero rectissimè id dictum sit, ἰατρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀνδρῶν ἀντάξιος ἄλλων, id est, vir medicus multis præstandis præstantior aliis. Sanctum igitur, ac venerandum apud omnes sit medicorum nomẽ, quod nulla vnquam barbaria violauit, & leges omnium gentium omnes, diuina eloquia, summis afficiendum honoribus, atque præmiis censuerunt.

Hip. in iureiur. iund. lib. de medic. de præceptionib. & de probitate. Gal. lib. de constit. art. de placit. Hipp. & Plat. 3. de natur. facul. & cõmẽt. in 6. Epid. Hip. Eccles. 38.

De Medico Hippocratis & Galeni loci.

Medi

HIPPOCRATIS.

MEDICVS, Philosophus vir est. *Libr. de probitate, seu decenti ornatu.*

Medicus est ipsa natura. *6. de popula. mor. sect. quinta.*

Medici nauium gubernatoribus similes. *Lib. de veteri medicina.*

Medicum multarum rerum peritum esse expedit. *Lib. de articulis.*

Medici ab initio morbi vocandi, ne, si serius vocatus sit, æger ob morbi celeritatem pereat. *Lib. de arte.*

Medici laudati, & diæta, & variis medicaminum formis curant. *Lib. de arte.*

Medici & præsentia considerant, & de præteritis iuxta præsentia ratiocinantur. *lib. de art.*

Medicus vt culpa vacet, & morbum cognoscere, & rectè curare debet. *Lib. de morbis, seu de affectionibus.*

Medici animus modestus sit. *Lib. de medico.*

Medicus bono corporis habitu, & colore bono præditus esse debet. Vulgus enim existimat, eos qui non sic bene dispositum corpus habent, neque aliis bene prospicere posse. *Ibid.*

Medicus vestitu decoro opinionem apud vulgus captare debet. Inde enim ægrotos iucundè affici contingit. *Ibid. & Lib. de decenti ornatu.*

Medicum bonis, ac honestis moribus præditum esse oportet. Id enim ad opinionem, & autoritatem comparandam plurimùm conducit. *Ibidem.*

Medicus bonus venerandus. *Ibid.*

Medicus neque promptus, nec temerarius, nec facilis esse debet, etsi hæc valdè commoda existant, contemptum enim illa pariunt. *Ibid.*

Medicus subtristem, & meditabundam faciem habeat. *Lib. de medico.*

Medicum ad omnem conuersationem iustum esse expedit. *Ibid.*

Medicum cõtinentem ad omnia se habere oportet. *Ibid.*

Medicis ægri se subiiciant. *Ibid.*

A Medicis ægri non ornatum, sed auxilium quærunt. *Ibid.*

Medici boni, neque curiosi, neque amarulenti ad occursus, & obuiationes sunt. *Lib. de decenti ornatu, seu de probitate.*

Medici boni appositi ad responsiones sunt; graues aduersus resistentes, ad sui similes solertes, familiares, & affabiles, temperati ad omnes, ad seditiones taciturni; ad tacendum animo obfirmato, & continentes, ad tempus appositi, ad occasionem arripiendam accommodati, ad victum frugales, & contenti, patientes ad temporis expectationem, ad sermones expediti, omne demonstratum proferentes, suauiloquentia vtentes, gratiis affecti, & gloria horum omnium corroborati, ac fortificati, ad veritatem ac demonstrationem audentes, ac confisi: *Lib. de decenti ornatu, seu de probitate.*

Medici Deo concedunt. *Ibidem.*

Medicus comitatem quandam sibi adiunctam habeat: austeritas enim & sanis, & ægris difficilem accessum præbet. *Eodem Lib.*

Medicus obseruare seipsum debet, vt ne multas corporis partes ostendat. *Ibidem.*

Medicus cum imperitis non multa fabuletur, sed necessaria. *Ibibem.*

Medicus omnia percurrere non potest. *Ibid.*

Medicus morborum curationes, & modos, medicamenta, & simplices & descriptas firma memoria tenere debet. *Eodem loco.*

Medicus imperitis nunquam quicquam procurandum committere debet. Sin minus, eius quod malè factum est vituperium in ipsum recidet. *Ibid.*

Medicum asseuerare non oportet; quòd aliquid solum exhibitum prosit. *Lib. de præcept. medic.*

Medici cum garrulitate affirmatio fallax est, & ad errorem procliuis. *Lib. de præceptionib.*

Medicum à mercede inchoare curationem vult Hippocrat. *Lib. de præceptionib.* Si à mercede enim inchoaueris (subdit) conducit hoc vniuerso negotio. Ægroto quidem cogitationem inducit, quòd videlicet non ipso relicto abibis: si verò non pacisceris, quòd ipsum negliges, & de quibusdam in rem præsentem non admonebis. Curare igitur oportet de constituenda mercede. *Ibid.*

Medicus magis existimationis suæ, quàm commodorum rationem habeat. *Ibidem.*

Medicus

Medicus curare ægrotum, & nõ negligere debet. *Ibidem.*

Medicus in exigenda mercede, acerbitatem deponat. *Ibid.*

Medicus ad opulentiam, & facultates respiciat. *Ibid.*

Medicus quandoque gratis curet, ita vt gratitudinis memoriam potiorem, quàm præsentem existimationem auferat. *Ibid.*

Medicus peregrino, & egeno maximè, si se opis ferendæ occasio obtulerit, talibus opitulari debet. Si enim affuerit erga homines amor, aderit etiam amor erga artem. *Ibid.*

Medicus non ægrorum solum, vt sanentur, sed & sanorum quoque curam habeat, vt sine morbis degant. *Ibid.*

Medicus bonus ab artis coniunctione, & synceritate socius artis dicitur. *Ibid.*

Medicus acuto morbo laborantes, non debet de mercede præconturbare, nempe lethaliter affectos, sed melius est seruatis exprobrare, nisi mercedem reponant. *Eod. lib.*

Medicus si vel imperitus sit, vel morbus aliquis grauis ægrum angustia premat, alios accersere medicos debet, quo ex communi consideratione res circa ægrum inquirantur, ac cognoscantur: & illi cooperatores fiant ad auxilij ferendi facultatem. *Eod. lib. de præceptionib.*

Medici in congressib. nunquam contendere, nec mutuis conuitiis decertare debent. *Ibid.*

Medici ratiocinatio nunquam alteri inuidet. *Ib.*

Medicus ægrotos, ne mente turbentur, monere debet. *Ibid.*

Medicus in dissertationibus, gloriosè vulgi gratiam captare non debet. *Ibid.*

Medico consideranda, humorum impetus, cognata species, regio, mos, ætas, tempus, constitutio morbi, excessus, defectus, somnus, vigilia, & multa alia. *Lib. de humorib.*

Medico id cognoscendum, num incipiat morbus, aut medium teneat, aut desinat, totiúsque corporis naturam cõsiderare, & anni tempore, ætatéque obseruata morbum curare. *Democritus ad Hippocratem in epistolis. Et lib. de veteri medicina.*

Medico quid faciendum, natura demonstrat. *Lib. de arte.*

Medico quæ in sublimi, aëre inquam, ac cœlo sunt nosse necessarium. *Lib. de carnib.*

Medicum scire oportet opponere se contrarium instan-

tibus,& morbis,& naturis,& temporibus,& ætatibus. *Lib. de natu.hu.*

Medici fama, & nomine multi, re verò, & opere valdè pauci. *Lib.de lege.*

Medici imperiti,id quod melius est purgant. *Democritus ad Hippocrat.in epist.*

Medici personati, qui medicorum quidem personam induunt,medici autem verè non sunt. *Lib.de lege.*

Medici veri,qui & doctrina,& prudentia,natura,vitæ instituto,& diligentia,atque industria valent. *Eodem loco.*

Medici quidam vulgo inseruientes, & multitudinis famam aucupantes. *Lib.de articulis.*

Medicus cùm non possit malum neque visu assequi, neque audiĕdo ex aliorum narrationib.cognoscere, ratiocinatione ipsum persequitur. *Lib.de arte.*

GALENI.

MEDICI nomen latissimè patet, & totam artem complectitur. *Lib.de arte.*

Medicos artis professores,à prima artis constituta parte, nempe curatiua nominatos esse. *Eodem libro.*

Medicus stirpium omnium (si fieri possit) peritiam habeat. *1.de antidotis.*

Medicum ministrum,imitatorémq; naturæ dixit Hipp. *Lib.9.de plac. Hipp. & Plat.& com.2. in primum de popu.mor. Hippo.*

Medicus naturę minister,natura medicatrix, *Li.ad Thrasibulum.*

Medicum eum naturæ ministrum vocat Hip. qui re vera medicus sit,pharmacopolam quendam ex triuio. *Lib.2.de decret.diebus.*

Medicus,quòd salubrium,insalubriúmque artem didicerit,curare nouit. *Comment.5 in 6.de popula.mor.ad princip.*

Medicus circunstantes celare quædam debet. *Com.1.in his que in Medicatrina fiunt.*

Medici officium est, id quod sit vnicuique morbo proprium,& opportunum inuenire, *lib.1.de elementis.*

Medici cùm ad ægros introducuntur, primùm inuenire conuenit, aut quæpiam principum partium, an ab illis enatæ labo-

æ laborent. *Comment.1.in primum prorrhetici.*

Medici præstantissimi vtiliter laborantibus largiuntur. *Comment.3.in 6 de pop.mor.super textu, laborantibus gratia.*

Medicus manus quàm purissimas habeat, faciem, & pilos in barba, & capite, & alias corporis partes. *Comment.eod.*

Medicus vestem nitidam habeat. *Comment.eod.*

Medicus non valdè lædentia interdum, vehementer ipsa cupientibus ægris exhibere debet. Quandoquidem nisi acceperint, medicum sunt osuri, & auersaturi, & nullum eius præceptum obseruaturi. *Comment.eodem.*

Medicorum ad ægros introitus is esse debet, vt neque non in tempore accedat, neque cum multo strepitu, aut elata voce, aut incessu, aut aspectu, aut aliquo prorsum huiusmodi indecoro. *Comment. 4. in lib.6. de popu. mor. super textu, Introitus.*

Medici cum ægro sermones non fatui, nec agrestes, sed modesti, ac graues sint. *Com.eod.*

Medici seruiliter ægris adulantes contemptui habentur. *Ibid.*

Medicum vtí ægroto odiosum videri non conuenit, ita neque contemnendum. *Com.eod.*

Medicus, moderatus, humanus, iucundúsque cùm sit, grauitatem etiam seruare debet. *Comment. eodem.*

Medicum æger nisi vt Deum quendam admiretur, nunquam illius præceptis obtemperauerit. *Comment.eodem.*

Medicus neque adeò se summittere, atque adulari, vt sui contemptum pariat: neque rursum perinde, atque Calliamactem medicum se asperum, atque rusticum exhibere. *Comment.eod.*

Medicus locutione, aspectu, & omni corporis habitu grauitatem retineat. *Commen. eod.*

Medicus, si prudentem ægrum, nec timidum nactus sit, vera illi dicere debet, nihil eorũ quæ in morbo futura sunt subtrahens: si timidum, & stultum, ea quibus meliori animo esse possit dicenda: egressus autem cubiculum, eius necessariis vera dicenda sunt. *Comment.2. in 6. de popu.mor. illo textu. Circa ægrotantem administratio.*

Medicus ægrum de omnibus, quæ præcesserunt interrogare coram astantibus debet, sic enim illum magis admirantur. *Comment.eod.*

Medicus iis qui intemperantes sunt,& præceptis salubribus non parent,manus admouere non debet. *Lib.de sanguinis miss.& 3.de comp.medic.secundùm genera.*

Medicus non communem solùm, sed propriam cuiusq; naturam nouisse debet.*1.de arte curatiua ad Glauc.*

Medicus,affectus non solùm qualitatem, sed & quantitatem coniectari debet.*3.de comp.medi.secundùm genera,*

Medicos non solùm vulgares, sed & præcellentes circa temporis occasionem cognitu difficillimam & præcipitem aberrare contingit.*1.de arte cur.ad Glauc.*

Medicus consummatus est, qui in contemplatione & actione numeros omnes impleuit.*In definit.medicis.*

Medicus optimus, qui omnia in medicina recta agit ratione.*Ibidem.*

Medici imperiti medicinam dedecorantes.*Lib.de pracog. ad Posthumum.*

Medicum vulgus admiratur ex auxiliis ritè morbo adhibitis,cùm ægri leuantur,non ex nominum exacta ratione. *Comment.2.in primum. de popu.mor.super textu,In febre quam semitertianam.*

In medicis diligendis, vulgi iudicium præposterum.*1. meth.*

Medicos vulgus imperitum eos aduocat,non qui optimi sunt,(vt quos ne per sanitatem quidem nosse curarunt) sed eos, quos maximè familiares habent, quique ipsis maximè adulantur, & quicquid iubent mancipiorum ritu faciunt.*1. meth.*

Medici qui potentioribus medentur,primum locum tenere,sed falsò creduntur.Ex historia de Antigene,Quinti discipulo Galenum irridente.*Lib.de pracog. ad Posthumum.*

Medici disciplinis imbuti, & veritatis propter seipsam amantes,quamuis ignoti vulgo sint, summo tamen rerum opifici Deo noti primùm,& amici sunt. *Lib.de pracog.ad Posthumum.*

Medici qui medicinam exercent, vt philosopho conuenit,& Æsculapij successorem decet,permittant, vt in existimatione sint improbi apud vulgares. *Eodem lib.*

Medicos voluptatum artifices, nō veros medicos diuites amant,ditant,ac admirantur.*Eodem lib.*

Medicorum veterum studia, & ęmulatio honesta in eo erant,

erant, vt videlicet inuentorum multitudine sese inuicem superarent. *1. method. ad principium.*

Medicum quà medicus est, corporis sanitati consulere. *9. de placit. Hipp. & Plat.*

Medicorum nonnulli lucri causa medicinam exercent, quidam ob sibi legibus concessam immunitatem, ac reipub. vacationem, alij humanitate compulsi, gloria alij, & honore allecti. *Eodem loco.*

Medici quatenus sanitatis opifices sunt, medici omnes communi nomine vocabuntur, quatenus verò diuersos ob fines munus illud tractant, alius humanus, alius ambitiosus, gloriosus hic, ille quæstuosus appellabitur. *Eod. loco.*

Medicorum finis, quatenus sunt medici, minimè est gloriosus, aut vtilis (vt Menedotus Empiricus scriptum reliquit) sed ipsi Menedoto talis profectò fuit, Diocli verò nequaquam: sicut neque Hippocrati, aut Empedocli aliisque compluribus ex veteribus, qui humanitate, & benignitate hominibus medebantur. *Eodem loco.*

Medicorum ministri, herbarij, vnguentarij, coqui, & venam secantes. *Comment. 5. in 6. de popul. morb. ad princip.*

Medici docti, contempti, & exosi imperitis. *Lib. de praecognitione ad Posthumum.*

Medicorum Galeno contemporaneorum disputationes contentiosæ, & ineptæ, & studium ad vulgi auram captandam. *1. & 7. method.*

Medicorum sectæ tres, Rationalium, Empiricorum, Dogmatic. *Lib. de sectis, & in introd.*

Medicorum propositiones magna ex parte veræ sunt. *Comment. 44. quartæ sec. apho.*

In medicos qui tuendę valetudinis rationem negligunt, obiicitur versus ille, Aliis medens, at ipse vlceribus scatens. *5. de sani. tu.*

Medici rationales morborum causas assignant, & inuestigant. *2. method.*

Medicus, vbi integra morbi iudicatio facta est, vel adhuc fit, totum naturæ permittere debet, & nihil nouare oportet: vbi verò non integrè iudicatur, id quod deficit supplere conuenit. *Comment. 20. primæ sect. aphoris.*

Medicum naturæ motum animaduertere oportet, & siquidem idoneus fuerit, ei adminiculari: si verò contrarius, &

noxius, tunc prohibere, transferre, atque diuertere oportet. *Comment. 21. primæ sect. aphoris.*

Medicus ægro gratificari debet. *Commen. 38. secundæ sect. apho.*

Medico imitanda quæ à natura rectè fiunt, hoc est, naturam rectè operantem debet imitari medicus. *Comment. 2. primæ sect aphoris.*

Medicus in opere suo aberrare non debet. *Comment. 49. sextæ sect. aphoris.*

Medicum optimum raró contingit aberrare in prædicẽdo. *Comm. 19. secundæ sect. aphor.*

Medico nominum cura negligenda. *6. meth.*

Medicus alius alio præstantior in inueniendo, methodo recta, medicamenta ea, quibus impleri quod sinuosum est, vel glutinari quod simplex est, possit. *6. meth.*

Medicus in medendi methodo exercitatus, & inueniet media, & inuentis rectè vtetur. *Ibid.*

Medicus qui mederi nouit, is est, qui viam omnem curationis eousque percalluit, vt ipsum consequi destinatum finem queat. *Ibidem.*

Medici nobiles ægris imperant, tanquam duces militibus. & reges subditis. *1. method.*

De Natura, quatenus ad Medicum spectat.

CAP. V.

CVm naturę contemplationem vnam esse, eámque potissimam artis partem, suprà de Galeni sententia cap. 3. monstrauerimus, multaque in nobis secundùm naturam esse (vnde res naturales dictæ sunt) multa item à natura fieri, quędam item præter naturam dicantur, intelligi hęc ritè nequaquam possunt, nisi de natura medico more, hoc est, quantum ad Medici considerationem pertinet, tractauerimus: quidnam ipsa sit, quid possit, & quę in nobis efficiat, tũ quid illius proprium. Quę cuncta hoc capite Dei ope adiuti explicabimus, ab eo principio exorsi, quo de natura scribens Hipp. tractationem eam inchoasse est visus: si modò fragmẽtum id quod à Fabio Caluo in eam inscriptionẽ nobis Hipp. tit. datum est, eius fuerit. Liber enim is de natura in Gręcis Hipp. operibus, quę in Germania excusa sunt, minimè habetur. Sic autem ille de natura scribens disseruit: Si quis (inquit) in vniuersum naturam describere velit, magnum quid aggrediatur necesse est. Mihi vero (subdit) satis in pręsentia

fuerit, naturam appellare, quòd vti cuncta gignantur, principia subministrat. Id profectò naturam esse existimandũ est, quod generationis omnis sit principium: Vt merito Hipp. id esse naturam definierit, quę generationi rerum omnium principium subministret. Efficiens enim rerum omnium natura est, ac proinde principium. Id enim vnde fit quippiam primò: & vnde primùm motus mutatióque incipere solet, principium verè Aristoteli dicitur. Itaque rectissimè naturã definiuisse Hipp. videtur, principium illam rerum omnium generationi subditarum statuens. Nec verò causari iure possumus, fragmentum illud quod de natura scribitur, Hippocratis non esse. Nam etsi is de natura liber inter Hipp. Gręca volumina non habetur, Gal. tamen testimonio sub finem primi de elementis secundùm Hippocratem, constat Hipp. ipsum pro veterum more librum de natura scripsisse. Siquidem veteres omnes, librum peculiari nomine de natura, inscribere solitos esse, testatur eo loco Galenus, non autem de elementis. Melissi enim, Parmenidis, Empedoclis, Alcmæonis, Gorgię, Prodici, & aliorum libri, non de elementis, sed de natura inscripti sunt. Perinde atque Hippocrates fecisse dicitur, qui de elementis nullum peculiari inscriptione edidit librum, sed de natura, vt eò loci confirmat Galenus. Naturę itaque nomine (si in vniuersum sumatur) qui de ipsa tractauerunt omnes, primam quandam substantiam intelligi volunt, non genitam quidem illam, sed perpetuam, corporibus, quę ad ortum, vel interitum nata sunt, subiectam omnibus Sic ea de re comment. 1. in lib. de nat. hu. Galenus (qui & ipse lib. 2. de sympt. causis, facultatem eam qua regitur animal, siue ea voluntatis impetum sequatur, seu minimè) naturam esse dixit. Autor definitionum medicinalium, ita eam finitione congrua, & apposita explicauit. Natura est vis quæ ex seipsa mouetur, autor formationis, generationis, perfectionísque: vel, Natura est ignis artificialis, qui via in generationem tendit, mouetúrque ex seipso efficaciter. Ignis verò nomine vim quandam hoc loco intelligere videtur, quæ sese per omnia fundat, ac permeet. Artificialem vocat, non arte quidem humana, sed diuina factum. Cùm sit vtique natura (vel Platonis testimonio) diuina ars, vt paulò post ex eiusdem autoris mente sumus latiùs explicaturi.

Metaph. 5 cap. 1.

In Timæo, & Parmenide.

Proprium verò, ac maximè princeps naturæ significatum,

Hippocrati, atque Galeno, id eſt, vt ſit natura ipſa, quæ in nobis eſt temperatura, ex calidi, frigidi, humidi, ac ſicci confuſione miſtionéque genita: vti conceptis verbis Galenus 1. apho. comment. 51. & 3. apho. com. 2. teſtatur. Siue verò facultatem noſtri corporis rectricem, ſiue temperaturam elemẽtorum in nobis, naturam dixeris, idem ferè te dixiſſe putato. Cùm enim facultatem dicis, actionis cauſam, & principium aſtruis (eſt enim facultas actionis cauſa. 1. de fac. nat.) cùm verò temperaturam, naturæ eſſentiam, & ſubſtantiam dicis. Eſt ſiquidem naturæ in nobis ſubſtantia (ſi medicè loqui volumus) ipſa elementorum commoderatio, & ſymmetria, quam temperiem vocant, vt præcitatis locis Galenus. Ab hac itaque ſeu facultate, ſeu temperie fouetur, perſtat animantium, plantarum, metallorúmque omne genus, & quicquid vſquam conſiſtentiam ſuo in genere quandam habet, qua tale eſſe dicitur. Vt meritò Ariſtoteles naturam eſſe definiuerit, principium, & cauſam motus, ac quietis eius in quo eſt, primùm, per ſe, non ſecundùm accidens. Cùm itaque tale in nobis principium, de Hippocratis, & Galeni ſententia, temperies ipſa ſit, vt à qua nimirum ceu effectrice, motus corporis omnes ad vitam neceſſarij, & prodeunt, & perficiuntur, hanc eſſe corporis naturam, vnà cũ medicis omnibus confiteri oporteret. Eſſe enim naturam vim quãdam ciẽtem motus in corporibus neceſſarios, perſpectius eſt, quàm vt multis probari oporteat. Rectiſſimè autem hoc loco Ariſtoteles naturam principium eſſe dixit: principium inquàm vnde oritur rerum naturalium omnium eſſentia. Quarum quidem eadem ipſa cauſa eſt cur vel mutentur, vel eodem in ſtatu aliquantulum permaneant: cur item hoc metallum, illud planta, ſeu arbor, aliud denique animal ſit, quòd hęc inquàm talia ſint, natura cauſa propriiſſima eſſe dicitur: ita tamen, vt extra res naturales non ſit, ſicut ars, & efficientes externæ cauſæ ac finis. Ineſt verò rebus ipſis natura, non quidem per accidens, veluti qualitates primę, atq; ſecũdæ, reliquáq; rerũ accidentia: quæ etſi rebus inſint, ab iis tamen remoueri, abſque ſubiecti corruptione poſſunt. Natura verò non ſic, ſed ita ineſt, vt tanquam pars ſubſtantiæ eius primaria, & neceſſaria. Qua quidem corrupta, neceſſe eſt compoſitum quoque ex eadẽ natura corrũpi: & interire:

2. de phyſico auditu.

terire: sed hæc naturalis magis quàm medicæ sunt speculationis. Verùm, etsi capitis huius initio recepi me de natura, medico more tractaturum, cùm tamen in Platonis amœnissimos hortos huius meæ narrationis locupletandæ causa diuertissem, animaduersa tantæ rei plena diuinitatis tractatione facere omnino non potui, quin altiùs caput attollens, è diuinis Platonis fontibus aquas purissimas haurirem, quibus arentis ingenij mei seminibus irrigatis, pleniorem funderem naturæ tractationem. Naturam itaque diuinissimus Plato, diuino quoque furore percitus, diuinis ita coniungit, vt sine illorum tractatione hanc de natura enarrationem perfici non posse existimet. Ob id in Parmenide de diuinis agens ad naturalia delabitur. In Timæo verò naturam ex professo tractans, assurgit sæpius in diuina. Neque vero iniuria diuinitatem simul cum natura copulasse Plato est visus. Quod cùm diuina quidem naturalium principia sint, naturalia verò diuinorum effectus, atque imagines, sitque natura ipsa infimum diuinæ prouidentiæ instrumentum, vt Platonici omnes censent, optimo quidem iure naturam cum diuinis coniunxisse Plato videtur. Hanc porrò idem autor, mirabili quodam figmento nobis expressit. Lib. enim de republica decimo, colũnæ erectæ cuiusdam, plurimóque lumine Iridi simillimo illustratæ, ac per cœlum terrámque diffusæ nomine, naturam, illiúsque vim nobis explanare sategit, lumenque istud cœli vinculum vocat: vt intelligamus columnæ huius specie, vitalem quandam seminariámque virtutẽ, luminis nomine designatam, omnia quidem implentem, ac colligantem, seséque per omnia fundentem, ab ipsa mundi anima materiæ infusam. Quæ propterea lumen dicitur, quoniam penetrans, & vitalis. Recta item vocatur columna, quia per longum totam vndique, & vbique materiam penetrat, multos formarum gradus proferens specie, formaque differentes. Dicitur etiam per omnem extendi partem, & cœlum vndique alligare, quia tota vbique adest, & continet, multáque tanquam per latera quædam inter se æqualia, & similia propagat: ita tamen, vt ex longitudine ad latitudinem perueniatur, quoniam penetrando diffunditur: & quatenus diffunditur implet, regitque implendo. Hinc illud Vergilij, Spiritus intus alit, totámque infusa per artus, mẽs agitat mo-

lem. Colorum autem Iridis varietas, in lumine illo columnari apparentium, seminalium virtutum copiam, varietatémque declarat: vt in totum hanc ex Platone naturæ colligamus diffinitionem. Vt sit Natura vis genitalis quædam, rebus omnibus infusa, ea ipsa in quę insertur mouens, sustétans, viuificans, implens: eaq; omnia, quãdiu subiecti intus, & materię aptitudo fuerit, cõseruãs. Omnẽ n. naturã sui esse cõseruatricẽ vnum est ex publice confessis. Verè autẽ naturã, idem autor Græcè δημιουργόν, id est, opificem vocat, omnia enim in nobis natura operatur. Vnde est illud Galeni in arte medicinali, Natura omnium opifex, medicus vero minister. Quid natura sit abundè explicauimus. Quid ipsa possit, & quæ in nobis efficiat, quodque proprium illius munus sit, nunc depromendum. Naturæ in nobis potentiam, ex eius operibus, atque effectionibus facilè deprehẽdemus. Ea enim primùm ex semine genitali, & sanguine menstruo corpora nostra effingit, ac format, ita aptè dispositis vniuersi corporis partibus, vt quantum cuique ad vsum, dignitatémque officij tribuendum sit, tantum certè tribuat: vt partium alias quidẽ principes, alias principibus seruientes, alias aptam functioni suæ eorum materiam suppeditantes, viliores alias effinxerit. Principum quidem partium, Cordis inquam, Cerebri, Hepatis, Testium, atque harum functionibus inseruientium imóque abditarum, magnam habuisse curam natura videtur: aliarum non perinde. Vt magna ratione, naturam iustissimam Hippocrates vocarit, eandemque eruditam, artificiosam, animalium prouidam, atque solicitam. Eæ enim Hippocratis de natura voces, hæc elogia esse, vel Galeni testimonio solent. Nam si scrutari, & distribuere id vnicuique, quod pro eius dignitate sit, opus est iustitiæ, qualiter non erit omnium iustissima natura? Eruditam vero naturam, multa animalium opera, quæ sine doctrina effecta, doctore tamen quopiam, ac duce, natura monstrante, fieri cernimus, docent. Quale est recens eductum, & adhuc ab vtero matris rubentem puerum, arrepta papilla lac sugere, cantu, & harmonia delectare, somnum à lacte hausto capere, & dum lac sugit placido maxillarum, linguæque motu lac trahere. An non eruditæ naturæ opera esse videntur? Indoctas quidem animantium naturas dixit Hippocrotes, hoc est, non consilio, neque delectu agentes: sed profectò quasi edoctæ operantur, impellúntque ad id, quod vsui sit animanti, Artificiosam,

Cap. 77.

lib. de art.

5. de vsu parte ca. 9.

Lib. de alimento.

ipſa hominis miraculum omne ſuperans,ſtructura facilè declarat. Eam enim tam admirabili partium nexu, firmitudine,forma, atque vſu architectata natura eſt, vt neque ad vſum accommodatius quicquam, neque ad ſpeciem, & ornatum pulchrius ſpectari poſſit:prouidam vero,& ſolicitam indicant ea,quæ in morbis grauiſſimis,& exitialibus natura, vt ſeruetur æger,molitur. Siquidem aduerſus morbificam cauſam impetu valido inſurgens, & decretoria, excretionéſque vehementes molitur, & concoctione, diſcretione,tandémq; vacuatione à lethalibus morbis ægrum ſæpe liberat. Vnde ſanguinis per nares,mariſcas, vterum, manationes, ſudores, vomitus, alui profluuia in decretoriis naturæ potentia fieri, ægrúmque morbo ſic eripi ſæpe vidimus. Hæc certè prouidentiſſimæ naturæ,& de ſui conſeruatioue ſolicitæ,opera eſſe videmus. Itaque, vt in vniuerſum naturæ in nobis potentiam effectionéſque exprimamus, hæc nobis ſenſus omnes, motúſque voluntarios parit: viſionem, auditum, olfactum, guſtum,tactum,inceſſúmque voluntate ſuſceptum.Hæc appetentiam excitat, ciborum concoctionem, diſtributionem, tandémque alimoniam præſtat: excrementa per aluum, vrinas,mucum ſcreatum,ſordes,& inſenſilem perſpirationem deducit. Hæc ſomnum conciliat, ad vigiliam rurſus eadem reuocat,plenitati modum imponit,laſſitudinem,& laborem quiete reſarcit.Hæc rurſus in morbis decretoria facit,in vulnerib.coalitionem,in fractis oſſibus ferruminationem: & vt (quod in indiuiduo, ſingularíque animante facere non potuit) vt inquam immortale,perpetuúmque eſſet, id in ſpecie machinata, ad generis ſucceſſionem (venereorum vſu) hominem,animantiáque cuncta impellit.Hæc item rurſus ſublimiorib.operibus, diuinitatis vtique particeps, effecta, imaginationem,cogitationem,memoriam,delectum,conſilium, voluntatem mouet.Et (vt in ſumma dicatur (naturæ beneficio datum vnicuique eſt,vt ſe,vitam,corpúſque tueatur, declinétq; ea quæ nocitura videantur;& quæ ad viuendum ſint neceſſaria,ea omni ſtudio inquirat,& paret. Hęc ꝑfecto admirãda naturę in nobis potẽtia,ęę affectiones, & opera ſint. Quid vero naturę proprius (quod extremũ dicẽdũ eſt) ꝑferamus.Naturę propriũ eſt gignere, & genitis rebus eſſentiã dare. Vt.n.quodq; ſit,à natura habet. Nihil.n. aliud quicquã eſſentiã rebus,quàm ſola natura dare poteſt, Dei ſc.potẽtia, beneficio,prærogatiuáq; ſingulari adiuta. Hæc.n.materiam

formis ex ornãs, ac vestiẽs, & vna corrupta aliã denuò pferens subsistẽtię vires, reb⁹ quas peperit insinuat. Nec solùm naturę ppriũ gignere, & essentiam dare: sed & rebus ipsis quibus consistentiã præbet, vim naturalem quãdã & genuinam potentiam, atque virtutem inserere, q a quod eorum naturæ congruit, efficere ips per se possint. Nam quòd hęc planta, hoc vel illud virtute insita sua efficiat, quod varij generis animantia diuersa potentiis innatis suis efficere possint, à natura habent. Id item naturæ proprium, vt nihil in his quæ ab ipsa gubernantur, otiosum, aut temerè casúque factum esse patiatur: sed naturalibus rebus suas cuique vires, effectionésque tribuat, quibus in opere esse dici meritò queant. Ab hac, quam longa narratione explicauimus natura, quæ in nobis à prima ortus nostri generatione inest, res naturales medicis dict sunt. Ea inquàm quæ à naturæ constitutione, & ordine nobis statim genitis insunt, nec deserere animans quandiu vitæ in eo aptitudo fuerit, vllatenus possunt quòd ex his constemus ac persistamus. Septem autem in vniuersum medicis res naturales numerantur. Nempe elementa, temperamenta, humores, membra, facultates, actiones, & spiritus, seu actionum instrumenta. De quibus omnibus mox dicturi sumus.

Res naturales.

De natura, Hippocratis, & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

NAtura corporis, artis medicæ principium. *libro de locis in homine.*

Natura ad optima viam demonstrante, artis medicæ doctrinam facilè contingit. *lib. de leg.*

Natura repugnante, irrita omnia fiunt. *lib. de lege.*

Natura nostra velut ager est. *ibid.*

Natura hominis, & animantium omnium calido, frigido, humido, & sicco constat. *lib. de nat. hum.*

Naturæ quæ citò, & fortiter offenduntur, imbecilles sunt. *lib. de veteri medicina.*

Naturæ, morborum medici sunt. *lib. 6. de popu. mor. sec.*

Naturam hominum plantis confert Hippocrates. *lib. de pueri nat.*

Natura humana, quodcunque potentius fuerit, ipsam lædit. *lib. de veteri medicina.*

Natu

Naturam septenario numero subditam docet Hipp. *lib. de septimestri partu.*

Naturæ indoctæ sunt,& sine doctore. *lib. de alimento.*

Natura stimulata, artis peritis quid faciendum demonstrat. *lib. de arte.*

Naturæ lege, nomina rebus indita sunt. *lib. de arte.*

Naturæ multitudo contraria. *lib 2. aphor. 51.*

Natura à multis, ac omnigenis rebus mouetur. *lib. præceptionum.*

Natura, si affuerit his, qui artibus animum applicant, perfectos reddit. *lib. de decenti ornatu, seu de probi.*

Natura defluit,& confunditur, cum sapientia ad cognoscendum ea, quæ ab ipsa natura facta sunt. *ibidem.*

Naturam corporum sapientissimam esse, vt quæ malum sentiens, mederi magnopere gestiat, considerans, ne temeritate magis quàm consilio,& vt facilitate magis, quàm violentia medeatur. *lib. de arte.*

Naturę sciētia omni medico necessaria. *lib. de veteri medicina.*

De natura sciat medicus,& omni studio annitatur vt cognoscat, si modò aliquid eorum quæ fieri debent, rectè præstare velit. *ibid.*

Naturam cogit medicina. *lib. de arte.*

De natura hominis, opiniones falsæ. *lib. de natu. hum.*

Naturarum in hominibus magna differentia. *lib. de articulis.*

Naturarum alię quidem ad æstatem, aliæ ad hyemem bene, aut malè natæ sunt se habere. *lib. 3. aph. 2.*

GALENI.

De natura commentarios conscripserunt Empedocles, Parmenides, Melissus, Alcmæon, Heraclitus, Epicurus. *Comment. 1. in lib. de natu. hum. Hip.*

De natura veterum libri explicant primam substantiam, quam non genitam, sed esse perpetuam autumant corporibus quæ ad ortum, vel interitum nata sunt subiecta omnibus. *ibidem.*

Naturæ nomen sumit Galenus pro omni facultate, quæ animal regit, siue ea voluntatis impetum sequatur, seu minimè. *lib. 2. de sympt. cau.*

Naturas rerum pernosci vult. in Phædro, Plato ex Hippo-

pocratis sententia, si primùm de vnaquaque re simpléxne sit, an multiformis, considerauimus: & simplex si sit, animaduertenda illius facultas est, quam ad agendum habeat, aut ad patiendum ab aliquo comparatam. At multas si formas habeat, his ennumeratis, quod in vna hoc in vnaquaque videndum ad quid scilicet faciendum sit, aut ad patiendum ab aliquo nata. *Com.1.in lib.de nat.hu.*

Pro natura esse Hippocrates ipsam rerum veritatem intelligit, vti pro lege esse, pro hominum opinione. *Com.eod.*

De naturæ significato, in quinto de medicis nominibus tractatum esse affirmat Gal. *Com.1 de nat.hum.*

Natura est ignis artificialis, qui via in generationem tendit, mouetúrque effiaciter ex seipso. *in definitionibus medicis.*

Natura est ars diuina. *ibid. ex Platone.*

Natura est vis, quæ ex seipsa mouetur, autor formationis, generationis, perfectionísque. *ibid.*

Natura dicitur vniuscuiusque rei temperamentum, atque habitus, motus quoque per impetum exitus. *ibid.*

Natura quæ animal moderatur, facultas à physicis viris, Hippocrate inquam & Galeno nuncupatur. *ibid.*

Natura item est spiritus calidus, qui ex sese pro seminariis rationibus mouetur, quíque in præfinitis, certísque temporibus, ac magnitudinibus homines generat, perficit, atque conseruat. *ibid*

Naturam appellant Stoici animam vegetantem. *lib.de fœtuum formatione.*

Naturam cùm dico, vniuersam substantiam, ac temperiem, quę ex primis elementis conflatur, intelligo, calido, frigido, humido, sicco. *lib.3.de temperam.*

Natura per seipsa agit, non materiæ interuentu, vt ars, fortuna, & artifex. *lib.11.methad.*

Natura ex his tribus partibus constat, ex spiritibus, & earum quæ verè dicuntur solidæ, substantia, & tertia ab his carnosa. *ibid.*

Natura cuiusque propria, vna est. *lib.1.de elem.*

Natura vna, vbi sit passio quoque vna est. *ib.*

Naturæ rei cuiuslibet inquisitio, qualis esse debeat ex Platone, *Com.1.in lib.de nat.hum.*

Natura inerudita, & indocta, quæ opus sunt efficit, & eadem ipsa itinera sibi ipsi amplificat. *Com.5.in lib.6.de popul. morbis.*

Natu-

Natura salutis hominum causa omnia fecit. *Com. eod super illo text. Lachryma, &c.*

Natura animalium sine arte docta, vt quæ corporis partes fingens, perficiensque effecit: vt ipsæ citra doctrinam, proprias actiones aggrederentur. *lib. 6. de loc. affect.*

Naturam eruditam vocat Hippocrates, licèt rectè facere non didicerit. *9. de placit. Hippoc. & Plat.*

Naturæ morborum medici sunt, ex Hip. *ibid.*

Natura sufficit prorsus. *ibid. & 1. de nat. fac.*

Naturam iustam vocat Hippocrates. *ibid. & 1. de nat. fac.*

Naturæ quæ sit substãtia, non ausus est Hippocrates pronuntiare. *ibidem.*

Naturam appellat Hippocrates nostræ creationis autorem, vt omnibus hominibus mos est. *9. de plac. Hip. & Plat.*

Natura sponte, nec affecta, quæ opportuna sunt facit. *lib. an animal sit, quod in vtero est.*

Natura mortalis, terrestris, atque intelligentiæ expers est. *(eod. lib.*

Naturam omnia à seipsa doctam ex seque discentem agere. *eod. lib.*

Naturæ operatio ipsa per se ineffabilis, recondita, longéque nostra cognitione profundior. *eod. lib.*

Natura ab artifice eo differt, quòd illa suis instrumentis est implicata, ac per ea tota permanat: Artifex verò minimè, vt in pulsibus probat. *lib. 1. de cau. puls. cap. 2. de caus. ex instrum.*

Natura per totas partes extensa est, ars foris solummodò est. *Lib. 2. de nat. facul.*

Naturæ & animæ comparatio, quòd natura terrena, & intelligentiæ expers, anima ab vniuersis animis, & cœlesti choro delapsa sit. *Lib. an anima sit, quod in vtero est.*

Naturæ opera auctio, & nutritio: animæ sensus, & voluntarius motus. *Lib. 1. de facul. nat.*

Natura nullius materię veterem formam seruat. *Lib. 1. de (facul. nat.*

Natura artificiosa. *lib. 1 de facul. nat.*

Natura artificiosa facultates habet, quib. conuenientia ad se trahat, aliena à se repellat. *eo. lib.*

Natura animalium seruatrix, & morborum finitrix, ac decretrix, quod conueniens est seruat: quod alienum est, separat. *eod. lib.*

Natura quædam fit semẽ quod prius erat, id cumprimũ & gignit, & format animal. *lib. 2. de fac. nat.*

Natura nihil superuacuum, aut temerè committit. *lib. 4. de (anat. admi.*

Natura nullo vnquam tempore in animalibus est otiosa, aut cessat. *lib.3.meth.*

Naturæ nomen, ac substantiæ, in quibusdam Galeno indifferens est. *libr. quòd animi mores corporis temp. sequantur.*

Naturæ essentia, qua via contemplanda ex Plat. *Com.1.ad lib.de nat.hum.*

Naturæ motus, ordinati, determinatique sunt, vbi valida est, & materiæ dominatur, propriasque perficit operationes. Interminati, inordinatique & incogniti si quando succũbat, *lib. 3.de crisib.cap.10.& 2. de dieb.decretoriis.*

Natura, cum præ imbecillitate finem operi imponere nõ possit, auxilium nostrum implorat. *lib.de venæ sec.aduersus Erasistratum.*

Natura, vbi plurimùm à morbo superatur, ne certare quidem aduersus morbum aggreditur. *lib.3.de crisib.cap.9.*

Naturam morborum curatricem esse sic intelligendum, vt eam primùm languoribus mederi sciamus, dum sudore, vomitu, soluta aluo, & reliquis vacuationibus hominem sanat. *Commen.5.in 6.de pop.mor.*

Naturæ operum contemplatio, ad remediorum inuentionem viam suppeditat. *lib.de venæ sectione aduersus Erasist.*

Naturam non communem solùm, sed & cuiusque propriam nosse debet medicus. *lib.ad Glau.*

Naturæ operationes tres, generatio, auctio, nutritio. *1.de facul.natu.cap.5.*

Naturæ quædam conueniunt inuicem, quædam contra. *lib.de boni & mali succi cibis.*

Natura in tota vita peragenda, potest plurimum: deinde disciplinarum studia. *lib.de cognoscẽdis, curãdisque animi morbis.*

Naturis calidis, exiguus, & lentus motus, & balneum competit: contrà frigidis, & humidis. *lib.5.de sani. tuenda.*

Natura optima tantum appetit, quantum concoquere potest. *in arte.medic.cap.85.*

Natura optima præside non eget, eorum quæ assumuntur quantitatem metiente. *ibidem.*

Natura cuique morbi peculiares. *Comm.1. in primum de popu. mor.*

Naturæ nostræ accommoda quæ sunt, alunt: quæ contrà, corrumpunt. *lib de boni & mali succi cibis.*

Natu-

A natura ſucci alieni pituita acida, ſalſa ſanguis in ventriculum confluens. *lib. 3. de ſym. cau.*

Naturæ diuiſæ differentes curationes requirũt. *lib. 3 metho.*

Non omnem naturam eadem medicamenta requirere, ſed infirmiores, mollioréſque mitiora, validiores ſiccioréſque valentiora. *lib. 3. meth.*

Natura per ſe fortuna & ars materiæ interuentu agunt. *lib. 11. meth.*

Naturæ actiones in animali ſunt à prima generatione impręgnatio, fœtuſque formatio: in editis appetitus, cibi deglutitio, in ventriculo concoctio, digeſtio, in ſanguinem alteratio, ſegregatio, nutritio, & auctio, *lib. qui Introductorius, ſeu Medicus dicitur.*

Naturam vbique probat artificioſam Galen. libris de vſu partium per totum.

Naturæ conſentienter viuere is dicitur qui meliorem ſequitur animæ partem, rationem ſcilicet: ille diſſentienter, qui deteriorem. *lib. 6 de placit. Hippocrat. & Plato.*

Natura facit omnia alicuius gratia, nihilque ſine cauſa facit. *lib. de natu. facult.*

Secundùm naturam expetere nos dicimus agere, hoc eſt, functionem particularum minime impeditam habere. *lib. 14 meth.*

Secundùm naturam agere, eſt functionem non impeditã habere. *ibidem.*

Secundùm naturam dictio, interdum pro eo, quòd neceſſariò ad naturæ opera euenit, ſumitur, quod in ſignificato ſenium ſecundùm naturam eſſe dicitur: nonnunquam dictio illa pro naturæ operibus ſumitur, nutritione, auctione, generatione. Hæc enim ſecundùm naturam ſunt. *lib de maraſmo.*

Secundùm naturam multis modis dicitur. *lib. 6. de placit. Hipp. & Plato.*

Secundùm naturam interdum ſumitur, pro eo quod prima ratione à natura fit. Prima vero ratione illa à natura fieri dicuntur, quæ quaſi fines ab ea coniectantur, non quæ ex conſecutione quadam aliis ſuccedere conſueuerunt. *ibidem.*

Præter naturam quicquid eſt, aut affectus ſunt à quibus primo actio læditur, aut cauſę, aut ſymptomata. *lib. 3. de præſagatione ex pulſibus. & 1. de ſymptomatum differentia. & lib. de conſtitutione artis medi.*

Quod præter naturam proprium est, id omne malum est. *Commen. 2. in primum prorrhetici, super textu illo Ex composito, modestóque homine.*

Naturæ admirator Hippocrates. *lib. 9. de placit. Hippocratis & Plato.*

Natura quæ in nobis sunt singula effingit tanquam instrumentum certę rei futurum: non aliter quàm artifices reliqui ad certas actiones instrumenta fabricant quędam, *libro, an animal sit quod in vtero est.*

Naturam iustam rectissimè Hippocrates nominat *lib. 3. de vsu partium.*

Naturam artificiosam, & prouidentissimam probat Gal. *lib. 17. de vsu partium.*

Natura nihil frustra facit. *li. 1. de vsu partium, cap. 23. & libro, an sanguis in arterijs contineatur.*

Natura solicita est æquè, vt ne deficiat aliquid, atque vt superfluum nihil creet. *lib. 1. de vsu partium. cap. 23.*

Natura studet per paucissima instrumenta actiones plurimas animali comparare. *lib. 12. de vsu part. cap. 4.*

Natura si fieri potuisset, maximè optasset suum opificium fieri immortale, hominem scilicet. *lib. 14. de vsu partium. cap. 2.*

Naturæ primum instrumentum, calor. *lib. 14. de vsu part. cap. 6. & 5. de simplicium facul. & lib. 2. de symp. tcau. cap. 5.*

Naturæ prouidentia, in tegendis partibus præcipuis *lib. 2. de vsu part. cap. 7.*

Natura persimilia instrumenta similiter operatur. *li. 1. de motu musc.*

Quod secundùm naturam est in quouis genere, id vnum est: quod pręter naturam, variũ, ac multiplex. *lib. de diff. respi.*

Naturam rerum inueniri, si à maximis, & facillimis ordiamur, ex Hipp. *libr. 9. de placit. Hipp. & Plat.*

Natura semper coctionem, agglutinationem, assimulationem, alimenti distributionem, sanguinis generationem, adiectionémque operatur. *lib. 1. apho. 1. in commentarijs.*

Natura animalium nihil prorsus aliud est, quàm calidum innatum secundùm opinionem Hipp. *Comment. 15. 1. aphorism.*

Natura quæ, & per quę locat expurget. *1. aphor. Commẽt. 15.*

Naturę tum totum permittendum, quum integrè iudicat: vbi verò non integrè iudicat, id quod deficit supplere nos conuenit. *1. aphor. comment. 20.*

Naturam partis respicit euacuatio. *1. apho. commen. 21.*

Naturæ motum animaduertere oportet medicum: & si is bonus sit eum iuuare, si verò noxius atque contrarius hûc prohibere, transferre atque diuertere. 1. *apho. comment*. 21.

Natura expellit noxios humores, medicamentum autē attrahit. 1. *apho. comment*. 22.

Natura euacuante, seu medico, metiendum quantum sit vacuandum. 1. *apho. comment*. 23.

Naturam rectè operantem imitari debet medicus. 1. *apho. comment*. 2.

Natura multipliciter dicitur. 2. *aphor*. 1. *comment*. 24.

Naturam pro corporis forma, & habitu interdum sumi, ex Hippo. *Ibidem*.

Naturam in elementorum commoderatione consistere. 2. *apho. comment*. 52.

Naturæ principalissimum, & proprium significatum, quod secundum ipsam maximè substantiam naturæ est, esse temperaturam quatuor elementorum. 3. *apho. comm*. 2.

Naturæ quæ hyemi, & quæ æstati magis conueniant. *Ibidem*.

Naturæ à similibus offenduntur, à dissimilibus iuuantur. 3. *apho. com*. 3. Quod si arguas oppositum dici à Galeno. *com*. 16. *primi apho*. Responde Galeni verbis com. supradicto. 3. tertij inquientis: Præterquàm si ætas temperata, & victui, & regioni, & loco temperato comparetur. Hoc enim solo modo, inquit, similes à similibus benè afficientur.

Naturæ operationes meliùs fiunt in tempestate aquilonia. 3. *apho. comm*. 17.

Naturæ quomodo aut peius, aut melius habeant ad tēpora anni, & ætates. 3. *aph. com*. 18.

Naturam differentia facit, vt sint diuersi morbi. 3. *apho. comment*. 19.

Naturæ opera, operibus veris similia. 3. *apho. comment*. 20.

Natura occultam, per totum corpus, facit transpirationem, per quam excernuntur superfluitates. *Eodem comment*.

Naturæ puerorum facilè alterantur, ob corporis humiditatem, & naturalis potentiæ imbecillitatem. 3. *apho. com*. 27.

Naturam debet in euacuando imitari medicus. 4. *apho. comment*. 2.

Natura imbecillis ex purgatione dissoluitur. 4. *apho. comment.* 5.

Naturæ tria opera quæ se consequitur in morbis, concoctio, discretio, vacuatio. 4. *apho. comment.* 22. *&* 23.

Naturali calore debilitato ex profluuio sanguinis, neq; cibi bene concoqui, neque in sanguinem transmutari, neque distribui per corpus possunt. 4. *apho. comment.* 27.

Natura processu temporis vires suas colligit. *Ibidem.*
Natura quæ solida regit corpora, secundum Hippocratem, est color naturalis. 4. *apho. com.* 37. *&* 22. 5.

Naturalis temperies est sanitas. 4. *apho. comment.* 39.

Natura non potest in paruo tempore multas conficere dispositiones. 4. *apho. com.* 40.

Natura ægrotantis de variis euacuationum generibus indicat. 6. *apho. comment.* 47.

Naturam propriarum meminisse operationum. 5. *apho. com.* 35.

Præter naturam multipliciter exponi. 5. *apho. comment.* 44.

Natura aliquid violenter excernente eo sanguinem ac spiritum mittit. Quibus duobus veluti instrumentis natura vtens, ea quæ infestant per vim expellit. 5. *apho. com.* 53.

Natura quandoque per viam crisis, humorem exuperãtem in venis contentum ad cutem expellit. 6. *apho. com.* 42.

Natiua humiditas à colore febrili consumitur. 4. *apho. com.* 6.

Natura, secundum Hippocratem, semper materiebus viam inuenit. 7. *apho. com.* 56.

Naturam paulatim interdum operari ea, quæ fieri non videntur. *Eodem com.*

Quod pręter naturam est, quantum recessit ab eo quod secundum naturam, tantam habet prauitatem. 7. *apho. com.* 64.

A natura si aliquid recedat, quantus est recessus, tantus est morbus: si paruus, paruus: si multus, multus: si valde multus, lethalis. 7. *apho. comment. vltimo.*

De consuetudine. CAP. VI.

CONsuetudinis cum natura cùm tanta sit consensio, vt earum altera in alteram transeat (quod enim consuetum est,

tum est, id ipsum iam naturale euasit) sitque consuetudo ipsa adscititia quædam natura, vt 2.de motu musculorum,& 2.item de temperamentis, conceptis verbis testatur Galenus; commodum visum est, tractationi de natura, hanc de consuetudine tractationem, ob rerum germanitatem, subdere. Quid itaque consuetudo sit,& quantum ipsa possit, quantique momenti sit illam vel seruare, vel deserere, hoc capite explicabimus. Est autem definiente Galeno, consuetudo, acquisititia quædam natura, hoc est, vis quædam & facultas nõ ingenita quidem illa, sed vsu ipso comparata, quæ naturæ nostræ ingenitæ perinde sit familiaris, vt ea ipsa esse videatur: nisi quod hæc ab externo principio, illa ab interno, & ingenito manauit. Nec malè quis consuetudinem sic definiuerit, vt sit adscititius habitus ex crebris vnius cuiuspiam rei actionibus, comparatus. Cùm enim vnum aliquid sæpe agẽdo, eius rei in quam incumbimus nobis habitum comparemus, ita vt in id facilè feramur, nulloque labore, aut molestia perferamus: eum sic comparatum crebra actione habitum consuetudinem iure appellabimus. Vt in exemplo, si quis sponte sua sese labori valido, & exercitationi dediderit, idque ipsum crebro effecerit, eum ille sibi habitum comparabit, quem cõsuetudinem dicimus. Quam vbi semel nactus fuerit, conatum esse,& congenitum arbitrabitur: hoc est, perinde id quicquid est muneris exercebit, ac si id naturale & congenitum illi esset, ac proinde rectissime consuetudinem, naturã quãdã vocauit Galenus. Vt.n.natura, munia ipsa sua, absq; vllo labore, aut molestia obit, sed magna potius cũ facilitate, ac leuitate: sic quæ à cõsuetudine manãt,& facilè & iucundè fiunt. Vnde est illud diuini Hippocratis. Qui consueti solitos labores ferre, etsi fuerint imbecilles, & senes, nõ consuetis, fortibus, atque iuuenibus faciliùs ferunt. Et: Quæ ex longo tempore consueta sunt, etsi deteriora sunt, insuetis minus molestare solent. Verissimum id quidem profectò est, non in solis exercitationibus, & motionibus, sed in omnibus simpliciter consuetis, cibis inquam, potionibus, balneis, vigiliis, somno, curis, calfactione, refrigerationéque, vt consueta insuetis minus noxia sint. Ob consuetudinem enim, naturæ familiaria effecta iam sunt, ac proinde minimè noxia. Quod nanque naturæ familiare est, innoxium esse solet. Tantum vero consuetudo valet, vt ab illa tum in seruanda

2. de motu musc. & 2. de temp.

2. de motu musc.

2. apho. 49 & 50.

valetudine, tum in morbis curandis magnam sit sumere indicationem, nec multò quàm à natura inferiorem, vt Hippocrates, & Galenus insinuarunt. Equidem cum consuetis semper naturæ gaudeant, (vt octauo methodi affirmat Galenus) constat id, cui per secundam valetudinem assueuimus, perpetuò seruandum esse. A consuetudine enim, perinde atque à natura, & ætate similium indicatio sumitur. Quod Hippocrates sensisse est visus, dum victum humidum non febricitantibus modò, sed & pueris, & aliis, qui ita cibari sunt assueti, vtilem scripsit. Quo quidem in loco, Hippocrates eã quæ à consuetudine præbetur indicationem, parem ei quæ ab ætate sumitur, accepit. Nam & ætas, cùm ex iis sit, quæ natura nobis insunt, similem sibi victum postulat. Quæ vero à consuetudine indicatio sumitur, sic sumpta est, sicut ea, quę ab ætate. Quippe seruare quoque hanc iubet Hippocrates, perinde ac proprium ætatis temperamentum. Cùm itaque seruandam semper consuetudinem Hippocrates, & Galenus affirmarint, quanti sit periculi à consuetis desciscere, eaque in contrarium mutare, præsertim si repentè, aut immodicè id fiat, perspectum omnibus esse arbitror. Vnde est illud Celsi: Periclitatur & qui semel, & qui bis die cibum incontinenter contra consuetudinem assumit. Item neque ex nimio labore subitum otium, neque ex nimio otio subitus labor, sine graui noxa est. Ergo cùm quis mutare aliquid volet, paulatim debebit assuescere. Quam quidem ille sententiam ex Hippocrate mutuasse videtur, qui aut plurimum, aut repente euacuare, aut replere, aut calefacere, aut refrigerare, siuè quouis alio modo corpus mouere, periculosum esse astruxit: quod paulatim fit, id tutum esse. Non itaque temerè mutanda consuetudo, vt quæ in nobis naturæ ferè vim æquet. Proinde ventriculus cibos malos, & potiones (si ipsis vti consueuerit) facilè sustinet. Contrà grauiter ferre solet, tum cibos, tum potiones, quamuis suapte natura vitio careant, si præter consuetudinem ingerantur. Quæ dicta Hipp. 2. de ratione victus acut. text. 34. sententia est. Hæc profectò tanta in nobis potest, vt quæ toleratu difficillima habentur, facillima reddat. Hæc validos labores perferre, difficiles conficere cibos, vigilias immodicas perpeti, aëris iniurias tolerare, frigora ferre, æstum sustinere, sudorem, puluerem, imbres, ventos, maris impetus, peregrinationes longas,

&

Hippo. 2. de rat. vict. acu. à textu 18. vsq; ad 39.

Ga. in cõ. ad 2. de ra. vict. acut. & 11. metho. & 7. & 8.

1. apho. 16.

Ex 8.

lib. 1. cap. 3.

2. apho. 51.

& inediam, vel sola docet. Hæc in vacuationibus modum, atque mensuram, & in omnibus, quæ nobis contingunt primas à natura partes sustinet. Quamobrem merito Hippocrates in singulis non solum vim, & speciem morbi hominísque naturam perpẽdendam, sed & ægri in victus ratione cõsuetudinem, magna certe ratione astruxit: vt à quã nimirũ præstantes de auxiliorum inuentione in morbis, & de sanitatis tutela in sanis, scopi sumantur. Efficit enim cõsuetudo, vt non solùm salubria nobis vsui sint, sed & quæ alioqui (nisi assueta essent) deterrima essent futura, salubria euadant. Hinc fit, vt à pessimis quibusque cibis nonnulli nihil lædantur: vnde alius, fungos, tubera, crudos fructus, legumina, ouillas, bubulas, suillas carnes facillimè, alius difficillimè ferat. Tantæ potentiæ, atque virium consuetudinem esse scimus, vt non solùm ciborum malignitatem ipsa superet, sed (quod magis miremur) venenorum ipsa perniciem vincat, vt quæ veneno sitate sua spoliet. Vt de puella napello nutrita legimus, quæ cum modicè, atque sensim venenum id deuorasset, eo in posterum absque vlla noxa, ob sumendi consuetudinem vsa est: tantum consuetudo valet, ob id merito Galenus librum de assuetudinibus, & Hippocrates 2. de ratione victus acut. & Erasistratus eiusdem argumenti libros, omnẽ consuetudinis naturam explicantes doctissimè conscripserunt. Sed iam de consuetudine satis.

2. de rati. vic. acut. 38.

Vide de hac puella apud Conciliatorẽ tract. de venenis cap. 3. ad finem ex Ruffi. sententia.

De consuetudine, Hippocratis, & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

CONSVETVDO qualis, dum sani fuimus, consideranda. *lib. 6. de popu. mor. text.* 40.

Consuetudo in victu, tegumentis, laboribus, somno, venereis, & mentis affectionibus spectanda. *ibid.*

Assueti assuetos ferre labores, etsi fuerint imbecilles, & senes, iuuenibus insuetis, ac fortibus faciliùs ferunt. *lib. 2. aph.* 49.

Consuetudo ex longo tempore, etsi deteriora sunt, insuetis minus molestare solent. 2. *aph.* 50.

Ad insueta permutari oportet. *Ibid.*

De consuetudinis mutatione, ac viribus longa serie Hippocrates. 2. *de rati. vict. acut. à textu.* 18. *vsque ad* 40.

Consuetudinem in victus ratione spectandam, vult Hippocrates. 2. *de rati. vict. acut.* 38.

Consuetudini, vti & ætati, & regioni, aliquid dãdum est. 1. *aph.* 17.

Consuetam victus rationem, quæ nunquam variat, etsi vitiosa sit, longè tutiùs est obseruare, quàm subitò vel ad meliorem transire. 2. *de rat. vict. acut.* 21.

Consuetus bis, aut semel cibum sumere, si subitò consuetudinem mutauerit, noxam, imbecillitatémque subibit. 2. *de rat. vict. acut.* 22.

Consuetus non prandere, si prandium sumat protinus imbecillus, grauis, ægrotus, segnísque redditur. *Ibid.*

Ventriculus, cibos vel malos (si illis sit assuetus) facilè sustinet. Contrà grauiter ferre solet cibos, & potiones, quamuis suapte natura vitio careant, si præter consuetudiné ingerantur. 2. *de rati. vict. acut.* 34.

Præter consuetudinem quid facere, velut est proponere sibi aliquid, & expectare aliquid, prius non consuetum, aut contrarium, malum est, & mentis emotioni proximum. *lib. de prænot.*

GALENI.

CONSVETVDO est acquisititia quædam natura. 2. *de motu. muscu.*

Qui cuilibet rei insuescunt, magna ex parte naturæ suæ conuenientem consuetudinem deligunt. Propterea quòd ab his, quæ non conueniunt, subinde læsi, ipsa repudiant. 5. *de sani. tu.*

Aliqui in malis consuetudinib. persistunt, vel dulcedine victi, vel præ nimia dementia, lędi se non sentientes. *Ibid.*

Qui omnem consuetudinem seruandam censent, medici, minùs errare, quàm qui nihil ad sanitatem interesse putant. *Ibid.*

Consuetudo vbique cum natura conuenit: ob id altera quædam & acquisititia natura dicta. 2. *de motu. muscul.*

Quod consuetum est, bonum est, inconsuetum verò malum. *Com. 2. in prognos. Hipp. ad textum.* 11. in his qui viuere soliti sunt præter naturam, vt diuites plerunque interdiu dormientes, noctu vigilantes, doctrina Hippocratis de somno vera

vera non est. *Eodem com.*

De consuetudine loci duo Hippocratis explicati. *Lib. de assuetu.*

De consuetudine, & dissuetudine magnam à medico fieri debere considerationem, si methodo mederi velit, nec errata committere. *Lib. de assuetudinib. Gal.* ex Erasistrati sententia.

Assuetos circa hunc vel illum cibum, aut potum, licet audire homines dicentes, qui non veluti suis, aut asini vitam traducentes, à quibus iuuentur, & lædantur probè norunt: & propterea consueta non posse deserere, ne noxam incurrant. *Lib. de assuetudi.*

Contemnit Galenus eos, qui ab assuetudine sumptam indicationem nihil, vel parum conferre ad curationem dicebant. *Eod. lib.*

Assuetudo plurimum potest. *Eod. lib.*

Assuetudo cur plurimum possit, cúrque à difficillimis cibis consuetis non lædamur, vt bubula, & hircina carne, & similibus. Causam vult esse Galenus familiaritatem cibi cũ natura. Assuetudine enim & vsu fit familiare naturæ id cui assueuimus. *Lib. de assuetudi.* Et vide ibi longam huius rei seriem. Quòd item ab extrinsecis assuetis non lædamur, balneo, equitatione, lucta, pugna, cursu, vigiliis, æstu, refrigeratione: quòd hæc nunquam consueta naturæ familiaria fiant, non contraria, ob id alterare corpus minimè potentia.

Consuetudo ad exercitia id facit, vt quæ corporis partes exercentur, fortiores simul, & solidiores fiant, & proprios motus aliis melius ferre possunt, quæcunque propter otium mollieres sunt, & imbecilliores. *Eod. lib. de assuetu.*

Consuetudo, quæ difficilia sunt facilia reddit. Nempe si deligas optimum vitæ genus, etsi difficile, iucundum consuetudo reddet. *Lib. de cognosc. curandísque animi morbis.*

Consuetudo ad vnum tantum aliquid periculosa. 2. *aph. com. 50.*

Consueta facilius ferimus, ab insuetis molestamur. 2. *aph. com. 50.*

Consuetudo si praua fuerit, non subitò, sed paulatim traducenda. *Com. 1. in 6. de popu. mor. super text. Ex adhibitione.*

Consuetudines, vt vile theorema quidam medicorum despiciunt, nullam ab ipsis indicationem, quæ medelam cõ-

mutet fieri arbitrantes. At alij non contemnunt. *Eod.comment.*

Consuetudo tum mutanda est, cùm valent homines, nō dum ægrotant, aut de se queruntur. *Lib.8.meth.*

Ad ea quisque reducendus est, quib. consueuit. *7.meth.*

Ex consuetudine non solùm in conualescentium victus ratione, sed etiam in morbis magnam partem ad totius victus, medicamentorúmque inuentionem sumi. *Lib.7.meth.*

A consuetudine sumpta iudicatio, perperàm à quibusdā tollitur: *Lib.de aßuetudi.*

Consuetudinem, ad euacuationes corporis, non minimū momentum habere. *Lib.de assuet. & lib. Quibus medicamentis purgari conueniat.*

Consuetudo vitæ, febrium naturam, & modum indicat. *1.aph.com.12.*

Consueta, etiam deteriora, insuetis melioribus, magis toleramus. *2.aph.com.50.*

Consuetis semper gaudent naturę. *Lib.8.meth.*

A cōsuetudine maximam esse indicationem. *lib.11.meth.*

Consuetudo, cùm ægrotant homines semper similia indicat *lib.8.meth.*

Consuetudo, & ætas, rationem habent naturæ. *Lib.8.meth.*

Consuetudo, & morbi facilis toleratio, cibandum infirmum in continentibus febribus demonstrant. *lib.11.meth.*

Consuetudo multum valet in cognoscendis temperamentis, & ad inuentionem remediorum, & ad sanitatē tuendam. *Lib 9.meth.*

Consuetudo singulorum corporum naturam ostendit, in eóque maximam vim habet. *Eod.lib.*

Consuetudo rationem hábet curatricis indicationis. *lib.9.meth.*

Consuetudo, similium indicationem præfert, *lib.8.meth.*

Consuetudo, similem victum postulat. *lib.8.meth.*

Consuetudinem perinde ac proprium ætatis temperamentum seruandum iubet Hip. *Gal.8.meth.*

De arte, quatenus ad medicum spectat. CAP. VII.

CVm Medicam artem, artium omnium longe præclarissimam, suprà ex Hippocr. mente demonstrauerimus, Medicumque

Medicinamque artificem esse omnium nobilissimum, congruũ videtur, vt de arte hoc cap. disseramus. Quid inquam ars ipsa sit, quæ artium communis natura, & è quibus artium distinctio sumatur: quæve artium constitutio, quis finis. Hæc enim omnia si methodo tractauerimus, de medica arte, illius constitutione, ac fine, pro dignitate tractare poterimus. Artem porrò Aristoteles, habitum quendam cum ratione in faciendo positum, definiuit. Et merito quidem, arti enim effectio subiecta est. Quæcunque enim efficiuntur, ab vna quapiam arte effici ea est omnino necesse: cum sit artium proprium efficere, vti scientiæ contemplari. Introductorij, seu Medici autor, ita eam expressit, vt sit ars, comprehensionum, & opinionum ad finem quendam vitæ spectantium, collectio. Quæ sane definitio rectè si explicetur, plurimum mihi habere momenti ad artium naturam inueniendam videtur: vt ex qua inuentionis artium ratio comprehendi haud difficulter possit. Equidem cùm hominem vnum (cuius causa videtur cuncta alia genuisse natura) nudum, & inermem, & in nuda humo natali die abiecerit, alienis velatum opibus, alienæque opis egentem, quíque præter vagitum & lachrymas, nihil spontè sciat, non fari, non ingredi, non vesci, nec quicquam sine doctrina, cùm cętera mox ortus sui initio naturã quęque suam sentiunt, animalis reliquorum principis miserta opifex rerum natura, in fragilitatis suæ subsidium, rationem indidit, manúsque rerum omnium opifices dedit, quibus quæ ad vitam regendam vtilia forent inuenire, inuẽtaque manuum ope disponere cuncta posset. Itaq; cùm multis indigeret, rationis dictu, manuúmq; ministerio, multa sibi ad vitæ vsum effingere, multa parare cœpit, tectum, indumenta, arma, quibus se aduersus ferarum impetus muniret. Ea autem omnia facere, non temerè, nec casu, sed methodo recta, ac sapienti exorsus, præceptiones quasdam sibi proponẽs, quibus nixus, quod animo proposuerat facilè assequeretur. Rectissimè igitur artem medici definiuerunt, collectionem præceptionum, seu comprehensionum, vnum quendam vitæ finem vtilem spectantium, vt architectonicẽ, musicen, fabrilem, cumulum quendam præceptorum esse dicimus: quibus domorum structura, vocum, & concentuum ratio, & eorum, quæ plurima arte fabrili fiunt, quàm fieri optimè potest, efficiantur. Hoc certè ars est, veluti Medicina,

6. Eth. c. 4

Ex Plin. 7. nat. hist. c. 1.

Plato in Timaeo. Galen.1. de vsu par.c.2. & 3. quæ & ipsa nihil planè est aliud, quàm theorematum medicinalium multitudo, quibus vel sanitas seruari, vel curari infestantes morbi queant. Hanc autem præceptorum in omni arte collectionem, homo sapientia sua, & mēte inuenit. Cùm enim sapiens esset hoc animal, & solum eorum quæ sunt in terra diuinum, vt rectè post Platonem Galenus dixit, congruere videbatur, vt ratione duce artes ad vsum vitæ necessarias sibi compararet. Quod vt commodius facere posset, manus rationi opifici adiunxit opifex Deus, quæ sapientissimo animali, ad rerum omnium structuram vsui essent. Non enim (vt dicebat Anaxagoras) propterea quod manus habet, sapientissimus euasit homo: sed contrà, quia sapientissimus erat, manus ob id nactus est rerum omnium opifices. Vt rectè Arist. iiij. de part. animal. cap. 9. existimauit. Artium itaque omnium ratio, in præceptorum quorundam obseruatione, ad vnum quendam vitæ vsum spectantium tota posita est. Artes autem omnes, necessitas, & mens peperēre. Quemadmodum enim ex necessitate & mente constare Mundum Plato in Timæo astruxit, sic & artes omnes. Necessitas materias artibus idoneas inuenit, ratio autem inuentas in vsum aptissimè direxit. Sed hæc de artis notione satis. Artium porrò communis omnium natura est, vt in efficiendo, vel agendo totæ sint positæ, nec eorum sint quæ se aliter habere nō possunt. Ars enim in communi ea non tractat, quæ perpetuò stant, & eueniunt necessariò, sed id vnum agit, atque spectat (vt rectè Arist. censet) quemadmodum efficiatur quicque eorum, quæ & esse & non esse possunt: quorúmque principium situm est in eo, qui facit, non in eo quod efficitur. Medicina enim sanitatem tractat, quam & ipsam non semper assequitur, vti & sagittandi ars scopum non perpetuò attingit. Est & illud omnibus cōmune, vt præcepta habeant, quibus finem consequantur, vtilia, vera & principiis ipsius artis consentientia, vt Gale. libr. de opt. sect. ad Thrasib. testatur. Conuenit & hoc, vt ad artes omnes inueniendas duob. sit instrumentis opus, experimento inquam, & iudicio: vt 1. aph. com. 1. idem affirmat Gal. Ad finem autem artis cuiuslibet comparandum, methodo & exercitatione, ceu instrumentis duobus egemus, methodo in vniuersalibus, exercitatione in particularibus. Quę docta Galeni octauo meth. sententia est. A quibus vero artium distinctio sumenda (quod tertio loco

Artibus communia

6. Eth. c. 4.

1. x intro- ducto.

loco dicendum proposuimus) explicandum modò. Artium porro duplex discrimen inuenitur. Sunt enim quędam à sese perfectionē operis consequentes, & quæ suo fine nunquam frustrantur, vt fabrilis, nauium compactoria, ædificatoria. Eæ enim si modò idoneam nactæ sint materiam, opus suum ipsæ absoluunt, nec vnquam ab scopo aberrant. Quædam finem suum sæpè desiderant, contingunt autem non semper, sed plurimum, vnde coniecturales quoque dicuntur: ex quarum numero medicina sanè censenda est, veluti & oratoria & gubernatoria & sagittandi ars. Neque enim perpetuo medicus sanat, nec persuadet orator, nec portum consequitur gubernator, nec scopum sagittarius attingit. Est & aliud in artibus discrimen, quoniam artium quædam dum fiunt, & in actione versantur, tum & ipsæ sunt, simul verò atque ab actione destiterint, nihil operis, quod spectari possit, relinquūt: cuiusmodi saltatoria, citharistica, palæstrica, & musicę omnes artes, quæ omnes in agendo magis, quàm in efficiendo consistunt. Citharista enim citharam dum pulsat, agit quidem aliquid, nullum tamen opus, ab actione (vbi destiterit) relinquit. Sic & saltator, & palæstrita, musicus. Nonnullæ verò euidens quoddam opus ab actione præstant, quod spectari cessante etiam actione queat. In qua dum artifices versantur, nullum est spectare opus, sed tum primum vbi ab actione destiterint: quod & ipsum post actionem perdurat. In hoc sanè artium genere, medicinam reponere licet. In medendo enim, eius opus quod sanitas est, nondum innotescit, quippe quæ aduersus morbos semper laboret: at vbi curationem absoluerit, tunc homini sanitatem restituisse eā videre est, apparétque illius opus. Ad quem item ordinem statuaria, pictura, & fabrilis referri iure possunt. Artium porrò omnium constitutio è finis notione est, vt bellè Galenus lib. de constitutione artis docet. Non enim à materia, sed à fine, artes constituuntur: vt non quarum materiæ diuersæ sunt, eas item artes diuersas esse sit necesse: cùm constet artem vnam, & eandem diuersis materiis vti, veluti medicina, quæ, & ligno, & ferro, & terræ nascentibus, & medicamentis, & ligno, & lana, & mille aliis vtitur: sed quarum artium fines diuersi, & toto genere à se inuicem distantes sunt, eas item differre existimemus, vt gubernatoria, fabrilis, architectura, medicina: omnésque ex communium à propriis distinctione

oriuntur, ac constant, vt 1. de ratione victus acut. com. 17. testatur Galenus. Finis vero artium omnium quà artes sunt, vel actio, vel effectio est. Actio quidem in his, quæ ab actione opus nullum relinquunt: effectio vero, in his quæ effectiuæ sunt, & opus aliquod parant, quod ab actione perstare possit. Vt merito artium quasdam actiuas, effectrices alias dicere possis. Palæstrica enim, saltatoria, musica (vt antè dictum) actiuæ omnes sunt; statuaria, architectonica, fabrilis seu materiaria, pictura, atq; etiã medicina, effectrices. Opus enim harum vnaquæque relinquit. Medicina verò non ex effectricium tantum, sed magis refectricium albo, vna ipsa est. Sanitatem enim ipsa reficit, & resarcit, atque instaurat, magis quàm faciat. Sanitatem enim, vt præcipuum agens parit natura: sed sanitatem collapsam reficit medicus, instar eius qui vel vestem dissutam, vel diuulsos calceos reparando concinnat, & reficit, vt lib. de constitut. art. Gal.

De arte, Hippocratis & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

ARTIVM præclarissima medicina. *Lib. de leg.*

Ars magna medicina est. *Lib. de arte.*

Artis pars magna, de his quæ rectè scripta sunt, posse cõsiderationem facere, ac iudicare. *lib. 3. de popu. mor. ad finem. & libro de diebus iudicatorijs.*

Artem constituunt, rectum, & non rectum, hoc est quæ prosunt, & quæ obsunt. *lib. de art.*

Artem facilem, ac peruiam facit tempus. *libro, De decenti ornatu, seu de probit.*

Quicquid artificiosè factum est, ex ratione prolatum est, ac productum. *Ibid.*

Artem mancam instrumentorum penuria facit. *Eod. lib.*

Artem medicinam esse demonstrat Hippocrates. *Libro de veteri medicina.*

Ab arte petere, quod non profitetur ipsa ars, dementis est. *lib. de arte.*

In omni arte, de singulis optimè scire oportet. *Lib. de artic.*

Artes esse demonstrat. *Lib. de arte Hip.*

Artibus nomina, ex speciebus imponuntur. *lib. de arte.*

Artium ignotarum calumnia, proditio est inscitiæ. *lib. de arte.*

Artis medicæ potentiam magis admiramur ex merito, si quem ex clandestino morbo ægrum restituat, quàm si impossibilibus, & desperatis opem ferre moliatur. *eod. lib.*

Artium facultates, opifices faciunt. *eod lib.*

Artium reliquarum, ad medicinam dissimilitudo, *eod. lib.*

Artificum proborum, & improborum discrimen ex vestitu, & moribus deprehenditur. Improbi enim splendidè ornati fora frequentant, ruditate, ac inscitia sua imponentes, probi verò contrà, modesti, frugales, compositi, temperati, affabiles, taciturni. *lib. de decenti ornatu.*

GALENI.

ARTIVM differētiæ, quòd quædam opus se ipsæ absoluant, vt ædificatoria, fabrilis, nauium compactoria: quædam finem suum seu scopum desiderent, & contingant quidem, non semper, sed plurimum, vnde coniecturales dictæ: item quòd quædam opus post actionem non relinquunt, quædam relinquunt. *libro qui Medicus inscribitur.*

Artes non ex iis, quorum neutiquam adest facultas, sed ex his quorum adest, definitionem sortiuntur. *ibid.*

Ars est comprehensionum, & opinionum ad finem quendam vitæ spectantium, collectio. *in definiti. med. & in introduct.*

Artis notio, à natura hominibus inest. *lib. 9. de placit. Hippoc. & Plat.*

Artem exercent animalia natura magis, quàm ratione. *lib. 1. de vsu part. cap. 3.*

Artes hominem docuit ratio. *lib. 1. de vsu part. cap. 3.*

Artis, & naturæ differentia, quòd natura suis instrumentis quibus operatur implicata est, ac per ea tota permanat, non foris vt artes attingit. Artes enim suis instrumentis implicatæ non sunt, sed foris ea accersunt. *lib. 1. de causis pulsuum.*

Ars fortuna, & artifex, materiæ interuentu agunt: natura verò per seipsa. *lib. 1. meth.*

In omni artificio ipsius symmetriæ angustia, solertiam, ac perfectionem indicat. *lib. 12. de vsu partium cap. 2.*

Artium distinctio ex fine, & vniuersalibus actionibus potiusquàm ex materia, & singularibus actionibus petenda. *lib.*

Num ars tuendæ sanita. &c. ad Thrasib.

Artium distinctio à fine petenda. Vt quarum artium fines diuersi, & ipsæ artes diuersæ. *eo lib.*

Artes à fine iudicare, præcipit ratio. *eod. lib.*

Artium effectiuarum finis est, ipsum opus, non actio ad finem præuia. *ibid.*

Artes effectiuæ ab actiuis eò dissident, quòd actiuis ab actione cessantibus nullũ, opus relinquitur, vt in saltatoria, & citharistria. Effectiuæ vero post actionem opus relinquunt, vt ædificatoria, fabrilis, textoria, medicina. Eæ enim ab actione opus perseuerans relinquunt. *ibid.*

Ars nulla materiæ prauitatem potest declinare, neque omnino impatibile opus edere. *lib. 5. de vsu part. cap. 4.*

Ars pro materiæ ratione opus quodque exornat, & alij materiæ aliud ornamentum competit. *ibid.*

Ars finem per se considerat, reliqua non per se, sed quatedus ad hunc conducunt. Com. 1. in lib. Hipp. de his quæ in medicatrina fiunt. *Super textu, Simlia an dissimilia sint, &c.*

Artium quædam actiuæ, quędam effectrices, quædam acquisititiæ, quędam correctiuæ. Medicina vero inter effectrices, & correctiuas collocanda. *lib. ad Thrasib. & lib. de constit. artis. med. ad principium.*

Arti omni constitutionem, à finis notione effici. *eod. lib. de constit. artis.*

Artis cuiuslibet constitutio, à fine petenda. *lib. ad Tresib.*

Ad artium constitutionem, ex diuidendi, & componendi methodo perueniri. Locus ex Platonis Philæbo, & Phædro, 9. de placi.

Ars ex sensu euidentibus non constituitur. *lib. ad Thrasib.*

Artis omnis constitutio, ex propriorum, à communibus distinctione oritur. *Comm. 17. in primũ de ratione vict. acut. Hip.*

Ars constitui obseruatione citra rationem non potest. *lib. 2. de dignoscendis pulsibus.*

Ad artes inueniendas, duo instrumenta necessaria, experimentum, & iudicium. *Com. primo in primum aph. Hipp.*

Artis cuiuslibet finem, qui consequi parat, duobus his veluti cruribus vel instrumẽtis vti debebit, methodo in vniuersalibus, in particularibus exercitatione. *lib. 8. meth.*

Artes non ex particularibus actionibus iudicandas, sed ex vniuersalibus atque ę fine. lib. ad Thrasib.

Quæ

Quæ artes subministrant. *eod.lib.*

Artium controuersiæ partim sensu, partim demonstratione disceptantur. *Com.2.in lib.de nat.hum.Hippoc.*

Ars praxim præcedere debet, ex verbis Galeni elicitum. *lib.2.de decretoriis diebus, cap.7.*

Artis necessaria sæpè tractanda. *Com.22.sect.4.aph.*

In artibus proprium quod est, nec dici, nec scribi potest. *3.meth.*

Artis medicæ vna cum sit, plures materię sunt, nempe corpus humanum, cibi potiones, medicamenta, sic & in reliquis artibus multis, *lib.ad Thra.*

Artium quædam ea quę non sunt efficiunt, vt nauium structoria: nonnullæ quæ facta sunt conseruant, vt nauium gubernatoria: nonnullæ vtrumque præstant, vt ædificatoria. *lib. de optima secta.*

Ars medica inter e[illegible], est, quæ faciunt, & conseruant. *ibid.*

Artis principia vulgo ignota esse debent. *ibidem.*

Artium omnium opera frequenti exercitio firmantur. *lib. 6.de comp.medicament.secundum genera.*

In artibus, non satis est generalia ipsarum addiscere sed etiam in particularibus exerceri oportet. Nam actionum vsus, seu exercitatio, ad perfectorum possessionem via est. *lib. 6.de com.med.secundum gener.& 9.meth.*

Artis iudicium, partium singularum in fabricata re vsus, & vtilitas. *lib.9.de placitis Hipp.& Plat.*

Artium præcepta, aut in sensui notis, aut in his, quæ ex aliis percipiuntur, aut in his, quæ præostensa fuere, aut in intellectui notis consistunt. *lib.ad Thrasi.de optima secta.*

Artis cuiusque præcepta, vera, vtilia, & principiis artis consentientia esse necesse est. *lib.de opti.sec.ad Thrasib.*

Artes coniecturales, non à præceptis, quæ perpetua sunt, sed ab actione, & medentium opera: hæc enim incertum euentum habens, artem coniectricem reddit. *eodem lib.*

Artium earum, quarum finis non semper attingi potest, quæ ancipitem, dubiúmque euentum habent, coniectrices appellantur. *eod.lib.*

Artes creduntur ex operibus, inueniuntur ex principiis. *li. 3.de crisibus.cap.8.*

Artis cuiuslibet primæ indicationes omnibus notæ, sequentes soli artifici. *lib.3.meth.*

Artis principia destruenti, idem artifex non contradicit: *lib.1.de elementis.*

Artes omnes in commutatione specierum & generum positæ. *lib.2.de diff.pulsuum.*

Artium sanitati necessariarum enumeratio. *Comm.5. in 6. de popul.mor.super illo textu.*

Naturæ morborum medicatrices.

Artis improbæ apparens bonum, probæ verò bonum comparat. *lib.ad Thrasib.*

Artis obsonatricis, ne sit omnino ignarus medicus. *libro 2. de aliment.facul.cap. de olivis.*

Artis imperatoriæ summa quæ. *lib.de paruæ pilæ exercitio.*

Artis medicæ præcipuum remediorum aptus vsus. *lib de constitu.medi.*

Ad artē referunt, quod in omnibus rectè fit. *lib.9.de placit.*

Artis speculatiuæ rationem experientia confirmandam esse. *lib Quod optimus medicus, idem & sit philosophus.*

Artem medicinæ, Romanis fuisse multiplicem. *lib.de partibus artis medi.*

Artem medicam constituturis necessarium partium actiones cognoscere. *lib.de consti artis med.*

Artes liberales, Medicina, Rhetorica, Musica, Geometria, Arithmetica, Dialectica, Astronomia, Grāmatica, Statuaria, & Pictura. *In exhortatoria orati. ad bonas artes.*

Artem medendi, omnium esse ingenuarum artium præstantissimam. *in eadem oratione suasoria.*

Artem medicam vniuersis artibus mechanicis præsidere. *lib.ad Thrasib.*

Artibus instaurantibus similes medicina, & agricultura. *(lib.ad Thrasib.*

Ars quæ corpori tuendo præsidet, vnum proprium nomen non habet. *lib.2.de sani.tu.*

Artis medicæ principes partes, salubris, & curatiua. *li. ad Thrasib & 1.de sanit.tuenda.*

Artes circa humanum corpus versantes ad ipsius tutelam septem, *lib.ad Thrasib.*

Artis medicæ partium, expositio lōga serie. *lib.ad Thrasib.*

Artis medicę partes tres, diæta, pharmaceutice, chirurgia. *Com 6.in primum de rat.vict.acut.Hipp.*

Artis medicæ constitutiuæ partes omnium vtilissimæ, & qualiter prænoscantur. *lib.de subfigura, empirica.*

Artis

Artis pars est, citò sanare. *li.4.meth.ex verbis Galeni elicitū.*

Artis medicæ primum opus est, intelligere speraténe liceat finem quo tendis, an secus. *lib.3.meth ad principium.id est* vt intelligas, num suscepti morbi sanatio sperari possit.

Artis discretiua pars, quæ morbos discernit, & quam significatiuam vocant, prius exercenda, quàm curatiua artis pars. *Com.1.in lib.Hippo.de his.quæ in medicatrina fiunt, super textu, Similia.*

Artis opera, ab affectuum dignotione auspicari debet medicus. *Com.eodem, super textu, Quæ quidem cognoscimus, &c.*

Artis est paucis medicamentis vti modò sufficiant. *Commēt.4.in primum de rat.vict.acut.Hippoc.super textu, Atque non ob id solùm, &c.*

Ars medica tribus constat, morbo, ægro, & medico. *Cōmēt.2.in primum de popu.mor.super textu. Ars his tribus constat, &c.*

Artis medicæ duo tāquam crura, experientia, & ratio. *lib.8.de comp medi.secundum loc. Cap. de hepate, & eius affectibus.*

Artis medicæ finis sanitatis consecutio. *lib.de optima secta: & lib.de sectis ad principium: & lib.ad Thrasib.*

Artis medicæ finis vnus, nempe sanitatis consecutio: modi consecutionis plures. *lib.de optima secta: & lib.ad Thrasib.*

Ars sanitatis conseruans, in his sita quibus velimus nolimus, vtimur. *lib.ad Thrasib.*

Ars tuendæ sanitatis pollicetur se omnibus documenta daturā, quibus vitā incolumiter degant. *li.1.& 5 & 6.de san.tu.*

Artem sanitatem conseruantem, & ipsam instaurantem, eandem esse, exemplis quibusdam doliorum plenorum, quibus assideat aliquis, probat Galenus. *lib ad Thrasib.*

Artem in plerisque certam, paucorum in ea dubitatorum controuersia subuertere non debet. *lib.1.de diebus decreto.*

In arte medicinali, res nouas quidem aggrediuntur, cùm prioribus meliora inuenire nequeant, vulgi affectionem secuti, nempe quod inusitatum, externúmque est, & nōdum si vtile est, intellectum, laudant magis quàm assuetum: quod vtile esse est cognitum, alij ob lucri, gloriæque cupiditatem id aggrediūtur. *Cō.ad 1 de rati.vict.acut.17 super.tex.Nēpe ægris.*

Artis medicæ studiosi, illámque addiscentes, in particularibus exemplis exercitari conuenit. *lib.9.meth.*

Artis medicæ verè doctus cur nemo esset Galeni tempore, multóque minus nostra hac ætate, vide Galeni queri-

maniam, lib. Quod optimus medicus idem sit & Philosophus. Vult autem ob id euenire, quod nec volũtatem, nec facultatem habeant, in bonas literas, ac disciplinas incumbendi, nec exercitatione operum artis ducerẽtur, ob diuitias virtuti præpositas, & malã tũ hominũ educationẽ. *Vide eodẽ lib.*

Artem medicam, nihil tam coniecturalem facit, quàm cuiusque remedij quantitas. *lib. de cur. rati. per sanguinis missionem. cap. 12.*

Ars longa non esset, si tam magna vno libro explicari possent. *lib. de plenitudine.*

Ars ob id longa, quòd ocasio in ea præceps sit, experimentum periculosũ, iudiciũ difficile. *Cõmẽt. 1. in primũ aphor. Hipp.*

Artifex à natura dissidet, quod ille extra materiam sit, hęc per ipsam materiam diffusa. *lib. de cau. procatarc. & li. de cau. pulsuum.*

Artifex ab imperito artis eò differt, quòd ille vel exigua rerum discrimina persentiscit, hic minimè. *Comment. ad tertium prognosticorum. Hipp. super textu, Inter initia horum.*

Artifex quisque ab arte, quam tuetur deflexum nomen sortitur. *lib. 2. de sani. tu.*

Artificem ea scribere oportet, quæ cùm vtilia sint, ignorantur tamen, & quæ vel insignes profectus vel offensas efficiunt. *lib. 1. de rati. vict. acut. textu illo, Digna, &c.*

Artificis non est ea persequi, & conscribere in arte, quæ vulgus nouit, sed quæ ad curationem idonea sunt. *Com. 1. in 1. de rat. vict. acut.*

Artifices nos reddit exercitatio, & doctrina, quæ per diffusam enarrationem traditur. *lib. 1. de alimentorum facult.*

Artifex bonus exactè, & celeriter cognoscere debet similia, & dissimilia. *lib. 9. de placit. Hippo. & Plat.*

Artificem bonum efficere non potest vniuersalis methodus, sine exercitatione multa in singularibus. *eod. lib.*

Artifex in medendo qui propria, & cõmunia ægrotantiũ nouit, plus assequitur, quàm hi arte carent. *lib. 1. ad Glauc.*

Artificum actiones non sunt fines artium, sed opera ipsa. *lib. ad Thrasib.*

Artificum inter se controuersia, iustam ignorantiæ suspicionem ostendit, concordia iustam cognitionis spem demõstrat. *Com. 1. in primum de rati. vict. acut. super text. Calumniam.*

Artificis summi, ac conditoris nostri potentiam ac magnitudi-

tudinem è fabrica humani corporis deprehendi *lib. 9. de pla. Hipp. & Plat.*

De enumeratione & ordine rerum naturalium.

CAP. VIII.

VNiuersam medendi artem, in tres veluti ordines totam esse digestam, nempe in rerum naturalium tractationẽ, non naturalium, & contra naturam, nemo est qui nesciat. Quoniam verò quæ præter naturam sunt, nec dignosci, nec curari, sine recta naturalium cognitione possunt (vt 1. & 2. Meth. testatur Galenus) visum est, de rebus naturalibus primùm tractationem aggredi. Naturales verò res medici vocant, quæ à naturę in nobis constitutione, & ordine, nobis statim genitis insunt, vt ex quibus tota corporis nostri substantia, compagóque constet, & ad ipsius naturam constituendam concurrarit. De his nobis hoc capite futura est tractatio. Nam de rebus non naturalibus, & præter naturam, suis locis dicemus, dum illa ex professo tractabimus. Res autem naturales medicis vocatas, septem esse eas in totum medici statuunt: Elementa, temperamenta, humores, membra, facultates, actiones, spiritus. Harum naturaliũ rerum hic hordo est, vt in corporis constitutione elementa primas partes sibi vendicent. Ex elementis enim primum corpus constituitur: ab elementis temperamenta fiunt, ipsis inuicem mixtis, atque confusis: à temperamento humores, ab humoribus partes, seu membra fiunt. In membris facultates insunt, à facultatibus porrò actiones manant. Actionũ vero, & facultatum instrumenta sunt spiritus. Hæc verò subiecta figura, faciliùs innotescent.

Rerum naturalium enumeratio.

- Elementa quatuor,
  - Ignis.
  - Aër.
  - Aqua.
  - Terra.
- Temperaméta.
  - Simplicia quatuor
    - Calidum tantùm.
    - Frigidum tantùm.
    - Humidum tantùm.
    - Siccum tantùm.
  - Æquale vnum.
  - Cóposita quatuor
    - Calidum & siccum.
    - Calidum & humidum.
    - Frigidum & humidum.
    - Frigidum & siccum.

Res naturales sunt
- Humores quatuor.
  - Sanguis.
  - Pituita. Bilis.
  - Melancholicus succus.
- Membra.
  - Simplicia. Vena, Arteria, Neruus.
  - Organica. Caput, Thorax, Manus, Pes.
- Facultates tres.
  - Animalis.
  - Vitalis
  - Naturalis.
- Actiones tres.
  - Facultatis animalis
    - Sensus.
    - Motus.
  - Facultatis vitalis.
    - Pulsus.
    - Respiratio.
  - Facultatis naturalis
    - Generatio.
    - Auctio.
    - Nutritio.
- Spiritus tres.
  - Animalis — In cerebro
  - Vitalis — In corde.
  - Naturalis. — In hepate.
  - Gignitiuus ex his componitur.

De elementis. CAP. IX.

CVm elementa primas in corporis constitutione partes habere, paulò sit anteà à nobis monstratum, congruere maximè videtur, si de rebus naturalibus tractaturi, ab ipsis exordium sumamus. Qua quidem in tractatione, vniuersæ medicinæ apprimè vtili, & necessaria hæc nobis cognoscenda erunt. Quid elementum, quot, & quęnam ea sint, & quonam pacto mixtis omnibus, quę ex ipsis constant, illa insint, num suis ipsorum formis, num viribus tantum, vt voluisse nõnulli medicorum sunt visi. Quibus absolutis, & plenam de elementis erimus scientiam adepti, & ad temperamentorum dignotionem (de quibus sequente mox capite dicturi sumus) plurimum accessionis factum esse agnoscemus. Elementum itaque Aristoteli definitur, id ex quo quippiam componitur: primo in existenti indiuisibili specie, in aliam speciem, Galenus vero elementum esse dixit, minimam partem eius, cuius est elementum. Quod veluti interpretans Haliabbas, elementum id esse affirmauit, quod simplicius est

v. meth. c. 3. & 3. cæli et mũdi. Lib. 1. de Elem. ad princip. & 8. de Pla-

est omnibus compositi corporis partibus, & quantitate minus. Omnium verò appositissimè Auicenna, elementorum notionem definitione sua expressit. Sunt (inquit) elementa corpora & partes primæ corporis humani & aliorum, quæ in partes diuersarum formarum diuidi minimè possunt, ex quorum commixtione, species diuersorum generatorum fiunt. Exactissima profectò hæc mihi elementi definitio semper est visa, vt quę fusiùs, & explicatiùs cæteris elementi naturam nobis demonstret. Cùm enim elementa corpora esse astruxit, simplicissima esse intelligi voluit. Elementis enim nihil simplicius dari vsquam potest. Sunt & partes primæ, non hominis solùm, sed eorum omnium, quæ ex ipsis constant, quòd elemētum primò rebus insit, vt rectè Aristoteles pronunciauit. Ipsa verò in partes diuersarum formarum diuidi minimè posse, est id quod Aristoteles dixit, indiuisibile esse specie, in aliam speciem. Ex ipsorum verò commixtione, diuersorum generatorum species nasci, elementorum potentiam indicat, vt ex quibus pro alio, atque alio mixtionis modo, tam multæ, tam variæ nascantur rerum formæ, aspectu, atque viribus admirabiles. Hinc plantarum, animantium, metallorum, omniúmque terræ nascentium species tam variæ, tam viribus, effectionibúsque dissidentes. Quæ quidem omnia, commixtionis elementorum varios modos, specierum varietate sua multiformes naturas repræsentare nobis videntur. Quæ verò à Galeno elementi ratio tradita est, ea ipsa concisior mihi videtur, quàm vt exactam elementi rationem explicet. Nam etsi verissimum est, elementum minimam esse partem eius, cuius est elementum, tamen ex hoc non satis liquet, sit ne elementum id ex quo quodque componitur, & id quod primò inest rei cuius est elementum: quę ambo veram elementi naturam explicant. Sed iam intellecta elementi definitione, quot in vniuersum sint elementa, & quænam ea sint pleniùs demonstrandum. Ea porrò quatuor esse omnium consensu philosophorum, ac medicorum receptum est, Ignem, aërem, aquam, terram. Hæc ipsa nomine calidi, frigidi, humidi, ac sicci ab Hip. & Gal. designantur. Esse verò in vniuersum, quaternarium hunc elementorum numerum, Arist. tum 4. de cœl. c. 5. tum 2. de gener. c. 3. abundè docet. Idque ex motu leuis, aut grauis, quæ sunt duæ elementorum accidentariæ formę, ex quibus numerum elemē-

cit. Prima Theorica. Fen. 1. primi doc. 2. c. proprio.

Vbi suprà.

Hipp. lib. de natur. hum. Gal. 1. de temp.

torum colligit, tum vero ex qualitatum primarum, quæ vna eodem in subiecto stare possunt, coniugationibus. Cùm.n. esse corpus vnum quodpiam in vniuerso oporteat, quod super omnia reliqua sursum naturali motu feratur, id vero leuissimum sit, quod vero contrarium huic est, & graue est, & deorsum perpetuò fertur, illúdque ignem, hoc terram dicimus, inter extrema hæc, duo media inesse oportet, quæ nexu quodam extrema colligent, aërem inquam & aquam, alterum, quod igne paulo minus leuius sit, alterum quod terra minus graue. Est enim aër haud ita leuis, vt ignis, & aqua haud perinde, atque terra grauis. Alioqui enim, duobus tantùm existentibus elementis, nullo vinculo colligatis, vno quidem extremè leui, vt igne, altero extremè graui terra, nulla esset, aut motuum in elementis proportio, neque vllum itē regionis elemētaris librametū, neq; solidè cōsistere, & cohærere corpora, ex elementis coalita possent. Siquidem alia summè leuia sursum suo impetu ferrentur, alia summè grauia in imo semper subsiderent, & ignauia iacerent. Ergo ad harmoniam corporum continendam extremis media duo coniungi oportuit: hoc est terræ & igni, aërem & aquam. Quod 1. Metam. explicasse bellissimè Ouid. videtur, de elementorum generatione differens:

Hanc Deus, & melior litem Natura diremit:
Nam cælo terras, & terris abscidit vndas,
Et liquidum spisso secreuit ab æthere cælum.
Quæ postquam euoluit, cæcóque exemit aceruo,
Dissociata locis, concordi pace ligauit.
Ignea conuexi vis, & sine pondere cæli
Emicuit, summáque locum sibi legit in arce.
Proximus est aër illi leuitate, locóque.
Densior his tellus, elementáque grandia traxit,
Et pressa est grauitate sui, circumfluus humor
Vltima possedit, solidúmque coërcuit orbem.

Ex motuum itaque ratione, grauis, & leuis, quatuor esse elementa docuimus. Ex qualitatum nunc symbolis, & coniugationibus, idipsum probemus. Quot sunt elementarium seu primarum qualitatum coniugationes, tot & elementa erūt. Sunt autem illarum quatuor cōiugationes: quatuor itaque & elementa. Calidum enim, & siccum probe stant, atque item cum calido humidum: frigidum cum sicco, itémque cū humi-

humido frigidum.Calor cum siccitate ignem, cum humiditate aërem,frigidum cum sicco terram,cum humido aquam parit.Calidum autem cum frigido, humidum cum sicco stare nusquam possunt, quod natiua contrarietate sese mutuò pellant, nec consistere eodem in subiecto possint. Quamobrem symbolismo, & cócordia simul nec stare possunt,nec elementum vllum,vti cetera creare.Sublimior vero ad hunc elementorum numerum firmandum, diuini Platonis in Timæo demonstratio est.Quæ quoniam & efficacissima est, & huius afferédi elementorũ numeri, necessitatem adfert, adscribendam hìc de industria censuimus.*Quoniam* (inquit) *corporeus,aspectabilisque,& tractabilis futurus erat mundus, ac sine igni videri nihil potest,nihilque sine solido tangi,& solidum absq; terra nihil, ideo in operis huius exordio, Deus ignem primò terrámque creauit.Sed duo sola absque tertio quodam commodè cohærere non possunt,mediúmque aliquod vinculum vtrorumque desiderant.Vinculorum verò id est aptissimum atque pulcherrimum,quod ex se & ex iis quæ astringit,quàm maximè vnum efficit. Hoc maximè proportio,ratióque alternæ comparationis assequitur. Quod si* (*subdit idem*) *vniuersi corpus latitudinem habere debuisset, nullam verò profunditatem,vnum sanè tum ad seipsum,tum ad extrema vincienda interiectum medium suffecisset. Sed cùm soliditatem mundus requireret, solida verò non vno, sed duobus semper mediis copulentur,inter ignem,& terram: Deus aerem aquámque locauit, eáque ita inter se inuicem quoad fieri poterat comparauit,vt quẽmadmodum ignis ad aerem, ita aër ad aquam, vt aer ad aquam, sic aqua ad terram congruè conferatur.Qua ex coniunctione ita constitutus est mundus,vt aspici,tangique possit. Propterea ex huiusmodi rebus numero quatuor mundi corpus conflatum est, ita connexum comparatione,qua dixi,ex quo seipsum amicitia concordi complectitur,atque ita aptè cohæret,vt nequeat dissolui vllo modo, nisi ab eodem à quo est colligatus.* Quatuor igitur earum rerum quamlibet integram mundus accepit.Ex omne quippe igni, aëre,aqua, terra,ipsius faber ita ipsum composuit,vt nullam cuiusque istorum partem partem,aut vim extra relinqueret Hæc profectò diuina Platonis de elementorum numero assertio est.Quam miro dicendi artificio Cice.lib.de vniuersitate est mutuatus.Hunc verò elementorum numerum euertere nonnulli conati,ignem esse negauerunt,tria tantùm reliqua astruentes,aerem,aquam, terram. Valla enim primo

dialectices lib. cap. 2. tum & Cardanus secundo de subtilitate, multis rationibus contendunt, ignem nullum sub Lunæ globo subesse: quod cœlum, cum purissima res sit, omnisque qualitatis expers, minimè decuit illi elementum omnium ardentissimum, ac æstuosissimum collocasse, quod mediis extrema natura semper coniungere soleat. Quod item cum cometes, & faces calores hic intolerabiles accendant, quid fiet, si tanta regio, & vniuersus orbis, igne acutissimo & fer-
1. meteo. c. uentissimo elemento ambiatur? Quin & Aristotelis auto-
4. num. 9. ritate se muniunt, qui ignem in elementorum coordinatione reiecisse videtur. Sic enim inquit: *Grauissimum igitur corpus, & frigidissimum, terra inquam & aqua, in medio, & circa medium segregata existunt. Circa quæ illa quoque sunt, quæ his cohærent, aer scilicet, atque id quod quamuis ignem assueuimus appellare, ignis tamen haudquaquam est. Siquidem ignis, caloris exuperantia, ac veluti feruor existit.* Hæc Arist. de elemento igne, expressa conceptis verbis opinio, quæ non minimum profectò his, qui ignem negant, suffragari videtur. Verùm etsi habet vtraque opinio, quo se tueri potest, ne tamen vel vniuersi ordinem euertisse, vel publicũ de natura rectè sentientium, tũ Philosophorum, tum Medicorum consensum reiecisse, Hippocratis dico, Platonis, Aristotelis, Galeni videri possimus, ita de tota re pronuntiandum, tum medicis, tum philosophis censeo, quatuor quidem esse communia, ac prima omnium elementa, eademque simplicissima, ignem, aërem, aquam, & terram. Prima enim sunt hæc, ac maximè impermista in mundo corpora, ex quib. omnia alia, plantæ scilicet, atque animalia componantur. vt Gal. 1. de elem. ex Hip. atque Athenęi sententia doctissimè affirmauit. At verò quoniam hic noster ignis, quem vsus vitæ requirit, quemque oculis cernimus, confector est, & consumptor omnium: idémque quocunque inuasit, cuncta dissipat, vrit, inflammat, atque corrũpit, exuperantia ac vi immodica caloris, existimandum profectò non est, elementarem illum ignem huic nostro similẽ esse: alioqui futurum profectò esset, vt aër illi regione proximus, omnisque mundi machina, sub tanta ardentissimi elementi mole posita, exarderet, ac tota conflagraret: cùm sit ignis tenuitate sua, calore, ac penetratione, omnium maximè actuosus, & efficax, contra quàm fieri experiamur, frigore enim ingentia, per gelidas hyemes plurimum refrigerato

aëre,

aëre præſentimus: niues item & grandines glacie concretas, è ſublimi decidere ſæpè videmus: quæ tamen percipere minimè eſſet, ſi tanta ignea moles ſurſum conſtaret. Glaciari enim hæc, aëremque perfrigerari ipſe ignis mole ſua, potentia, atque viribus prohiberet. Ita verò veriſimili quadam ratione coniiciendum, supernum ignem ſubeſſe illum quidem Lunari globo, verùm non huic noſtro ſimilem, ſed ei qui corporibus animantium continetur. Hic enim corporeus, vitalis eſt, & ſalutaris, omnia in nobis conſeruat, alit, auget, ſuſtinet, vitaque temperat: ſic ignis ille ſublimis, quemque elementum dicimus, cùm is quoque efficiat, vt omnia floreãt, adoleſcant, ſeruentur, calore ſuo moderato omnia tepefaciens, atque conſeruans, non diſſipantem quidem illum, & in omnia graſſantem, ac corrumpentem, ſed vitalem potius, ſalutarem, temperatum iure dicemus: hic enim ignis nec pabulo, inſtar noſtri indiget, nec ſpontè, vt noſter ignis corrumpitur, nec vagatur ſedemque mutat, ſed certam tenet ſedem omnibus ſubli miorem, maximam habet molem, eámque ſecundùm naturam, ac ad generationem paratum eſt. Eum ego, à ſolis potiſſimum, ſyderum, atque aſtrorum vitalem ſortiri naturam arbitror. Summam enim aëris regionem cælo, ac ſyderibus proximam, horum lumine, motu, atque calore ita attenuari, & in igneam quandam, non vrentem quidem illam, ſed magis vitalem naturam, verti cenſet Ariſtoteles, vt tota ætherea magis, quàm elementaris dici mereatur. Quam tametſi ignem vocare conſueuimus, ignis tamen re vera non ſit, vt idem primi meteororum cap. 4. affirmat. Sunt porro elementorum hæc propria, vt ſit ignis ſubtilis, mobilis, acutus, lucidus: aër, ſubtilis, mobilis, obtuſus: aqua obtuſa, craſſa, mobilis: terra, obtuſa, opaca, craſſa, immobilis. Ab extremis vero ita media gignuntur, vt aër ab igne ſubtilitatem, & mobilitatem, à terra obtuſionem accipiat: aqua, à terra obtuſionem, & craſſitiem, ab igne mobilitatem mutuetur. Hæc in Timæum Chalcidius. Quonam verò modo in mixtis ea inſint, quod vltimò dicendum ſupereſt, omiſſis ſophiſtarum nugis, ac vanis digladiationibus, ex vno Galeno rem totam feliciter tranſigemus. Elementa quidem ipſa, ſubſtantiis tantum ſuis eorum tranſmutatis, alteratis, atque per tota confuſis, mixta ingredi, atque ex his ſic inuicem contemperatis, animantium, plantarúmque, omniúmque

Elementa quomodo in mixtis ſint.

mixtorum corpora constare. Quod ne sponte, prçiudicatáq; opinione mea dixisse videar, ipsum pro se loquentem Galenum adferam, Græcam tantùm seriem de industria omittés, ne & in immensum libri moles euadat, & medicinæ initiatis, quibus hæc modo conscribimus, nostrósque hos vigilatos labores lubentes damus, melius breuitate consultum erit. Ergo sic ea de re primo de elementis Galenus: *Quicunque igitur* (ait) *ex igne, & aqua, & terra, & aëris alteratis, atque inuicem transmutatis, ac per tota confusis, & temperatis fieri existimant aliquid vim sentiendi habens, contingentia dicunt: quicunque verò ex iis quæ remanent qualia fuère, & solùm miscentur inuicem, sicuti in aceruo frumenta, vel hordea, cicer, ac faba, impossibilia dicunt*. Hæc profectò germana, eadémque verissima de elemẽtis, in mixtorum ex eis generatione Galeni sententia, nec propterea quòd nullum ex elementis in corpore purum, syncerúmque manet, abrogãda opinioni huic fides est, quod eadem planè ratione negare quis possit, ex cera, resina, & pice, & adipe confectum medicamentum (quod Græci τετραφαρμακὸν vocant) ex quatuor illis constare, quòd nullum eorum in eo integrum, atque perfectum contineri videatur. *Quia igitur* (paulo mox subdit Galenus) *in corporibus animalium, nullum est syncerum, atque integrum elementum, non propterea dubitare debemus quòd non temperentur ex istis*. An non rursus hîc apertissimè ex elementis, confusis quidem illis, atque permistis, animalium corpora constare asseruit? Neque verò exigendum, vt in animalium corporibus syncera m, atque impermistam terram, aut aquam, aërem, vel ignem ostendamus, quando nec in vniuerso, quicquam horum purum, & impermistum (vt idem ait) ostendere licet: sed abundè fuerit, si in homine, reliquisque animantibus aliquid quod frigidum, siccum, densum instar terræ, aliquid fluidum, & humidum, atque frigidum, instar aquç, leue aliud, aëreum, tenue, diffabile, quod aërem imitetur, calidum insuper quiddam, quod ignem resipiat, fouentem inquam illum, & vitalem, non vrentem, ac dissipantem sit inuenire. Quod quoniam vsu euenit, elementa erit profectò in animantium corporibus inuenire. Ossa namque, cartilagines, ligamenta, nerui terram referunt, cerebrum & medulla, aquam, aërem spiritus, ignem cor representat. Ex humoribus autem sanguis proportione, & analogia aëri, bilis flaua

flaua igni, pituita aquæ, atra bilis terræ respondent. Quin vt significantiùs dicatur, natiuus noster in corpore color, ignẽ repræsentat, spiritus aërem caloris quidem participem, quæ densa sunt, & compacta terram, quæ fusa, & liquidiora, aquã. Itaque si minimum quoddam, & simplicissimum est elemẽtum, erit vtique quantum ad sensum os, & cartilago, & ligamentum, & vnguis, & pilus, & adeps, & caro, & neruus, & fibræ, atque membranæ, atque (vt simpliciter dicatur) omnes similares particulæ, humanorum corporum elementa. Omnium vero animantium sanguine præditorum, sanguis, pituita, flaua & atra bilis propria esse elementa, ab Hippocrate, & Galeno statuuntur. Rursus vero sententiam hanc nostram munimento item alio, ex eodem Galeno firmemus. is enim eodem de elementis lib. priore, Hippocratis hac de re mentem explicans, sic ait: *Necesse igitur tali existente natura, & aliorum omnium, & hominis, hominem non esse vnum.* Et in sequentibus verbis, ita etiam videtur vsus. *Verùm hoc multi non animaduertunt, ex iis, qui se Hippocraticos profitentur, ac præterea qui opinantur aliquid aliud ipsum significare per humidum, siccum, calidum, & frigidum, quàm communia omnium elementa. Nam quòd nolit eorum qualitates, corporum elementa statuere, iam satis puto demonstratum ex verbis Hippocratis, quæ iam à nobis fuerunt allata.* Et paulo post, de eiusdem Hippocratis mente. *Neque enim* (subdit) *ex qualitatibus solis, ipse* (scilicet Hippocrates) *opinatur fieri animalium generationem, quæ neque seorsum à corporibus possunt existere, verum ex ipsis corporibus, quæ scilicet summas habent qualitates. Illa enim erunt cõmunia omnium corporum elementa.* Non igitur ex elementorum qualitatibus, seu virtutibus, animantium corpora constabunt, vt falsò nonnulli crediderẽ: sed potiùs ex ipsorummet elementorum substantijs, quæ refractę sint, atque per tota confusæ, qualitatésque eas habeant. Quod item ex temperamenti definitione ab Auicenna posita liquere apertissimè potest, *Temperamentum* (inquit) *seu complexio, est qualitas, quæ ex actione, & passione contrariarum qualitatum in elementis inuentarum, quorum partes ad tantam paruitatem redactæ sunt, vt cuiusque earum plurimum, contingat plurimum alterius, prouenit.* Si itaque ex contactu qualitatum in elementis inuentarum, fieri temperamentum Auicenna vult, sine substãtijs autem consistere nullatenus qualitates valent, (vt præ-

Lib. 2. de element. & lib. de nat. hu. ab Hip.

Fen. 1. primi doc. 3. c. 1.

citato loco Galenus) contactúsque ipse corporum sit, non qualitatum, vt Aristoteles 2. de Anima, & lib. de sensu, & sensili, & 1. de gener. cap. 8. text. num. 45. 5. tomo euidentissimè certè constat, ex elementorum substantiis refractis, non ex ipsorum tantùm qualitatibus animantium corpora constare. Sed de his iam satis. Illud verò superpondij loco adiiciendum quo à principio elementum distet. Elementum enim oportet eiusdem esse cum eo generis, cuius sit elementũ: principia autem non necessario in idem genus coëunt cum rebus, quarum principia sunt. Elementa autem, necessario idem genus habent. Itaque elementa corpora erunt simplicia, ex aliis se tum prioribus, tum simplicioribus, magis nata, quæ illorum principia sunt, nempe materia, & formă. Principia verò neque ex se vicissim, vti elementa fiunt, neq; ex aliis cùm sint rerum omnium principia prima. Non itaque, vel ex seipsis, vel ex aliis principia nasci constat: alioqui principia non essent. In id vero elementorum consideratio Medico vtilis fuerit, vt ex calidi, frigidi, humidi, ac sicci symmetria, sanitatem constare norit, hancque seruare. Ex horum vero excessibus, & ametria morbos nasci, vt eos rectè curare sciat. Sed de his iam abundè nimis.

De elementis, Hippocratis, & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

QVONIAM de elementis nullum hac inscriptione Hippocrates librum edidit, sed de natura tantùm: déque hominis natura, paucissima de elementis tractasse Hippocraté certissimum est, præter ea, quæ in lib. de nat. hum. scripsit, tantùm in lib. de carnibus, elementorum ex Chao secretionem ab eo descriptam inuenimus. Ignem quidem in supernam circumferentiam secessisse, quam partem de veterum sententia æthera ipse nominat, reliquam illi oppositam, & infernam, terram. Tertiam partem, medium inter hæc occupasse locum, quam aërem vocat, calidum & humidum existẽtem. Quartã vero partem, terræ proximum occupauisse locum, quam aquam nominat, humidissimum quid, ac crassissimum. Hæc Hippocratis de elementorum secretione assertio: Præter quæ, alia non est inuenire.

GALE-

GALENI.

ELEMENTORVM considerationem Plato longiùs repetiit, causas generationis ipsorum explicans: Hippocrates solus eorum facultates considerauit. *lib.8.de plac. Hip. & Plat.*

Dictionis elementi significatum, lib. de medicis nominibus explicatum. *Com.1.in lib.de nat.hu. & 8.de placit.*

Elementi vox, per abusum pluribus accommodata, nempe vniuersi elementis, & primis, atque simplicibus cuiusque rei partibus. *Com.1.in lib.de nat.hu.super text.Sic medicus.*

Vniuersi elementa, verè sunt elementa. Ibid.

Elementa quæ appellantur, singulis in rebus, non planè sunt simplicia, neque prima. *eodem com.*

Omnium rerum communia, & simplicia, & prima elementa, re vera sunt, & nominantur elementa. *eod. com.*

Elementa à qualitatibus Hippocrates nominat, calidum, frididum, humidum, & siccum. *eod. com.*

Elementa veteribus vocare solemne fuit, prima, & simplicia, ex quibus aliquid cōflaretur. *Cō.1 in lib de nat.hu.ad princ.*

Elementa corporum, quæ ortu, & interitu tenentur, quatuor, ignis, aër, aqua, terra. *Com. eo.*

Elementa, & ipsorum qualitates, primus omnium determinauit Hippocrates. *lib.1.de elemen. & com.1.in lib.de nat.hu. super text. Proinde qui verisimile est. & rursus ad fin. eiusd. lib.*

Elementi appellationem non vsurpat Hippocrates de quatuor hisce, igne, aëre, aqua, terra, sed ex illis nostra corpora constare tantùm affirmat. *8.de placi.Hipp. & Plato.*

Elementa grammaticorum exemplo, ita nominata, vt literæ syllabarum, & vocum sunt elementa, quod prima sint, & simplicissima, ex quibus dictiones constent. *Com.1.in lib. de nat.hu.ad prin. & lib.8.de Placit.*

Elementorum inquisitionis vera ratio ea est, quam Hipp. introduxit, vt primùm decernamus, nunquid vnum sit secundùm speciem elementum, an plura, ac varia, & dissimilia: deinde si multa, quot, & quæ, & qualia sint illa, & quam habeant inuicem communionem. *lib.1.de elemen.ad prin.*

Elementum quid sit, nempe minima pars rei cuius est elementum. *8.de Placit.Hipp. & Plat. & lib.1.de elementis ad prin. & in defin.medic.*

Elementi definitio iuxta Athenæum. *eod.lib.defini.*

Elementi ratio est eorundē doctrina secundùm idem, eõdemque modo: vel, est via ab elementis ad fin. *in defini. medic.*

Elementi ratio non est, transmutari inuicem, sed esse simplicissimum. *lib. 1 de elementis.*

Elementum eiusdem est generis cum eo cuius est elementum. *lib. 1. de elementis.*

Elementum neque qualitas est, neque corpus temperaturam habens sed corpus simplex, & immixtum. *lib. de element.*

Elementum, & principium eò differunt, quòd elementum eiusdem omnino generis esse oportet cum eo cuius est elementum. Principia verò non necessario in idem genus coeunt cum rebus, quarum sunt principia, vt in exemplo: semen genitale, principium est hominis, non tamen eiusdem cum homine generis: non enim semen homo est. *lib. 1. de elemen. & com. 1. in lib de nat. hu.*

Materia prima elementum non est, sed principium. *lib. 1. de elemen. & commen. 1. in lib. de nat. hu.*

Elementis omnibus, communem substantiam subiici, nēpe materiam. *lib. 1. de elem.*

Elementa omnia ex materia, & qualitatibus constant. *lib. 1. de elem.*

Elementorum substantiæ, seu formæ, qualitates primæ sunt. *lib. 1. de elem. & com. 1. in lib. de nat. hu super text. Atqui mihi quidem non videntur.*

In veris elementis summæ, & impermixtæ qualitates. *lib. 1. de elem.*

Elementū syncerū, nullū in mundo ostenditur. *lib. 1. de elem.*

Elementorum substantiæ propria nomina, ignis, aër, aqua, terra. *Com. 1. in lib. de nat. hu super text Cùm igitur natura.*

Elementa à qualitatibus vocat Hippocrates. *lib. 1. de elem. & com. 1. in lib. de nat. hu.*

Elementa ob id à qualitatibus nuncupata, quòd in igne summa caliditas sit, in aëre summa humiditas, in aqua frigiditas summa, in terra, siccitas. *Com. 1. in lib. de nat. hum. super text. Cùm igitur natura.*

Elementum per totū alterabile est. *lib. de cōstit. artis medi.*

Elementa quattuor esse, ex alterationum modis docet Galen. *lib. de constit. artis medi.*

Elementa plura vno esse, naturámque alterascendi habere. *lib. de constit. artis medi.*

Ele-

Elementa mundi quatuor, aër, ignis, aqua, terra, quòd prima sint in mundo, & simplicissima corpora. *lib.1. de elemen.*

Elementa quatuor, primus inuenit Hippocrates. *lib.7. method. meden. cap.3.*

Elemento vno sublato, cætera vniuersa pereunt. *lib.8. de placi. Hipp. & Plat.*

Elementa rara, aut densa, per translationem dicuntur. *lib. 2. de sani. tuen.*

Elementa mundi, ex sese mutuo habent nutrimentum. *Com.1. in lib. de nat. hu. super text. Nam & annus omnis.*

Elementa non nutriunt, quòd nullam gustui qualitatem offerant. *lib.4. de simp. fac. c.14.*

Elementum duplex, aliud quod verè est, aliud quod sensui tale. *lib.1. de elem. bis repetitum.*

Elementorum aliud proximum, quod & proprium, aliud commune. Propria, & proxima similiares partes: communia, ignis, aër, aqua, terra. *lib.1. de Elem. bis repetitum.*

Elementa prima, & secunda: prima, quæ verè talia sunt, secunda quæ sensui apparent, vt similiares partes *lib. Quòd optimus medicus, idem sit & philosophus.*

Elementa animalium sanguineorum, sanguis, pituita, bilis flaua, & atra bilis. *lib.2. de elem. & comment.1. ad lib. de nat. hu. super text. Cùm igitur natura, & in Introduct.*

Ex primis quatuor mundi elementis constare hominem ita intelligendum, non quod ex his ipsis, sed proportione eis respondentibus homo constituatur. *lib. qui Introductorius inscribitur.*

Elementa hominis proxima, quatuor sūt humores. *eod. lib.*

Elementa similarium partium, sunt humores. Nam ex his similares partes constant omnes. *lib.1. de element.*

Elemento hominis proximo sublato; ipsum necesse est interire. Locus Hipp. lib. de nat. hu text. illo, *ita homo*, si quod illorum eum deficiat, quæ cognata sunt, viuere non possit. Explicat autem hunc locum de humoribus Galenus, in commentario eius partis.

Elementa omnium corporum, eadem sunt. *Com. in lib. de nat. hu. super text. Ea est.*

Ex elementis, calido, frigido, humido & sicco omnia nasci. *Com.1. in lib. de natu. hum. super text. Cùm igitur natura. & lib. 1. de elem.*

Ignis aër, aqua, terra, omnium sunt corporum elementa, *lib.1.de element.*

Ex elementis quatuor, corpora omnia, & præcipuè animamalium constare, tum philosophorum, tum medicorum, assertio est. *lib.7.meth.*

Elementum corporis non simplicis, corpus simplex est, & qualitatis qualitas. *lib.1.de element.*

Elementorum qualitates non esse corporum elementa, vt quæ seorsum nusquàm consistere possint, sed ipsamet corpora summas qualitates habentia, vult conceptis verbis Galenus de mente Hippocratis. *lib.1.de element.pag 20.tomi primi, ex impressione Germaniæ.*

Elementa commisceri, primus omnium docuit Hippocrates. *Com.1.in lib.de natu.hu.super text. Proinde qui verisimile.*

Ex primis elementis conflata temperatura, natura dicitur. *lib.2.apho.com.34. & rursus Com.51.eiusd.lib. & 3.aphoris.com.2. & lib.de multitud.*

Elementa substantiæ quæ generationi, & corruptioni subiecta sit, per totum misceri, pro quatuor qualitatum ratione. *lib.de multitud.*

Elemētorum contemperatio, an qualitatibus fiat, an substantiis, quærit Galenus. *lib.de nat.fac.substantia.* Putat autem probabilius, qualitatibus fieri, quàm substantiis, etsi id pronunciare non audet.

Elementis æquabiliter sese habentibus, generatio mixti potest fieri, alioqui non potest. *lib.de elem.bis repetitum.*

Elementa non solis qualitatibus, vicissim agentibus, vt existimauit Aristoteles, contemperantur, num substantiis, seu corporibus eorum coëuntibus, medicis scire non est necessarium, ob id Hippocr. nihil quicquam de istis ostendit: sed satis esse existimauit, si diceret per tota temperari elementa. *lib.1.de elem.ad fin.*

Elementa ipsa, tota per se confundi, & misceri suis eorum substantiis docet, & probat Galenus similitudine de aquæ, & vini mixtione, in hæc verba. *lib.1.de elem.ad fin.* Quare (inquit) si propter nihil aliud, saltem ob certitudinem dogma est eligendum, atque dicendum, quòd dum vinum (si ita contingat) aquæ admiscetur, partes vtriusque, ad minimas particulas confringuntur, vnde illis mutua actio, & passio cōtingit, & qualitatum inuicem participatio. Hæc suprà citato

loco

loco Gal. Vnde est videre, in mistorum ex elementis temperatione, elementa ipsa, suis substantiis in minima diuisis, & inuicem cõfusis, perinde atque vini, & aquæ particulæ inuicem miscentur, mixtum ingredi: sicque qualitatibus eorum vltro, citróque agentibus, temperaturam inde geniti corporis fieri. Quod Auicen. Fen. prima primi, doctr. de complexionibus mutuatus esse videtur, dum cõplexionem, qualitatem esse ex actione, & passione elementarium qualitatum affirmat, quarum partes ad tantam paruitatem redactæ sunt, vt minimum vnius contingat minimum alterius.

Elementorum contemperatio, solis qualitatibus inuicem agẽtibus & patiẽtibus fit, vt Arist. existimauit. *lib. 1. de tẽ. ad fin.*

Elementorum iusta moderatio, omnium tum philosophorum, tum medicorum consensu, sanitatem efficit. *Com. 1. in lib. de nat. hum. super text. Valet quidem precipue.*

Elementum quodque in animalis mixtione haberi, quomodo intelligendum. *lib. 1 de elem. primo, pag. 13.*

Elementum syncerum in corporibus animalium non datur. *lib. 1. de elem.*

Ex elementis corpora nostra constare, Plato ex Timæo locus citatus *lib. 8. de plac. Hipp. & Plat.* Item elementorum mensura, sanitas: excessus, vel defectus, vel translatio, morbus. *ibid.*

Modum, quo ex elementis corpora nostra constituantur, eundem Plat & Hippocr. posuere, & illius modi expositio. *lib. 8. de plac. Hip. & Plat. to. 1. pag. 988. Germanicæ impressionis.*

De elementorum coagmentatione, in constitutione mixti, Empedoclis sententia. *Com. 1. in lib. de nat. hum. super text. Proinde.*

Elementa potestate, non actu insunt corporibus nostris. *lib. 8. de plac. Hip. & Plat. pag 990. primi tomi.*

Ex elementis facta mixtio, omnibus corporibus communis est, ex humoribus vero, quibusdam solum, nempe sanguineis animantibus. *lib. 8. de plac. Hip. & Plat. tomi 1. pag. 989.*

Elemento vno sublato, funditus perire animal. *lib. 1. de elem. & com. 1. in lib. de nat. hum. super text.* Nam *anus omnis.*

Elementa corpus hominis constituentia, post mortẽ elementis mundi rursus iungũtur, siccũ ad siccũ, humidũ ad humidum, calidum ad calidum, frigidũ ad frigidum. *lib. 1. de ele.*

Elementis semper egemus, nonnunquam tanquam sim-

plicibus,nonnunquam verò tanquam exuperantibus, aut omnino vt illud componentibus corpus, quod nobis vel cibi, vel medicinæ vsum sit allaturum.*lib.1.de elemen.*

Elementorum immoderatus vsus ad perniciem terminatur.*lib.1.de elem.*

Elementis mundi synceris sæpissimè vtimur,aqua ad potum,& in balneis, aëre vndequaque adiacente, ac per inspirationem attracto, & nonnunquam algentes indigemus igne. *lib.1. de elem.*

Semper additur, aut aufertur elementum aliquod animalis corpori. *lib.1.de elem.*

Elementum non semper præbet medicinæ vsum, sed tum tantùm, cùm summa qualitas est corpori necessaria. *lib.1.de elem.*

Elementum simplex, neque cibi, neque medicinæ loco sumi oportet.*lib.1.de elem.*

Elementorum iusta commoderatio, sanitatem efficit. *Com.1.in lib.de nat.h.super.text. Valet quidem præcipuè.*

Elementorum proximorum,qui humores sunt quatuor, iusta contemperatio sanitatem, contraria morbos facit. *lib. 8.de plac.Hip.& Plat.*

In elementorum primorum translationem, non rectè morborum causas referre solitus Plat. *lib.8.de placit.Hip. & Plat.*

In elementa communia, omnibus corporibus redundãtium per circuitum febrium causas reducere, quod fecit Plato,error est.*lib.8.de placit.Hippo.& Plato.*

Elementorum excessu, ac defectu, morbos creari, de vtroque genere rectè dicitur,& primorũ, & secundorum: sed per separationem idem contingere,de secundis, ac proximis solùm audiendum est. *lib. 8. de plac. Hip. & Plat. to.1. p.991.*

Elementum vnum esse affirmare, extremæ dementiæ est. *lib.1.de elem.ad principium.*

Elementum vnum non esse ostenditur, tum ex eo quia dolent, tum ex alio simili,quia delectantur. *Com.1.in lib.de nat.hu.& lib. .de element.ad princip.*

Elementum si vnum sit, intransmutabile id esse supponendum.*lib.1.de elemen.& com.1.in lib.de nat hum.*

Quod ex elementis impatibilibus constat, siue sentientibus,

tibus, siue non sentientibus, dolere nequit. *Lib.1.de element.*

Ex elementis inuicem transmutatis, ac per tota confusis, & temperatis, fieri existimant aliquid, vim sentiendi habens. *lib.1.de element.*

Elementis figuras tribuit Plato et eius in Timæo enarratione. *lib.8.de placit. Hipp. & Plat.*

Elementa corporum, cur alij quantitate, alij qualitate, minimas particulas constituerint. *Com.1.in lib.de natur.hum.*

Aër, suapte natura frigidum elementum est, sed per ignei elementi mistionem, mediocre, ac temperatum reddditur. *lib. Quòd animi mores corporis temperaturam sequantur.*

Elementorum, sensum non esse iudicem. *lib.1.de element. ad princip.*

Elementorum qualitates, animante mortuo interire. *lib. 1.de element.*

Elementorum singulis esse quid simile in animantium corporibus. *lib.1.de element.*

Elementis quatuor, materiam primam vnicam subiectam esse. *lib.1.de element.*

Elementares facultates primæ, caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas *lib.1.de nat.fac.*

De temperamentis, & omni eorum ratione, & quæ à temperamento fiant. CAP. X.

PRincipium omnis, quæ de temperamentis suscipitur tractationis, tractatio de elementis est, de quibus cùm præcedente capite exactè à nobis dictum sit, consequens est, vt hoc capite quod illi proximè succedit, de omni temperamentorum ratione agamus. Vt enim naturæ ordine ex elementis temperamenta fiunt, sic ordine doctrinæ quæ de temperamentis est disputatio, eam quæ elementis est subsequi proximè debet. Ob id Galenus, opus de temperamentis operi de elementis succedere proximè voluit, vt ipsemet eiusdem libri de temperamentis initio affirmauit. Hæc autem in præsens de toto negotio, tractanda breuiter erunt Quid temperamentum, quot temperamentorum differentiæ, de temperamento æquali in vniuersa substantia, & de eo quod ad iustitiam dicitur. Illud ad pondus, hoc ad iustitiam, scholæ vocare solent. Ad hæc de ætatum temperamentis, deque *Gal.1. de tēperamentis.*

pueri, ac iuuenis calore, de locorum insuper ac regionũ in vniuersum temperie, atque in primis de his qui sub æquatore degunt. Rursus de ve:is, & temporum annis temperamentis. Quid demum à temperamento in nobis fiat. Perspectissimum namque est, à temperamento seu à natura, & sanitatem, & functionum perfectionem in nobis effici. Est enim (si quid Hipp. atque Gal. creditur) omnis nostra natura in temperie, & elementorum symmetria posita. Temperamentum igitur est, ex elementis, calido, frigido, humido, & sicco ad actiones obeundas congrua mixtio. Id autem tam est omnibus tum philosophis, tum medicis in confesso, vt probatione non egeat. Demonstratum id nanque veteribus abundè, Gal. 1. de temper. mox ab initio docet. Hippocrates nanque omnium primus, hanc attulit ea de re demonstrationem. Vt cùm generari primùm, quod subsistere debet, oporteat, ab vno autem generatio fieri non possit, quin ne à pluribus quidem nisi mutuo temperamento mixtis, oportet igitur quod constat ex pluribus genitum esse. Non enim (inquit) *generatio perfecta foret, nisi calidum & frigidum, siccum & humidum inuicem, temperatè, & pari modo se haberent. Aliter inanis esset, si alterutrum, altero valentius infirmiusve foret.* Cùm igitur natura eiusmodi sit, cùm rerum reliquarum omnium, tum etiam hominis, necesse est hominem iis rebus constare, ex quibus concretus est, & in quæ ipso iam vita functo resoluitur. Singula enim, tum in propriam discedunt naturam, calidum in calidum, frigidum in frigidum, humidum in humidum, siccum in siccum. Talis enim est, tum animantium, tum cæterarum omnium rerum natura. Moxque subdit: *Ex his igitur, quæ prædiximus omnibus, cuiusque natura consistit, desinitque pari ratione, cum id in seipsum, vnde concreuit, se receperit.* Arguta hæc profectò de elementorum in nobis miscella, Hipp. demonstratio. Hanc porro mixturam, naturæ nomine dignatus est Hippocrates. Huic vni, & sanitatem, & probam functionum ad vitam necessariarum perfectionem, merito tribuit: vt à qua vt primùm recessum est, tum aduersa valetudo, & functionum improba editio, insurgere solent. Auicenna temperamentum definit qualitatem eam, quæ ex actione, & passione contrariarum qualitatum, in elementis repertarum insurgat, cùm elementorum partes ad tantam inuicem paruitatem redactæ sunt, vt

Hip. lib. de nat. hu. Ga. 1. aph cõ. 51. & 3. aphor. cõ. 2. & li. 1. de temp. Lib. 1. de nat. hu.

Fen. 1. primi doc. 3. c. 1.

vt cuiusque eorum plurimum,contingat plurimum alterius. Quam sane definitionem,etsi ipsemet Auic. Latinus interpres, ad qualitates elementares, non ad elementa ipsa referat: quod & plerique glossematariorum eius autoris faciunt,qui à qualitatibus tantùm,non etiamnum ipsis elementorum substantijs temperamentum gigni,ipsaque mixtorum corpora constare asseuerant. Ego tamen probè à Gal.edoctus non ab istis elementorum qualitatibus temperamentum fieri(vt quæ seorsim consistere nequeant)sed magis ab ipsismet elementorũ substãtiis inuicem agentibus, eáque actione refractis confusis, probéque contemperatis affirmo. Quam ille rem,appositissimo exemplo de vini,& aquæ mistione sub finem primi de elementis libri declarasse est visus,iudicans in temperamenti,seu substantiæ mixti generatione,totas per totas elementorum substantias confundi atque misceri, perinde atque in vini,& aquæ miscella, amborum substantiæ inuicem agitatæ & in minimas partes diuulsæ,atque inter se mixtę,eam quæ ex vino & aqua fit, temperaturam pariunt,idque dogma propter certitudinem amplectendum affirmat. Non igitur vt Auicennistæ ineptè garriunt, ex elementorum qualitatibus temperies ipsa,sed magis ex refractis probéque subactis elementorum substantijs(quæ tandem in vnam,ex illis genitam coëunt)gignitur. Nec obiici quidem potest,ex tam multis coalitum substantijs vnum non esse,cum vnius vna sit tantùm forma,vt Philosophi censent. Nam quæ ad generationem mixti elementorum substantiæ concurrunt,eæ tum,dum sese inuicem mutua actione confundunt,vnum non efficiunt,sed tũ solum ,vbi ab actione cessatum est:nec iam plures est inuenire varias substantias,sed tantum vnam ex miscella genitam,perinde atque in tetrapharmaco,etsi piscis, resinæ, ceræ,& olei substantias in vnum congredi ad illius genituram cernimus,non tamen in eo quatuor has substantias diuersas,sed vnam tantùm ,quæ propria medicamenti sit,est spectare. Atque hæc de temperamenti ratione De temperamentorum nunc differentijs tractandum. Eæ porrò nouem esse à Galeno,&omnibus statuuntur Temperatam quidem vnam,ad quam cæteræ omnes intemperatæ , ceu ad normam quãdam cõferuntur,eiúsque vnius merito,intemperatæ omnes vocantur ,quod ab ea vno aliquo excessu deflе- 1. de tẽp.

ſtant. Eſt igitur temperata vna, intemperatæ octo, quarum quatuor ſimplices ſunt, quatuor coniugatæ. Simplices ſunt, calida tantùm, frigida, humida, ſicca. Coniugatæ, calida ſimul & humida, calida & ſicca, frigida pariter & humida, frigida ſimul & ſicca. In quolibet vero iam dictorum temperamentorum permagnus eſt exceſſus, defectúſque modus prout magis minúsve à temperamento exacto declināt:
1. de temp. cuius declinationis infiniti penè ſunt modi. Temperamenta porro hæc qui noſſe volet, ab ea erit illi temperatura inchoandum, quæ reliquarum omnium veluti canon, & Polycleti ſtatua eſſe dicitur. Hæc enim reliquarum omnium menſura eſt, ob id ab ea merito inchoandum cenſuit Galenus. Huic enim ſi reliquas comparemus, facilè quod in quauis ſuperet, aut deficiat inueniemus. Erit autem nobis in pręſens ſermo de his quæ verè, & actu talia ſunt, non quæ poteſtate. Quæ enim poteſtate talia dicuntur, id quod dicuntur nondum ſunt, ſed facilè id fieri poſſunt, quoniam naturalem, vt id fiant, facultatem ſunt adepta, de quibus exactè Galenus lib. de temp. 3. De actu, talibus, nempe temperamento, actu calido, frigido, humido, & ſicco dicemus, à temperato verè exorſi. Temperatum igitur, quod & medium dicitur, id cenſetur, quod omnis exceſſus expers eſt, idem verè æquale ac ſymmetron: conflatur enim ex extremorum mixtione. Quamobrem medium euadere ipſum, neceſſe eſt. Eſt autem temperatum id duplex, alterum in vniuerſa ſubſtantia, alterum in ſingulis generibus. Quod in vniuerſa ſubſtantia temperatum dicitur, id & ab vtroque extremorum pari abeſt ſpatio, & ex æquali elementorum portione inuicem coëuntium, cōſurgit. Æquale ad pondus Auicenniſtæ nuncupare ſolent, quod intellectu, magis quàm re concipi poteſt. Nam nec pari portione atque menſura ad mixti cuiuſpiam generationem concurrere elementa poſſunt, nec ſi poſſent, ab his ſic coëuntibus nulla fieret actio Ac proinde Gal. 1. de temp. atque 1. de ſanit. tuen. cogitatione illud potius, quàm re ipſa comprehendi affirmat, nec ſolidè conſiſtere cenſet. Hujus imaginem intueri licet, ſi aquæ ſummè calidæ, atque feruenti, parem glaciei modum admiſcuerimus. Quod enim tali ex miſcella conflatur, temperati in vniuerſa ſubſtantia ſpeciem referre videtur, quod pari ab vtroque extremorū interuallo abſit, eo inquā quod vrit, & eo quod frigore

gore stupefacit. Verùm temperamentum huiusmodi constare non posse, quòd exiguarum partium elementorum ipsorum inter se per tota mixtio fieri ad æqualitatē non possit, ac proindè ea sic miscere homini facultas non est, sed vel Dei, vel naturæ est opus, vt rectè 1. de temp. Gal. Quod verò in singulis generibus, tum plantarum, tum animantium inuenitur, id est, in quo ea ele entorum symmetria, ac moderatio subest, quæ cùm animantis, tum stirpis naturæ conuenire maximè videatur. Temperatum id ad iustitiam vocant. Dedit enim præpotens Deus vnicuique animanti temperiem eam, quæ functionibus eius maximè conueniat, & quantum animantis, seu plantæ cuiusuis species pro suis actionibus obeundis, mereri videtur, vt doctissimè Arabs Auicenna capi te secundo doctrinæ de complexionibus affirmauit. Vnumquodque autem in suo genere, hoc est pro sui natura, optimè habere (attestante Gal.) dicitur, cum actiones suas edere optimè potest. Ficus enim, ac vitis optima illa temperies censetur, cùm ficus, vuásque generosissimas optimas, easdémque plurimas proferre possunt. Sic equum optimum illum, qui pernicissimus sit, canem qui animosissimus, & ad venationem aptus. Verùm cùm hæc temperata suo in genere dicimus, haud ita quidem accipiendum, vt absoluto sermone paritatem exactam contrariorum in iis elementorum esse intelligamus (id enim fieri nullo vnquam in genere potest) sed eam in his mediocritatem subesse, quæ ad potestatem, exactámque functionum editionem refertur. Hoc ipsū sanè iustitiam esse dicimus, non quæ pondere, & mensura, sed quæ eo, quod cuiusque dignitati, atque naturæ congruit, æqualitatem explorat. Quæ quidem temperaturæ æqualitas in omnibus temperatis animalibus, atque stirpibus, quę modo actiones suas edere quàm optimè possunt, inuenitur, non ea, quæ ex pari elementorum concursu nascitur, sed quæ naturæ vel animalis, vel stirpis maximè congruat. Neque exactam hic est symmetriam, quasi in puncto absque vlla latitudine consistentem spectare (nam talis vel nusquā fuit, vel momento constitit, vt bellè, 1 de sanit. tuen. Galenus) verùm eam intelligamus, quæ & latitudinem quandā habeat, nec dilabi momento, sed diu cum actionum bonitate, atque perfectione subsistere possit. Perinde enim in εὐκρασίᾳ, atque in concentu euenire videmus. Hîc

1. de tēp.

1. de tēp.

enim etsi certam quandam acuti,& grauis rationem habet, in qua potissimum consistere dicitur, latitudinem tamen multam hæc benè sonantium vocum ratio habet. Sic etiam in iustitiali temperamento, ipsa congrua ad functiones edendas elementorum mistio, multos suæ latitudinis gradus habet. Itaque de temperamento abundè iam dictum. Satis enim fuit monstrasse, εὔκρατον, siue temperatum, quoddam absolutè dici, quoddam ad iustitiam. In priore illo calidi, frigidi, humidi, ac sicci par mixtio esse debet, ipsúmque pari ab vtroque extremorum interuallo abesse, vt non magis calidum, quàm frigidum, humidum, quàm siccum, sed exactè medium dicatur. In iustitiali vero ea est horum symmetria, ac commoderatio, quæ cuiusque animantis, aut stirpis naturæ conueniat, qua optimè actiones suas edere possit. Ab hoc quodcunque in alteutrum latus declinat frigidi, calidi, humidi, aut sicci, intemperatum dicitur, hoc est, plus iusto calidius, frigidius, humidius, aut siccius, aut simpliciter quidem, cùm vna tantùm qualitate receditur, aut per coniugationem cùm duabus, à vincente enim perpetuo denominatio sumenda. Quicquam verò cùm intemperatum dicimus, id ad medium generis conferentes, accipere debemus. Vt quod temperato, & eusarco homine calidius, aut frigidius sit, id in suo genere calidum, frigidúmve dici, nempe hominem, sic bouem, equum, stirpem quampiam. Omnia enim ad sui quæque generis medium collata, talia esse dicuntur. Homo autem, tum animalium, tum corporum omnium (vt vult Galenus) temperatissimus est: omnium verò quæ in ipso sunt, partium, cutis temperatissima, ea potissimùm, quæ intra manum habetur, omnis planè excessus expers. Actionum autem perfectione, atque præstantia in animantium speciebus temperies iudicatur, vt quorum sint perfectissimæ actiones, ea & temperatissima esse consequés sit. Quamobrem cùm homini, præ cæteris tales insint (conuenit enim homini, vt sit sapientissimus, quod nemini alteri animantium conuenire potest) ipsum omnium temperatissimum euadere necesse fuit, nobilitate inquam formæ, ad quam functionum perfectio (vt Peripatetici censent omnes) sequitur. Inter homines verò is temperatissimus iure dicetur, qui & optimam formationem sit adeptus, & quadrato, probéque carnoso sit corpore, humoris ac siccitatis in medio

1. de temp. Galen.

de temp.

dio consistens. Quæ cuncta optimam in eo, atque exactam elementorum mistionem consequuntur, & diuiniorem etiam aliquam superne originem (vt censet Gal.) habent. Tale autem corpus ad actiones est optime comparatum. Reliquæ vero hominum temperaturæ, prout ab hac vel calidum, vel frigidum declinant, sic tales censentur. Quæ & ipsæ, etsi in altera oppositionum intemperatæ sunt, in ambabus tamen esse non necesse est. Non enim oportet humidam temperiem, calidam frigidamve esse, sed interdum inter hæc mediam: sic & de calida, ac frigida dicendum, vt belle Gal. 1 de temper. probat. Quod vero ad ætatum temperamenta pertinet, de quo nobis deinceps dicendum est, illud in primis scire conuenit, ætatem nihil prorsus aliud esse, quàm temporis in vita decursum, à quo varia in animantibus temperamentorum genera summuntur, vt mox fiet manifestum. Ætates porro etsi alij aliter discriminentur, nos tamen de Gal. sententia, eas omnes in quatuor ordines digeremus: in Pueritiam scilicet, Pubertatem, iuuentutem, & Senectam. Habet autem harum vnaquæque quosdam alios sub se positos gradus, in quos distinguitur. Pueritia à natalis infantis die infantis de initia ducens, in annum decimũ quintum prorogatur. Seruius enim Tullus Rex Romanorũ pueros eos appellauit, qui essent intra decimum septimum annum. Hæc calida est, & humida, quòd haud ita procul à suis ipsorum generationis principijs, semine & sanguine mẽstruo, quæ calida humidaque sunt, abcesserint, qui ea in ætate consistunt. Ætatum porrò altera pars est, quæ pubertas dicitur, qua pubescere iam pueri incipiunt, incipitque ab anno decimo quinto in vicesimum quintum prolata, vti autor est Gal. 3. apho. com. 27. & lib. 5. apho. com. 7. Complectitur autem hæc adolescentiam, quæ & ipsa à decimo octauo anno incipiens, in vicesimum quintum durat, vt. 5. apho. com. 9. idem Gal. affirmat. Hæc autem puberum, adolescentiúmque ætas, medij prorsus inter ætates, atque optimi esse temperamenti censetur, vel eiusdem Gal. testimonio. Adolescentiam iuuentus sequitur, quam & florentem, & vigentem ætatem, & consistendi appelare licet. Incipit hæc anno vigesimo quinto, & ad trigesimum durat, vt bellè Gal. 3 aph. com. 30. & 5. aph. com. 9. calido & sicco: hæc ætas, temperamento est, vt com. 14. primi aphor. à Gal. colligere licet.

De Ætatum tẽperamentis.

Ætas quid.

In cõ. ad lib. de ratione vic. priuatorum.

Quarta, quę sequitur ætas, senectus est. Hanc Gal. de mente quorundam Hipp. interpretum com. 31. 3. sect. aph. duplicem statuit, senum inquàm, & seniorum, vt Gal 3. aph. com. 31. Senes eos prisci dici volebant, qui ea in ætate essent, quæ media est inter iuuenes, ac seniores, hoc est ab anno trigesimo quinto, ad quadragesimum nonum, qua in ætate constituti, vt com. 30. 3. sect. aph. Gal. affirmat, vitæ munia æquè atque illi, qui in vigenti ætate consistunt, conantur peragere, non tamen eodem modo ad labores sufficiunt. Nec mihi hoc loco cum Fuchsio satis cõuenit, qui in suis ad Hip. aphorismos commentariis, sanè quàm doctiss mis, illum Hipoc. aphorismum interpretans, Senes facillimè ieiunium tolerant, vult cõstantem ætatem, & mediam, vt Cic. rectè vocauit, quam quidem Græci καθεστηκυῖαν vocant, eam esse, quam medici declinantem dicunt. Nam si declinans ætas ob id dicta re vera est, quod in ea vires minui, atque decrescere incipiant (quod & ipsum ingenuè pro veritate ipsemet Fuchsius confitetur) quomodo constans, & virilis, quæ iam decrescere incipiat dici vsquam poterit? Constans enim profecto ob id iure dicta est: quod constent adhuc vires, nec dum labescere incipiant, contra vero declinans, quod virium robur in imbecillum inclinet, ob id sanè declinans nostris, Græcis παρακμαστική, & παρακμὴ dicta est. Nec qui ab eo, ad id probandum ex Gal. adiicitur locus tertij, aph. com. 30. id vllo modo affirmat: sed tantum ætatem eam, quæ adolescentibus ad duas sequentes septimanas extenditur, à vigenti ætate, laborum tolerantia deficere. Quod ne gratis dixisse, meáque sponte videar, ipsissima Gal. verba, eo in cõmentario afferam, ex quibus videre planè sit, eo in loco Galenum, ne per somnium quidem cõstantem ætatem, declinantem esse voluisse, ἡ γὰρ ἐχομένη τῶν νεανίσκων ἡλικία, ταῖς ἐφεξῆς ἑβδόμασι δύο παρεκτείνεται πάντα μὲν ἔτι πράττειν τῶν χειρούντων αὐτῶν τὰ κατὰ τὸν βίον, παραπλησίως τοῖς ἀκμάζουσιν, οὐ μὴν ὁμοίως γε ἐξαρκούντων τοῖς πόνοις: quod est, *Quæ enim adolescentiam insequitur ætas ad duas sequentes hebdomadas protenditur, in qua ætate omnia vitæ munia, perinde atque illi, qui in vigenti ætate sunt, perficere adnituntur, non tamen pariter atque illi ad labores sufficiunt.*

Fuchsius notatur.

In dialogo de senectute.

sufficiunt. Hoc toto commentario Gal. inclinantem ætatem ad vigentem confert: in qua quidem cõstituti laboribus quidem, ac vitæ muniis exercendis, probè quidem valent, nondum adhuc magno lapsu cadentibus viribus, sed haud perinde tamen, atque illi laboribus sufficiunt, imminutis vtique iam aliquantisper eorum viribus. Non itaque constantem vocat hoc loco ætatem eam Galenus, vt Fuchsius falsò putat, sed decidentem potius. Nec minus 5. de san. tu. c. vlt. quem item Fuchsius locum citat, Galenus vspiam constantis ætatis meminit, sed tantùm senectutis, quam ille ætatem cùm in tres potissimùm gradus distrahat, primum gradum ὠμογερόντων hoc est, eorum qui cruda adhuc, viridique senecta sunt, constituit: quos eo nomine viridium senum ob id insigniri vult, quod adhuc obire ciuilia negotia possint, etsi senes sunt, nec ita vt priori in ætate valentes. At quis hos constanti ætate præditos esse vnquam dixerit? Probasse igitur abundè puto, constantem ætatem, ab ea quæ declinans dicitur, longè aliam esse, quod repugnet idē virib⁹ constare, atque deficere. Constamus autem in vigenti ætate, quam constantem, & mediam vocat Cicero: deficimus in altera, quæ hanc proxime sequitur. Quæ ego non calumniandi Fuchsij gratia, cuius ego & eruditionem admiror, & cultis illius laboribus impensè delector, atque sæpè etiam vtor, sed vt veritati hac in re suppetias ferrem dixisse volui. Nũc vero ad institutum redeuntes, ætates persequamur. Senectutem ætatum vltimam diximus, quod ea ad alias consequatur, & ad interitum via sit. Hanc Gale. in tres ordines distribuit. Primus eorum, qui cruda adhuc viridíque senecta sunt, quod obire adhuc ciuilia negotia possint, nondum scilicet effœta eorum natura, ij ὠμογέροντες Græcis dicuntur. Hæc à virilis, & constantis ætatis fine inchoans, nempe à quadragesimonono, seu quinquagesimo potius anno, in sexagesimum producitur, iis inquam qui fœliciorem à principiis generationis sunt nacti naturam. Secundus gradus eorum senum est, qui iam amplius, ob virium defectionem obire ciuilia munia minimè possunt: de quibus illud Homeri apposite dictum est: Vt lauit sumpsitque cibum, det mēbra sopori. Incipit hæc anno sexagesimo, finitur septuagesimo. Tertius & vltimus in quo extrema virium infirmitas, *5. de sa. tu ad fin.*

vitæque finis. Hæc senij pars in octogesimum, vt plurimum annum extenditur, túmque vt plurimum vitæ finis. Senes autem frigido, ac sicco sunt temperamento, etsi excrementis, non propriis suis particulis (vt vult Gale.) humidi sint.
2. de tēp. Hæc ætatum temperamenta. Verùm hæc in tractatione, minimè prætereunda est controuersiæ eius dilutio, quæ tandiu medicorum nostrorum scholas torsit, Num puerorum, iuuenúmque idem sit calor, an iuuenes pueris natiuo colore præstent. Nos ex vno Galen. quā cōmodissimè rē omnē cōpēdio dissoluemus: neutros alteris calidiores esse, si reliquæ, quæ extrinsecus adueniūt alterationes circūcidātur ōnes, si item recta cōparationis regula, in collatione puerorū cū ætate florētib⁹ obseruetur, vt inquā reliqua omnia sint, quàm fieri licet paria, vna tātū excepta ætate, vt quadratos, & benè habitos pueros, quadratis iuuenibus & benè habitis, graciles gracilibus, crassos crassis cōferas. Quod si fiat, æqualitatē caloris in pueris ætatéq; florētibus profectò inueniem⁹: tametsi suus vtriusq; occursus tāgenti idē non sit vtriq; nec eo fallletur, q alter in humida, & halituosa, alter in sicca substātia repræsētetur. Hoc tātū inter vtrosq; interest, quod in pueris, qui inest calor is magis halituosus, & multus, & blādus, atq; suauis est: in florētib⁹ exiguus, siccus, nec vt ille suauis, sed acrior. Siquidem puerorum substantię, vtpote humidę multum foras effluit, florentium substantię parū, vtpote siccę. Itaq; neuter eorū, absolutè altero calidior apparet. Sed alter nēpe puer, multitudine eius quod difflatur, alter acrimonia; insiti nanq; caloris eiúsq; blandioris puer plus habet, quod ex semine, & sanguine genitus, haud ita multum à primordiis natalis sui absit. In ætate florentibus siccus nec similiter suauis tangenti calor occurrit, vt appositis exemplis Gal. de aëre, & aqua tēperatis vtrisque, item de lapide, & aqua pari coloris gradu prędìtis apertissimè docet. Quę enim in pueris, atque ętate florentibus substantię dissimilitudo inuenitur, perinde atque in lapide, & aqua pari caloris gradu prędìtis, efficit vt amborū calor dissimilis, atque inæqualis appareat, etsi re vera idē sit, nec amplior in vno quàm in altero. In pueris humida, & aërea, atq; halituosa cum sit substātia: in ætate florentibus terrea magis, & sicca, efficitur vt puerorum calor tangenti blandior, iuuenum tristior, & acrior occurrat. Sed de hoc quęsito iā satis dictū. Quod ad locorū verò, & regionum tēperamenta pertinet, illud in con-

fesso est omnibus, montosa, & edita loca, atque ad septētrionem vergentia, tum frigida, tum flatibus, ac ventis exposita esse: cōtrà vero demissiora quæ sunt, & ad meridiē posita calidiora: veluti mari, paludibus, & fluminib⁹ proxima, humida esse: vti sicca quæ montosa, salebrosa, dura, aspera petrosa. Itaq; ex regionibus Lybia, Æthiopa sub Ægypto, Mauritania vtraque, Cæsariensis inquam, & Tingitana, Numidia, Nubia, Arabia Petrea, atque deserta, Trogloditica, & cæteræ ad Aphricam sitæ, calidæ, & æstuosæ omnes. Veluti frigidæ, Celtarum, Germanorum, Scytharum, Thracum, & reliquæ omnes septentrionibus expositæ. Siccissimæ habentur Syria, & Arabia deserta, atque petrosa, vti pr humidæ, Gallia, Celtica, & Belgica, & plæræque insulæ in Oceano ad septētrionem positæ, veluti Orchades, & Hybernia, atque Islandia. Omnium vero regionum temperatissima ea censetur, quæ sub æquatore posita, pari ab vtroque polorum interstitio distat, etsi ea in re plurimum à nostris, atque à Geographis etiam nonnullis reclamatum sit. Auic. certè constanter id, atque conceptis verbis affirmat, temperatam esse sub æquatore habitationem. Arist. atque Auer. nedum non temperatam inibi esse, sed ne esse quidem posse vllam contendunt. Quod valde multis rationibus probare Auerr. nititur, quas demonstrationum vires habere censet, vti. 2. meteor. cō. cap. 5. longa serie est videre. Quas quidem omnes cùm non minus copiose, quam acutè Manardus libr. epist. medic. 7. epist. 1. refellat, & his ipsis Auerr. rationibus experientiæ fides reluctetur, non est quod insistendum illis putemus. Si quis enim plus, vel Arist. ipsi vel Auerr. addictus esse, quàm veritati, & rerum experientiæ velit, aduersus hunc nullo pacto est de veritate disputandum. Constat autem Lusitanorum, atque Hispanorum ad Taprobanem, & auream Chersonesum (quam hodie Malacam vocant) nauigationibus, & ad vlteriores meridiei partes cursu, sub æquatore ingentes esse populos, insulas omnium longè maximas atq; ditissimas, multáque & cœli, & aëris temperie salubres, Taprobanem potissimum, hodie Samotram vocatam, quam Plinius alterum orbem olim existimatam fuisse, ob vastam illius magnitudinem scribit, tum & Seylam, siue (vt nunc dicunt) Zailon: de qua quidem insula Lud. Rom. lib. 6. nauig. suarum, cap. 4. & sub æquatore sitam esse testatur, & clementis, ac tempe-

Arist. 2. meteor. cap. 5
Auerr. in com. illius c. & 2. collig. c. vlt.

lib. 6. nat. hist. c. 22.

rati adeo cœli,vt cuncta ibi perpetuò vernare videantur. Et in insula, neque frigus vnquam, neque æstum sentire incolas idem scribit. Idem quoque Reamen Arabiæ fœlicis vrbē, ad orientem sitam, paulo supra æquatorem circulum, temperatissimi cœli,& aëris, feracissimi soli, & in qua homines supra centum,& quadraginta annos vitam fœliciter ducant, sitam esse scribit. Lib.2.nauig.cap.9. Cancieten auriferam regionem,ab Alfonso Petro inuentam, temperatissimam esse, vt in qua, nec hyeme algeant homines, nec æstate feruore vrantur, affirmat Columbus cap.110.suarum nauigationum: esséque illic fidos,sinceros,mansuetos, atque spectatæ probitatis homines. Quæ omnia summam regionis illius temperiem indicant. Cùm sit ea regio sub capricorni circulo, in quo maior quàm sub æquatore, caloris vis inesse deberet. Quod & ipsum de terra Parias vocata, Americus Vespucius libr.1.nauig.suarum testatur. Et multo anteà, quàm essent loca huiusmodi à Lusitanis, & Hispanis inuenta, Dominicus Indianus,qui eò profectus fuerat, Florentinus ciuis, idipsum de æquatoris lineæ incolis testimonio affirmauit, temperatissimam inibi esse regionem,cœli clementissimi, ac feracissimi soli, vt de eo refert Nicolaus Florentinus serm. 1. tract. 2.cap.33.Sed quorsum hæc? Vt intelligamus plus experientiæ,quàm autorum rationibus standum esse Omnium enim demonstrationum potissima (vel autore Gal.) ea est, quæ à sensuum fide,robur accipit.Ego verò,cùm hac de re inquirendum putassem, magnam in eo adhibui diligentiam, vt quoad possem rei veritatem inuestigarem, sciscitaréque ab his qui eò profecti fuerant: vt se res haberet tandem voti compos factus sese mihi obtulit Antonius Mendis Lusitanus,spectata fide,probitate,atque animi candore vir, qui bis Calicutium Indiamque interiorem, tum eam quę ad orientem, tum quę ad occidentem spectat cùm adiisset, Auenionémque se posteà contulisset,hominis copiam nactus, longa serie percontari de omnibus cœpi, quæ illi de hisce regionibus,quæ ad æquatorem, & polum antarcticum essent,experientię fide sibi comprobata essent. Ille verò, sub ęquatore circulo multas,easque præclaras ciuitates, atque insulas esse,& ab eo rursus in Capricorni, seu hyemalis tropici circulum immensum, patere orbem, easque ciuitates,quę sub æquatore sitę essent,probè quidem incoli, sed caloris tamen inter-

interdiu exuperãtia æstuare. Vnde earum plerasque, morbis calidissimis obnoxias esse grauis aëris,& morbosi, vti in parte Taprobanæ vsu se comprobasse dicebat. Paulo vero infra æquatorem, ad hiemalem circulum, sitas versus meridianum polum longè esse temperatiores, veluti Malacham Indiæ celebre emporium, quam prisci Auream Chersonesum vocare soliti erant. Hanc saluberrimi cœli, aërisque temperati esse asseuerabat, quatuórque tantum gradibus ab æquatore, versus alterum polum distare. Omnium vero tẽperatissimam quæ ad circulum hybernum sita esset, terra Parias feracissima, in qua annos totos centum supra quinquaginta fœliciter viuerent incolæ. Hæc ego ab illo, vt intelligere sit, commodè quidem sub æquatore habitari, nec maximam inibi intemperiem esse, verum ad calorem multò magis, quam ad frigus regionem eam inclinare, ex gemina inquàm illa singulis annis contingente, solis ad eorum verticem directione,& ad perpendiculum radiorum eius proiectione, ipso Arietis & Libræ capita peruadente, à quibus incalescere plurimum ea loca censendum:& ita reuera esse, Antonius idem asseuerebat. Nam etsi ab exigua mora, & noctium cum diebus perpetua, quæ illic est, paritate, caloris diurni vis quadantenus retundatur, imbecilliorque euadat, efficaciores tamen videntur præcitatæ caloris causæ, veluti per se, non ex accidenti agentes: quàm contrariæ causæ, quæ non agendo potiùs quàm patiendo frigus pariunt, aut calorem remittunt. Atque hæc de æquatoris habitatione, atque temperamento. Quæ vero climatum temperatiora, etsi varie ab Auerroe, atque Galeno tractatur, Auerroe quintum, Galeno quartum in temperie præferente: ego tamen vnà cum Gal. atque Auic. sentio, quartum clima cæteris temperatius esse: id inquam quod per Gnidum,& Coon insulam, Hippoc. natale solum extenditur. Multa enim corpora exactè tẽperata, tum ibi, tum in Pergamo Galeni patria esse, idem 2. de sa. tuend. affirmat & in com. 14. lib. 3. aph. tractum illum, qui per Gnidum,& Coon producitur, exactam habere temperiem, ac mediam habitati orbis esse astruit, & experientia ipsa cõfirmat. Quamobrem Manardi sententiæ minimè accedendum censeo, qui contra omnium sensa, non quartum quintúmve, sed sextum clima cæteris temperatius esse affirmare ausus sit, quod exactè medium sit in nostra hac sep-

2 colliget c. vlt. & 2 meteor. cõ. cap. 5.

Lib. 7. epistolarum med. epist. 1.

tentrionali plaga à latitudine quadraginta trium partium & dimidiæ incipiens:desinens vero in quadragesimam septimam quartam alterius partem. Non enim ab latitudinis æquidistantia temperiem regionis metiri in parallelis lineis decet:cũ illud constet,lineam,quæ per Gnidum,& Coon permeat,quæ eadẽ per Rhodon insulam transiens:quarti climatis initium facit,haud æquè ab æquinoctiali,& arctico polo distare.est enim eius lineæ latitudo,hoc est,eius ab æquatore versus arcticum polum distantia,partium triginta trium,& duarum tertiarum insuper.Ex quo mox illud sequitur, distare ipsam ab aquilone gradibus quinquaginta sex,& tertia parte,cùm tota nostra latitudo,quartæ inquam habitatæ partis,sit nonaginta graduum. Itaque non ex æqui distantia(vt mox probatum)temperies est regionis spectanda,cùm in Gnido,& Coo,atque etiam Pergamo Asiæ multa,& exacta sit temperies,vel Galeni secundo salubrium & com.14.3 aph.testimonio:cùm tamen linea illa à Polo & æquatore non æquè distet,vt mox docuimus.Quinetiam regiones multas temperatas est inuenirẽ,in Cancri & Capricorni parallelis,cùm tamen à tota latitudine non æquidistent.Vt de Madara insula prope Cancri circulum sita, & terra Parias ad alterum tropicum posita constat. Quas tẽperatissimas esse tum Christophorus Columbus , tum Vespucius,libris suarum nauigationum affirmant.Sed magis ex siderum ,& Solis , atque cœli benigno affluxu,soli bonitate, aëris clementia,& hominum moribus,ei temperamento respondentibus.Perinde atque in animalibus iustitiale temperamentum,non ex elementorum æqua per omnia mistione(quam ad pondus vocant)sed magis ex tali eorum miscella,ex qua operationum in animali summa perfectio,integritásque consequatur intelligendum venit. Nunc verò de temporum anni constitutione,atque Veris temperie breuiter dicendum. Tempora enim anni ex sua ipsorum æstimare natura,non ex alterius comparatione,oportet,vt doctè Gal.1.temper. Vt Hyemem frigidam & humidam,quòd humiditas in ea siccitatem,frigiditas calorem superet,sic æstatem calidam & siccam,calido frigidum superante,& sicco humiditatem vincente.Sic & autumnus frigidus & siccus dicendus,quod in eo frigiditas calorem siccitas humorem superet,si modò secundum naturam se tempora habuerint.

De

De vere autem maior omnino quæstio, calidum & humidū nonnullis statuentibus, aliis temperatum Calidum & humidum lib de nat.hum Hippocrates constituit: Temperatum Galenus.lib.de temper.primo. Sed conciliari facile hæc tantorum virorum discordia potest. Cùm enim Hippocrates calidum & humidum Ver facit, vnáque cum eo Philosophorum ac Medicorum plerique, ea moti ratione videntur, quòd quatuor anni temporibus, quatuor coniugationes illis pares respondere voluerunt, Veri calorem & humiditatem, æstati cum siccitate calorem, autumno frigus cum siccitate, hyemi frigus & humiditatem. Cùm tamen Gal. 1. temper. doceat, minimè oportere quartam in temporibus anni coniugationem temperamenti statuere, quæ calida sit & humida: quod Ver cùm mediocre vel etiam veterum testimonio positum sit, calidum autem & humidum excessus sint nomina. Competere hæc igitur Veri minimè possunt; repugnat enim idē & mediocre esse, & calidum & humidum esse. Quamobrem si quodlibet temporum anni ex sua ipsius, non ex alterius collatione æstimemus, natura, & ad hanc formulam Veris temperiem expendamus, inueniemus profectò, Ver in omnis excessus planè medio esse, vt neque sicut in hyeme plus in eo polleat frigidum quam calidum; neque sicut in æstate minus. Quin & siccitatis in eo atque humiditatis æquabilitatem ad eum modum est spectare, in eo scilicet non quemadmodum in æstate præualente sicco, neque velut in hyeme exuperante humido: ac proinde rectè ab Hippocrate dictū esse, Ver saluberrimum, ac morbis qui mortem afferant minimè obnoxium: non quòd omnino morbis ei tempori peculiaribus Ver careat, cùm plures ille qui Vere infestare soleant. 3.aph.aphoris. vigesimo, enumeret, sed quòd qui in id tempus incidunt morbi periculo careant. Nec refert quominus temperatum Ver dici queat, quòd illius initium frigidius, quà se fini hyemis copulat: finis verò eius siccior, quà se æstati coniungit, appareat. Nam ad hæc non immodicè, sed temperatè magis inclinat, vt non propterea à suo ipsius temperamento decidere ipsum necesse sit: veluti balneum modicè calens temperatum dicimus, etsi in calorem magis, quàm in frigus inclinet, si modo temperatè, id est, modicè fiat, vt cùm tepidum adhibetur. De partium verò nostri corporis temperamento ita ex Gal. sententia statuendum. Ho-

De Veris temperamento.

3.aph.19.

Partium tempera-

enim etsi certam quandam acuti, & grauis rationem habet, in qua potissimùm consistere dicitur, latitudinem tamen multam hæc benè sonantium vocum ratio habet. Sic etiam in iustitiali temperamento, ipsa congrua ad functiones edendas elementorum mistio, multos suæ latitudinis gradus habet. Itaque de temperamento abundè iam dictum. Satis enim fuit monstrasse, εὔκρατον, siue temperatum, quoddam absolutè dici, quoddam ad iustitiam. In priore illo calidi, frigidi, humidi, ac sicci par mixtio esse debet, ipsúmque pari ab vtroque extremorum interuallo abesse, vt non magis calidum, quàm frigidum, humidum, quàm siccum, sed exactè medium dicatur. In iustitiali vero ea est horum symmetria, ac commoderatio, quæ cuiusquæ animantis, aut stirpis naturæ conueniat, qua optimè actiones suas edere possit. Ab hoc quodcunque in alteutrum latus declinat frigidi, calidi, humidi, aut sicci, intemperatum dicitur, hoc est, plus iusto calidius, frigidius, humidius, aut siccius, aut simpliciter quidem, cùm vna tantùm qualitate receditur, aut per coniugationem cùm duabus, à vincente enim perpetuo denominatio sumenda. Quicquam verò cùm intemperatum dicimus, id ad medium generis conferentes, accipere debemus. Vt quod temperato, & eusarco homine calidius, aut frigidius sit, id in suo genere calidum, frigidúmve dici, nempe hominem, sic bouem, equum, stirpem quampiam. Omnia enim ad sui quæque generis medium collata, talia esse dicuntur. Homo autem, tum animalium, tum corporum omnium (vt vult Galenus) temperatissimus est: omnium verò quæ in ipso sunt, partium, cutis temperatissima, ea potissimùm, quæ intra manum habetur, omnis planè excessus expers. Actionum autem perfectione, atque præstantia in animantium speciebus temperies iudicatur, vt quorum sint perfectissimæ actiones, ea & temperatissima esse consequés sit. Quamobrem cùm homini, præ cæteris tales insint (conuenit enim homini, vt sit sapientissimus, quod nemini alteri animantium conuenire potest) ipsum omnium temperatissimum euadere necesse fuit, nobilitate inquam formæ, ad quam functionum perfectio (vt Peripatetici censent omnes) sequitur. Inter homines vero is temperatissimus iure dicetur, qui & optimam formationem sit adeptus, & quadrato, probéque carnoso sit corpore, humoris ac siccitatis in medio

2. de temp. Galen.

de temp.

dio

dio consistens. Quæ cuncta optimam in eo, atque exactam elementorum mistionem consequuntur, & diuiniorem etiam aliquam supernè originem (vt censet Gal.) habent. Talis autem corpus ad actiones est optimè comparatum. Reliquæ vero hominum temperaturæ, prout ab hac ad calidum, vel frigidum declinant, sic tales censentur. Quæ & ipsæ, etsi in altera oppositionum intemperatæ sunt, in ambabus tamen esse non necesse est. Non enim oportet humidam temperiem, calidam frigidamve esse, sed interdum inter hæc mediam: sic & de calida, ac frigida dicendum, vt bellè Gal. 1 de temper. probat. Quod vero ad ætatum temperamenta pertinet, de quo nobis deinceps dicendum est, illud in primis scire conuenit, ætatem nihil prorsus aliud esse, quàm temporis in vita decursum, à quo varia in animantibus temperamentorum genera summuntur, vt mox fiet manifestum. Ætates porro etsi alij aliter discriminentur, nos tamen de Gal. sententia, eas omnes in quatuor ordines digeremus: in Pueritiam scilicet, Pubertatem, iuuentutem, & Senectam. Habet autem harum vnaquæque quosdam alios sub se positos gradus, in quos distinguitur. Pueritia à natalis infantis die infantis de initia duce...s, in annum decimũ quintum prorogatur. Seruius enim Tullus Rex Romanorũ pueros eos appellauit, qui essent intra decimum septimum annum. Hæc calida est, & humida, quod haud ita procul à mẽsuis ipsorum generationis principijs, semine & sanguine mẽstruo, quæ calida humidaque sunt, abcesserint, qui ea in ætate consistunt. Ætatum porrò altera pars est, quæ pubertas dicitur, qua pubescere iam pueri incipiunt, incipitque ab anno decimo quinto in vicesimum quintum prolata, vti autor est Gal. 3. apho. com. 27. & lib. 5. apho. com. 7. Complectitur autem hæc adolescentiam, quæ & ipsa à decimo octauo anno incipiens, in vicesimum quintum durat, vt. 5. apho. com. 9. idem Gal. affirmat. Hæc autem puberum, adolescentiúmque ætas, medij prorsus inter ætates, atque optimi esse temperamenti censetur, vel eiusdem Gal. testimonio. Adolescentiam iuuentus sequitur, quam & florentem, & vigentem ætatem, & consistendi appelare licet. Incipit hæc anno vigesimo quinto, & ad trigesimum durat, vt bellè Gal. 3 aph. com. 30. & 5. aph. com. 9. calido & sicco: hæc ætas, temperamento est, vt com. 14. primi aphor. à Gal. colligere licet.

De Ætatum tẽperamentis.

Ætas quid.

In cõ. ad lib. de ratione vic. priuatorum.

Quarta, quę sequitur ætas, senectus est. Hanc Gal. de mente quorundam Hipp. interpretum com. 31. 3. sect. aph. duplicem statuit, senum inquàm, & seniorum, vt Gal 3. aph. com. 31. Senes eos prisci dici volebant, qui ea in ætate essent, quæ media est inter iuuenes, ac seniores, hoc est ab anno trigesimo quinto, ad quadragesimum nonum, qua in ætate constituti, vt com. 30. 3. sect. aph. Gal. affirmat, vitæ munia æquè atque illi, qui in vigenti ætate consistunt, conantur peragere, non tamen eodem modo ad labores sufficiunt. Nec mihi hoc loco cum Fuchsio satis cõuenit, qui in suis ad Hip. phorismos commentariis, sanè quàm doctissimis, illum Hipoc. aphorismum interpretans, Senes facillimè ieiunium tolerant, vult cõstantem ætatem, & mediam, vt Cic. rectè vocauit, quam quidem Græci καθεστηκυῖαν vocant, eam esse, quam medici declinantem dicunt. Nam si declinans ætas ob id dicta re vera est, quod in ea vires minui, atque decrescere incipiant (quod & ipsum ingenuè pro veritate ipsemet Fuchsius confitetur) quomodo constans, & virilis, quæ iam decrescere incipiat dici vsquam poterit? Constans enim profecto ob id iure dicta est: quod constent adhuc vires, nec dum labescere incipiant, contra vero declinans, quod virium robur in imbecillum inclinet, ob id sanè declinans nostris, Græcis παρακμαστικὴ, & παρακμὴ dicta est. Nec qui ab eo, ad id probandum ex Gal. adiicitur locus tertij, aph. com. 30. id vllo modo affirmat: sed tantum ætatem eam, quæ adolescentibus ad duas sequentes septimanas extenditur, à vigenti ætate, laborum tolerantia deficere. Quod ne gratis dixisse, meáque sponte videar, ipsissima Gal. verba, eo in cõmentario afferam, ex quibus videre planè sit, eo in loco Galenum, ne per somnium quidem cõstantem ætatem, declinantem esse voluisse, ἡ γὰρ ἐχομένη τῶν νεανίσκων ἡλικία, ταῖς ἐφεξῆς ἑβδόμασι δύο παρεκτείνεται πάντα μὲν ἔτι πράττειν τῶν χειρόντων αὐτῶν τὰ κατὰ τὸν βίον, παραπλησίως τοῖς ἀκμάζουσιν, οὐ μὴν ὁμοίως γε ἐξαρκούντων τοῖς πόνοις: quod est, *Quæ enim adolescentiam insequitur ætas ad duas sequentes hebdomadas protenditur, in qua ætate omnia vitæ munia, perinde atque illi, qui in vigenti ætate sunt, perficere adnituntur, non tamen pariter atque illi ad labores sufficiunt.*

Fuchsius notatur.

In dialogo de senectute.

sufficiunt. Hoc toto commentario Gal. inclinantem ætatem ad vigentem confert: in qua quidem cõstituti laboribus quidem, ac vitæ muniis exercendis, probè quidem valent, nondum adhuc magno lapsu cadentibus viribus, sed haud perinde tamen, atque illi laboribus sufficiunt, imminutis vtique iam aliquantisper eorum viribus. Non itaque constantem vocat hoc loco ætatem eam Galenus, vt Fuchsius falso putat, sed decidentem potius. Nec minus 5. de san. tu. c. vlt. quem item Fuchsius locum citat, Galenus vspiam constantis ætatis meminit, sed tantùm senectutis, quam ille ætatem cùm in tres potissimùm gradus distrahat, primum gradum ὠμογερόντων hoc est, eorum qui cruda adhuc, viridíque senecta sunt, constituit: quos eo nomine viridium senum ob id insigniri vult, quod adhuc obire ciuilia negotia possint, etsi senes sunt, nec ita vt priori in ætate valentes. At quis hos constanti ætate præditos esse vnquam dixerit? Probasse igitur abundè puto, constantem ætatem, ab ea quæ declinans dicitur, longè aliam esse, quod repugnet idé virib⁹ constare, atque deficere. Constamus autem in vigenti ætate, quam constantem, & mediam vocat Cicero: deficimus in altera, quæ hanc proxime sequitur. Quæ ego non calumniandi Fuchsij gratia, cuius ego & eruditionem admiror, & cultis illius laboribus impensè delector, atque sæpè etiam vtor, sed vt veritati hac in re suppetias ferrem dixisse volui. Nũc vero ad institutum redeuntes, ætates persequamur. Senectutem ætatum vltimam diximus, quod ea ad alias consequatur, & ad interitum via sit. Hanc Gale. in tres ordines distribuit. Primus eorum, qui cruda adhuc viridíque senecta sunt, quod obire adhuc ciuilia negotia possint, nondum scilicet effœta eorum natura, ij ὠμογέροντες Græcis dicuntur. Hæc à virilis, & constantis ætatis fine inchoans, nempe à quadragesimonono, seu quinquagesimo potius anno, in sexagesimum producitur, iis inquam qui fœliciorem à principiis generationis sunt nacti naturam. Secundus gradus eorum senum est, qui iam amplius, ob virium defectionem obire ciuilia munia minimè possunt: de quibus illud Homeri apposite dictum est: Vt lauit sumpsitque cibum, det mẽbra sopori. Incipit hæc anno sexagesimo, finitur septuagesimo. Tertius & vltimus in quo extrema virium infirmitas,

5. de sa. tu ad fin.

vitæque finis. Hæc senij pars in octogesimum, vt plurimum annum extenditur, túmque vt plurimum vitæ finis. Senes autem frigido, ac sicco sunt temperamento, etsi excremen-
2. de tēp. tis, non propriis suis particulis (vt vult Gale.) humidi sint. Hæc ætatum temperamenta. Verùm hæc in tractatione, minimè prætereunda est controuersiæ eius dilutio, quæ tandiu medicorum nostrorum scholas torsit, Num puerorum, iuuenúmque idem sit calor, an iuuenes pueris natiuo colore
1. de tēp. præstēt. Nos ex vno Galen. quā cōmodissimè rē omnē cōpēdio dissoluemus: neutros alteris calidiores esse, si reliquæ, quæ extrinsecus aduenińt alterationes circūcidātur ōnes, si item recta cōparationis regula, in collatione puerorū cū ætate florētib⁹ obseruetur, vt in quā reliqua omnia sint, quàm fieri licet paria, vna tātū excepta ætate, vt quadratos, & benè habitos pueros, quadratis iuuenibus & bene habitis, graciles gracilibus, crassos crassis cōferas. Quod si fiat, æqualitatē caloris in pueris ætatéq; florētibus profectò inueniem⁹: tametsi⁹ suus vtriusq; occursus tāgenti idē non sit vtriq;: nec eo falletur, ꝙ alter in humida, & halituosa, alter in sicca substātia repræsētetur. Hoc tātū inter vtrosq; interest, quod in pueris, qui inest calor is magis halituosus, & multus, & blādus, atq; suauis est: in florētib⁹ exiguus, siccus, nec vt ille suauis, sed acrior. Siquidem puerorum substantię, vtpote humidę multum foras effluit, florentium substantię parū, vtpote siccę. Itaq; neuter eorū, absolutè altero calidior apparet. Sed alter nēpe puer, multitudine eius quod difflatur, alter acrimonia: insiti nanq; caloris eiúsq; blandioris puer plus habet, quod ex semine, & sanguine genitus, haud ita multum à primordiis natalis sui absit. In ætate florentibus siccus nec similiter suauis tangenti calor occurrit, vt appositis exemplis Gal. de aëre, & aqua tēperatis vtrisque, item de lapide, & aqua pari coloris gradu prędítis apertissimè docet. Quę enim in pueris, atque ętate florentibus substantię dissimilitudo inuenitur, perinde atque in lapide, & aqua pari caloris gradu prędítis, efficit vt amborū calor dissimilis, atque inæqualis appareat, etsi re vera idē sit, nec amplior in vno quàm in altero. In pueris humida, & aërea, atq; halituosa cùm sit substātia: in ætate florentibus terrea magis, & sicca, efficitur vt puerorum calor tangenti blandior, iuuenum tristior, & acrior occurrat. Sed de hoc quęsito iā satis dictū. Quod ad locorū verò, & regionum tēperamenta pertinet, illud in con-

fesso est omnibus, montosa, & edita loca, atque ad septétrionem vergentia, tum frigida, tum flatibus, ac ventis exposita esse: cōtrà vero demissiora quæ sunt, & ad meridiē posita calidiora: veluti mari, paludibus, & fluminib' proxima, humida esse: vti sicca quæ montosa, salebrosa, dura, aspera petrosa. Itaq; ex regionibus Lybia, Æthiopa sub Ægypto, Mauritania vtraque, Cæsariensis inquam, & Tingitana, Numidia, Nubia, Arabia Petrea, atque deserta, Troglodirica, & cæteræ ad Aphricam sitæ, calidæ, & æstuosæ omnes. Veluti frigidæ, Celtarum, Germanorum, Scytharum, Thracum, & reliquæ omnes septentrionibus expositæ. Sicissimæ habentur Syria, & Arabia deserta, atque petrosa, vti pr. humidæ, Gallia, Celtica, & Belgica, & plæræque insulæ in Oceano ad septētrionem positæ, veluti Orchades, & Hybernia, atque Islandia. Omnium vero regionum temperatissima ea censetur, quæ sub æquatore posita, pari ab vtroque polorum interstitio distat, etsi ea in re plurimum à nostris, atque à Geographis etiam nonnullis reclamatum sit. Auic. certè constanter id, atque conceptis verbis affirmat, temperatam esse sub æquatore habitationem. Arist. atque Auer. nedum non temperatam inibi esse, sed ne esse quidem posse vllam contendunt. Quod valde multis rationibus probare Auerr. nititur, quas demonstrationum vires habere censet, vti. 2. meteor. cō. cap. 5. longa serie est videre. Quas quidem omnes cùm non minus copiose, quam acutè Manardus libr. epist. medic. 7. epist 1. refellat, & his ipsis Auerr. rationibus experientiæ fides reluctetur, non est quod insistendum illis putemus. Si quis enim plus, vel Arist. ipsi vel Auerr. addictus esse, quàm veritati, & rerum experientiæ velit, aduersus hunc nullo pacto est de veritate disputandum. Constat autem Lusitanorum, atque Hispanorum ad Taprobanem, & auream Chersonesum (quam hodie Malacam vocant) nauigationibus, & ad vlteriores meridiei partes cursu, sub æquatore ingentes esse populos, insulas omnium longè maximas atq; ditissimas, multáque & cœli, & aëris temperie salubres, Taprobanem potissimum, hodie Samotram vocatam, quam Plinius alterum orbem olim existimatam fuisse, ob vastam illius magnitudinem scribit, tum & Seylam, siue (vt nunc dicunt) Zailon: de qua quidem insula Lud. Rom. lib. 6. nauig. suarum, cap. 4. & sub æquatore sitam esse testatur, & clementis, ac tempe-

Arist. 2. meteor. cap. 5
Auerr. in com. illius c. & 2. collig. c. vlt.

lib. 6. nat. hist. c. 22.

ratu adeo cœli, vt cuncta ibi perpetuo vernare videantur. Ea in insula, neque frigus vnquam, neque æstum sentire incolas idem scribit. Idem quoque Reamen Arabiæ fœlicis vrbē, ad orientem sitam, paulo supra æquatorem circulum, temperatissimi cœli, & aëris, feracissimi soli, & in qua homines supra centum, & quadraginta annos vitam fœliciter ducant, sitam esse scribit. Lib. 2. nauig. cap. 9. Cancieten auriferam regionem, ab Alfonso Petro inuentam, temperatissimam esse, vt in qua, nec hyeme algeant homines, nec æstate feruore vrantur, affirmat Columbus cap. 110. suarum nauigationum: esséque illic fidos, sinceros, mansuetos, atque spectatæ probitatis homines. Quæ omnia summam regionis illius temperiem indicant. Cùm sit ea regio sub capricorni circulo, in quo maior quàm sub æquatore, caloris vis inesse deberet. Quod & ipsum de terra Parias vocata, Americus Vespucius libr. 1. nauig. suarum testatur. Et multo anteà, quàm essent loca huiusmodi à Lusitanis, & Hispanis inuenta, Dominicus Indianus, qui eò profectus fuerat, Florentinus ciuis, idipsum de æquatoris lineæ incolis testimonio affirmauit, temperatissimam inibi esse regionem, cœli clementissimi, ac feracissimi soli, vt de eo refert Nicolaus Florentinus serm. 1. tract. 2. cap. 33. Sed quorsum hæc? Vt intelligamus plus experientiæ, quàm autorum rationibus standum esse Omnium enim demonstrationum potissima (vel autore Gal.) ea est, quæ à sensuum fide, robur accipit. Ego verò, cùm hac de re inquirendum putassem, magnam in eo adhibui diligentiam, vt quoad possem rei veritatem inuestigarem, sciscitarérque ab his qui eò profecti fuerant: vt se res haberet tandem voti compos factus sese mihi obtulit Antonius Mendis Lusitanus, spectata fide, probitate, atque animi candore vir, qui bis Calicutium Indiamque interiorem, tum eam quę ad orientem, tum quę ad occidentem spectat cùm adiisset, Aueniónémque se posteà contulisset, hominis copiam nactus, longa serie percontari de omnibus cœpi, quæ illi de hisce regionibus, quæ ad æquatorem, & polum antarcticum essent, experientię fide sibi comprobata essent. Ille verò, sub ęquatore circulo multas, easque præclaras ciuitates, atque insulas esse, & ab eo rursus in Capricorni, seu hyemalis tropici circulum immensum, patere orbem, easque ciuitates, quę sub æquatore sitę essent, probè quidem incoli, sed caloris tamen inter-

interdiu exuperãtia æstuare. Vnde earum pleras que, morbis calidissimis obnoxias esse grauis aëris, & morbosi, vti in parte Taprobanæ vsu se comprobasse dicebat. Paulo vero infra æquatorem, ad hiemalem circulum, sitas versus meridianum polum longè esse temperatiores, veluti Malacham Indiæ celebre emporium, quam prisci Auream Chersonesum vocare soliti erant. Hanc saluberrimi cœli, aërisque temperati esse asseuerabat, quatuórque tantum gradibus ab æquatore, versus alterum polum distare. Omnium vero tẽperatissimam quæ ad circulum hybernum sita esset, terra Parias feracissima, in qua annos totos centum supra quinquaginta fœliciter viuerent incolæ. Hæc ego ab illo, vt intelligere sit, commodè quidem sub æquatore habitari, nec maximam inibi intemperiem esse, verùm ad calorem multò magis, quam ad frigus regionem eam inclinare, ex gemina inquam illa singulis annis contingente, solis ad eorum verticem directione, & ad perpendiculum radiorum eius proiectione, ipso Arietis & Libræ capita peruadente, à quibus incalescere plurimum ea loca censendum: & ita reuera esse, Antonius idem asseuerebat. Nam etsi ab exigua mora, & noctium cum diebus perpetua, quæ illic est, paritate, caloris diurni vis quadantenus retundatur, imbecilliorque euadat, efficaciores tamen videntur præcitatæ caloris causæ, veluti per se, non ex accidenti agentes: quàm contrariæ causæ, quæ non agendo potius quàm patiendo frigus pariunt, aut calorem remittunt. Atque hæc de æquatoris habitatione, atque temperamento. Quæ vero climatum temperatiora, etsi varie ab Auerroe, atque Gal. res tractatur, Auerroe quintum, Galeno quartum in temperie præferente: ego tamen vnà cum Gal. atque Auic. sentio, quartum clima cæteris temperatius esse: id inquam quod per Gnidum, & Coon insulam, Hippoc. natale solum extenditur. Multa enim corpora exactè tẽperata, tum ibi, tum in Pergamo Galeni patria esse, idem 2. de sa. tuend. affirmat & in com. 14. lib. 3. aph. tractum illum, qui per Gnidum, & Coon producitur, exactam habere temperiem, ac mediam habitati orbis esse astruit, & experientia ipsa cõfirmat. Quamobrem Manardi sententiæ minimè accedendum censeo, qui contra omnium sensa, non quartum quintúmve, sed sextum clima cæteris temperatius esse affirmare ausus sit, quod exactè medium sit in nostra hac sep-

2 colliget c. vlt. & 2 meteor. cõ. cap. 5.

Lib. 7. epistolarum med. epist. 1.

De vere autem maior omnino quæstio, calidum & humidū nonnullis statuentibus, aliis temperatum Calidum & humidum lib de nat:hu: Hippocrates constituit : Temperatum Galenus, lib. de temper. primo. Sed conciliari facile hæc tantorum virorum discordia potest. Cùm enim Hippocrates calidum & humidum Ver facit, vnáque cum eo Philosophorum ac Medicorum plerique, ea moti ratione videntur, quòd quatuor anni temporibus, quatuor coniugationes illis pares respondere voluerunt, Veri calorem & humiditatem, æstati cum siccitate calorem, autumno frigus cum siccitate, hyemi frigus & humiditatem. Cùm tamen Gal. 1. temper. doceat, minimè oportere quartam in temporibus anni coniugationem temperamenti statuere, quæ calida sit & humida: quod Ver cùm mediocre vel etiam veterum testimonio positum sit, calidum autem & humidum excessus sint nomina. Competere hæc igitur Veri minimè possunt; repugnat enim idē & mediocre esse, & calidum & humidum esse. Quamobrem si quodlibet temporum anni ex sua ipsius, non ex alterius collatione æstimemus, natura, & ad hanc formulam Veris temperiem expendamus, inueniemus profectò, Ver in omnis excessus planè medio esse, vt neque sicut in hyeme plus in eo polleat frigidum quam calidum, neque sicut in æstate minus. Quin & siccitatis in eo atque humiditatis æquabilitatem ad eum modum est spectare, in eo scilicet non quemadmodum in æstate præualente sicco, neque velut in hyeme exuperante humido: ac proinde rectè ab Hippocrate dictū esse, Ver saluberrimum, ac morbis qui mortem afferant minimè obnoxium: non quòd omnino morbis ei tempori peculiaribus Ver careat, cùm plures ille qui Vere infestare soleant. 3. aph. aphoris. vigesimo, enumeret, sed quòd qui in id tempus incidunt morbi periculo careant. Nec refert quominus temperatum Ver dici queat, quòd illius initium frigidius, quà se fini hyemis copulat: finis verò eius siccior, quà se æstati coniungit, appareat. Nam ad hæc non immodicè, sed temperatè magis inclinat, vt non propterea à suo ipsius temperamento decidere ipsum necesse sit: veluti balneum modicè calens temperatum dicimus, etsi in calorem magis, quàm in frigus inclinet, si modò temperatè, id est, modicè fiat, vt cùm tepidum adhibetur. De partium verò nostri corporis temperamento ita ex Gal. sententia statuendum. Ho-

De Veris temperamento.

3. aph. 19.

Partium temperam.

menta. 1. minis cutem omnium extremorum verè mediam, ac temperatissimam esse, cor omnium calidissimum. Ossa, pili, cartilagines, tendones, venæ, arteriæ, nerui, ligamenta, membranæ, frigida & sicca omnia, sed alia aliis magis minusve. Caro, sanguis, & spiritus, calida & humida, prout frigida & humida habenda pinguedo, cerebrum, spinalis medulla. Ex humoribus autem sanguis, vt vult Galenus, succorum optimus, & maximè proprius, ac domesticus idem calidus & humidus: illius fæx, quæ & atra bilis est, seu melancholicus humor, sanguine crassior, frigidior, ac terra magis, vt flaua bilis longè calidior & siccior: frigidissimam vero & humidissimam omniũ pituitam. De spiritu vero paulo maior difficultas, cùm Auic. Fen. 1. 1. doc. 3. c. 2 velit ipsum calidissimum esse eorum, quæ sunt in corpore nostro. Quod & secundo collectionum suarum, cap. 2. sensit Auerrois. Galenus verò 1. aph. com. 14. temperatum ipsum posuit. Benè (inquit) temperata est caloris innati substantia. Verùm cùm vel ipsa autorum consensione, omnium & ipsius naturæ rei, euidenter constet calidissimum esse spiritum, vt & ipsemet Gal. lib. de inæquali intep. est testatus, cùm vehementissimum in sinistro cordis ventriculo deprehendi calorem, si quis digitum immittat viuo adhuc animante, affirmat: illud certè confessum haberi debet, calidissimum esse spiritũ. Cur ergo tẽperatũ dixit Galenus? Non quidem collatione ipsius ad cutem omnium temperatissimam partium, vt cuius comparatione spiritus calidissimus sit, sed ad operationes corporis, quarum esse instrumẽtum verè temperatum dixit, hoc est ad iustitiam. Itaque harum merito temperatus est spiritus, id est, eam habens temperiem, qua exactissimæ, ac perfectissimæ actiones ab eo fieri possint: tum & caloris præter naturam respectu temperatus dicitur, cùm ille mordax, & acutus: hic suauis, & mitis, vt suprà citato aph. Gal. Quin etsi ad alios nostri corporis vapores conferatur, temperatissimus reperietur. Est enim spiritus attenuatus sanguinis optime elaborati vapor, atque per hæc omnis tollitur autorum pugnantia. A temperamento porrò, ceu ab omnium functionum opifice, atque duce omnes in nobis, quæ ad vitam salutémque conseruandam pertinẽt, functiones fiunt: Omnis enim natura nostra in temperie posita est, vt suprà cap. de natura diximus. Itaque nosse temperamenta medico in id necessarium, vt qualis vniuscuiusque

de temper.

2. *Humorũ temperamenta.*

De Spiritus temperament.

sit natura, probè scire possit: sine qua non probè cognita, neque seruari sanitas vllo modo, nec curari quæ præter naturam sunt, vllo pacto possunt. Sed hic iam finis esto.

De temperamentis, Hippocratis & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

TEMPERATA hominem non lædunt. *libro de vet. med.*

Labores, cibi, potiones, somnus, venus, omnia mediocria sint. *lib. epid. 6. partic. 6. aph. 5.*

GALENI.

TEMPERAMENTORVM tractatio, eam quæ de elementis est, proximè sequitur. *lib. 1. de temper.*

Temperaturam solis qualitatibus agentibus vicissim, ac patientibus fieri Arist. existimauit. *lib. 1 de elem. ad fin.*

E calido, frigido, cæterisque corpora temperata esse dicentes, quæ summè sunt talia, intelligunt: cùm vero animal, aut plantam, non item, quod nullum animal, aut planta, in summo tale esse potest. *eod. lib. ad princ.*

Temperamentum calidum non necessariò siccum est. *lib. 1. de temp.*

Temperaturæ simplices quatuor, & compositæ totidē. *lib. 2. de temp.*

Temperaturarum differentię nouem, & quænam sint. *lib. 1. & 2. de temp.*

Temperaturam quartam in anni temporibus, statui nō est necesse. *1. de temp.*

Temperiem animalis calidam & humidam, & ambientis nos aëris non similiter dici. *Ibid.*

Temperatura calida, quædam actu talis, quædam potētia, & quæ sit vnaquæque harum. *lib. 1. de temp.*

In temperaturarum quolibet genere, magnus excessus, atque defectus modus est. *libro 1. de temp.*

Temperamenta comitantur durities, & mollities, siccitas, humiditas, & reliqua ad elementorum mistionem consequentia. *lib. 2. de temp.*

Temperatio mixtorum ab extremis fit. *Com. 1. in lib. de*

nat.hum.super text. Ea est tum animantium.

Temperamenta, seu complexiones corporum, tum primam generationem, tum victus quoque rationem sequuntur. *libr. Quòd animi mores corporis temperaturam sequantur, ad fin.*

Temperatura cuiusque partis, in animalis corpore quænam sit. *lib.1.de temp. ad fin.*

Temperatam vnamquamque substantiam, vt animal aut stirpem cùm dicimus, ad naturam cuiusq; suam referimus, nō ad eam quæ ex cōtrariis, æqua prorsus proportione inter se coëuntibus resultat. Vt ficum verbi gratia temperatam dicentes, cùm talis sit, qualis maximè ficus esse natura debet. Sic de homine, cane, sue & aliis. *lib.1.de temp.*

Temperatum id dicitur, quod medium planè sit in vtroque contrariorum genere: vt non magis calidum quàm frigidum, humidum quàm siccum, *lib.1.de temp.*

Intemperatum id dicitur, vbi alterum contrariorum superat. *ibid.*

Qualitas aliqua in temperatura si exuperet, intemperies, si amplius, morbus, si plurimum mors est. *lib. 1. de temp.*

Temperamenta consequuntur durities, mollicies, crassitudo, habitus, & graticilitas, *libr.2 de temp.*

Temperamentum totius, in multis ęquabile per totum non est, *lib.2.de temp.*

Temperamentum maximè laudabile, quòd debitam partium conuenientiam, speciémque inculpatam habeat. *lib.1.de san.tuen.*

Temperamenta quatuor temporum anni, qualia. Quòd hyems frigida & humida, æstas calida & sicca, vel temperatum, autumnus inæqualis, sed in quo frigidum calido, siccum humido dominetur. *Com.1.in 1.de pop.mor. & 1. de temp.*

Temperaturæ, naturas magis, minúsve passibiles faciūt. *lib.3.aph.com.11.*

Temperatissima regio, est Zona quæ per Gnidum, & Coon extenditur, *lib.3.aph.com.14.*

Temperies naturalis, est sanitas. *lib.4.apho.com.39.*

Temperaturæ alteratæ in temporibus, quæ & illorum mutationes faciunt, pariunt morbos. *lib.3.aph.com.1.*

Temperatura, quatuor elementorum dicitur natura. *3. aphorism. comment. 2.*

Tem-

Temperaturæ sunt nouem, vna optima, octo vitiosæ. *eod. com.* & *62.5.*

Temperaturæ calidæ bene ad hyemem, malè ad æstatẽ, frigidæ contra se habent. *ibid.*

Temperaturæ sunt causæ morborum, non tempora. *3. aph. com. 4.*

Temperatura calida & sicca incidit in tertianam. *4. aph. com. 59.*

Temperaturam bonam habentes, semper generabunt, etiamsi cum malam habentibus coeant. *5. aph. com. 62.*

Temperamenta propriam particularum substantiam complent. *1. de vsu par. cap. 9.*

Temperatura media dicitur esse, cùm ab extremis, quæ elementa sunt, æqualiter vtrinque distat. *lib. 1. de temp.*

Temperati natura reliquis præstantior. *lib. 1. de temp.*

Temperatum omnino est, quod in vtroque contrariorum genere medium exquisitum est. *lib. 1. de temp.*

Temperamentum medium nobis præparare licet, si aquæ feruenti parem glaciei modum misceamus. lib. 1. de tẽp.

Absque natura temperata, cæteræ intelligĩ non possunt. *lib. 1. de temp.*

Ad naturam temperatam intenti, sanitatis tuendæ victum inuestigamus. *eod. lib.*

Temperaturę ęqualitas in animalibus, cùm in eis ea mediocritas est, quæ ad potentiam refertur, non quòd paritas exacta contrariorum in his sit. *lib. 1. de temp.*

Homo temperie medium in vniuersa animalium specie, & substantia est. *eod. lib.*

Temperie medius in hominum specie, quem eusarcon appellant, id est, quadratus, qui neque gracilis, neque crassus, neque iusto calidior, frigidior, humidior, sicciorve fuerit. *lib. 1. de temp.*

Optimè temperatus homo, tum hominum, tum reliquorum animalium norma. *lib. 1. de temp.*

Cutis manus humanæ, omnium eius partium temperamento media. *eod. lib.*

Instrumentum tactus mediam temperaturam in tota substantia habet. *lib. 1. de temp.*

Ver temperatum ob id antiqui dixerunt, quòd nulla qualitatum in eo exuperet. *lib. 1. de temp.*

Veris temperatura non cæteris anni partibus comparanda, sed per se æstimari debet. *eod. lib.*

Optimam temperaturam, in adolescentia corpus obtinet. *lib. 6. de san. tuen.*

Temperatum in vniuersa rerum natura, est quod elemétorum portiones æquales habet. *lib. 2. de temp.*

Cutis hominis temperati, vniuersæ substantiæ, temperamento media est. *lib. 2. de temp.*

Temperata natura, cæterorum omnium prima, virtute, potentia, cognitionisque ordine. *lib. 1. de temp.*

Temperatissimum corpus, nón tantum magnitudine, ac paruitate, quantum cæterorum mediocritate definitur. *lib. de opt. corp. const.*

Temperatæ naturæ, morbis quàmdiutissimè resistunt. *eod. lib.*

Temperiem corporis fouendo, ad animi quoque virtutem conferemus. lib. Quòd animi mores corporis temperaturam sequantur.

Temperamentum vndecunque optimum ob id non inueniri, quòd à cibis, potionibus, vigiliis, motu, quiete, animi pathematis corpora continuè alterentur: ita vt omni momẽto ab his temperamentum immutetur, tum ab ætatibus, nũquam in eodem statu manentibus corporibus. *Lib. 1. de san. tuen.*

Temperatum hominis statum, regere salubriter docet Galenus in his, qui vitam ministeriis obnoxiam ducunt. *lib. 6. de san. tuen.*

Temperata, per abusum calida, quandoque nuncupamus, vt balneum temperatum, calidum nonnunquam dicimus. *lib. 4. de simpl. fac. cap. 2.*

Intemperiem inæqualem, interdum febrilis calor aptus est sanare. *lib. 6. aph. com.* 40.

Intemperies alia sanitatis, alia morbi est intemperies, & quæ sit vtraque nempe morbi, quæ à media temperie longissimè abest, sanitatis quæ paulùm. *lib. 2. de temp.*

Temperies, & intemperies contraria sese mutuò expellunt. *lib. 2. de fac. nat.*

Intemperaturarum omnium enumeratio. *libro 8. meth. med.*

Intemperies partium bifariam contingit, nempe cum affluxu

fluxu substantiæ,& sine eo *libr. 2. de sympt. cau.*

Intemperies æqualis, quando tota per tota mutata, alterataque sunt corpora. *lib. de ineq. intemp. ad fin.*

Inæqualitas temperaturæ fit à calore febrili. *lib. 6. aph. com. 40.*

Intemperies calida aut morbus quiuis alius, actionem primò per se lædit, non ex accidenti. *lib. 2. de nat. fac.*

Intemperies inæqualis, hoc ab æquali distat, quòd non æqualiter in omnib. intemperati corporis partibus, vt illa, subest. *lib. de ineq. intem.*

Intemperiei inæqualis causæ, cùm calidum ac frigidum, humidum aut siccum corpus simul, sed inæqualiter alterât. *lib. de morb. cau. c. 6.*

Intemperies inæqualis in anasarca, febribus hepialis, & reliquis omnibus, exceptis hecticis: tum in phlegmone, gangrena, erysipelate, cancro, elephante, phagedæna, & herpete gignitur. *lib. de inæquali intemp.*

Inæqualis intemperatura, interdum vrinæ difficultatem facit. *lib. 7. aph. com. 49.*

Intemperies inæqualis dolores creat. *lib. de inæq. intemp.*

Intemperierũ corporis inæqualium, salubria præcepta. *lib. 6. de san. tuen.*

Intemperati corporis status omnium deterrimus, qui frigiditatem, & siccitatem exuperantes vtrasque habet. *lib. 6. de san. tuen.*

Intemperati corporis status, vt salubriter regendus expositio. *libr. 6. de san. tuen. à princ. in med. ferè lib.*

Intemperies corporis calida, vt regenda. *lib. 6. de san. tuen.*

Intemperies calida, & humida maximè omnium morbis tum aliis, tum maximè febribus exposita. *lib. 8. meth. med.*

Intemperatæ naturæ, atque temperies, quibus non mutádæ, sed seruandæ magis sint: nempe his qui vitam seruilem ducunt. *lib. 6. de san. tu.*

Intemperamẽtum orignale, dum ægri sunt, non emendari debet, sed dum sunt sani. *libr. 8. meth. med.*

Intemperies partium, si iuxta vtranque qualitatem plurimum excedat, incurabilis: sin iuxta alteram tantùm, sanatur. *lib. 7. meth. med.*

Intemperies aliæ similium exhibitione facillimè morbidę fiunt, aliæ non ita. Calidæ enim & frigidæ, citò morbosæ

fiunt humidæ,& ficcę non perinde.*lib 6.de san.tuen.*

Intemperaturæ partium calidæ,ac frigidæ curātur facilè, cęteræ difficilius.*lib.7.meth.med.*

Intemperies humida,siue sola,siue iuncta cęteris,facilè curatur.*lib.7.meth med.*

Intemperaturarum frigidarum salubria præcepta. *lib.6.de san.tuen.*

Intemperaturæ frigidę ac humidæ,item calidę & humidę, salubria præcepta.lib.6.de sa.tu.

Intemperatis naturis omnibus salubriter regendis commune præceptum, nempe vt eas corrigas quidem contrariis, sed dum planè in ocio sunt:serues autem similibus,quum per negotia sibi vacare non possunt. *lib 5.de san. tuen.13.*

Intemperaturæ emendandæ sunt , dum valent homines, non dum ægrotant,aut de se queruntur.*lib.8.meth. med.15.*

Intemperierum in partibus curandarum indicatio, ab ipsa ducitur natura laborātium,à temperie primum, ab eo quod actio eius reliquis partibus vtilis sit, à figura partis, à positura,ab ipsa sentiendi acrimonia,& hebetudine.*lib 7.meth. med.*

Intemperiei siccæ absque materia , consistentis in ventriculo curatio.*lib.7.meth.med*

Intemperiei calidæ & siccæ,ventriculi curatio.*Ibidem.* Itē, & omnium ventriculi intemperierum.

Intemperamenti quod intra sanitatem est , quòd nulla functio animalis adhuc læsa est.*lib.2 de temper.*

Intemperies,quæ intra sanitatis limites sunt,vt emendandæ:nempe contrariis,si in otio sint : similibus, si in negotio. *lib.5.de sanit.tuen.*

Intemperaturarum enumeratio , tam simplicium , quàm compositarum.*3.aph.com.16.*

Intēperies omnis immodica,operationem exsoluit. 2. *aph. com.20.& 22.*

Intemperatura sola,interdum leuitatis intestinorum causa.*3.aph.com.30.*

Intemperies sola, partium respirationi seruientium tussim facit.*3.aph.com.23 & 4.aph com 54*

Intemperatura sola partium trahit interdum humores ex locis vicinis.*4.aph.com 54.*

Intemperaturæ , magnitudine sua operationes lędentes, ex morborum genere sunt.*5.aph.com.57.*

Intem-

Intemperatura vesicę, interdum causa imbecillitatis eius, & stillicidij vrinę. 5. *aph. com.* 58.

Intemperatura, interdũ dolorẽ capitis facit. 6. *aph. com.* 10.

Quod à temperie naturali exiit, morbus est. 4. *aphor. comment.* 39.

Intemperatura sola, interdum vigiliarum causa. 2. *aph. cõ.* 3.

Intemperans victus, est podagræ causa. 6 *aph com.* 28.

Intemperaturę nonnunquam fiunt habituales: sic vero nominant illas, quę ipso corporum habitu lęso fiunt, & quandoque frigidam pituitam. 4 *aph com* 12.

Intemperatura inęqualis circa ventrem fieri non potest, vt in longum extendatur, si omnia circa ęgrum oportuna fiant. 7. *aph com* 22.

Temperatam, intemperatámque naturam aliquò respicientes iudicare oportet: nempe ad medium intenti Aristoteles, Theophrastúsque prodidere. *lib.* 1. *de temp.*

Temperamentorum agnitio ab iis incipienda, quę in quoque genere media sunt, & temperata. *lib* 1. *de temp.*

Temperamentum medium, tum in singulis animalium generibus, tum in vniuersis cognoscere, cuiuslibet hominis nõ est: sed diligentis in primis, & qui per longam experientiam, & multam particularium peritiam, inuenire medium queat. *lib.* 1. *de temp. ad fin.*

Temperamentum, quod in vniuersa substantia medium est, ex mistione extremorum conflatur. *lib.* 1. *de temp.*

Corpus, de cuius temperie iudicandum est, modicè calens esse oportet. *lib.* 1 *de temp.*

Medij in animalium speciebus temperamenti notę, actionum perfectio. *eod. lib. ad fin.*

Cutis affectus, quando super temperatura iudicet, & quãdo non. *lib.* 2. *de temp.*

Cutis, in temperatis regionibus subiectarum partium tẽperiem monstrat, non sic in intemperatis. *lib.* 2 *de temp.*

Siccum totius temperamentum esse, non rectè è caluicie iudicatur. *lib.* 2. *de temp.*

Partium temperies vbi varia est, ex vna earum de toto corpore pronunciare non licet. *lib.* 2. *de temp.*

Temperamenta hominum considerantibus, partes singulę examinandę sunt. *lib.* 2. *de temp.*

Animalium temperaturę à natura, & per ętates, & pro

ambientis nos aëris temperie, regione, & tempore anni, non parũ a se inuicẽ sunt diuersæ. *lib.10.de simpl. fac.cap.de sudore.*

Nasus aduncus, vel simus non rectè temperamenti totius nota est. *lib.2 de temp.*

Temperatæ naturæ nota, mediocritas inter gracilitatem, corpulentiam, & adipem. *lib.2.de temp.*

Tẽperatura partiũ cuiusq; è functionibus noscitur. *lib.eod.*

Calida & sicca intemperies, hirsuta est. *lib.2.de temp.*

Frigida omnia temperamenta, nuda pilis sunt. *lib eod.*

Temperatus homo is est, qui medius horum extremorum est, gracilitatis, crassitudinis, duritiei, mollitiei, caloris item, & frigoris, & aliarum qualitatum. *lib.2 de temp.*

Temperatum corpus probatissimi succi est, & ob actionũ præstantiam morbis est minimè obnoxium, & à iusto modo vix ægréque dilabitur. *lib.de opt.corp.constit.*

Temperatæ ac validæ naturæ causis morborum diu, multúmque resistunt, imbecilles & intemperatæ facilè capiuntur. *lib.de opt.corp.const.*

Temperaturam totius indicaturos, attentos esse oportet, sítne æquabile corpus. *lib.2.de temp.*

Ex vna particula, de totius tẽperamẽto iudiciũ ferre tũ licet, cùm eadem omnium temperatura est: alioqui non licet. *lib.2.de temp.*

Constitutiones omnes, & tẽperaturas, methodo quis facilè habebit, si à simplicissimis aëris intemperaturis exorsus, in paruas, vehementes, ac medias diuiserit. *3.aph com.14.*

Locorum terræ variorum temperamenta, nempe Ponti, Libyæ, Ægypti, Thraciæ, & maritimorum locorum, ad hæc Gnidi, & Coi insulæ. *3.aph.com.14.*

Temperamenta medicamentorum, è saporibus quomodo æstimare liceat. *lib.5.de simpl.fac c.26.*

Temperata esse medicamenta ex eo iudicandum, si actu ita calida, vt corpora nostra fuerint. *lib.3. de simpl fac.cap.7.*

Temperaturarum simplicium medicamentorum, cuiusuis generis ordines seu gradus. *lib.3 de simpl fac.cap.13.*

Ad mediam temperiem medicamentorum facultates expendere oportet. *lib.3.de simp.fac.c.13.*

Temperamentó cuique peculiares morbi. *Com.1.in primum de pop.mor.super text. In Thaso.*

Tẽperamenta corporũ, pro naturis, & ætatibus alterãtur. *Com.eod.*

Tem

Temperaturæ siccæ, humidis salubriores. 3. *aph. comment.* 11. *& com.* 15. *& com.* 17. *& 6. aph. com.* 2. (*feb. cap* 9.

Tẽperaturæ siccæ, hecticis febribus obnoxiæ. *lib.* 1 *de diff.*

Temperamenta biliosa facilè febribus corripiuntur diariis. *lib.* 8 *meth. med. cap* 2. *&* 3.

Temperaturæ biliosorum hominum, & dum valent, & dum de se queruntur, cõmune consilium est, vt fluxile, & trãspirabile reddatur omnino corpus. *lib.* 8. *meth. med. c.* 5.

Temperaturarum calidarum refrigeratio, per cibos maximè præstatur. *lib.* 8 *meth. med. c.* 2.

Temperamenta biliosa in omni febre, ex inedia ad magnum discrimen ducuntur. *lib.* 8. *meth. med. cap.* 3 *ad fin.*

Temperaturis calidis & siccis, inedia si sani sint, noxia, sin febriunt, plane perniciosa. *lib.* 10. *meth med. cap.* 5.

Temperaturis calidis & siccis, cur inedia noxia, demonstratio. *lib.* 10. *meth med. cap.* 3 *&* 4.

Temperaturæ biliosæ, in ipsis accessionibus quandoque cibandæ: & magis adhuc ante accessiones. *lib.* 10. *meth. med. cap.* 3. *&* 5. historia probatum.

Temperaturæ calidæ & humidæ qui sunt, logæui sunt, & plus cæteris sanitate fruuntur: vbi ad robur ætatis peruenerint, & robustiores ad senium vsque sunt, in pueritia tamen fluxionum, & redundantiæ morbis maximè tentantur. *lib.* 6 *de sanit. tu.*

Temperamentum maximè durabile, calidum & humidum. *eod. lib.*

Temperaturis calidis & humidis plus laborandum, ob corporis humiditatem. *lib.* 5. *de sanit tu. ad fin.*

Temperamentum calidum & humidum, plenitudinis morbis obnoxium, synnanchæ, destillationibus, hæmorrhoidibus, sanguinis manationi, peripneumoniæ, laterum compunctionibus, ophthalmiis, & cæteris à plenitudine. Quibus morbis sanguinis missione, vel purgatione occurrere oportet, si sectionem venæ recusent. *lib.* 5. *de sanit. tuend. ad fin.*

Temperamentum aëris calidum & humidum, omnium pessimum. *lib. de temp.*

Calida & humida natura, æstate & hyeme bene se habet. 3. *aph. com.* 2.

Temperaturæ pituitosæ, inediam ferunt facilè, contrà biliosæ. *lib.* 8. *meth. med.*

Naturę imbecilles, à causis morborum facilè corripiuntur: temperatæ diutissimè resistunt. *lib. de optima corp. constit. & 10 meth. med.*

Temperaturæ calidæ & siccæ, nisi cibentur, ex ephemeris facilè in acutas transeunt. *lib. 8 meth. med. cap. 8.*

In temperatura frigida & humida, ab inedia fructum sentit. *lib. 8. meth. cap. 8.*

Temperamenta frigida & sicca, citò senescunt. *lib. 5. de sanit. tu.*

Temperamenta calida & humida facilè, & optimè nutriuntur: contrà frigida & sicca. *lib. 3. de sympt. cau.*

In calidiore & sicciore fœtus temperatura, marem: in frigidiore & humidiore, fœminam procreari. *lib. 2. de semine.*

Calidæ & humidæ temperaturæ, plurimo semine & fœcundissimo abundant. 5. aph. com. 63.

Raritas corporis, in calidioribus & humidioribus prouenit temperaturis. 5. *aph. com. 63.*

Temperaturæ cuique quis aër conueniat. *lib. 1. de sanit. tu.*

De humoribus, & humorum generatione.

CAP. XI.

QVosdam Erasistrati, & Asclepiadis sectatorum ostendere esse conatos, sermonem de humoribus, ad munia medicæ artis inutilem haberi, ostendit libro de atra bile Galenus, hanc ipsam de humoribus tractationem, medico valdè necessariam esse indicans. Nam cùm ex humoribus omnibus, & natum esse hominem, & enutritum lib. de nat. hu. affirmet Hippocrates, testetúrque ex eius mente 2. de elementis Galenus: satis ex eo constat, medicæ arti tractationem hanc apprimè vtilem ac necessariam esse. Equidē cùm omnium entium communia esse elementa, eadémque prima, calidum, frigidum, humidum, ac siccum Hippocrates demonstrarit, alterum item elementororum genus idem nos edocuit, quod neque primum, neque commune omnibus esset, sed proprium tantùm animalium sanguineorum, nempe sanguinem, pituitam, flauam, & atram bilem. Quæ quidem generationis animalium sanguine præditorum propria elementa esse idem verissimè Hippocrates affirmauit. Sunt enim, vel autore Galeno, humanæ naturæ peculiaria elementa, sanguis, pituita, atque vtraque bilis. Quamobrem cùm ex quibus constemus scire medico admodum nessarium

Com. 1. ad li. de nat. hũ. super textu illo: cũ igitur natura.

rium sit: constare autem nos ex humoribus, ceu ex primis naturæ nostræ initiis, euidentissimum sit, atque Hippo. demonstrarit, vtilissimam certe esse, eandémque necessariam de humoribus tractationem, certissimum haberi debet. De ipsis autem humoribus hæc inprimis cognoscẽda. Quid humoris nomine in præsens intelligamus, qui, & quot numero ij sint, quis eorum in corpore vsus, demum quæ cuiusque humorum propriæ dotes. Humoris nomen & varium est, & latissimè patet. Sumitur enim generaliore suo significato pro omni humidiore substantia in corpore cõtenta, siue ea naturæ vtilis, sed minimè sit: qua quidem in significatione, excrementa etiam corporis, quæ liquida sunt & fusa, veluti vrina, sudor, screatus, mucus humoris nomine conprehenduntur. Atque de hoc nobis in præsenti tractatione sermo non erit: verùm de humoribus iis, qui & materiæ in nobis vices tenent, & naturæ actione geniti, magnos humano corpori prestant vsus: quos & ipsos ea ratione naturales iure optimo appellare solemus. Sunt itaque humores, substantię quędã humidę, ex prima eorum quę eduntur, ac bibuntur commixtione genitę, vel fluxiles, ac liquidę quędam substantię, in quas alimenta actione naturę transmutantur, vt rectè Auicenna definiuit. *Auicenna fen. primi doc. 4. & 5. cap. 1.* Equidem cùm ali humanum corpus ob fluxilem, & continuò dissolubilem eius substãtiam omnino oporteat, vt quantum eius inanitum est, alimẽtorum subsidio resarciatur, nec alimentum ipsum per se, nisi variè transmutatum, atque alteratum pręstare id possit: efficitur profectò, vt naturę actione in ea vertatur alimentum, quę alendo corpori familiaria magis sunt, & in eius substantiam verti promptiora, ea autem humores sunt. Ab his enim & consistimus, & alimur vel Hippocratis testimonio. Ea autem Galenus 2. de elementi, animalium sanguine prędítorum elementa esse statuit. *lib. de na. hum.* Sunt porrò in vniuersum quatuor hęc, Sanguis, Pituita, Flaua bilis, & Atra, quę Hippocrates omni tempore, omni ętate, in homine esse (etsi alia alio tẽpore, atque ętate, magis minúsve vigere, atq; dominari) lib. de natu. hum. docet. Lepidissimo autem exemplo id Galenus, cùm secundo de naturalibus facult. tum libro quarto de vsu partium demonstrat: collatis vtique ad vinum mustæũ humoribus. Chylum enim, qui ex ventre per venas ad hepar transfertur, humido liquori, pręcocto quidem iam &

priùs elaborato, indigenti autem adhuc perfectiori concoctione, confert eo loci Galenus: nempe vino nuper ex vuis expresso, quod in dolia infusũ, ab innata eius caliditate adhuc elaboretur, concoquatur, & ferueat, secernatúrque, vtile futurum ab inutili. Prout enim in musto ad hunc modum vinatiui caloris elaborato, diuersas quatuor partes substantia ac viribus dissidentes intueri licet, nempe id quod verè vinum est, eius florem, spumam, atque fęcem, sic & in corpore sanguinem, pituitam, bilem flauam, atque atram, quę his proportione respondeant cernere est. Sanguis enim similitudine quadam vino, pituita spumę, bilis flaua flori in vino, atra fæci respondet. Etsi Galenus ea in comparatione de bili tantùm, & atra bili sermonem faciat. Vt autem ad horum cuiusque naturam explanandam perueniamus, sciendũ sanguinem, vel omnium communi consensu humorem esse calidum & humidum, substantia mediocrem, colore rubeũ, sapore dulcem: pituitam frigidam atque humidam, substantia quidem lentam, ac viscidam, colore albam, saporis ferè expertem, bilem flauam, calidam & siccam, substantia tenuem, colore pallidã, seu flauam, sapore amaram: atram verò bilem, seu potius sanguinis fæcem, frigidã natura & siccam, substantia crassam, sapore accidam, seu acerbam potius, vt de his humorum qualitatibus ex professo tractans libro de atra bile Galenus abundè docet. Atque hæc in vniuersum humorũ natura est. Quæ si nullatenus fuit vitiata, tum certè salubrẽ pariũt humores iȷ homini statum, tumq; secundùm naturam se habere iure animal dicitur. Ab his enim (Hippocrates inquit) & valet, & consistit, & ægrotat homo. Valet quidem præcipuè, cùm ea inter se vim & copiam mediocriter temperatas, maximéque permistas habuerint, Contrà, laborat, cum eorum aliquid est plus minúsve iusto, siue in corpore secretum est, neque cum alijs confusum. Sanitatis itaque in nobis, aut morborum, varij generis humores hi in causa esse censendi sunt: ac proinde humores hos, modo secundùm naturam se habere, modo præter naturam dicimus. Secundùm naturam quidem, cùm & ipsi tum seorsim, tum inter sese iustam seruant in sua eorum substantia, quantitate, & temperatura symmetriam, ac commoderationem, qua salubrem seruare hominis statum queant. Præter naturam verò, cùm vel in substantia, aut excessu, atque defectu,

Lib. de nat. hum.

ctu,vel in temperatura vitium subest,túmque ægrotationem pariunt. Habent enim singuli quique humores suos in crassitie,lentore,tenuitate, calore, frigiditate; humiditate,ac siccitate:tum excessus,atque defectus proprios veluti fines, quibus naturales dici meritò possint. Vtpote sanguinem naturalem tum dicimus, cum calidus atque humidus moderatè, substantiæ mediocris,colore rubeus,sapore dulcis fuerit. Qui & ipse,si vel propriæ naturę vitio,aut putredine, vel alterius cuiuspiam vitiosæ substantiæ immistione, à suo ipsius statu immutetur,vitiosum iam & non naturalem euasisse eum,iure pronuntiamus. Vnde fit, vt putrescente sanguine, quod illius tenue est,in bilim flauam,quod crassum, in atram bilé, vel autore Gal.degeneret. Quin & absque putredine ipse, seipso interdum aut calidior,aut frigidior, crassior, tenuiórq; euadit. Nonnunquam vero alienæ cuiuspiam eiúsque vitiosæ substãtiæ contagione, aut atrabiliarius,aut pituitosus, biliosus,serosúsque efficitur:vnde varios sæpe ob horum commixtionem,tum colores, tum sapores nanciscitur: amaritudiné, salsedinem,acerbitatem,nigrorem, flauitiem, & albedinem, pro ratione superantis in eo humoris. Sic quoque & pituitã secundùm naturam censemus, quæ temperatura frigida sit & humida,substantia lenta,colore alba, saporísque penè expers:quæ enim talis fuerit,apta est, vt naturę actione in sanguinem non raro vertatur, cùm sit vtique sanguis potentia, hoc est sanguis non plenè coctus, qui concoqui tandem caloris natiui ope,ac probè elaborari,ac confici possit. Ac proinde nullum huic natura instrumentum peculiare ad expurgandum condidit,propterea quod, frigida humidáque cùm sit, ac veluti ex dimidio coctum nutrimentum, desiderat is succus non vtique vacuari, nec vlla in parte priuatim consistere (veluti bilis tum flaua,tum atra, quarum alteri natura lienem,alteri folliculum hepati subtẽsum peculiariter dicauit,ne cum sanguine confusæ ipsum vitiarent) sed magis in corpore manens alterari. Quod enim pituitæ in ventriculo generatur, ac cum humoribus, qui ex cibo, ac potu in iecur digeruntur,perfertur, dum cum iis vnà concoquitur,sanguis euadit. Quod vero in regione ventriculi reliquum est, à defluente ex iecinore in intestina bile extersum per inferioré ventrem egeritur. Quæ docta Gal. cùm lib. de atra bile, tum secundo de facul. natur. sententia est. Tum verò in id etiam

Lib. 2. de dif. feb.

per vniuersum corpus ferri pituitam necessarium fuit, vt artus omnes, & quæ voluntario motu agitantur membra, humectari ab hoc succo ne nimio motu arescant, commodè possint. Pituitę vero perinde atque aliorum humorum, vt genus quoddam vtile naturaléque in animalibus est, pręsertímque in homine, sic genus aliud quoddam inutile, ac pręter naturam. Quod enim pituitę dulce est, & in venis cum sanguine fertur, id salutare est animanti, & naturale: quod vero acidum salsúmve est, id omnino inutile, & præter naturam. Acidum enim omnino crudũ est, salsum vel ex putredine, vel ex salsę serosę humiditatis admixtione ortum habet: vtrumque autem inutile, & præter naturam. Nec solùm hęc duo pituitę pręter naturam genera statuenda sunt, sed plurima quoque alia est etiam inuenire, nempe valdè tenue & aquosum, tum aliud quoddam crassum, lentum, ac muci speciem referens, quod sępe distillationibus expectorari, atque screatu eiici plane videmus. Quin & in tantam sępenumerò crassitiem euadere pituitæ certum quoddam genus cernimus, vt in tophorum duriciem, instar gypsi (vnde Gypseum merito dictum est) concrescere ipso sensus iudicio cernamus, vt in articularis doloribus nõ rarò experimur. De salsa verò pituita, num ex terrestrium partium, atque adustarum, & amaritudine infectarum, cùm ipsa admixtione (vt ex professo voluit Auicenna) gignatur: num vero potius ex putredine, aut serosæ cum ipsa humiditatis confusione, vt Galenus, quoniam hac de re tota copiosissimè in nostris enarrationum medicinalium libris enarratione septima prioris libri dictum est, alia in præsens non adiiciemus, & ad id quod propositi nostri est, stylum vertemus. esse inquam rursus pituitæ genus quoddam, quod vitro liquato simile cùm sit, vitreum humorem merito Praxagoras nuncupauit. Sæuissimos hic cruciatus, doloresque acerbissimos creare solet, si vno ipsum loco vi contineri accidat, vel luculẽtissimo Galeni testimonio, qui tantos se ab vitreo hoc humore pertulisse dolores recenset, vt intestina sibi terebra perforari crederet, iniectóque rutaceo calenti cùm calculum se pati existimaret, vacuata tandem ingenti vitrei humoris copia, dolore omnino leuatum, vt ipse de se secundo affectorum locorum, explicata tanti symptomatis luculenta historia narrat. Sed iam de pituita satis. De bili vtraque modò dicendum. Medicis

Et 2. de natu. fac.

Fen. 1. primi doc. 5. c. 1.

his porrò solemne est, vt cùm bilim absolutè proferimus, de flaua intelligamus, vti Galenus lib. 3. de alimentorum facultatibus, cap. de melle, & lib. de tumo. præter naturam, atque com. 3. & 5. in sextum de popularibus morbis super textu, Lingua Lotium significat, conceptis verbis affirmat. Hic itaque humor substantia tenuis, calidus & siccus potestate, colore pallidus, seu flauus, sapore amarus suapte natura esse solet. Gignitur in his potissimùm, qui calidiore siccioréque têperatura, cùm totius habitus corporis tũ verò hepatis præditi sunt. Ij enim multa bili abundare dicũtur, præsertim si calido victui, laboribus, inediis, vigiliis, & grauibus animi curis dediti sint, si item in regione, & tractu cœli calido, vitã degant. Bilis porro vel Galeni, & Auicennæ testimonio duplex esse deprehenditur, naturalis altera, altera prę̈ter naturã naturalis. *Naturalis* (inquit secundo de facul. natur. Galenus) *quod in nutrimento assum, ac veluti vstum calidissimúmque ac dulcissimum est, id flaua bilis est, nempe tenue quid, humidum & fluidum, non quale cùm ad vltimum est exustum flauum, igneum, & crassum, vitellis ouorum simile, hoc nanque præter naturam iam est, alterum verò secundùm naturam.* Ab immodico autem calore hunc gigni humorem, idem ipse præcitato de naturalibus facul. lib. abundè testatur, sicuti & ipsam quoque bilim vnà cum sanguine in iecinore, & venis ortus sui initia ducere. Esse autem bilim sanguinis spumam, non Auicenna solùm, sed & ipse Galenus conceptis verbis lib. de vsu partium. 4. astruxit, dum humorem hunc flori in vino supernatanti, veluti atram bilim subsidenti fæci apposita similitudine confert. Vult enim chylum in hepate à visceris caliditate velut vinum ipsum musteum feruere, concoqui, alterari ad sanguinis vtilis, & benigni generationem. In ebullitione vero eiusmodi, hanc quidem eius superfluitatum subsidere, quantacunque est lutosa, & crassa: hanc autem, quæ est subtilis & leuis, veluti spumam quandam supernatare sanguini. Constat igitur bilim, sanguinis veluti spumam esse. Quod quidem ipsum in sanguine, qui secta vena à biliosioribus corporibus manat, perspicere est. Tenuem enim quandam, aqueamque in eo substantiam colore quidem flauam, consistentia vero subtilem, & leuem supernatare videmus, quam esse bilim certò scimus. Huius porrò multa portio vnà cum sanguine, vasa permeat ad membra biliosa enutrienda, sanguinemque attenuãdum:

Gal. 2. de nat. facul. Auic fen. 1 primi doc. 4. cap. 1.

reliquum verò ad vesicam felleam, ceu superfluum, ac noxiũ futurum, nisi à sanguine secerneretur, à natura transfertur, tum vt sanguis ipse totus ab hoc humore detersus, ad alendum aptior reddatur, tum vero vt ab eo intestina, ab excrementis & pituita multa viscida detergantur, vellicationéque sua, & mordicatione ad egerendum promptiùs excitentur. Atque ij bilis huiusmodi, quæ secundùm naturã est, vsus sunt. Bilis autem præter naturam varia genera sunt, vitellina, porracea, æruginosa, cærulea, & isatidis colorem referens, vt Galenus 10. de simpl. cap. de felle testatur. Vitellina ex assatione bilis, quæ secundum naturam est (si quid Galeno creditur) prouenit: si quid Auicennæ, ex pituitæ crassæ cum bili commixtione. Vtrumque autem accidere, in ægrotantium plurimorum excretionibus experimur. Interdum enim crassam bilim, vitellis planè ouorum simillimam, candémq; viscidam pituitæ admixtione est cernere: interdum verò siue hac, crassam & valde assatam, vt in ardentibus febribus, & quibusdam tertianis conspicari licet. Porracea vero ex maiore assatione, sicuti & æruginosa, prouenire creduntur. Sed porracea, & æruginosa magis in ventriculo (etsi nonnunquam in venis) gigni, vel Galeni testimonio solent: vitellina magis in iecinore & vasis. Sequitur atra bilis, cuius essentia (eius dico quæ secundum naturam est) fęx esse sanguinis dicitur, & pars illius crassior, ac veluti terrea magis, quæ sanguini mixta, alendis membris frigidis ac siccis qualia ossa sunt, seruit. Est autem humor hic substantia crassus, & densus, atque ob id etiã grauis, temperie frigidus & siccus, terræ proportione respondens, color ater, aut liuidus, sapore acerbus. Plurimum verò illius in lienem, ceu vasculum illi à natura apparatum deducitur, vt sanguinem puriorem, hac feculenti humoris secretione natura afficiat: sicque alendo corpori, magis fit ex vsu. Nascitur porrò ex crassiore alimenti parte, vt lib. de atra bile, & secundo de facul. natu. Galenus affirmat. Huius porrò præter naturam species multæ, ac differentiæ sunt, túmque verè quicquid ita genitum est, atra bilis nuncupatur. Nam quæ secundum naturam est, ea melancholicus succus Galeno nuncupatur: non sic autem atra bilis, vt secundo de facul. nat. & lib. de atra bile videre est. Omnes verò atræ bilis præter naturam differentiæ, vel vstione inmodica, & incineratione, vel putredine gigni asseuerat,

lib. 2. de natu. fac. fen. 1. primi doc. de hum.

2. prognost. comm. 39. & libr. de atra bile.

memo-

memorato de facultatibus naturalibus libro Galenus. Num verò à pituita exassata, vel valdè putrente fieri atra bilis possit, etsi autor definitionum medicinalium, atq; cum eo Auicenna id statuât, nusquam tamen quicquam ea de re à Gal. est proditum, nec fieri id ego posse existimo, vt plenius lib. enarrationum mearum sexto, enarratione decima explicaui, vt hîc repetendum minimè videatur. Atque hæc de humoribus breuiter dicta sint: si modo illud adiecerimus, quonam secundum naturam loco, humores omnes contineantur, & quæ cuiusque horum propriæ dotes, quæ enarranda proposuimus. Consistunt autem omnes in vasis per naturam humores, vnà cum sanguine confusi, præterquàm quod ex illis in suas proprias sedes relegatum est, nempe bilis in folliculum hepati subtensum, melancholici succi in lienem. Sãguis porro suaptè natura si purus, nitidúsque fuerit, bene carnosos, hilares, facetos, in risum pronos, moderatos, venustos, ac bono habitu coloréque præditos, & ingenio bono facit, longæuos etiam. Hic in venis, & arteriis continetur, vt dicato ad id libro Gal. probat, quærens, num sanguis in arteriis contineatur. Sed hic altero, qui in venis continetur longè tum calidior, tum tenuior, & flauior est, vt idem autor primo de locis affectis mox ad initium testatur. Sanguificationis opifex viscus iecur est, vt lib. 4. de vsu part. Galenus docet. Pituita, segnes, obesos, tardos, somnolentos, malè coloratos, & ad actiones seu naturæ, seu voluntatis obeundas ineptos, ad hæc ingenio stupidos, & obliuiosos reddit: atque iis (vt Cicero ait) anima pro sale veluti suibus data est. Flaua bilis citos, acutos, solertes, ingeniosos, iracundos, mente leue, corpore agiles, macilentos, & colore ex rubro flauescentes, calidósque ad tactum facit: prout atra bilis, desides, dolosos, perfidos, morosos, tristes, timidos, & pusillanimes, & colore lurido aut plumbeo coloratos, ad hæc frigidos, & malè concoquentes reddit. Sed si moderata, & sanguinis puri radiis illustrata fuerit, ingeniosos, memores, & ad magna paranda facinora aptos facit, vt Aristot. 30. sectione problematum, problemate. 1. & Marsilius Ficinus lib. de triplici vita doctissimè explicauerunt; egóque hanc rem totam longissima serie libro enarrationum medicinalium sexto, enarratione decima sum prosecutus. De vsu verò humorum iam dictum est. Sanguinis hunc esse vsum, vt nutriat: solus enim

Fen. 1. pri. doc. 5. c. 1.

ſanguis nutrit, vt rectè Ariſtoteles indicauit. Pituitæ, vt interdum coctione perfectiore in ſanguinem vertatur, artúſque humectet. Flauæ bilis, vt expultricem inteſtinorum facultatem promoueat, & à pituita multa, quæ illic ſubeſt expurget, ac deterreat. Atræ bilis, vt ventriculi actiones, acerbitate ſua ventrem intendens, & in ſeipſum contrahens, ac corroborans, firmet, & comprehendere exquiſitè cibos, & retinere, quoad ſufficienti in eo mora caloris natiui actione concocti ſint, cogat, vt Galenus lib. de vſu partium quinto. cap. 4. ſub finem conceptis verbis oſtendit: non autem vt famem & appetentiam excitet (vt ſenſiſſe apertiſſimè viſus eſt Auicéna) in ventriculum atra bilis confluit. Non enim id præſtare atra bilis poteſt, ſed tantùm ventriculum cogere, ac contrahere, vt cibos mora conuenienti concoquat, vt docta fuit Galeni ſententia.

5. de vſu. par. cap. 4.

De humoribus, Hippocratis & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

HVMORES quatuor ſunt, tam in viris, quàm in mulieribus. *lib. de morbis ad initium.*

Humoribus quatuor fontes à natura dicati ſunt: Sanguinis fons cor eſt, Pituitæ caput, Aquæ ſplen, Bili locus folliculi in hepate. *Ibid.*

Animaduerſio in hunc Hippocratis locum.

Quòd Aquæ locum velit eſſe ſplenem, à veritate, & omni medica ratione alienum eſt, cùm ſplen non aquæ fons, ſed atræ bilis receptaculum ſit à natura inſtitutum, vt libris de vſu partium belliſſimè docetur. Quamobrem Hippocratis non eſſe hunc librum, coniici iurè poteſt, quod, etſi præclara multa continet, multa etiam ab ipſiuſmet Hippocratis doctrina abhorrentia.

In cibis, ac potibus, & bilioſi quid eſt, & aquoſi, & ſanguinei, & pituitoſi, in alio plus, in alio minùs. *Ibidem.*

Humorem ſimilem cibis aſſumptis, trahit corpus per venas. *eodem libro.*

Humor in corpore diutius manens, noxius eſt. *Eodem libro.*

Humores copioſiores lædunt. *eod. lib.*

Si humor alius,alio copiosior fuerit, febris homini oboritur. *eodem libro.*

Cùm humor alium alius superat, homo repletus fit. *eodem libro.*

Humor in corpore ægroti,magis turbatur in imparibus diebus. *eodem libro.*

Si ab humore copiosiore non purgetur homo , in morbum incidit. *eodem libro.*

Humorum summas vires,ac robur nosse, est eorum potẽtiam,ac facultatem in corpore nosse. *lib.de veteri medicina.*

Humores purgantur quatuor locis:os,nares, podex, vrinæ meatus. *lib.4.de morbis.*

Humores quatuor,Sanguis, Pituita, Flaua, & Atra bilis. *lib.de nat.hu.*

Humorum mutationes considerandæ. *lib. de veteri medicina.*

Humorum species quatuor,sanguis,bilis,aqua,& pituita. *lib.de genitura, seu de semine.*

Galeni.

De humoribus tractationem inutilem esse,arti medicæ Erasistrati,& Asclepiadæ conati sunt ostẽdere. *lib.de atra bile.*

Humorum inquisitio, ad artem necessaria. *eodem libro.*

Humores quatuor esse, ex quibus humanum cõstat corpus,Sanguis,Pituita, & vtraque bilis. *In definitionibus medicis.*

Humores quatuor esse in nobis secundum naturam, qui tum redundantes quantitate , tum qualitate alterati , morborum causæ sunt,Hippocratis sententia. *lib. de nat. hu. & à Galeno 8.de placit. Hippo.& Plat.recitata.*

De humoribus rationem Hippocratis æmulati sunt Plato,Aristoteles,Theophrastus. *lib.8. de placit. Hippo. & Plat.*

Vnum humorem solum,hominem non esse. Demõstratio Hipp. *lib.de natu.hu.*

Ex humoribus omnibus natum esse hominem, ac nutriri Hipp.demonstratio,à Galeno citata. *lib.2.de elementis.*

Humores quatuor esse , & alium alio anni tempore redundare,demonstrauit Hipp.& citat Galenus *lib. 8.de placit. Hipp.& Plat.*

Humores quatuor elementa sunt animalium sanguine præditorum. *lib.2.de elementis.*

Humores quatuor, non ſunt propria elementa humanæ naturæ, cum omnium animantium ſanguine præditorum ſint communia. *Com. in libro de natura hum. ſuper textu. Cùm igitur natura.*

Humores quatuor, è quatuor corporibus ſimplicibus conſtant, calido, frigido, humido, & ſicco, hoc eſt, igni, aëre, aqua, & terra, *Com. 1. in libro de natura hu. ſuper textu, Dico autem ſanguinem.*

Humores quatuor differentes eſſe oſtendit Hipp. *lib. de nat. hu. ex medicamenti purgantis exhibitione.*

Humores differre, colore, craſſitie, frigiditate, calore. *com 1. ad lib. de nat. hu. ſuper textu, Dico autem.*

Humores neque viſu, neque tactu ſimiles apparent. *lib. de nat. hu.*

Humor quiſque calidus, frigidus, humidus, aut ſiccus dicitur, à qualitate in eo ſuperante. *Com. 1. in libro de natu. hum. ſuper textu, Ita homo.*

Humorum in nobis generatio, ex calore innato alimentum in venis alterante fit, ex mediocri calore quidem ſanguinem, ex immodico bilim, ex imminuto pituitam. *lib. 2. de natu. facul. cap. 8.*

Humorum in nobis generatio, vini muſtei exemplo oſtenditur. *lib. 2. de facul. natu. & 4. de vſu partium.*

Humores intra corpus ex cibis variis à calore vario, varij gignuntur, non antè erant in cibis. *lib. 2. de facul. natu.*

Humorum cæterorum, præter pituitam generatio in hepate fit. *lib. de atra bile.*

Humores quatuor, temporum anni viciſſitudinibus augentur, minuuntúrque. *Com. 1. ad lib. de natura hu. ſuper textu, Atque hæc quidem omnia.*

Humorum ad tempora anni collatio, & reſponſus. *Com. 1. in lib. de natu. hu. ſuper textu Ineunte hyeme bilis.*

Humores quatuor in homine, ita viciſſim dominantur, vt in anno tempora quatuor. *Com. 1. ad lib. de nat. hu. ſuper textu, In anno autem.*

Humorum iuxta ætates, generatio. *3. progno ſti. com. 30.*

Humoris cuiuſque natura, & temperies: quod ſanguis calidus & humidus: pituita frigida & humida: bilis calida & ſicca: atra bilis frigida & ſicca. *lib. de cau. morborum.*

Humores tum ſiccitate, tum humiditate ab inuicem differre,

ferre, cùm sit alius alio humidior: alius alio siccior, potestate intelligendum, cùm sint omnes actu humidi. *Com. 1. ad librum de natu. hum. super textu, Dico autem sanguinem esse &c.*

Humor melancholicus, frigidus & siccus. *lib. 2. de facul. natu. & lib. de morbo. cau. & lib. de atra bile.*

Humorum crassities tam à calido, quàm à frigido fit. *com. 18. in 2. prognosti.*

Humores tenues, aut crassos, quæ alimenta gignant. *lib. de boni & mali succi cibis; & lib. tribus de alim. facul. longa serie.*

Humoris cuiusque color cur talis fit, pituitæ albus, sanguinis ruber, pallidæ bilis flauus, atræ niger, ex Platone dissertatio. *lib. 8. de placit. Hipp. & Plat.*

Humor omnium notissimus, sanguis. *lib. de atra bile.*

Humores omnes in venis, & arteriis contineri demonstratio. *lib. de atra bile.*

Humores alij in alia corporis parte, magis dominantur. Sanguis in corde, pituita in capite, flaua bilis in iocinore, atra in splene. *In Introductorio.*

Humores tribus modis in ventriculo degunt, nam aut innatant, aut imbibuntur, aut inducuntur. *In defin. med.*

Humorum superfluitas, tum tenuium, tum crassiorum eiúsque generatio, & notæ. *Comment. 3. in tertium de popula. morbis. super textu, Lippitudines.*

Humores ad proborum morum generationem conferre docet Gal. com. 1. ad librum de nat. hu. super textu, Ita homo. affirmans à bilioso humore, animi dexteritatem & prudentiam poficisci, integritatis, & constantiæ autorem esse melancholicum humorem: sanguinem, simplicitatis, & stupiditatis: pituitæ naturam ad morum cultum nihil facere, sed in ciborum prima mutatione generari. *Eodem com. præcitato.*

Humores crudos in corpore, vel concoqui, & concoctione in sanguinem verti, vel putrescere necesse est. *lib. de boni & mali succi cibis.*

Humorum sapores per ambitum corporis, vti in lingua non percipi, quòd corpus sensu illo discernendi quo lingua prædita est, caret. *lib. 4. de simpl. facul. cap. 16.*

Humores concrescere posse in ventriculi & intestinorũ regionibus, in pulmonibus, aspera arteria, vesica, & vteris mulierum. *lib. de atra bile.*

Humorem à quoque pharmaco proprium trahi, ostensio. *lib. de atra bile.*

Humores à purgantibus medicamentis, priùs existentes in nobis trahuntur, non primùm mutantur. *lib. de Theriaca ad Pisonem.*

Humorem medicamento attractum, qui natura proximus est, consequitur. *lib. 2. de elem.*

Humores purganti medicamento minimè familiares in superpurgationibus euacuari contingit, vel ob vasorum infirmitatem, vel osculorum laxitatem, vel tandem purgantis mordacitatem. *lib. 3. de simpl. facul. cap. vltimo.*

Humores hoc ordine in superpurgationibus euacuantur: vt primùm omnium bilis, secundò pituita, tertiò atra bilis, omnium postremò sanguis educatur. *lib. 3. de simpl. facul. cap. 27.*

Humores, per vomitum electiuè ducuntur. *lib. 2. de elem.*

Humorum vitiosorum, & morborum causa, cruditas. *lib. de boni & mali succi cibis.*

Humor, vbi à cæteris separatus fuerit, dolorem parit, ac morbum. *Com. 1. in lib. de nat. hu. super textu, Necesse est enim.*

Humor quiuis, si syncerus sit, prauam affectionem indicat, præter vnum sanguinem. *lib. 2. prognost. comment. 47.*

Humorum vitium bifariam morbum parit, vel si non proba ipsorum mixtio sit, vel si sedem occupet alienam. *lib. 8. de placit. Hipp. & Plat.*

Humorum mordacium, secundùm plus & minus discrimina quatuor, & illorum symptomata. *lib. de plenitudine.*

Humorum putrescentium substantia, cùm febres consistunt atque declinant, in ambientem aërem dissipatur. *lib. 2. de diffe. feb. cap. 11.*

Humores corporis in qualitates venenosas conuerti, pessimum. *libro de boni & mali succi cibis.*

Humoris præter naturam interdum tanta vis est, vt veneno assimiletur. *lib. 3. de loc. aff. c. 7.*

Humorum prauitas, animę functionibus non parum incommodat, bonitas verò seruat. *lib. Quòd animi mores corporis temperaturam sequantur. cap. 10.*

Humorum variorum fluxiones, quos morbos creent. *lib. de morb. cau. cap. 6.*

Humores pro ipsorum differentiis, ægrotationes aut difficiliores, aut minus tales efficiunt. *Comment. 46. & 47. secundi prognost.*

Humo-

Humores oculi colore mutato, pro eorum natura error in visu respondet, vt in regio morbo pallida omnia cernantur. *lib.1.de sympt.cau.c.2.*

Humor crystallinus, visionis primum instrumentum. *lib. 1.meth.med.*

Humorum multitudo, si in partem aliquam incumbat, curationis indicatio exposita. *In arte medicinali.cap.de asperitate, & lenitate.*

Humores tenues, & aquosi per initia morborum euacuandi: crassi vero & tenaces, vti pituita, & atra bilis post cōcoctionem. *lib. Quibus medicam. & quando purgare cōueniat.*

Humores rarò turgent. *lib. Quibus medicamentis purgare conueniat. & 1.aph.com.22.*

Humores turgentes, sunt in principio morbi euacuandi. *eod.lib. & 1.aph.com.22. & 4.aph.com.1.*

Humores firmati in aliqua parte corporis, mouendi nō sunt. *Ibid.*

Humoribus quibusuis redundantibus, quale cuique vinū competat. *lib.de boni, & mali succi cibis.*

Hnmores omnes, qualiter per sua signa noscantur. *Com. lib.2. quarti aph.*

Humores peccantes in quali, quandoque etiam in quāto. *Ibid.*

Humores in mulieribus, ex earum menstruis deprehendi. *Eod.loco.*

Humor acris, & tenuis exulcerationum causa. *lib. 4. aph. com.12.*

Humores mordaces ventriculū turbant. *lib.4 aph.com.17.*

Secundum humorum iufestantium motiones, oportet etiam euacuationes facere. *eodem lib.com.28.*

Humor biliosus euacuatus, sitim facit. *lib. 4. aph. com. 19.*

Humoribus existentibus crudis, non potest fieri bona vacuatio: contrà existentibus coctis. *lib.4 aph com.22.*

Humores morbum facientes, nisi sint purgati, abcessum faciunt vbi est labor. *lib.4.aph.com.32.*

Humores putrescunt sæpè in toto corpore, sæpe in solis vasis. *lib.4.aph.com.37.*

Humorum maligna pútredo facit febres periculosas. *lib.4.aph.com.43.*

Humorum frigiditas, crassities, aut multitudo, febres longas faciunt. *lib.4.aph.com.44.*

Humorum multitudo significatur per sudores, tam calidos, quàm frigidos. *lib 4 aph. com 42*

Humor pituitosus, à caloris multitudine exsiccatus, lentores circa dentes in febribus facit. *lib. 4. aph. com. 53.*

Humor paruus, & tenuis distillans tusses, in febribus siccis facit. *lib. 4. aph. com. 54.*

Humores biliosi, per aluum euacuati, sanant morbum regium. *lib. 4. aph. com. 62.*

Humorum abundantia caput opprimente, capitis dolores fiunt. *lib. 4. aph. com. 70.*

Humorum crassorum multitudo, facit abscessus ad articulos. *lib. 4. aph. com. 74.*

Humor ad articulos influxurus, potest per vrinam vacuari. *lib. 4. aph. com. 74.*

Humor melancholicus, est fæx sanguinis. *lib. 4. aph. com. 77.*

Humorum multitudo, ac crassities, vasorum ora rumpit. *lib. 4. aph. com. 78.*

Humorem superabundantem, ex colore coniectari oportet. *lib. 1. aph. com. 2.*

Humores corruptos habentibus, si vires debiles fuerint, parum, & sæpè dandum alimentum. *lib. 1. aph. com. 17.*

Humoribus deficientibus, parùm, & sæpe cibandum. *ibid.*

Humorum motus in euacuationibus, quà vergant considerandi. *lib. 1. aph. com. 21.*

Humores turgentes, & agitati, confestim ab initio morbi vacuandi: firmatos vero in aliqua corporis parte post concoctionem. *lib. 1. aph. com. 22, & 24.*

Humores raro turgent. *ibid.*

Humorem proprium sibi trahit quodque medicamentum. *eodem com.*

Humor superexcedens, si euacuetur, æger ipse seipso fit leuior, sin bonus, ægri dissoluuntur ac debilitantur vires. *lib. 1. aph. com. 21.*

Humores ante purgationem debent esse fluxi parati, hoc est tenues, & nullum lentorem participantes. *lib. 1. aph. cō. 24.*

Humorem noxium semper, & solum vacuandum esse, quòd ex conferentia, & tollerantia ægri dignoscitur. *lib. 1. aph. com. 2.*

Humores omnes proportionaliter aucti, egent sanguinis missione. *lib. 2. aphor. com. 8.* Si vero vnus aliquis abundet, purgation

gatione. *ibid.*

Humores crassos, atque tenaces ante purgationem attenuare, & incidere oportet. *lib.2.aph.com.9.*

Humorum malorum reliquiæ solent recidiuas in morbis facere. *lib.2.aph.12.*

Humor alienus à natura corporis, in quo continetur, non est aptus nutrire ipsum, sed corrumpitur. *ibid.*

Humor alienus in loco calido constitutus, facilè putrescit. *ibidem.*

Humores mali, per quas vias mittuntur à natura. *lib.2. aph.com.15.*

Humores acres debent, si qui sint, ab ægrorum cibis remoueri. *lib.2.aph.com.18.*

Humorum tenuitas, & corporis raritas, sunt extenuationis causæ. *lib.2.aph.com.28.*

Humoris crassitudo, & corporis densitas, seu spissitudo crassitiei corporis causæ sunt. *lib.2.aph.com.28.*

Humores mali propter exercitium, tendunt ad cutem, aut plures alios morbos pariunt, vt comitialem, apoplexiam, venarum ruptionem. *lib.3.aph.com.20.*

Humor spumosus, ex capite in ventriculum delapsus, nõnunquam facit excrementa spumosa. *lib.7.aph.com.30.*

Humores optimi fiunt à vino, & corpus totum calefacit, & cito mouetur ad omnes partes. *lib.7.aph.com.57.*

Humor superfluus est is, qui facit morbum, non tantùm debilitas membri. *Colligitur com.28.sexti aph.*

Humoribus prauis, & superfluitatibus vacare quis poterit, si & mediocri vtatur exercitio, & bene cibumconcoquat: si item desidiam, & crapulam vitauerit. *lib.6.aph.com.28.*

Humorum acritudo abradit intestina. *lib.1.aph.com.24.*

Humores mordaces vim habent exsiccandi. *lib.5.aph cõ.1.*

Humores crassi tardos faciunt in mulieribus menses. *lib. 5.aph.com.36.*

Humores crassos extenuant diacalamintha, & suffitus aromatum, & pessi adhibiti. *lib.5.aph.com.35.*

Humores crassi retinent menses. *ibid.*

Humores generantur, in omni parte vtiles ad nutriendas ipsas partes, & ad multa a[illegible]ia, & de glutinoso, & spumoso humore. *lib5.aph.com.39.*

Humor bonus, nobis amicus est sanguis. *lib.5.aph.com.64.*

Hum-

Humorum lentorum,& crassorum sanatio,per excretionem,& concoctionem fit *lib.5.aph.com.70.*

Humorum mordacitas,nonnunquam leuitatem intestinorum facit.*lib.6.aph.com.1.*

Humores mali fluentes ab hepate ad ventriculum,fastidium pariunt.*lib.6.aph.com.3.*

Humores praui vlcera erodunt.*lib.6.aph.com.4.*

Humores crassi defluentes,flatui iuncti faciunt dolores dorsi.*lib.6.aph.com.22*

Humores vacuari debent per loca,ad quæ repunt.*ibid.* & *1.aph.com.21.*

Humores in doloribus oculorum infestantes,prius euacuari debent.*lib.6.aph.com.31*

Humores acres in oculis erodunt corneam , multi verò rumpunt.*ibid.*

Humorum malitia redundante, purgare conuenit,sanguine autem redundante,venam secare.*eod.com.*

Humores crassos,& flatuosos extenuare , incidere,& ad æqualitatem perducere febris solet.*lib.6.aph.com.40.*

Humorem exuperantem,in venis contentum,natura sæpe ad cutim transmittit.*lib.6.aph.com.42.*

Humorum vitiosorum influxus facit insanabilia vlcera. *lib.6.aph.com.45.*

Humores quando per venæ sectionem, quando per purgationem vacuandi.Per venæ sectionem quidem in plenitudinis morbis:purgatione in corruptela,& vitio humorũ. *lib.6.aph.com.47.*

Ex quibus humoribus,qui morbi nascantur.*eod.com.*

Humores qui euacuatione indigent,vere, aut autumno vacuare conuenit.*eod.com.*

Qui verò loci hìc commodè de quatuor humoribus singulatim afferri possent,nempe de sanguine,pituita & vtraq; bile, consultò eos omisimus,ne & immensum abiret volumem:& particularia ne attingeremus,qui locos tantùm communes tractamus.Si quis enim ea,quæ de vnoquoque humorum sigillatim à Gal.dicta sunt,scire velit,magnum Gal. indicem adeat:in quo elementorum ordine de sanguine sub litera S.de pituita,sub litera P.de bile sub litera B.& de atra bile sub litera A.quæ volet,omnia inueniet.

De

De membris, membrorum principatu, déque usu partium corporis humani, & eiusdem ex membris conformatione & structura.

CAP. XII.

GAlenus.1.de vsu part.particulam seu membrum id esse dixit,quod nec vndequaque circumscriptionem habeat propriam,nec vndequaque coniunctum sit aliis. Quæcunque (inquit) *corpora, nec vndecunque circumscriptionem habent propriam, nec vndequaque coniuncta sunt aliis, hæc particulæ vocantur.* Auicenna autē membra definiuit esse corpora,quæ ex prima humorum generentur commixtione,vti humores ex prima constent ciborum mistura, & cibi,ex elementorum. Perinde enim,atque ex elementis cibi,ex cibis humores constant,sic sanè membra ex humoribus naturæ vi & alteratis,& concoctis,ipsa suam nanciscuntur essentiam. Ex neotericis Petrus Aponensis summus suæ ætatis,& medicus & philosophus,ita membrum definiuit,vt sit pars animalis dēsior spissiorque ex humiditatibus genita , naturæ viribus insignita. Quæ mihi profectò definitio appositissima,& rei naturam optimè explicans,est visa. Pars enim,ea in definitione generis locum tenet,cùm non omnis corporis pars membrum dici mereatur,vt de vnguium resegmentis,& capillis abundè constat,cętera differentiæ loco sunt. Densitas nanque & spissitudo,membra ab humoribus,& spiritibus discriminant. Gigni autem ex humiditatibus membra,proxima generatione,certissimum est:humiditatum nomine in præsēs, humores illos intelligens,quos secundos Auicenna appellat: eum inquam,qui nomen non habet , rorem,cambium,glutem,de quibus item 7.meth.Gal.locutus ex professo fuisse videtur,intemperaturæ siccæ differentias,earúmque curationis modum tractans. Ex iis enim humiditatibus proximè membra constant. Insigniri autem naturæ viribus membra, nihil prorsus aliud esse mihi videtur,quàm natiuas quasdam habere facultates quibus sibiipsis sufficere ipsa possint:nempe conuenientis attractricem , retentricem , alteratricem,& alienorum expultricem:quibus singulas corporis particulas facultatibus præditas esse oportere,necessarium quidem est. Neque hic omittendum,quod rectissimè ab Aristotele 1.de historia animalium traditum est ex animalium partibus, Cap.1.

Fē.1. pri doc.5.c.1.

Differ.38

Fen.1.pri doc.4.c.1.

quasdam membra esse, & partes: quasdam vero partes tantùm. *Animalium* (inquit) *partes aut incompositæ sunt, quæ scilicet in similes sibi partes diuiduntur, vt caro in carnes, & ob eam rem similares appellantur: aut compositæ, quæ aptæ secari in partes dissimiles sint, non in similes, vt manus non in manus secatur, aut facies in facies. Quapropter eas dissimilares nominemus, quo in genere partium sunt, quæ non modò partes, verùm etiam membra appellentur: videlicet quæ cùm ipsæ totius integritate describantur, habeant tamen intra se partes diuersas suique generis ædificia, vt caput, vt pes, vt manus, vt totum brachium, aut pectus. Quippe quæ, & ipsa partes sint tota, & ex partibus constent diuersis.* Hoc loco profectò Aristoteles partes eas tantùm corporis, quæ ex partibus intra se diuersis coalitæ sunt, totius integritate describuntur, eas inquam tantùm membra appellanda censuit, vt caput, pedes, manus, brachia: & vt in summa dicatur, & organicas omnes partes, officiales, seu instrumentarias, membrorum nomine dignatur. Similares verò, partium tantùm, non etiam membrorum. Sed hæc exacta nimis, & philosophica magis, quàm medica est membri acceptio. Nos verò medicum agentes, vtraque similaria inquam, & organica, membrorum nomine dignemur: cum vtraque pariter ex humoribus, vi naturæ alteratis constent, & facultates habeant sibi sufficientes, quibus foueri, & consistere, propriáque obire munia valeant. Sunt autem partium quædam primæ, & simplices, quædam compositæ, & ex aliis constantes: similares illas, organicas has & instrumentarias, tum Arist. 1. de historia animalium, c. 1. & 2. de parti bus animalium, ca. itidem 1. tum Gal. 8. de placitis, & pluries alibi appellant. Sed cur aliæ primæ & simplices, compositæ & organicæ seu instrumenta aliæ dicantur, explicandum nobis plenius modo ex Gal. est. Is itaque partes eas, quæ vna circumscriptione clauduntur, interdum similares, eò quòd omnes partes tum sibi mutuò tum toti similes habeant, interdum simplices, & primas nuncupare solet: vt ex quibus nimirum constituantur ea, quæ composita & instrumentaria solemus appellare, digitos inquam, manum totam, cubitum totum, brachium, & eius generis reliqua quæ ex similaribus constare certissimũ est, vt octauo de placitis Hippoc. & Plat. & com. 1. ad lib. de natu. hu. Hipp. & lib. de morb. diff. exactè idem monstra-

uit. Sic etiam organicas partes, tum compositas, tum instrumenta vocare solet, tum etiam Aristotelico more nonnunquam dissimilares. Compositas ob id, quod ex aliis i e prioribus, iisque similaribus constent: instrumenta autem, quod perfectam edere actionem ipsa possint. Siquidem instrumentum, definiente 1. method. Galeno, est animalis pars, quę perfectam edere actionem potest veluti oculus visionem, lingua loquelam, & crura itionem. Itaque oculus, lingua, manus, pedes, caput, ea ratione, tum compositæ partes, tum instrumenta, iure dicentur. Sũt autem ad sensum similares, & simplices partes arteriæ, venæ: re vera autem membranæ, tendones, nerui, ligamenta, ossa, cartilagines. Has porrò Gal. 1. de Elementis, & 1 de facult. natu. sensibilia hominis elementa esse affirmat. Noscuntur porro partes eæ omnes, vt lib. de cõstitutione artis idem asserit Galenus, ex anatome: nec ita simplices haberi vult, vt omnis generis compositionem respuant. Compositionem enim quadam admittunt, sed non eius generis tamen, vt dissimilares dici vllo pacto possint. Siquidem etsi ex primis illis rerum omnium elementis, calido, frigido, humido, & sicco partes eæ cõstant, ὁμοιομεραὶ tamen sunt, hoc est, vnius rationis, quòd in partes alterius naturæ, & rationis, quàm ipsa sint, diuidi minime possint: quamcumque enim cuiusuis horum sumpseris partem, hæc toti & natura, & ratione communicabit. Quælibet nanque nerui pars neruus est, quælibet ossis os, vt meritò similares, & simplices dici vnà cum Aristotele, & Galeno queant. Ex iis verò, atque instrumentariis, corpus animantis componitur. Siquidem vniuersum animantis corpus trifariam conformatur, in primis ex iis partibus, quę similares appellantur, quales sunt arteriæ, venæ, nerui, ligamenta, ossa, membranæ, cartilagines: deinde ex instrumentis, nempe cerebro, corde, pulmone, iocinore, ventre, liene, reliquisque organicis: tum vero ex recta similarium, & instrumentariarum coagmentatione, positu, conformatione, ex quibus decenti quodam ordine ac positu totum corpus optimè conformatur, vt docta Galeni lib. de morb. diff. cap. 3. sententia est. Plures autem sunt partium nostri corporis differentiæ. Quædam enim principes, quædam principibus seruientes, & ab illis ortę dicuntur. Quædam rursus nec aliarum gubernationi præsunt, neque aliunde gubernantur, cùm insitas

habeant à natura potentias, à quibus reguntur: quædam verò sunt, quæ insitas simul, & aliundè emanantes facultates habent. Principes porrò eæ partes dicuntur, quæ virtutem ex se promunt, succúmve aliquem perfectum, conseruationi corporis vniuersi, vel certè speciei propagandæ necessarium: qua ratione cor, cerebrum, hepar, testes, principia iure optimo medicis appellantur. Cor enim facultatem ex se vitalem fundit, spiritúsque vitalis fons est, atque principium: cerebrum facultatis, atque spiritu animalis, quo sensus & motus corpori impertiuntur, vt hepar, naturalis facultatis (est enim sanguinis officina) testes vero prolifici, seu genitiui spiritus promptuarium sunt. Sed hic animaduertendum bifariam dici posse membrum quodpiam princeps, aut quod inter membra fons sit, atque principium functionum omnium primò effectiuum, ac veluti reliquorum radix: quo sanè modo statuendum cor tantùm hoc principatu, ceu prærogatiua singulari quadam gaudere, esséque inter viscera omnia præcipuum ac maxime princeps: aut quòd ad sensum, vnum aliquid proferant, ad totius vel speciei conseruationem necessarium: quo pacto quatuor esse memoratas paulò antè principes partes censendum est, idque è medicorum sensis. Nam si Aristotelis placita sectemur, vnum tantùm princeps viscus esse, nempe cor, fateri cogemur. Sic enim ille tum lib. de sõno, tum tertio de partibus animalium cap. 1. & lib. de causa motus animalium, & lib. item de vita & morte, sensisse conceptis verbis, nec sensisse modò, sed pugnando validis rationibus victoriam reportasse est visus. Vt merito hac ipsa de re

Fen. 1. pri. doc. 5. c. 1.

hanc tulerit Auicenna, de membrorum principatu loquens, sententiam: *Philosophorum nanque magnus* (Aristotelem intelligens) *dixit, quòd membrum tribuens, & non suscipiens cor est: ipsum namque est omnium virtutum prima radix, & omnibus aliis membris suas tribuit virtutes, quibus nutriuntur, & viuunt, & quibus comprehendunt, & mouentur.* Et mox, *Et Philosophi quidem sermo cùm subtiliter indagatur, est veracior. Sed medicorum sermo in primis cùm attenditur est magis manifestus.* Hactenus ille. Itaque de partium principatu, num vna tantùm princeps pars, vt Aristoteles voluit, num plures sint, vt Galenus & medici omnes censent, ita statuendum iudico: vt si ipsam rerum nudā veritatem spectemus, principiique naturam, vnum tantùm in membrorum coordinatione principium

De partium principatu quid sen-

pium statuemus, nempe cor. Quod enim principij rationem subit, id vnum tantùm necessario sit oportet, cùm sit aliis omnibus prius (alioqui enim principium nõ esset, siquid seipso prius haberet) & summum, & maximè validum, & potens item esse principium conuenit, vt 5. methaphysic. cap. 1. Aristoteles tradit. Quæ cùm omnia cordi conueniant, vt à quo ceu fonte caloris, ac veluti facultatum omnium radice, & vita, & vitæ necessaria munia omnia manent, fit profectò, vt ipsum tantum princeps pars dici meritò possit. Vnde Aristoteles lib. de causa motus animalium: *Aestimandum*, inquit, *animal constare veluti ciuitatem quandam legibus optimè constitutam, in qua vnus tantùm præest, in quem omnia tendunt.* Quin cùm sit homo instar vniuersi conditus, vt qui ab Aristotele μικροκοσμὸς, id est minor mundus vocetur, in vniuerso autem quod imitatur, vnum sit tantùm principium, in quod tandem omnia, vt in fontem verum omnium dirigũtur, vt xij. methaphy. verisimile profectò est, & in microcosmo vnum haberi princeps viscus, quod aliorum sit omnium fons, & origo. Vbicunque enim fieri potest, vnum esse quàm plura, melius est: pluritatem autem omnẽ profectò id quod primum est, & princeps excludit. Alioqui si societatem vllam admittit, iam non ipsum quod positum est, principium erit, vt doctè simul, ac copiosè Marsilius Ficinus lib. Theologiæ secundo, ca. eod. validissima ratione confirmat. Vnum itaque tantum re vera erit in animantis corpore princeps viscus, cor. Cuius rei signum est, quod affecto corde animal confestim interit: affectum autem hepar, aut cerebrum in longiores multo moras, absque interitu protrahere possunt. Quomodo ergo cerebrum, hepar, testes, principia medicis dicentur? quod vicariam scilicet facultatem, quodque suarum virium ac functionum potestatem à corde acceperint, perinde atq; Proreges, & Magistratus in ciuitatibus & prouinciis, à summo principe delecti, etsi principes nuncupãtur, ob id certè dicũtur, quod vicariam gubernandi potestatem à Rege acceperint: cùm ipsi tamen Reges non sint, ab ipsísque vicaria hac potestate ornatis, omnia Reipublicæ munia rectè gubernãtur, pro cuiusque eorum sibi attributa regendi facultate. Sic & in partium principatu statuendum. Nam etsi ad sensum, atque re vera cerebrum facultatem sentiendi, & voluntarij motus animali tribuit, hepar sanguificationis, & nutrimenti,

8. de phys. auditu.

Simile pulchrum.

testes generationis: has tamen facultates omnes, & munia, in virtute cordis efficiunt, ac præstant. Non delegata enim illis à corde facultate (vt in syncopa, aliisque lethalibus cordis affectibus apparet) mox deficere membra hæc memorata à suis eorum muniis est videre. Sententiam hanc Auicenna, tũ f. de anima cap. 8. adde lib. de viribus cordis cap. 1. confirmare conceptis verbis videtur. *Vt membra* (inquit) *vi naturæ genita, etsi plura numero sunt, vnum tamen est cæteris generatione primum quodcunque illud sit, secundùm opinionum varietatem: quo tandem genito, aliorum sequitur generatio membrorum. Sic itidem & spiritus, etsi plurimi sunt, vnus tamen ipsorum generatione primus est, qui secundum potiorem philosophorum sententiam, in corde gignitur, & inde procedens, in cætera principalia membra manat, ac penetrat: in quibus cùm sufficienter moram traxerit, adipiscitur temperiem peculiarem quandam, sibique propriam: vt in cerebro temperiem eam qua ad susceptionem sensus, & motus disponitur, in hepate susceptiuam virtutum nutritionis, & augmenti in testibus eam qua ad generationem præparatur. Et existit tamen harum omnium virtutum principium, vt philosophi censent, in corde.* Hęc lib. de viribus cordis. Omnem autem & medicorum hac ipsa de re, & philosophorum controuersam pugnam probè idẽ autor diremit. Fen. primi canonis priore, doctrinæ sextæ de virtutibus, cap. 1. *Summo* (inquit) *philosophorum Aristoteli videtur, omnium istarum functionum* (*de functionibus facultatis vitalis, animalis, & naturalis loquens*) *principium esse cor: sed primarum operationum facultatum manifestationem, in his prædictis existere principiis, nempe cerebro, hepate, testibus: quemadmodum* (subdit) *apud medicos cerebrum est sentiendi principium, & post hæc, quisque sensus membrum habet in quo eius apparet operatio. At medico, vt medici nomen & rationem subit, minimè congruit, harum opinionum vtra sit verior indagare, cùm illud sit philosophi, non medici munus.* Abundè autem fuerit medico, id nosse à cerebro sensus, & motus facultatem manare, ab hepate nutriendi, à testibus generandi, siue id vicaria potestate illis à corde demandata, siue propria sua id præstent. Atque hæc de membrorum principatu. A principiis autem orta ea dicuntur, quæ publico ministerio dicata, principum partium facultatibus commeatum, atque commodum vsum præstant, & statim ab illis in reliquum omne corpus, tanquam è trunco rami, aut propagines, & stolones enascũtur: vnde meritò à prin-

cipibus

cipibus orta seu enata iure optimo dici possunt: non quia principia materiam illis suppeditent, aut quòd similis cum ipsis naturę existant, oriri à principibus dicuntur. Nam neq; cerebrum neruis materiam suppeditat, nec cerebro nerui vllatenus similes sunt: nec item hepar venis, aut testes seminariis vasis, quæ tamen ab illis oriri dicuntur. Ex semine enim veluti materia, & virtute formatrice tanquam effectore, venis, arteriis, neruis, & seminariis vasis essentia præstatur: vel item ex principiis enata dicuntur, quod quam excipiunt, atq; edunt virtutem, illinc suscipiunt. Prior tamen ratio quadrare magis videtur. Itaque à principiis orta dicuntur, venæ, arteriæ, nerui, seminaria vasa: venæ ab hepate, arteriæ à corde, à cerebro nerui, seminaria vasa à testibus enascuntur: etsi de venarum ortu secus Aristoteli, tum. 2. de partibus animalium capit. 9. tum lib. 3. capit. quarto sit visum: qui cor venarum in vniuerso corpore principium statuit, Galeno contrarium vbique asserente, qui eas ab hepate, ceu à fonte ipsarum, atq; principio non à corde oriri asseuerat. Et habet profectò vtraque pars, quibus inniti possit, validas rationes. Verum Galeni probabilior opinio, oriri venas ab hepate, vel ea potissimũ ratione, quòd à natura ad hepatis ministerium, non autem cordis deputatæ de industria videntur: vel ob eam causam, quòd magis ad excipiendum, & transferendum ab hepate, in reliquas omnes particulas sanguinem, quam à corde recipiẽdum spiritum vitalem creatæ sint. Quæ ratio maximè facit, vt Galeni in hac re partes potiores appareant. Venas enim natura velut repositoria quædam, & promptuaria cibi creauit. Arterias receptacula quædam spiritus eadem ipsa effecit, vt bellè sexto de vsu partium cap. 10. docet Galenus ac proinde meritò tum in arte medicinali, tum. 8. de placitis Hipp. & Plat. & 1. de vsu part. cap. 16. ab hepate, non à corde venas oriri ingenuè est professus. Sed quoniam paulò antè, membra à principibus orta publicum agere ministerium diximus, sciendum duplex tale esse. Quoddam enim est præparans, aliud præparatum deferens: veluti in exemplo, Pulmones cordi materiam præparant, & ventriculus hepati. Deferunt autem id quod præparatum est, arteriæ cordis respectu, & venæ hepatis. Hæc duo ministeria Medicorum scholæ, aliter suis nominibus appellare solent, nempe seruitutem pręparatoriam, & delatoriam. Itaque ea tantùm quæ deferunt, non

quæ præparant, iure ab principibus orta dicentur. Pulmones enim, atque ventriculus, etsi cordi, atque hepati seruiunt: nõ tamen ab illis orta dicuntur, quòd præparare tantùm, non etiam deferre, apta sint. Quo pacto arteriæ à corde nasci, quòd spiritum vitalem deferant: à cerebro nerui, quod animalem spiritum: ab hepate venæ, quod sanguinem à testibus seminaria vasa, quòd spiritum gignitiuum, meritò dicenda erunt. Sagax enim, & prouidentissima natura, hæc ipsa membra, ceu riuulos quosdam principibus partibus alligauit vt eorum ope, facultas commodè in omneis corporis partes à principibus partibus deriuaretur. Nunc verò ad eam diuisionis Galenicæ partem veniendum, qua mẽbrorum quædam seipsa gubernare, natiuis suis potentiis dixit: nempe, cartilaginem, ligamentum, os, membranam, glandulas, pinguedinem, simplicem carnem. Hæc enim Galen. neque aliarum gubernationi præesse, nec ab aliis gubernari: sed à seipsis planè astruxit. Qua sentẽtia, scrupum nobis maximum iniecisse videtur. Nam cùm nulla sit in corpore pars, quæ naturali, & insita virtute prædita non sit, qua alimentũ sibi necessarium trahere, attractum continere, retentum concoquere, & quod ab eo superfluum est expellere possit, cur memoratas tantùm partes, insitas habere facultates, & à seipsis gubernari dixit? cùm in hunc ordinem referri, & reliquæ quoque corporis partes debeant. Ac rursus quî fieri potest vt partes illæ à Galeno enumeratæ insitas tantùm, nõ etiamnum aduentitias, & influentes aliunde potentias habeant? cùm illas nutrimentum attrahere, continere, conficere, & excrementa expellere oporteat, quarum functionum omnium vis ab hepate manat. Hoc enim viscus, vt octauo de Plato. & Hippocr. decretis à Gal. traditur, materiæ qua corpus vniuersum alitur, & virtutis principium est, atque fons. Itaque omnis pars, quæ quidem nutriri debet, trahendi, retinendi, & concoquendi, atque superflui excernendi vim à iecore mutuabitur. Vt nulla pars inueniri in corpore queat, quæ solùm ingenitam, non etiamnum aliundè à principiis adscitam habeat facultatem. Quomodo ergo cartilago, os, vinculum, & eiusmodi reliqua, ingenitas tantùm (vt vult Gal.) habere facultates dicentur, cùm citra aut Hepatis opem nutriri, aut citra cordis vim infusam, viuere nequeant? Vt autem controuersiam hanc omnem dirimamus, illud in

primis

primis animaduertendum, facultatis nomine, causam intelligi actionis effectricem. Sic enim Gal. tum 1. de simpl. facult. tum de natur. facult. 1. facultatem definit. Vt sit facultas, caussa quædam effectrix, nempe actionis. Hæc autem multiplex in corpore esse deprehenditur. Insita, seu ingenita quędam, influens alia. Insita ea esse dicitur propriè, quæ & à principiis generationis congenita in membro est, & ad vitæ membriq; tutelam necessaria. Vnicuique enim membrorum tributum à natura est, facultate inquam formatrice, & spiritu gignitiuo in semine constituto, vt temperamento proprio, & ingenio trahendi alimenti, retinendi, & concoquendi, tum superflui expellendi potestatem habeant. Quæ quidem potestas innata verè dicitur, & insita à primordiis generationis, non aliunde manans. Qua quidem ratione vitalis, & naturalis facultates iure innatæ dici possunt. Nam & mox consistente, creatóque membro insunt, vnde ingenitæ, seu innatæ quasi intus natæ, dici meritò possunt, & ad membri conseruationem, atque tutelam sunt necessariæ, vt sine quibus consistere membrum nullo prorsus pacto possit. Non sic perinde animalis facultas innata dici potest, sed solùm manans, seu influens. Equidem sentiendi, & mouendi facultas, nisi à cerebro influat, membrum nequicquam sensu affici, aut moueri voluntario motu potest: cùm nihilo secius tamen, & vitali & naturali facultatib. præditum sit, vt in membrorum resolutione, in cęcitate, surditate, & eius generis affectibus est videre: in quibus cùm membrum, & vita, & alimonia præditum sit (quod illi facultatum sibi congenitarum ope, atque præsidio accidit) neque sentire tamen, aut moueri potest. Oculus enim, & auris, nisi manantem à cerebro facultatem accipiant, suis ipsa muniis fungi nequaquam possunt, vt experientia docet: ac proinde sola animalis facultas verè influens dici potest, quod & ab alio manet, & ad vitam, conseruationemque membri necessaria non sit: vt paulò anteà monstratum, cùm sine ea consistere membra possint. Itaque eę tantùm partes, quæ præterquàm quod nutriuntur, sensu & motu participant, eæ inquàm tum ingenitam, tum influentem facultatem habere dicuntur. Hanc quidem, qua sensu, motúque præditæ sunt: illam qua aluntur, & viuunt. Quæ vero sensu, ac motu destituuntur, vt os, cartilago, ligamentum, membrana, adenes, adeps, caro simplex, eæ ingenitas tantùm, non sic influentes

Insita facultas quæ

facultates habere dicuntur. Quibus, & sibiipsis sufficiunt, & à seipsis reguntur, atque ob id neque venis, arteriis, aut neruis indiguerunt, vt reliquæ ab istis, quæ etsi vnà cum his habeat ex seipsis regimen, venis, neruis & arteriis, tamen insuper ad earum tutelam, conseruationémque indigent: vt in arte medic. nos bellè docet Galen. Quin & hoc pacto intelligi commodè potest, memotatas à Galen. partes, à seipsis gubernari: quòd præter illam vim, quam cum cæteris omnibus corporis partibus communem habent, nimirum attrahendi, continendi, coquendíque alimenti, & superflui excernendi. Præter hanc inquam, aliam sibi ingenitam, non aliundè ascitam, nec alio transfusam obtinent: caro quidem gignendæ carnis, os ossis, cartilago cartilaginis, & reliqua eodem modo, quæ in hoc ordine sunt à Galeno reposita. Est enim natura comparatum, vt vnaquæque corporis pars alimentum sibi familiare trahat, & in suam ipsius substantiam mutet. Nulla autem alia carni simplici, adipi, copulæ, membranæ, & reliquis partibus eius generis inest facultas. Reliquis autem omnibus, néipe comprehensis sub vltimo diuisionis Galenicæ membro, virtutes tam ingenitę, quàm aduentitiæ insunt, plurès etiam interdum. Fieri nanque potest, vt pars eadem à cerebro sentiendi, vel mouendi facultatem, à corde vitalem, & à iecinore altricem accipiat. Potest & eadem, ingenitas plures habere vires, sed tamen vnicam præcipuam, & ad quam reliquæ, ceu ad finem ordinentur. Ventriculus enim (verbi gratia) sentit, viuit, attrahit, continet, concoquit (atque id quidem à virtutum principiis obtinet) prætereà cibum in chylum vertit, & in suam ipsius substantiam mutat. Hanc facultatem ingenitam habet, primóque naturæ instituto, ac lege sibi comparatam, nō aliunde adeptam. Atq; eadē est ratio in reliquis quoque corporis partibus, sub quarto ordine comprehensis. Rectè igitur à Gal. dictum est, esse principes quasdam partes, quæ & principia dicuntur, quædam ab illis orta, quædam seipsa gubernantia membra, ilia facultates pariter innatas, & aliundè adscitas habere. In primo ordine erunt, cor, cerebrū, hepar, testes. In secundo venæ, arteriæ, nerui, seminaria vasa. Venæ porro iecori seruiunt naturalem potentiam, arteriæ cordi vitam, vniuersóque corpori vitalem spiritum, nerui cerebro animalem vim, hoc est sentiendi, atque mouendi, vasa seminaria geniture procreandæ facultatem in vniuersum

Cap. 9.

In art. medic, cap. 9.

Vbi suprà immediatè

corpus

corpus ferentes.In tertio porrò ordine ſunt os,cartilago, vinculum,membrana,adeps,adenes,caro ſimplex. In quarto & vltimo reliquę ab iis corporis partes,nempe organicę,& quę inſtrumenta dicuntur.Atque per hæc ſcrupum dilui,& diuiſionis Galeni partes rectè explicari poſſe confidimus, & arbitramur.Quòd ſi quis meliora attulerit, magnam quidem ille apud veri ſtudioſos,tum præſertim apud me gratiam inibit,qui impensè cultis doctorum hominum laboribus, & delectari ſoleam,& vbi vſus poſcit,etiam iuuari. Sed iam ad id quod ſupereſt de membris explicandum transeamus: Supereſt autem de iis tractare,iuxta eorũ functiones, & vſus, quos ſibi inuicem præſtant.Item ſecundùm eorum ſenſus, & motus varios,quantitatem, & ſitum. Membrorum igitur quædã ſunt, quæ actionem tantùm præſtant, alia vſum, hoc eſt,adiumentum,& veluti commodum, ad actionem perficiendam apparatum. Quædam vero vtrunque commodè ſuggerũt. Cor enim functionem tantùm habet,vſum non habet. Pulmones verò actionem non habent: vſum cordi tantùm præbent.Hepar vtrunque efficit:ſiquidem & ſanguinem propriã actione gignit, & aliorum membrorum nutritioni apparatum præſtat,congruam alimonię materiam ſuggerendo.Sed hic maximopere cauendum,ne in homonymiam incidamus, actionis & vſus nomine, quorum eſt varia apud autores acceptio.Actio enim Galeno motus eſt partium factiuus, quo ſanè modo ſi actionem hic accipimus, nullum ſanè membrũ erit,quod actionem non habeat : cum nullum actione propria (cuius cauſa creatum a natura eſt) carere vſquam poſſit,cùm nihil natura otioſum, & fruſtra feciſſe dicatur, vel Gal.& Ariſt.teſtimonio. Verum actionis nomen paulo arctius ab Auic.ſumitur pro eo tantùm motu partium, quo aliquid ad ſingularis, vel ſpeciei conſeruationem neceſſarium efficitur. Quo in genere actionis, principes tantùm partes reponendæ erunt.Eæ enim ſolæ id præſtant, quod ad indiuidui,vel generis propagationem neceſſarium ſit, quod Actionem Auic.vocare ſolet,nempe vitalem,animalem, naturalé, & gignitiuam, ſpiritum facultatum omnium inſtrumentum gignere.Vſus item varia acceptio. Galeno nanque interdum pro facultate operatrice,interdum pro fine,cuius gratia conſtructa pars eſt,ſumitur.Cùm.n.1.de loc.aff.vſum ineſſe partibus, vel nihil agentibus aſſeuerat, vſus nomen pro potentia,

1 de lo. aff. et 1 de ſa. nat & lib. de ſym. dif.

Fen 1. pri. doc. 5. c. 1.

ſeu agendi facultate vſurpauit, quæ partibus omnibus etiam nihil omnino agentibus ineſt, vt eodem lib. Galen. conceptis verbis affirmat, dum inquit: *In commentariis de natur. fac. iam declaratum eſt, in omnibus ferè corporis particulis eſſe vim, qua excrementa ſecernantur. Hæc quamuis ſemper ipſis adſit, non tamen vtuntur ea, niſi cùm moleſtantur ab excrementis. Pro fine verò, libris de vſu partium conſcriptis, cùm partium hunc, vel illum vſum eſſe dixit, hoc eſt alium, atque alium finem, vt ventriculi, concoquendi cibi, & in chymum vertendi: muſculi motum voluntarium impertiendi, veſicæ comprehendendi lotij.* Hi enim horum membrorum vſus (quorum gratia facta ſunt) eſſe iure dicuntur. Auicenna certè vſum pro adiumento ſumpſit, & cooperatione functionem adiuuante. Quod & Galenus ante eum feciſſe deprehenditur, vt libr. de morb. diff. c. 6. apertè mõſtratur, vbi Galenus in inſtrumentariis partibus, vnam quampiam ſimplicem ineſſe, quæ actionis ſit cauſa, reliquas quæ vſum præſtent, parti actionem edenti ingenuè eſt profeſſus: atque rurſus 4. 8. & 10. de vſu part. libris. Rectè igitur dictum eſt, membra quædam actionem edere, quædam vſum præſtare, quędam vtrunque perficere, vt in corde, pulmonibus, & hepate ſuprà monſtratum: & item in oculo monſtrari facillimè poteſt. Rurſus verò corporis partes, penes materiam de qua procreatæ ſunt, diſtingui non incommodè poſſunt: cùm quędam ex ſemine, aliæ ex ſanguine conſtent, vt 1. de ſan. tu. & 1. de ſemine, & in arte medic. à Gal. eſt traditum. Quæ ex ſemine ſunt, vnitatis ſolutionem ſi admittant, vniri (niſi in pueritia, & molli exiſtente corpore) prorſus nequeunt, coalitione ea, quæ deperditi ſubſtantiam verè repræſentet. Quæ verò ex ſanguine conſtant, coaleſcere integrè poſſunt. Ex ſemine porrò conſtant ſolidæ corporis partes, oſſa, cartilagines, nerui, tendones, copulæ, arteriæ, venæ, membranæ. Ex ſanguine genitæ ſunt, caro tantùm, & adeps. Sed cur illæ diſſectæ regenerari minime poſſint, eæ poſſint, non ſic facilè explicata ratio eſt. Difficultatem hanc Gal. compendio diluit lib. de ſemine 1. in materiæ inopiam, & facultatis effectricis defectum, cauſam omnem reiiciens. Nam cùm ad deperditæ ſubſtantiæ regenerationem, & materiæ copia, & formatrice facultate opus ſit, in ſpermaticis verò vocatis membris, hæc ambo deſint (non enim amplius in adultis copioſum adeſt ſemen talium membrorum materia, nec facultas adeſt formatrix.

matrix, quæ semen in speciem deperditæ partis rursus conformare possit) efficitur profectò, vt semel corrupta regenerari minimè possint qualia priùs constiterunt. Quæ vero ex sanguine constant, vt caro & adeps, cùm & materiam satis amplam in corpore habeant, vnde rursus renasci corrupta possint (copiosus nanque sanguis in vasis continetur, qui horum regenerationi sufficere abundè queat) & facultas carnis generatrix, in iis item membris valida subsit, poterunt sanè membra hæc dissecta, & vniri, & qualia ante fuere regenerari. Omitto volens & sciens, quæ alij in hac re plurima nugantur, ad reliquum tractationis sermonem instituens. Sūt itaque rursus partium quædam sensu & motu præditæ, quædam solo sensu, quædam insensiles omnino. Quæ sensu & motu pollent, id neruorum præsidio nanciscuntur, vt quæ voluntario motui ordinata sunt. Omnia enim huiusmodi non motu tantùm, sed & sensu prędita omnino esse oportet. Cuius rei ea ratio est, quod ab electione, & voluntate proficiscens motus in id partibus attributus à natura est, vt quæ conueniunt prosequi eo motu possint, atque amplecti, declinare vero quæ molesta & contraria sunt, quod quidem sine sensu perfici nequicquam potest. Quomodo enim fugienda, aut persequenda membrum sine sensu internoscere queat? Sed non tamen vice versa quæ sensu participant, ea moueri oportet. Sentit enim gingiuarum caro, motum tamen nullum habet. Insensiles omnino sunt ossa, ligamenta, cartilagines, pinguedo, medulla, cerebrum, pulmonum caro, & quæ omnino neruis carent. Sensus porro & motus in partibus interdum, vno eodémque neruo pręstantur, interdum diuersis, vt 3. de loc. aff. c. 10. & item lib. 1. & 4. eiusdem tractationis, c. 5. Quædam item membrorum hebeti sensu, quædam acuto, naturæ lege constant. Nonnulla verò duplici membrana, simplici quædam integuntur. Rursus quædam valida: imbecillia alia natura produxit. Fortia sunt, quæ principatum in corpore obtinent: imbecillia, quæ minoris momenti, & in quæ principes partes exonerare se suis superfluitatibus solent: qualia adenes, seu emunctoria vocata habentur, tum & extima cutis. Eæ enim partes imbecilliores suapte natura esse solent, & ad excipiendas fluxiones paratiores. Ac proinde natura partes quasdam ignobiles, quasdam dignitate, & potestate præcipuas, de industria est machinata: sicut & alias

quasdam vacuationibus naturalibus deputauit, vt intestina, & vtramque vesicam: alias generationi, vt testes, vterum, seminaria vasa; alias nutritioni, vt ventriculum, hepar, lienem, venosum genus omne. Quasdam insuper in abdito imisque sedibus, vt viscera omnia, quasdam in aperto, & sub sensum atque aspectum cadentia posuit. Animus erat partium omnium vsus hoc capite tractare, sed quando id, & operosum nimis, & prolixum valde fuisset, nec locorum communium tractationi compendiosæ congruum: visum est à proposito abstinere, præsertim cùm ea de re latissimus pateat libris de vsu partium, tractationis campus: & ea item de re sit cumulatissimè à Fuchsio nostro, medicorum nostræ ętatis facilè principe tractatum. Atq; hęc de omni membrorum, & partium nostri corporis ratione dixisse, pro compendij lege sufficiat.

De membris, seu particulis corporis. Hippocratis & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

PARTIVM in corpore, varię figurę. *lib. de vet. medicina.*

Partium alię cauæ, & ex amplitudine in arctum coactę, alię expassę, alię solidę, & rotundę, alię latę & pensiles, alię longę, alię extentę, alię densę, alię rarę, & hiantes, alię spongiosę & molles, & horum omnium naturam, & rationem. *lib. de vet. medicina.*

Partium corporis mutua affectio. *lib. de locis in homine.*

Partes singulę corporis altera alteri, vbi hinc, aut illinc processerint, morbum statim facit, venter capiti, caput carnibus, aut ventri, & reliquę omnes iuxta eandem rationem. *lib. de locis in homine.*

GALENI.

MEMBRORVM cuiusque dignitas actionis quanta sit, & qualem prębeat ad curãdum indicationem. *lib. 7. meth.*

Vnicuique membro esse illud est, quod non ex humorũ qui insunt natura, sed ex solidorum corporum substãtiæ existit. *lib. 1. de semine.*

Membrum omne influentem ad se humorem alimenti ratione, in suam naturam immutare. *lib. 1. de semine.*

Mem-

Membrorum fabricam ſinus aliquos, & ventriculos habentium natura aëre,& igne ceu inſtrumentis vtitur. *lib.2. de ſemine.*

Membrum vnumquodque ſucco ſuæ ſubſtantię,quàm ſimilimo,tum aliter,tum eundem ſibi præparat. *lib. 6. de plac. Hipp. & Plat.*

Membra omnia,quæ materias aliis præparant,totas eas, atque integras illis ipſis quibus præparant, ſolent reſeruare. *lib.6.de Plac.*

Membrorum exigui, à naturali temperamento receſſus, à pleriſque ignorantur,& ab eiſdem imbecillitates appellantur. *lib. de differ. morb cap. 6.*

Membri diſpoſitio tempore contracta, per influentiam humorum difficulter ſanabilia vlcera facit, *lib 6 aph. com. 45.*

Membrorum peruerſiones fiunt,extentis, atque contractis iis,qui ad eas nerui pertingunt. *lib. 4 aph. com. 49.*

Membrorum humiditatem patientium, ſudor euacuat. *lib. 4. aph. com 38.*

Membro principali inflammationem patiente, ſequitur febris. *lib. 6. aph. com 50.*

Membra principalia, non diu tolerant fortes ſimul, & diuturnas paſſiones,imo vltra dies ſeptem non tranſeunt. *lib. 6. aph. com. 51.*

Membra quæ diſſecta,neque augeantur, nec coaleſcant, nempe os,cartilago,neruus,præputium. *lib. 7. aph. com. 28.*

Pars ſeu particula eſt,quod totum complet, ac integrat. *lib. 1. method. cap. 5.*

Pars ad aliquid dicitur. *Ibid.*

Pars,& particula idem ſunt. *Ibid.*

Pars,& inſtrumentum eo differunt, quòd inſtrumentum perfectam edere actionem poteſt, non autem particula omnis: nempè oculus inſtrumentum eſt, cornea verò tunica, pars quidem eſt,ſeu particula,non tamen inſtrumentum. *lib. 1. meth cap. 6.*

Partes quaſdam ſimul & inſtrumenta,& partes corporis eſſe oſtendit Galenus in vena,arteria,neruo. *lib. eod.*

Homœomeres pars eſt,quæ vndique in ſimiles diuiditur particulas,vt ipſum indicat nomen. *lib. eod.*

Partium corporis diuiſio. *lib. de inæqualiꝰ intemp.*

Partes hominis ſecundum Hipp. ſententiam ſunt,ſolida,

humentia,& hinc inde meantia. *lib de trem.rigore & conuul.* Vide autem ſententiam illam Hipp.lib. 6. epidemiarum, ex his quæ ex parua tabula conſideranda ſunt.

Partium corporis exteriorum omnium appellationes, & diuiſio exacta.*lib,qui Medicus inſcribitur.*

Partium interiorum omnium anatome , & appellationes,*eod.lib.*

Partium animalis ſcopi,ſunt actiones , & ſecuritas.*lib.12. de vſu part.cap.10.*

Pars,quæque animalis,ob id vna dicitur,quod per quandam circumſcriptionem propriam,non aliis coniuncta appareat.*lib.1 de vſu part.c.1.*

Partes animalium , eorum actionibus moribúſque ſunt accommodatę.*lib.3.de vſu part c.2.*

Quę partes à cerebro , & quæ ab ſpinali medulla neruos accipiant.*lib.16 de vſu part c.3.*

Partes nudæ , & prominentes , non omnino duræ factæ ſunt,ſed molliores .*lib.1.de vſu part.cap.11.*

Partibus in ſingulis obſeruanda poſitio , numerus , magnitudo, complexio, conformatio , coitio , & earum inter ſe communio,vt ſic artificium oſtendatur naturæ. *lib. 4. de vſu. part.c.13.*

Particulæ,ſeu partis nomen,iis competit,quæ circunſcriptionem habent propriam.*lib.1.de vſu part.cap.1.*

Partium vſus ab actione æſtimandus,*lib.1.de vſu part.c.8.*

Particulæ cuiuſque vſum, ad actionem totius organi referendam.*lib.3.de vſu part.cap.13.*

Partium dignitas vſu æſtimanda,& vtilitate. *lib. 6.de vſu part.cap.7.*

Partium vtilitas,aut refertur ad vitam ipſam, aut ad vitā commodiorem, aut ad horum duorum conſeruationem, ac ſalutem.*eod. lib. &c.*

Particulæ,quæ ad vitam ipſam conferunt,principes ſunt habendæ.*eod.loco.*

Partibus neceſſariò accidunt poſitio,magnitudo, connexio,confirmatio.*lib.1.de vſu part.cap.9.*

Partem nullam propter ſe,& fruſtra conditam. *lib. 17.de vſu.part.cap.1.*

Partium robur dupliciter conſideratur , vel vt in tota natura,vel in indiuiduo.*lib.14.de vſu part.cap.7.*

Partium

Partium imbecillitas à prima conformatione cõtracta, vel in intempestiuum coitum maris cum fœmina, vel in malam grauidæ victus rationem conferenda. *lib.14. de vsu partiũ cap.7.*

In partibus animalis construendis, tres naturæ scopi, aut enim ad viuendum necessarias fecit, cuius generis sunt cerebrum, cor, & hepar: aut ad viuendum commodiùs, vt oculos, nares, aures: quasdam ad generis instaurationem, vt pudenda, testes, ac matrices. *lib.14. de vsu part c.1.*

Pręcipuas partes natura in profundo, minus pręcipuas in superficie collocauit. *lib.1. de vsu part. cap. 17.*

De partium vtilitate opus perfectissimę Theologię verum principium. *lib.17. de vsu part. cap.1.*

Partes, quę instrumenta vocantur, eę sunt, quibus actio aliqua commissa est. *lib.4 de vsu part. cap. 12.*

Particulæ animalium plures, alię maiores, alię minores, alię omnino in aliam speciem indiuisibiles. *lib. 1. de vsu part. cap.1.*

Particulę omnes vtiles ipsi animę, & cur differant. *Ibid.*

Quę partes sensu, & non motu voluntario prędité. *lib.16. de vsu part. cap.2.*

Particulę corporis omnes sibi inuicem compatiuntur, consentiúntque, id est, in famulatum, & subsidium vnius operationis omnes conspirant. *lib 1. de vsu part. cap.8.*

Partium vtilitatem inuenire non licet, nisi actione cognita. *lib.1. de vsu part. cap 8.*

Partes omnes vnum habent constructionis scopum, totius scilicet instrumenti actionem. *lib.7. de vsu part. cap.20. & lib.8 cap.3 ad fin.*

Partes corporis citra doctrinam actiones suas obeunt, *lib.6. de loc aff. cap. itidem.6.*

Partium corporis cuiusque actiones duplices sunt, aut vt similarium, aut vt compositarum instrumentaliúmve. *lib. de consti. artis medic.*

Partes, quę eandem substantię speciem possident, eandẽ pariter habent actionem: quę vero non habent, eædem neque eandem actionem habere dicuntur. *lib. 7. de anato. administra.*

Partium temperies, actionis causa. *lib. 3. de natur. facult. cap 7. & lib.1. cap.3.*

Particulæ corporis solidæ, elementares & simplices, sunt arteriæ, venæ, nerui, ossa, cartilagines, membranæ, ligamenta, tunicæ. *lib. 1 de fac nat cap 7.*

Particulæ omni, quæ nutriri debet quatuor inesse facultates. *lib. 3. de nat. fac. cap. 9.*

Partes corporis non ob seipsas, sed ob actiones suas expetuntur. *lib. 1 meth. meden. cap. 9.*

Partium actionis dignitas, quanta cuiusque ipsarum sit expositio à Galeno. *lib. 7. m. den cap. 13.*

Partes corporis omnes ob aliquem finem tales formatæ sunt, nempe vt totum organum commodiùs operetur. *lib. de morb. diff. cap. 7.*

Partium in natis cum parentibus similitudo, vnde fiat. *lib. 2. de semi.* Vult autem eo loci Galenus, à seminis prædominio id fieri, vt cuius semen aut maris, aut fœminæ præualuerit, qua parte alterutrum eorum præualuerit, partem eã fœtus, ei cuius semen præualuerit similem euadere, cùm in omni particula materiæ opifex vis insit.

Quæ partes primò, quæ vltimo formentur. *lib. 2. de tẽper.*

Trium partium hepatis, cordis, ac cerebri signa in abortu triginta dierum. *lib de fœtuum format.*

Ex partibus, solæ carnosæ ex sanguine fiunt, ex semine aliæ omnes. *com. 1. in lib. de nat. hu. super text. Cæterùm mea quidem, &c.*

Partes è semine factę, arteria, vena, neruus, ossa, membranæ. *lib. 1. de semi.*

Partes omnes, è sanguine menstruo fieri. *lib. 2. de natur. fac. & com 1. in lib. de nat. hu. super text. Cæterùm mea quidem opinione.*

Partes corporis licet pleræque è semine fiant, quatenus tamen è sanguine omnes fieri, dici verè possit, explicatio. *com. 1 in lib. de nat. hu. super text Cæterùm mea quidem opinione.* Quatenus (inquit) seminis parua est in vterum deiecta moles, nutrit autem istud, & amplificat sanguis, hactenus corporis partes, ex sanguine prope omnes fingi dixeris.

Partes quę ex semine ortum habent, cur renasci ampliùs nequeant: quæ ex sanguine possint, explicatio. *lib. 1. de sem. & lib. de const. artis medicinalis.* Vult autem egestate materiæ id effici.

Partes animalis alimentum sequentibus singulis tradere solitæ.

solitæ. *lib. 4. de sani. tu ad finem libri.*

Partes animalis aliæ alio sanguine egent ad nutritionem ipsorum. *lib. 1. de semi.*

Partibus solidis omnibus, è semine tam generatio est quàm nutritio, vti carnes ex sanguine. *lib. 1. de sem.*

Partium radicalium nutrimentum, quo pacto gignatur, demonstratio. *lib 1. de sem.* Vult autem gigni dealbato sanguine, & alteratione in radicalium membrorum substantiã permutato.

Ex genitalibus mẽbris cur aliud mas, aliud fœmina fiat, explicatio. *lib. 2 de semi.*

Partes præter testes, aliæ eandem vim habent in mare ac fœminæ. *lib. 1. de sem.*

Partium corporis totius iuxta principatum, seu gubernationem differentiæ quatuor, vt quędam sint principes, quædam à principiis ortę, quædam seipsas regentes, quędam insitas simul, & aliunde manantes habere facultates. *In arte medic.*

Partes omnes, à cordis calore foueri experimenta. *lib. de pulsuum vsu.*

Partes animalis dextrę, sinistris calidiores. *lib. 2. de semi.*

Partium aliæ primæ & simplices, aliæ compositæ & instrumẽtariæ dicũtur, & quę sint. *lib 8. de decret. Hipp. & Plat.*

Partes similares primas & simplicissimas esse ad sensum, per anatomen scitur, sed compositionem tamen quandam habere, nempe ex elementis. *lib. de const. artis.*

Partes similares, elementa hominis propria esse. *lib. 2. de elemen.*

Partes similares, ex elementis componi. *Com. 1. in lib. de nat. hu. ad princip.*

Partium similarium sanitas, commoderatio calidi, frigidi, humidi, & sicci est. *lib. de optima nostri corp. constit.*

Partium similarium differentię, ex temperamenti ratione oriuntur. *lib. de constit. artis.*

Partium corporis similarium omnium, temperamenta. *lib. 2. de temper*

Partes similares à primis qualitatibus effici, dissimilares à secundis. *lib. 3 de simpl fac. c. 16.*

Parti cuique similari, sua quædam est substantia, alteratrix facultas, actio, & vsus. *lib. 1. de nat. facul. cap. 6.*

Partium similarium differentiæ tot, quot numero elementa. *lib. de const. artis.*

Partium similarium morbos, ab earundem vitiis distinguere oportet. *lib. de const. artis.*

Partes corporis similares, non omnes farciri instaurarive possunt, & quę sint. *lib. de consti. artis.*

Partium similarium catalogus. *lib. 1. de nat. facul. cap. 6.*

Solidę partes quę sint. *In defini: medic.*

Partes instrumentarię, proximè è similaribus constant. *Com. 1. in lib. de nat. hu. ad principium.*

Partium instrumentalium formatio, ipsius Aristotelis consensu, peculiaris animi moribus fit: & super hoc locorum aliquot Aristotelis, è primo de histo. ani. enarratio. *lib. Quòd animi mores corporis temper. sequantur.*

Partium instrumentalium enumeratio. *Com. 1. in lib. de nat. hu. ad principium.*

Pars animalis quęque, velut digitus, aut pes, quatenus talis pars est, eandem structuram vbique habet: quatenus verò talis est, animantis propriam habet. *lib. 6. de anato. admi.*

Partibus singulis ex substantię proprietate, propria quędam functio consequitur. *lib. de Placit. Hipp. & Plat.*

Pars corporis instrumentaria quęuis, vnam è particulis habet suę actionis causam, cęteras huius gratia. *lib. de optima nostri corp. constit. & de morb. diff. cap. 6.*

Partium instrumentariarum iustitia, & similarium quãta sit. *lib. 9. de plac. Hipp. & Plat.*

Partium instrumentariarum, nulla ad functiones proprias exercendas, alterius indiget auxilio. *lib. de fœtuum formatione.*

Partium similarium, instrumentariarúmque sanitas in quo sita, nempe illarum in calidi, frigidi: humidi, & sicci commoderatione: harum ex similarium compositione, numero, figura, & magnitudine. *lib. 1. de sani. tu. & lib. de opti. consti. corpo. nostri.*

Pars superior inferiore sanguine abundantior, & dextra sinistrę. *lib. Quòd animi mores corp. temper. sequantur.*

Particularum temperies excrementorum naturę non semper similis. *lib. 2. de temp.*

Partium extremarum frigiditas, in febribus ardentibus mala. *Com. 59. in primum prorrhetici. & 4. aph. com. 48.*

Par-

Partes corporis summę, si celeriter in caliditatem, frigiditatémque permutentur, à malo est. *Com. 2. in 1. prorrhetici comtext. 8.*

Partium animalis, iuxta motiones differentię. *Lib. 2. de sanit. tu.*

Partium facultas quandoque attrahit, quod non conuenit, vt & medicinę purgantes. *lib. 2. de elem. ad fin.*

Partium pedestrium animalium tractatio. *lib. 3. de al. fac.*

Partium animæ, secundum Chrysippum tractatio. *lib. 6. de plac. Hip. & Plat.*

Partium quarundam læsiones, ægritudines sunt: aliorum verò, causæ ægritudinum sunt. *lib. de morb. diff. cap. 8.*

Partium aliæ ob semetipsas perpetuo laborant, aliæ propter aliud, quod prius sit affectum. *lib. 6. de sanit. tu.*

Partium principum offensę, vt cerebri, & cordis magnũ habent momentum, aliarum minus. *lib. de vtili respi.*

Partes, sicut inter se altera ab altera, nutrimentum trahendo fortiores, vincũt magis imbecillas, ita superuacua deponendo, eadem opprimunt. *lib. 3. de nat. fac. cap. 13.*

Partes imbecillæ, quibus quæ sint. *Com. 2. in lib. de nat. hu. super textu, Morbi ex corporis validissimo.*

Particulæ fluxione laborant, vel ob calorem immodicũ, vel imbecillitatem partis, seu intemperiem etiam. *lib. 1. de cõp. med. sec. gen.*

Partes imbecillæ, quando fluxiones à fortioribus suscipiant. *lib. 6. de sanit. tu.*

Partium imbecillitas, sola causa non est, vt ipsæ per interualla laborent, sed accedens redundantia. *lib. 6. de sani. tu.*

Partes duas quaspiam, æqualiter debiles vnà esse, perrarum. *Comm. 2. in lib. de pop. morb. 6. super text. Minus capitis grauedine laborantib.*

Partes glandulosas, facilè fluxiones suscipere, quòd imbecilliores sint. *lib. 13. meth. cap. 4.*

E partibus principalioribus, in ignobiles, humores decũbere potius fit, quàm contra ex ignobilibus in principes. *Com. 2. in lib. de nat. hu. super text. Morbi ex validissimo, &c.*

Partes corporis imbecilliores, si à fortioribus excrementis onerentur, salubria præcepta. *lib. 6. de sanit. tu.*

Partium fluxione incumbente laborantium curatio. *In arte medic. cap. de asperit. & lenit.*

Partibus fluxione laborantibus, astringentia ab initio admouenda.*lib.1.de comp.medic.secundum gen.*

Partes corporis imbecillæ,ac proinde morbidæ, propriis exercitationibus persanatæ.*lib.3.de sanit.tu.*

Partes omnes corporis, æquabiliter exercet paruæ pilæ exercitatio.*lib.de paruæ pilæ exer.*

Partes quæ inflammationem patiuntur, ob putredinem febrem accendunt.*lib.1.de diff.feb c.3.*

Partium cuiusque actionis dignitas quanta sit, & quam præbeat in curando iudicationem.*lib.7.meth.cap.13.*

A partis laborantis natura,temperies, actionis præstantia,figura,positu, consociatione, sentiendi acrimonia, vel hebetudine,curationis indicationes sumi.*lib.7.meth.cap.13.*

Partium substantiæ formatio, ac situs, tum ad euacuationes,tum ad curationem conducunt.*lib.de const.art.*

Partes in abdito sitæ, difficilius curantur, iis quæ in superficie sunt.*In definiti.medicis.*

Partium intemperies iuxta vtranque qualitatem, plurimum excedens curari nequit.*lib.7.meth.cap.8.*

Partium affectus qui in profundo sunt,valentioribus indigent medicamentis.*lib.4.meth.cap.vlt.*

Partes spiritales, si phlegmone laborent, idoneus cataplasmatum vsus.*lib.11.meth.cap.26.*

Partibus affectis localia medicamenta admouenda tum demum sunt, vbi totum corpus perpurgatum priùs fuerit. *lib.14.meth.cap.21.*

Pars nulla valentibus remediis tentanda priùs est, quàm totum corpus perpurgatum exactè fuerit. *lib.4. meth. cap. 4.*

Partibus similaribus curationis scopi sunt,alteratio: instrumentariis eximere vel adiicere, detrahere vel denuò alere.*lib.de const.art.*

Partes,quæ & sensum, & voluntarium motum per eundem neruum accipiunt, cur tamen non in vtrisque offendũtur semper, sed & motu pereunte sensus tamen manet, explicatio.*lib.de sympt.cau.cap.5.*

In partibus corporis, quæ intus sunt, adfectus nasci similes iis,qui foris,rationabile est. *Colligitur ex lib. de atra bile.*

Partes corporis vitiatæ,num reparari possint:& quænam possint,quæ minimè.*lib.de const.art.*

Partium principum, & aliarum interiorum à corde, inflammationes,

flammationes,consequuntur tabidæ febres. *Lib.1.de diff.feb.cap.9.*

Partes arctissimè ligatæ liuescunt, calore vtique qui ad eas perueniebat priuatæ.*lib.de pulf.vsu.*

Partium aliæ per vrinam, aliæ per ventrem purgantur. *lib.6.de loc.aff.cap.4.*

Partibus exterioribus corporis,communes morbi: *In introduct.seu Medico,*speciatim de singulis.

Particula aliqua corporis plena esse potest, reliquo corpore non existente plethorico.*com.31.sexti aph.*

Pars principalissima affecta grauiter, mortem inducit. *lib.7.aph.com.51.*

Parti principali, ad minus principalem fieri diuersionẽ, bonum:contrà verò,malum.*lib.6.aph.com.25.*

Partes animalis,quæ humorem generant,ad quid illum generent.*lib.5.Aph.com.39.*

Pars quęlibet potentiis regitur naturalibus.Eodem loco & humorem habet similem.

Partibus dolentibus inflammationes adueniunt, natura causam doloris excernere properãte. *lib.5.aph.com.53.*

Partes extremas frigidas esse, quando malum, & quando non.*lib.7.aph.com.1.*

Partium sola imbecillitas, non satis est ad morbum creãdum,sed oportet humores superabundare. *lib. 6.aph. com. 39.*

Partium respirationi seruientium,affectus,& pulmonum inflammatio,spirandi difficultatem faciunt. *lib.4. aph.com.50.*

Pars vnaquæque proprio alimento vtitur. *Lib.2. aph. com.17.*

Pars quælibet, quatuor vtitur potentiis naturalibus. *lib. 3.aph. com.22.*

De facultatibus, quibus nostrum corpus regitur.

CAP. XIII.

CVm varia naturæ in nobis opera, variæ actiones, motusque sint (sunt enim vel Galeni testimonio generatio,auctio,nutritio, prima naturæ opera, ac veluti capita quædam) omnisque membrorum formatio, de quibus superiore capite diximus,ab vna quapiam facultatum, ea inquam quæ corporis formatrix dicitur, dimanet: congruum

videtur, vt post exactam de membris tractationem, ea quæ de facultatibus est, consequatur quæ & ipsa, de actionibus tractationem præcedere ordine debet. De his itaque hoc capite agemus. Facultatis porro nomine, id medici intelligi volũt, quod agendi, operandive potestatem habeat. Vnde & facultates potentias interdum, nonnunquam etiam virtutes appellant. Est enim facultas definiente Galeno, actionis causa. Effectrix enim quæpiam causa facultas est, vt idem ipse lib. de simpl. fac. primo docet. Equidem cùm natura architectrix corporis instar boni cuiusdam conditoris ciuitatis, in ipso statim structuræ nostræ initio, id sit summa quadam, & admirabili arte machinata, vt vel in æternum, vel ad plurium saltem annorum, creatura sua illæsa perstaret (quam quidem immortalem, si illi per materiæ bonitatem, & excellentiam licuisset efficere, esset conata) facultates quasdam corporibus indidit, quibus seruari creata à natura animantia cuncta possent. Nisi enim à natura, facultates natiuæ quædam essent, membris confestim ab initio tributæ, durare animalia non possent; non modo tantùm annorum, sed nec temporis ferè momentum. Eo factum est, vt partes suis quæque facultatibus insignitæ, totum ipsum integrum seruent iis actionibus, atque operibus, quæ ad animalium conseruationem cõferre plurimùm videntur. Opera porro ea vocare solet Galenus, quæ per actionem quampiam facta iam completáque sunt: veluti sanguinem, carnem, neruum. Actionem vero actiuum ipsum motum, quo opus perficitur, ac completur. Cũ autem singula opera, ab aliqua procedant actione, actionem item omnem, causam aliquam à qua fiat, præcedere est necesse. Quæ ratio efficit, vt quemadmodum operis cuiusque actio causa est, sic etiam actionis causa sit quæpiam, nempe facultas. Nihil enim sine causa fieri, vnum est ex axiomatis medicæ artis, vt bellè 1. method. Galenus. Vnde fit, vt facultatem effectricem actionum, atque operum causam confiteri sit omnino necesse. Quomodo enim effici quippiam sine agente causa, & eo quod operandi vim habet, vsquam poterit? Quid sit facultas diximus: quot, & quænam eæ sint, quibus vniuersum regitur corpus, modo dicendum. Facultatum porro genera tria esse à medicis constituta, constans omnium assertio est. Facultas vitalis, naturalis, animalis. Vitalis animanti vitam suppeditat, vnde nomen traxisse videtur:

l. i. 1. de facul. nat. et lib. de plerni. & 1. de simpl. fac. Ex. 14. de vsu part.

1. de fac. nat.

Lib. 8. met. cap. 10. et 7. de pla. Hippoc. & Plat.

tur: animalis sensum, & motum, cogitationem, intellectionémque rerum suggerit, atque memoriam: naturalis alimoniam, qua seruetur animal præstat, cùm sine alimentis viuere nequaquam vllius generis animantia queant. Vitalis à corde manans, arteriarum famulatu ceu canalium quorundam, vitalem vbique spiritum mittit. Hanc Stoici Græcè θυμοειδῆ, hoc est irascibilem, aut animosam vocare solent, quòd à corde ira procedat: vel Platonis & Galeni testimonio, qui iram feruorem quendam, ac vehementē motum potentiæ huius in corde sitæ, esse voluerunt. Potentiæ huius sedem cor omnes statuunt, quòd viscus hoc, & principatum in vniuerso corpore obtineat, & insiti caloris fons sit, atque scaturigo: ac proinde vt ipsum in genere membrorum primas summo suo merito tenet, sic sane actionem omnium primariam impertit, vitam scil. atque essentiam. Nihil enim aliud vita est, quàm prima nutriuæ animæ, in calido participatio, ac mora, si quid Arist. lib. de vita & morte creditur: & rectè illud quidem. Nam tum primum viuere quippiam siue animal, siue plantam dicimus, cùm natiui caloris particeps effectum (in quo sita esse vegetatrix anima, constans omnium assertio est) subsistere atque ali ex sese incipit. Quod quandiu præstare virtute sua ingenita potest, tandiu & viuere animal, seu planta dicitur, cùm sit vita (vt paulò ante diximus) vegetatricis animæ, calido natiuo subnixæ permansio, ac mora: ac proinde hoc vitæ essentiam, atque naturam iure appellamus, vegetatricis, seu nutritiuę in nobis animæ subsistentiam. Quamobrem haud immeritò idem Aristoteles illud dixisse est visus. Viuere, viuentium est esse. Tandiu enim esse quicquam dicitur, quandiu viuit. Perit enim simul cum vita, ipsa rei essentia, siue illud animal, siue planta fuerit. Animalis facultas ea est, quæ ex cerebro per neruos, ceu riuulos quosdam sensum, & motum in vniuersum corpus transmittit: rerum demum conceptiones, intellectionésque, ac memoriam impertit. Hæc Græcis λογιστική, hoc est ratiocinatrix nuncupari solet. Hæc inquam animalis facultas actionibus iis, ac motionibus, quæ à voluntate manant, pręsidet, sensionésque omnes subministrat, visionem, auditum, gustum, olfactum, & tactum. Omnia namque hæc à cerebri facultate, ceu à principio quodam, ac

Plato 4. & 9. de rep.

Gal. 2. de san. tu. 2. de mor. causis. 1. de dif. feb. 3. 5. & 6. de placit. Hip. & Plat.

Vita quid

Lib. 2. de anima c. 4 seu tex. ta, co. 37.

fonte nascuntur. Naturalis est, quæ ex iecinore, venarum adminiculo, vniuerso corpori alimoniam præbet. Hæc Græcis ἐπιθυμητικὴ, id est concupiscibilis, seu appetitrix, & θρεπτικὴ, hoc est, altrix vocari solet. At in hoc genere multiplex reperitur facultatum differentia, cùm sint aliæ ministrantes, aliæ quibus administretur, vt Galen. comment. 5. in sextum de popul. morb. super textu, Naturæ morborum medicatrices. Ministrantes quatuor illæ sunt tantopere à Gale. celebratæ, attractrix, retentrix, concoctrix, expultrix. Quæ id nominis sortitæ sunt, propterea quod altrici, atque auctrici facultatibus alimentum præparantes, ac suggerentes famulantur. Vt enim alatur corpus, atque ex alimento incrementum accipiat, necessum quidem prius est attrahi ad partes alimentum, attractum, quoad concoctum sit retineri: vbi vero exactè elaboratum est, atque confectum, in vsum & substantiam corporis verti. Tum enim profecto nutritionem fieri arbitratur Galenus, cùm is qui assumitur ad alimoniam cibus, corpori vndique simile factum fuerit: quod assimilari medici nuncupare solent. Itaq; quatuor hæ facultates, rectissimè ab Auicenna ministrantes sunt dictę, quod altrici facultati, vt suum munus obeat, necessarium ministerium prębent. Altrix porrò facultas, cui à memoratis nunc facultatibus ministratur, ea est, qua vniuersi corporis nostri substantia cibo reficitur, ac instauratur, quod alimenti ad corpus assimilatione perfici solet. Equidem cùm è corpore nostro perpetuo aliquid effluat, dissoluatúrque assiduè substantia nostra, vt primo de sani. tu. & lib. de dissolutione continua bellè nos docet Galenus, comesse, bibereque nobis necesse est, vt quod è corpore dissolutum est, instauretur. Quod tum demum fieri dicitur, cùm id quod alimenti loco assumitur, simile ei quod effluxit factũ fuerit: ac proinde facultatem hanc cibum immutare, ac in corporis substantiam vertere, fuit omnino necesse. Immutatio porrò hęc iis tribus perficitur actionibus, appositione, agglutinatione, assimilatione. Postquam enim succus is, qui omnem animalis particulam nutriturus est, à vasis excidit, in totam eam partem primùm dispergitur, mox adiungitur, deinde agglutinatur, demùm assimilatur. Quod vbi contigerit, tum verè nutriri dicitur corpus. Cùm sit nutritio, ad id quod nutritur, eius

Lib. de san. tu.

Fen. 1. pri. doc. 6. cap. 2.

Nutritio.

ius quod nutrit aſſimilatio, ita. 1. de facul. natur. definiente Galeno: vel eius, quod euacuatur, repletio, vt 1. aphoriſ. com. 15. idem teſtatur. Altricem porro facultatem auctrix, ad præſtitutum quoddam à natura tempus, inſequitur: non enim omni tempore augeri animal poteſt. Itaque cùm alimenti plus in omnem dimenſionem apponitur corpori, quàm è corpore effluat ſubſtantiæ, tum incrementum fieri ſanè videmus. Quod eouſque protenditur, donec oſſa firmum ſint robur adepta: vt lib. de optima corporis conſtitutione affirmat Galenus. Eo fit, vt in conſiſtendi ętate deſinat incrementum, quod & oſſa tum ſoliditatem iam ſuam ac firmitatem nacta ſunt, & calor natiuus haud ita, vt in pueritia copioſus nec materia adeſt ſequax, & ad incrementum prona, exſiccato iam tum totius corporis habitu. Incrementi enim eę præcipuæ (ſi quid Galeno creditur) cauſę ſunt, nempè natiui caloris vis, & copia, humoris ſequacis, ceu materię ad incrementum idoneę abundantia: quę ambo cum adſunt, augeſcere corpora eſt neceſſe, hoc eſt, in trinam dimenſionem diſtendi, & ampliora euadere. Eſt enim auctio nihil prorſus aliud, quàm profectus corporis in longitudinem, latitudinē, & profunditatem, vt autor definitionum medicinalium tradit. Fit enim corpus in auctione ex minore maius, propria ſeruata forma, vt 1. de facultatibus natur. aſſerit Galenus. In omnem vero partem extendi quod augetur corpus, ipſe idē ſecundo de facultat. natur. confirmat. Efficitur porrò hęc in omnem partem extenſio, ipſo per ſe totum vndique nutrito corpore. Niſi enim quę extenduntur corpora, id à nutritione nanciſcantur (vtique ab alimento probè refecta) non augeri, ſed extendi potius iure dicentur. Tum enim ſpeciem quandam falſam augmenti prębent, verùm incrementum adepta minimè ſunt. Quinimo diſtendi in omnem partem ea tantùm poſſunt, quę per naturam ipſam ſunt adaucta. Quę enim à nobis diſtenſa, ſicut vna dimenſione id patiuntur, ita reliquis minuuntur, vt & experientia docet, & confirmat. 1. de facultatibus natur. Galenus. Auctrici porro facultati auxiliatrices, & veluti miniſtrę ſunt, alteratrix, hoc eſt, concoctrix, & nutrix. Proprium facultatis eius eſt, in omnē partem proferre, quę iam nata genitáve ſunt, vt pręcitato loco Galenus. Quamobrem ſi quempiam poſt vigoris ætatem craſſeſcere, ac impinguari contingat, hunc non augeri,

Com. 2. in lib. de nat. hum. ſuper textu, Corpus enim quod adoleſcit.

(quod non in omnem dimensionem protendatur) sed obesiorē fieri, ac seipso crassiorem iure dicemus. Atque eę omnes, quas modo tractauimus facultates, ad singularis tutelā, & conseruationem propriè pertinent. Non enim sine altrice facultate consistere animal, nec sine attractrice, retentrice, concoctrice, & alienorum expultrice, aut ali, aut viuere, vel paululum temporis potest. Vt vero iis facultatibus omnibus, singularis tutelæ optimè à natura prouisum est, sic sanè generis propagationi, ac immortalitati duabus aliis est mirabili arte consultum: generatrice, inquam, & formatrice facultatibus. Cùm enim incorruptibile fieri, quod ex sanguine menstruo, seminéque genitali coactum esset, minimè posset: nec permanens æternúmque quod ex neruis, arteriis, venis, carneque constaret: mirabilem quandam inuenit natura artem, vt semper pro animali quod corrumpitur, nouum aliud in illius vicem substitueretur ne deficiente perpetuo singulari, ipsum totum deficeret genus: vt hac substitutorum continuata serie, & alternatione specierum æternitas perduraret. Omnibus ob id animantibus natura, & generandi facultatem tribuit, & organa conceptionis dedit, ipsísque organis vim quandam ad generationem voluptatis copulauit, animalibúsque mirabilem quendam, & ineffabilem ad generis sui propagationem, appetitum indidit, à quo excitata & veluti stimulata animalia, etsi stulta (vt ait Gal.) etsi iuuenilia, etsi irrationalia omninò fuerint, prouident tamen hac ipsa generatrice facultate, permanentiæ generis. Quæ quidem in nobis potentia, id nominis sortita est, quòd eius vnius ope, atque præsidio, simile quid procreandi, quales ipsi sumus, potestatem habeamus: vnde generatrix, hoc est substantiæ cuiusdam productrix, meritò dicta est. Solius enim substantiæ est generatio, vti qualitatis alteratio, si quid Aristoteli creditur. Hæc porro facultas in semine tota posita est, quod quidem prolificum cùm suapte natura sit, vnius cuiuspiam similis sibi proferendi, vt insitam virtutem habeat, est omnino necesse. Sic plantarum & cerealium semina, sui quæque generis propagandi abditam in se, & reconditam potentiam habent. Vnde fit vt oriza orizam, ordeum ordeum, triticum triticum, in terram sata generent. Sic homo hominem, bos bouem, equus equum generat. Sed quomodo generat? Semine genitali inquam in fœminæ vterum eiaculato,

Ex.14. de vsu part. ad prin.

14. de vsu part. cap. 2.

Lib. de ortu & interitu.

culato, in quo sita generandi facultas, maris & fœmellæ semina, sanguinemque menstruum ita miscet, ac temperat, vt ex temperatione illa, fœtus in vtero generatio consequatur. Atque hoc generatricis huius facultatis propriũ est. Hanc porro altera longè diuinior insequitur, quæ id quod genitum est atque vtero conceptum, quasi pictor quidam, aut plastes delineat, format, effingit, magnáque quadam, & admirabili arte membra componit. Formatrix hæc à medicis nuncupatur. de qua tam multa Gal. cùm libris de semine, tum lib. de fœtuum formatione. Huius proprium est membrorum figuram, cauitatem, connexum, magnitudinem, situm effingere, ac conformare, ac vnicuique parti ista hæc ipsa tribuere, quæ ad ipsius proprium munus optimè facere videbuntur, ac proinde rectissimè facultatem hanc sapientissimam esse, Gal. merito dixit. Prout Auicenna, non sponte sua facultatem hanc, sed præcepto sui creatoris membra effingere, ac delineare diuino profectò spiritu, pronuntiare est ausus. An non idipsum summus Rex, idem & Propheta Dauid, diuino numine plenus multo antè cecinerat? *Manus tuæ, inquit, fecerunt me, & plasmauerunt me.* Et sanctissimus Iob: *Tuæ manus elaborauerunt me, ac me fecerunt, quantus, quantus sum. An non velut lac fudisti me, & velut caseum me coagulasti? cute & carne vestiuisti me? ossibus etiam, & neruis me contexisti?* En profectò hominis structuram, Deo vt par est, verissimè atque sanctissimè attributam, quod ex tantilla eáque fluxili, humidáq; substantia, semine genitali, & sanguine menstruo, tanta mẽbrorum moles, tanta corporis vastitas, tam solida ossium, & articulorum connexio extruatur, firmáque compage assurgat. An non præponentis Dei opus esse fateri cogemur? Sed de vitali, naturalique facultatibus abundè dicta hæc sint. Ad animalem facultatem quæ propria animantium est, stylum modo vertamus. Hæc sedem in cerebro, ceu arce quadam sublimi, ac specula obtinet. Animalis autem ob id dicta, quòd solis animalibus insit, non etiamnum plãtis. Quamobrem animalium propria est merito iudicanda. Siquidem (vt secundo de anima proditum ab Aristot. est) Animal ob sensum primò tale est. Quæcunque enim sensum habent, ea non solùm viuere, sed & animalia esse, verè pronuntiamus. Iure igitur optimo facultatem hanc animalem vocamus. Huius propria munia sunt, sensus efficere, motúmque volú-

Lib. de fœtuum for.

Fen. 1. pri. doc. 6. c. 2.

Psal. 118.

Iob. 10.

tarium ab electione, consilioque manantem præstare, ídque neruorum adminiculo. Hęc vna visum, auditum, odoratum, gustum, tactúmque animalibus suppeditat. Hęc animalia ad ea capessenda, quę conducunt, mouet, atque impellit. Hęc gressum, & voluntarium omnem motum, musculorum ope perficit. Hæc demum principatum in animali gerens, cogitationem, intellectionem, exactúmque rerum iudicium, ac perceptionem sola complet, rerúmque perceptarum memoriā retinet, atque conseruat: vt hac sola principe in nobis facultate, à plantis, & brutis longissimè seiungamur: cùm plantę vita solùm, & vegetatrice facult. prędite sint, bruta sensum quidem & volūtarium motum, cogitationem, intellectioné, & ex voluntate consiliū minimè nacta sint. Qua pręrogatiua, singulari planè, & eximia, vnum tantùm hominem diuinum, natura dotauit. Vt summo suo merito homo, inter animātes diuinum animal, multiplex, plenum consilij, & rationis sit à Cicerone, Platonéque nuncupatus. Cæterùm facultas hęc animalis vim suam exercet in iis neruis, qui cauitaté nō habent, irradiatione quadam, perinde, atque solis radij per aquam, aërémve transeunt. Quę docta Galeni libro primo de sympt. causis cap. 5. sententia est. Equidem cùm nerui, (quorum adminiculo animalis facultas vim suam in organa exerit) meatum aliquem, cauitatémque nacta sunt, per quem veluti per viam facultas à cerebro in ipsum delabatur (vt in visoriis neruis spectare licet) tum certè non irradiatione solùm, sed corporeę cuiusdam substantię transmissione, quę eo per meatum, tanquam per canalem defertur, facultas in eam sese partem immittit. Vnde fit, vt in oculos videndi facultas, à cerebro per opticorum neruorum cauitatem, spiritu lucido, ac ęthereo transmisso, demittatur. At in aliis partibus, in quibus internuncius facultatis neruus solidus est, nullo meatu cauatus, in iis certè facultas, instar radij spiritalis cuiusdā, & incorporei vim suam eo transmittit. Proinde si solida substantia nerui constent, impedietur quidem facultas animalis ad eos transmitti, si crassiores, & compactiores fiant, vt si premantur, si adstringantur, & in vniuersum, si instar caliginosi aëris, turbidi, & fumosi solis lucem non recipientis, ad proportionem quoque & ipsi nerui, cerebri vim non recipiant. Vt enim aerem perurùm esse oportet, lucidum, nulláque caligine turbatum, vt solis splendor ē exci-

excipiat, ſic & neruos qui ſolida ſubſtantia conſtant: nec cauitatem habent vllam, neque compreſſos, neq; adſtrictos, neque craſſiores eſſe oportet, ſi facultatem illis à cerebro miſſam, ſunt liberè ſuſcepturi. Nam vt aëris & aquæ ſubſtãtiam ſolis ſplendor radiorum virtute permeat, ſic & ſolidos neruos cerebri facultas: quæ cùm incorporea ſit, inſtar radiorum ſolis, vacuum non poſtulat locum, vt ſeſe inferat: quanquam loci, per quem tranſit, puritatem requirat. Quæ ratio efficit, vt craſſum, caliginoſum, & nubibus obductum aërem, ſplendor ſolis permeare non queat: quòd craſſum ſit delationis medium, & lumini ſuſcipiendo ineptum. Supereſt, vt quod reliquum eſt de facultatibus abſoluamus. Illud nempe, facultatum alias inſitas eſſe, alias influentes, ſeu aliunde emanantes. Inſitas, & ingenitas eas vocare medici ſolent, quæ ipſis membris, à generationis primordiis attributæ ſunt, vt ab ipſis regantur, nec aliorum ope egeant: influentes, ſeu aliunde manantes, quæ ab vna quapiam principe parte, ceu à fonte quopiam deriuatę, in alias ſeſe corporis partes corriuatione quadam inſinuent. Qua ratione ex tribus illis memoratis facultatum generibus, animalem facultatem, atque etiamnum vitalem, influẽtes appellare poſſumus: naturalem vero, ingenitam & inſitam: qua quidem partes eæ, quæ à ſeipſis reguntur, neque arteriis, neruis, aut venis indigent, præditæ eſſe, à Gal. in arte medicinali dicuntur. Sunt autem eæ, os, cartilago, copula, ſeu ligamentum, membrana, adenes, adeps, caro ſimplex. Qua de re tota, cùm accuratè ſit à nobis præcedenti capite dictum, non eſt quod in eo proferre ſermonem debeamus: ne compendij leges, quas nunc horum communium tractatione locorum amplectimur, tranſgredi videamur.

De facultatibus, Hippocratis, & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

Ex facultatibus, ac potentiis, quæ affectiones homini accidant, cognoſcere medicum oportet. *lib. de veteri medicina.*

Facultatem in homine eſſe, humorum ſummas vires, ac robur noſſe. *lib. de vet. med.*

GALENI.

FACVLTAS ad aliquid est. *Lib. Quòd animi mores corpo. temperaturam sequantur.*

Facultates tot insunt rei, quot effectus ab ea proueniũt. *Eodem lib.*

Facultatis essentia singularum partium, in commodo singularum illarum posita temperamento est. *lib de præsagat. ex pulsibus, cap. de facultatis essentia. Et rursus eodem lib. cap. de caprisante pulsu.*

Facultates in corpore nostro tres sunt, vitalis, naturalis, animalis, & earum explicatio. *lib. 8. meth. & 3. 5. 6, de placit. Hipp. & Plat.*

Facultates seruare, nihil prorsus aliud est, quàm seruare vitam. *lib. 6. meth. cap.* 10.

Facultatum nos regentium tria esse principia, Galeno hypothesis est. *lib* 8. *de placit. Hipp. & Plat.*

Facultatum nos regentium dignitates, salubrem animali moderationem in quali, & quanto conseruare. *Com. 5. 3. 6. de popul. morbis, textu. 1. Naturæ morborum medicatrices.*

Facultatum substantiam, quibus corpora reguntur, proprietatem esse temperamenti. *lib de malitu.*

Facultates quibus ad constitutionem tum librorum, tũ artium vtimur, tres in nobis sunt, sensus, mens, & memoria. *Com. in lib. de his quæ in medicatrina fiunt, super textu, Quæ quibus cognoscimus, omnibus licet cognoscere.*

Facultatum animæ trium, cuiusque functio duplex: altera per se, per aliud altera. *lib 7. de placit. Hipp. & Plat.*

Facultates animę quibus cupimus, irascimur, ratiocinamur, plures sunt non vna, vt Chrysippo est visum. *lib. 5. de placit. Hipp. & Plat.*

Facultatum animæ irrationalium ad equos, rationalis ad aurigam equos moderantem, pulchra comparatio. *lib. 6. de placit. Hipp. & Plat.*

Facultatum breuis enumeratio. *Com. 2. in lib. de nat. hu. super textu, Morbi ex corporis validissimo.*

Facultates necessario in nobis ponendæ, si duraturum animal sit, *lib. 2. de facul. nat. cap. 3.*

Facultatis vitalis cognitio, è pulsibus petenda. *lib. 4. de præsagat. ex pulsibus, cap. de facultate vitali cognoscenda.*

Facultas

Facultas animalis, animalibus instrumentis à principio, id est cerebro veluti lumen à sole, influit. *Lib. 1. de locis aff. cap vlt.*

Facultatem vitalem suffocant affectus, qui ex thorace, pulmone, aspera, arteria, gutture faucibúsque procedunt. *Lib.4 de præsagat ex pul. cap. futura ex quibus sint præsagienda.*

Animalem facultatem deiiciunt imbecillitates cerebri, obstructiones, impletiones ventriculorum ipsius. *Eodem loco.*

Facultatis vitalis, & naturalis imbecillitas deterrima est. & citò hominem tollit. *Com.4.in pri. prorrhet. text.5.*

Facultatum tria principia, cor, cerebrum, hepar. *Eodem com.*

Facultates animæ, à calidis & frigidis immutantur. *Lib. Quòd animi mores corp.temp.sequantur.*

Facultas quædam explicatrix, & interpres in nobis est. *lib.3.de placit. Hipp. & Plat.*

Facultas quæuis, in relatione ad aliquid intelligitur. *lib. 1. de nat. facul cap 4.*

Facultatibus, & moribus animę, idoneum corpus pręparat natura. *lib.2. de semine.*

Facultates ex substantiæ temperatura habemus, vnde prima extat nostra generatio. *lib.2 de semi.*

Facultas cùm certa partis temperie actionis causa sit, qua pereunte perit ipsa quoque actio. *2. de facul. natu. cap. 8.*

Facultas animalis, naturalis, vitalis, animalia dispensat, naturalis sola plantat. *lib 1. de facul. natu. cap. 1.*

Facultas quæ plantas, atque animalia fingit, non sistit, ac cessat aliquando, sed tota omnes simul partes producit. *lib. de fœtuum format.*

Facultates partium naturales, mediante temperamento agere, ostensio. *lib.1 de fac. nat. c. 4.*

Facultates naturales ab Hippocrate inuentæ. *lib. 1. de facul. nat cap. 12.*

Facultates naturales, quatuor in qualibet particula esse, ostensio. *lib. 3. de fac. nat. cap. 8 & 9.*

Facultates naturales quatuor esse, suppositio. *Lib. 3. de temper.*

Facultatum naturalium essentia in quibus consistat, népe in peculiaribus partium temperantiis, *lib. 5. de loc. aff. cap. 4. & 1. de simpl facul cap. 1.*

Facultates naturales, effectus totius in corpore quouis, substantiæ sunt.*1.de simpl fac.cap 1.*

Omnis particula, quatuor prædita est facultatibus nutritioni seruientibus.*lib.3.de facul natu.cap.9*

Facultatis, actionis, & operis inter se habitudo. *lib.1.de facul.natu.cap.4.*

Facultatis, & per hanc actionis, proba quatuor elementorum temperies, est causa.*lib.2.de facul.natu cap 9.*

Facultas est operis causa ex accidenti, id est secundò, per actionem mediam.*lib.1.de facul.natu.cap.4.*

Facultatum naturalium, cuiusque vires, & imbecillitas quibus ex causis contingant.*lib.3.de sympt.caus.cap.3.*

Facultates naturales omnes, num ex æquo lædantur, offenso ipsarum corpore, an secus.*lib 3.de sympt. caus.cap.3.*

Facultatum naturalium cuiusque, pro temperamento tũ robur, tum imbecillitas.*Eod.lib.& cap.*

Facultatum naturalium cuiusque robur, & imbecillitas in pueris.*Eodem loco.*

Facultates infantibus, quæ sint robustissimæ, quæ imbecillimę, quæ mediæ.*lib.de fœtuum format.*

Facultates alterationis primæ, & elementares, caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas.*lib.1.de facul.natur.cap.6.*

Facultates alteratrices, in omni animali tot sunt, quot habet in se elementares particulas.*Eodem loco.*

Facultas formatrix in generatione partium formam & speciem in generatione effingit.*Eodem lib.& cap.*

Facultas formatrix artificiosa, nihil otiosum facit, sed omnia alicuius gratia molitur.*lib.1.de facul.natur.cap.6.*

Facultas nutrix, ne in his, qui vtero gestantur deest. *lib.1. de facult.natu.cap.7.*

Facultas auctrix & eius officium est toto, postquam editum in lucem animal est, tempore, vsque ad ætatis vigorem, in omnem dimensionem quod natum est proferre.*Lib.1. de fac.natu.cap.7.*

Facultati auctrici auxiliatrices, & veluti ministræ sunt, alteratrix, id est, concoctrix, & nutrix.*Ibidem.*

Facultas tractrix, naturalium facultatum est prima.*lib.3. de facul.natu.cap.12.*

Facultatem attractricem esse, ostensio inductione eorũ quæ in rebus inanimatis apparent, vt de magnetis vi, & me-

& medicamentorum tractoria.*lib.de facul.nat*.1. *c*.13. *&* 14.

Facultatem attractricem, arteriis à corde inesse. *lib*. 3. *de facul nat.cap* 14.

Facultas attrahendi omnibus inest rebus.*lib.1.de natu.facul.cap*.14.

Facultas renibus inest, attrahendi vrinam.*lib.de facul.nat. cap*.15.

Facultatem tractricem Erasistratus negauit. *lib.1.de facul.nat.cap*.16.

Facultatum tum attractiuæ, tum expultricis in quauis parte confirmatio, per ipsarum instrumenta, venarum, arteriarum, vesicæ, vteri. *lib.3.de facul.natu.cap*.11.

Facultate contentrice, omnia opus habere (vt Herophilei affirmant) absurdum est, & eius rei ostensio. *Lib.de multidu.*

Facultatem partium tractricem, renes maximè probāt. *lib.2.de natu.facul.cap*. 2.

Facultas expultrix, quomodo in actionem prodeat, & illius tempus.*lib.3.de facul.nat.cap*.12.

Facultas vteri expultrix, partum & abortum facit.*ibidem.*

Facultas expultrix, tum agit dum retentrix materiarum quantitate immodica, vel qualitate aliena, & mordaci, vel vtraque molestatur.*lib.3.de facul.natu.cap*.5.

Retentrix facultas.*lib.3.de facul.nat.cap*.3.

Facultas contentrix quæ sit, inquisitio.*lib.de multitu.*

Facultatem retentricem esse, demonstratio. *lib*. 3. *de facul.natu. cap*.2.

Facultas retentrix qualitate aut quantitate, aut vtraque contentorum offensa ad expellendum inuitat expultricem. *lib.3.de fac.nat.c*.12.

Facultatum opera, quæ dicantur, nempe quæ per actionem facta, completaque sunt.*lib.1.de fac.nat. cap*.2. Item actio, & causa.*Ibidem.*

Facultas mutandi status vitiosos, in nobis est. *lib*. 2.*de facul.nat.cap*.8.

Facultates inueniendi via.*lib.1.de facul.natu.cap*.4.

Facultas medicamenti, est causa in ipso effectrix. *lib*.1. *de simpl.facul.cap*.1.

Facultas medicamenti cuiusque ex eo sumitur, quòd vnum, idemque semper efficiat, quoad nos contingit. *Lib*.1. *de simpl.facul.cap*.2.

Facultate propria facies quippiam, qualiter ab eo quod secundum accidens facit discernatur. *Lib de simpl facul. cap* 3.

Facultates contrariæ, qualiter eidem substantiæ competere possint. *lib* 3. *de simpl facul cap.*15.

Facultatem contrariam habentia alimenta, quibus modis æstimes. *lib.*1. *de facul aliment.cap* 1.

Facultatem quamque medicamenti, ex eo ad quod dicitur, & vt primo quod per se facit, non ex accidenti iudicare oportet. *lib de simp facul.cap.*2.

Facultates medicamentorum, quomodo ex saporibus deprehendendæ. *lib.*6. *de simpl facul.cap.*26.

Facultas cibi, potus, medicamentorum, quomodo exploranda. Nempe ex affectu cui applicatur, quod exploramus. *lib.*1. *de alimen.fac.*

Facultates medicamentorum, quæ secundum totius substantiæ proprietatem perficiuntur, sola experientia inuenit. *lib.*6 *de simpl.facul.cap.de Abrotono*

Facultas alia actu, alia potestate, & quæ sit vtraque. *lib.* 1. *de simpl.facul.cap.*1.

De actionibus facultatum. CAP. XIIII.

QVoniam facultates, actionum effectrices causas esse, superiore capite diximus: consequens est, vt de actionibus (quæ facultatum effectus sunt) modò disseramus. Sunt autem actiones ij facultatum motus, quibus ipsæ ad opus peragendum mouentur. Equidem cum in id operétur facultates nostri corporis omnes, vt opus aliquod vnum ad singularis tutelam, vel speciei propagationi necessarium perficiant: necessarium sane est, vt motione aliqua ad opus impellantur. Sine motu enim nihil quicquam effici, nihil gigni, nihil alterari potest. Vnde tam multa philosophorum summo Aristoteli data est de motibus tractandi materia. Quòd motus viæ sint quædam & semitæ, quibus quicquid aliquo in genere agere potens est opera sua complet, ac perficit. Vnde generationem, alterationem, lationem, motus quosdam esse merito dicimus: quod per hæc substantiæ vel gignantur, vel certe alterentur, aut moueantur. Est itaque actio definiente Galeno, motus partium factiuus, vt. 1. de loc. aff. vel rei efficientis motus, vt 1. de facultate naturæ, & lib.

& lib. de sympt. diff. idem tradit. Tot verò actiones esse necesse erit, quot & facultates: cum sint vtique facultates actionũ causæ, vt superiore capite docuimus, idque optima sane ratione. Nam cùm facultates ad aliquid dicantur, sintque ex eorum genere, quæ ad aliud referuntur, nihil autem sit cui accommodari rectius facultatis tum nomen, tum essentia possit, quàm actio ipsa: propterea quod in id facultates dictæ sunt, quòd quippiam efficiendi potestatem habeant: consequitur profectò tot esse in genere actiones debere, quot fuerint & facultates. Habent enim facultates singulæ, quæque proprias suas functiones, seu actiones ad quas ipsæ propriè referantur. Hinc fit, vt nullam sit dare facultatem cui non protinus peculiaris sua, ac propria respondeat functio: hoc est actiuus ille motus, qui facultatis insigne est per quem facultas habet, vt facultas & sit, & dicatur. Actionem porrò ἐνέργειαν meritò Græci nuncupant, quasi efficacitatem quandam, & actum dicas. Quicquid enim in actione positum est, id omne & actum esse, & potenter moueri (si opus effecturum quoddam est) omnino oportet. Actiones itaque erunt, quæcunque à facultatibus in motu posita protinus emanant, qualia sunt generatio, formatio, auctio, attractio, nutritio, retentio, concoctio, sanguificatio, discretio, distributio, vita, sensus omnis, visio, auditio, gustus, olfactus, tactus, imaginatio, cogitatio, memoria, tum motus voluntarij omnes. Hæ facultatum nostri corporis omnium actiones: quarum aliæ ad vitalem propriè, aliæ ad naturalem, nonnullæ ad animalem pertinent. Vitalis porro facultatis propria est vita, hoc est, continuus ille, à corde motus quo spirituum inde manãtium præsidio, & natiuus in nobis calor quotidie & producitur, & fouetur: & ab eo sic conseruato animal subsistit. Vnde spiritus huiusmodi vitales merito nuncupamus, quod & influxu suo vitam nobis suggerant, & vt in nobis nutrituita anima vim suam exerat, participatu natiui caloris efficiant. Naturalis facultatis actiones sunt, quâ ad generis propagationẽ pertinent generatio, atque formatio: quâ verò singularis cõseruationi, reliquæ omnes, quæ nutritioni dicatæ, conseruando corpori suppetias ferunt. Quo in genere sunt, auctio, nutritio, & ad hanc necessariæ, attractio, retentio, concoctio, & alienorum expulsio: & quæ ad has cõsequntur, sanguificatio, distributio, discretio. Animalis facultatis propriæ actiones

Hip. li. 6. epid. sec. 5. aph. 5.

quæ externis sensibus obeuntur, munia censeri debent, visio, auditio, olfactus, gustus, tactus, & qui à delectu, atque consilio motus proficiscuntur: Tum vero, ad principem in nobis vocatam facultatem referuntur, imaginatio, cogitatio, memoria. De iis compendio nobis est sigillatim dicendum, vt ex earum notione, & in nobis dignitate, atque præstantia, facultatum eas efficientium dignitatem, item atque præstantiam nosse, pro cuiusq; merito atq; essentia valeamus. Generatio est substantiæ productio, vt 1. & 2. de fac. nat. & 2. item meth. med. Ad substantiam enim, via quædam & progressus est generatio. Quo sanè nomine in præsens naturæ eum motum intelligimus, quo animal efficitur, semine vtrique genitali sanguinéque menstruo, primis ortus nostri principijs debitè contemperatis, & vteri natiuo calore, virtutéque complexis. Nihil enim aliud prorsus generationem esse nunc dicimus, quàm animalis in vtero conceptum. Atque hæc propria generatricis in nobis facultatis functio est, veluti geniti iam animalis formatio, formatricis. Formari autem tum propriè animans dicitur, quum illius partes pro sui quæque dignitate, & vsu effinguntur. Quæ quidem partium formatio, ex congruo positu, connexione, figura, substantiæ modo & ordine constat. Id vero inter vtrasque has functiones interest, quod hæc simplex quædam est actio: generatio verò non simplex, sed composita, nempe ex alteratione, & formatione constans: Siquidem alterari oportet effingique materiam ipsam, vt ex ea gignatur animal, vt 1. de fac. nat. docet abundè Galenus. Sunt itaque functiones eæ duæ, earum facultatum, quæ ad generis propagationem pertinent. Sicuti auctio, nutritio, & reliquæ omnes facultatum earum, quę singularis tutelæ dicatæ sunt. Est porro auctio, profectus corporis in longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Quod sanè tum fieri dicitur, cùm ex minore mole in maiorem omni ex parte animal euadit, propria seruata forma, vt 1. & 2. de nat. facul. à Galeno habetur. Cùm enim in omnem dimensionem plus alimenti corpori adiungitur, quàm ab eo effluat, augescere tum corpora est necesse. Quod quoniam non perpetuò quandiu viuit animal perfici potest (est enim dare tempus in quo plus effluit à corpore substantiæ, quàm adiungatur, vt post consistendi ætatem) eo fit, vt incrementi certi sint quidam & constituti à natura fines, quos egredi non liceat. Quæ

causa

causa est,vt post consistendi ætatem augescere animalia desinant,iis quas præcedente capite attulimus causis.Perficitur autem functio hæc,natiui caloris robore,& materiæ sequacis abundantia,quoad ossa solidam nacta sint firmitatem, vt lib.de opt. corp. const.& Com.2.ad lib.de nat.hu. ostendit Gal.Nutritio porrò præcipua est functionum earum, quæ singularis conseruationi deputatæ sunt,cùm eius vnius ope subsistere animal possit,cibo videlicet instaurata, atque refecta,quæ à nobis continuè effluit substantia: quod alimenti ad corpus assimilatione perfici solet.Cùm sit vtique nutritio ad id quod nutritur, eius quod nutrit assimilatio, ita primo de fac.nat.asserente Gal.At verò cùm id quod nutrit,alendo corpori antequàm ipsum nutriat,contrarium sit,multas prẹcedere transmutationes oportet, vt alimentum alendo corpori simile reddatur ob id:apponi primò alimentum, appositum agglutinari,agglutinatum assimilari tandem est omnino necesse.Quomodo enim quod partibus non apponitur, aut appositum minimè agglutinatur,assimilari, & in alendā corporis substantiam verti vnquam poterit? Ob id quod nutriturum est,posteaquam è vasis excidit in totam nutriendam partem primùm dispergi,mox adiūgi, dein agglutinari, ac demum assimilari oportet.Differre autem ab agglutinatione appositionem,sicuti & agglutinationem ipsam ab assimilatione,ex his quæ in hydrope,& vitiligine cōtingunt,spectare licet.Si quidem in hydrope humoris nutrituri fit appositio,non tamen agglutinatio, vnde fit vt crura extremæque partes omnes tumeant:in vitiligine autem adhæret quidem partibus alimentum,at non assimilatur.Atque hæc omnia nutritionem ipsam prẹcedere,est omnino necesse,sicuti etiam & cibi acceptionem, acceptíque concoctionem, prout & alienorum expulsionem eam subsequi.Verùm cùm non sponte suaptéque natura alimentum in partes, quæ ali ab ipso debent,deferatur,sed attrahi ipsum prius,retineri etiam,atque alterari oporteat,de iis modo actionibus dicendum,quomodo inquam attractio,retentio,alteratio, id est, concoctio,tum etiam alienorum expulsio fiant.Attractio,facultatis attractricis peculiaris functio est.Fit autem maximè corpore secundum naturam se habente,cùm quid vtile corporis partibus,motu locali villorum rectorū ope adiungitur, quod priùs remotum,seiunctúmque erat.Attractorias enim

actiones, rectorum villorum adminiculo fieri Galenus 4. de vsu part. c. 17. affirmauit. Equidem cùm suapte sponte, quę ingeruntur ad corporis tutelam, eo ferri non possunt, vbi fructum sunt allatura (non enim cibus, potúsque ad partes ipsas, spontaneo suo motu, atque per se deferuntur, cùm inanimata sint, ob idque proprio motu ferri nullibi possunt) facultatem quandam esse oportuit, cuius actione ingesta in partes commodè deferri possent. Actio autem ea propriè attractio dicitur, ac proinde partium vnicuique, hanc esse proprij alimenti concessam à natura attractricem potentiam, Galenus cùm lib. de fac. nat. tum com. 21. primæ section. aphorismorum prodidit. Hac ipsa actione efficitur, vt quod animanti est vsui futurum, quasi manibus comprehensum, eo trudatur, vbi alterationem quod immittitur est suscepturum. Sic sanè cibus in ventrem, in reliquum omne corpus sanguis attrahitur. Hanc item functionem, tum vitandi vacui causa, tum caloris beneficio fieri, omnes censent. Retentio est eorum, quæ attracta sunt congrua mora, atque contentio, qua tandiu in parte detinetur, quod vsui futurum est quoad exactè elaboratum à natura fuerit. Ob id Galenus hanc ipsam retentricis potentiæ functionem naturalem quidem tum esse, cùm concoctionis tempori æquatur, & ab omni parte cibos exactè constringit, conceptis verbis asseuerauit. Perficitur autem villorum obliquorum ope, vel eiusdem Galeni millies in mille locis sententia. De alteratione, seu concoctione modo dicendum. Concoctionem porrò, alterationem quandam in qualitate esse fierique ventriculo cibũ sibi assimilante, Gal. lib. de sympt. cau. 3. mox ad principium astruxit. Cùm enim cibus in qualitatem animanti familiarem, natiui caloris opera conuertitur, conuersionem eam, concoctionem vocare Galenus solet. Quam variè medicinæ autores definiant. Quidam vt sit mistio, & succatio velut elixatio alimenti in ventriculo, in digestionem, per mutationem absoluta: vel alteratio prompta ad sanguinis generationem, quæ à natura fit per caliditatem, elixationi similis. In quam sententiam Gal. 3. de fac. nat. inclinare videtur. Hippocrates à calido innato coctiones fieri putat. Erasistratus contritione, & molitura. Quod & Auicenna sensisse videtur, dum nutriens masticatione aliquam sibi concoctioni partem vendicare scripsit. Tum verò & amplexu ventriculi, & adscititij

Libr. de sym. diff. cap. 4.

Libr. de sym. diff.

Fen. 1. pri doc. 5. c. 2.

spiritus

spiritus proprietate, idem Erasistratus coctionem fieri affirmauit: veluti Empedocles putrefactione. Sed inter has omnes de concoctione sententias, ea quæ Hippocratis, cæteris longe antestare videtur. A calore enim natiuo concoctiones omnium optimæ perficiuntur: ob id pueros, quòd calido natiuo polleant, pluribus egere elementis, rectissimæ in aphorismis scripsit. In summa, concoctionem, alterationem quandam esse, ac nutrientis in propriam qualitatem eius, quod nutritur mutationem, Gal. 2. de fac. na. verissimè astruxisse est visus. Tum enim vere concoctum alimentum dicimus, cũ à calore natiuo veluti elixatum, permutatum fuerit, & in eã qualitatem conuersum, qua animati familiare, tali mutatione sit effectum. Crassiora autem effici, quæ concocta sunt, ipsa sensuum fides, atque experientia docent. Sanguis enim chylo crassior, & sanguine ros, cambium, gluten, hoc est, alimenti partes eæ, quæ ex sanguine vi natiui caloris elaboratæ, ad alimoniam corpori suggerendam paratiores, proximioresque effectæ sunt. Nam cum actione natiui caloris coctiones perficiantur, hic autem calor semper id, quod tenuius est absumat: consequens certè est, vt quod in coctione relinquitur, crassius omnino euadat. Ad quod facit, quod cum coctionibus rerum, quæ alendo sunt, nutriri corpora debeant, ceu via quadam ad id maximè idonea: efficitur profectò, vt quoniam concocta quæ sunt, substantiæ animantis familiaria magis effecta sunt, fit autem ani[illegible]antis substantia crassior, atque compactior: efficitur inquam, vt concocta crassiora euasisse necessarium sit. Itaque cùm de ea nunc concoctione nobis sermo sit, qua id quod nutriturum est, in membrorum substantiam conuertitur, constat actionem hanc, seu motum ad id quod crassius est semper dirigi. Cùm id, in quod debet alimentum conuerti, perpetuò crassius sit eo, quod in ipsum conuertitur. Sunt enim membra perpetuò cibis substantia crassiora. Ac proinde rectissimè Aristoteles concoctionem, perfectionem esse in vno quoque humido à proprio, & natiuo calore, ex oppositis passiuis, quarto meteor. asseuerauit. De ea vero concoctione, per quam fructus ipsi à solis calore elaborati, perfectionem quique suam nanciscuntur, non sic absolutè proferendum. Nam in quibus siccum terreum, humido, aqueo & aëreo accedente perficitur, & cõtẽperatur,

Lib. I. aph. 14.

An cõcoctio incrassando procedat.

in iis certè ea quæ concocta sunt subtiliora, & tenuia magis euadunt:vt in cerasis,pomis,ficubus,& punicis malis cernere licet. Quæ matura cum euaserunt,aquea magis & tenuiora reddita sunt,atque molliora,quod humidum aqueum copiosum à calore concoquente attrahatur,tanquam conueniés ad perfectionem eorum,quæ concoquuntur. Item vbi concoctio ,id quod conficitur ad mixti perfecti substantiam excipiendam immediatè præparat,id quod actione tali concoquitur, perpetuo crassius euadit:Sed quæ non immediatè, sed per plures transmutationes id molitur ,non perpetuo id quod concoctum est,crassius reddit.Vt dum ex sanguine spiritus gignuntur,per exactam natiui caloris elaborationem,& sanguinis concoctionem. Spiritus enim sanguine est tum multò tenuior ,atque subtilior, tum etiamnum perfectior. Est enim calidissimum eorum,quæ in corpore sunt , & vitæ nostræ functionúmque omnium idoneum instrumentum,vt concors est omnium medicinæ autorum sententia. Postremum est,vt de expulsione dicamus.Quæ & ipsa motus est, seu actio expultricis facultatis,id quod alienum est propellentis.Siquidem,cùm non omne , quod in alimoniam assumitur,transmutari in corporis substantiam possit,sed alienũ in eo remanere quippiam , quod concoctionem excipere minimè possit,quòd tanquam superfluum, &alienum expelli omnino oporteat(quod quidem excrementum vocare solemus)efficitur profecto,vt hac actione nobis valdè opus sit, qua ita aliena foras pellantur,ne quid naturæ noceant. Fit autem maximè,vt vult Galenus,transuersalium fibrarum peculiari munere.Vti enim obliquarum beneficio retentio fit, & rectarum attractio,sic etiam transuersalium expulsio.Propterea,quæ membra actioni huic à natura deputata sunt, ea omnia fibras transuersè positas habent,quarum adminiculo expulsionem edere ipsa possint. Sed hæc de expulsione.De sanguificatione,& digestione pauca dicenda : Sanguificatio, est mutatio alimenti in sanguinem alendo corpori aptum. Perficitur actio hæc hepatis virtute ,cuius est proprium munus sanguinem gignere. Digestio, hoc est distributio , est concocti,& confecti , & in sanguinem conuersi alimenti in corporis particulas omnes attractio , quam natiuus calor molitur.Generatio porrò,generatricis facultatis propria est functio,quæ prorsus nihil aliud est , quàm substantiæ cuiusdam

Li.de vsu part.5.

dam

dam productio, si in genere sumas: sin speciatim, & contractius, vt medici hac in parte solent, erit vtique generatio, idẽ quod fœtus in vtero conceptio. Formatio autem, formatricis facultatis munus, erit iam geniti animalis cõgrua delineatio, & partium eius in situ, cauitate, figura, connexu ordinata deformatio, vt lib. de fœtuum formatione, & de semine tradit Gal. Auctio est corporum in omnem dimensionem profectus. Nutritio est corporis, & partium eius à cibo refectio, seu instauratio: vel eius quod nutrit, ad id quod nutritur assimilatio: vel demum eius quod euacuatur repletio, vt 1. de fac. nat. & 1. aph. com. 15. Gal. Vitam, productionem natiui caloris, & vegetatricis animæ in animante permansionem, superiore cap. esse diximus. De sensuum, atque animalis facultatis functionibus, cùm abunde à me lib. de sympt. causis dicta sint, eáque magis ad rationem physicam & naturalem, quàm medicam pertineant, non est quod de his tractationẽ in præsẽs ingrediamur. Quamobrẽ præstabit iã (opinor) magis tractationi huic de actionibus finem imponere, eam quæ de spiritibus est, ingressuri.

De actionibus, Hippocratis, & Galeni loca.

HIPPOCRATIS.

ACTIONES opificum, ratione absolutæ plenæque sunt *lib. de arte.*

Actiones, quæ ratione destitutæ sũt, mancæ sunt. *Eod. lib.*

De actionibus diurnis, quę fiunt insomnia, bona sunt. *Lib. de insomniis.*

GALENI.

ACTIO motus est, ex faciente in patiens. *Lib. de multi.*

Actio motus est partium factiuus. *Lib. 1. de loc. aff.*

Actio dicitur efficientis motus. *lib. de sympt. diff. & 1. meth.*

Actio triplex naturæ respondet, generatio, auctio, nutritio. *Lib. 1. de fac. nat. cap. 5.*

Actio ex earum numero non est, quæ esse absolutè dicuntur, sed in ipso (vt sic dicam) fieri esse suum obtinet. *Lib. 2. meth. cap. 3.*

Actio illiúsque vitium, à symptomate differt. *Lib.1.meth, cap.8.*

Actio est agentis motus, passio motus in materia, qui fit ab agente. *lib.de symp. diff.cap.1.*

Actio, & corpus duo sunt genera prorsus dissidentia inter se. *lib.1.meth.*

Actionum duæ sunt primæ differentiæ: altera animæ, altera naturæ. Vnde illæ animales, eæ naturales vocantur. *lib.de sympt.diff.cap.3.*

Actiones animales, in sensibiles, motiuas, & tertias rectrices diuiduntur. *Eod.lib.& cap.*

Actionis causa, facultas est. *lib.1.de natur.facul.cap.2.*

Actiones voluntariæ, quæ sint, nēpè eæ, quas sedare cùm volumus, possumus. *lib.2.de motu muscu.*

Actiones naturales sunt partitio, deiectio, mictio, à villis præcipue transuersis suarum partium: & voluntariæ ab octo musculis epigastrij contractis, & sphincteribus laxatis. *lib.5. de vsu part. passim.& 3.de nat.fac.cap.item 3.*

Actiones voluntarias iis deprehendimus signis, vt si quæ fiunt sedare possumus, cùm volumus: & quæ non fiunt, facere. Si præterea citius, aut tardius, crebrius & rarius, ea faciendi potestatem habuerimus, id motus voluntarius, seu actio voluntaria dicitur. *lib.2.de motu.muscu.*

Actiones, quæ motu fiunt voluntario, aliæ liberæ sunt, aliæ affectibus seruientes. Quæ verè libera sunt, perpetuò à nobis sine vllo impedimento fiunt, vt ire ad aliquem, alloqui, capere aliquid, & recipere, merè libera sunt. Egerere verò, & mingere affectibus corporis seruiunt, neque ea perpetuò, sed in tempore quodam, & cum mensura facere possumus. *lib. 2.de motu.muscu.*

Actiones rationalis animæ, principales, irrationales verò, morales vocantur. *lib.3.de loc.aff.cap.4.*

Actiones quarundam partium cōspicuæ sunt, vt manuū, Est enim apprehensio, manuum actio. Quarundam non patent, vt venarum, arteriarum, tendonum, neruorum, & musculorum. *lib.1.de vsu part.cap.16.*

Actionis vnius gratia multa instrumenta comparat natura, aut propter motus vehementiam, aut quia magnum animali præstat vsum. *lib.12.de vsu part.cap.11.*

Actio partis, ab eiusdem vsu differt, quod actio motus

quidam

quidam est actiuus: vsus verò nihil aliud est, quàm quod vulgo appellatur εὐχρησία, id est, ad vtendum aptitudo quædam. *lib. 17. de vsu part. cap. 1.*

Actionum cognitio, vsus inuentionem præcedit. *lib. 16. de vsu part. cap. 12.*

Actiones partium corporis duplices sunt, aut vt similarium, aut vt instrumentariarum. *lib. de const. artis med.*

Actio finis est, ob quem pars quæque corporis desideratur. *lib. 1. meth. cap. 9.*

Actiones partium, substantiæ proprietatem imitantur. *lib. 7. de anato. admin.*

Actionum omnium instrumenta, in animali per se dicta. *lib. 6. de loc. aff. cap. vlt.*

Actionem non posse impediri, nisi læsa in aliquo cuiusque substantia. *lib. 3. de sympt. caus. cap. 3.*

Actio Partium omnis, trifariam offenditur, nempe vel amissione actionis, vel deficentia, vel errante & deprauata. *lib. 3. de sympt. caus. cap. 1.*

Actionum firmitudinem, robustarum virium proprium simul, atque inseparabile esse indicium. *lib. de multit.*

Actionem nullam lædi, nisi pars, quæ ipsam facit, afficiatur. *lib. 1. de loc. aff.*

Actionum infirmitas vires minus robustas declarat. *lib. de multitu.* Fit autem humoribus plus iusto vel auctis, vel diminutis. *Ibid.*

Actionum medicæ artis singularium enarratio. *lib. Num ars tuendæ sanitatis ad medicinam, num ad exercitatoriam pertineat.*

Actiones corporis, consentientes esse animi moribus demonstratum Aristoteli est, libris de partibus animalium. *lib. 1. de temper. ad fin.*

Actionum quas non egimus dudum, cur obliuiscamur statim. *lib. 2. de motu mus.* Est autem causa, quòd non intenti actionibus tota mente simus.

Actio quod sit id, quod ab affectu corporis efficitur, id est, quod omnium maximè medico & fatendum sit, & tenendum. *lib. 1. meth.*

Actio absolutè non est, quòd nullo temporis spacio eius maneant partes, prout nec sermonis, nec motus vllius. *Lib. 2. meth.*

Actio imbecillam, prout magis minúsve talis est, aut ad sanitatis tuendæ, aut ad medendi tractationem pertinet. *lib. 7. meth.*

Actionem interdum lædi ex sola intemperatura. *Lib. 2. meth.*

Actionem partium qui tueri velit temperamentum earum custodiat oportet. *lib. 7. meth.*

Actionem propriam edit vnaquæque animalis particula. *lib. 7. meth.*

Actiones à similaribus partibus edi. *lib. 2. meth. & rursus 7.*

Actiones omnes, alterationésque in quacunque re fuerint, in ipso fieri essentiam suam, possident. *lib. 2. meth.*

Actiones gignuntur à corporum genere, eáque sequuntur. *lib. 1. meth.*

Actioni non nocent accidentia, si ea à quibus actio est, suam habeat naturam. *lib. 2. meth.*

Actionis effectrix causa est, eucrasia, calidi, frigidi, humidi & sicci. *lib. 2. meth.*

Actionis causa totam particulam requirimus: & naturalem eius constitutionem, actionis item causa desideramus. *lib. 1. meth.*

Actionum dignitas, par non est ad ægros seruandos: sed aliæ magis, aliæ minus vtiles sunt. *lib. 7. meth.*

Ad portionem actionum, dignitatis etiam cuiusque partis prospiciendum est robori. *lib. 7. meth.*

Actionis læsio, simplex quædam res est. *lib. 2. meth.*

Actionis eius, quæ secundùm naturam edatur omnes egemus: propter illam verò, & sanitatis. *lib. 2 meth.*

Actionis incommodum amoliri omnes cupimus: ob id verò etiam morbum ipsum. *lib. 2. meth.*

Actionis vitium insigne quoddam, morbi symptoma est. *lib. 1. meth.*

Actionum diuersitas, à partium diuersitate manat. *Lib. 7. meth.*

Actio rei natura æstimatur. *lib. 3. meth.*

De calore innato, eiúsque in corpore actionibus.

CAP. XV.

CAloris vi omnia contineri cùm animantia, tum stirpes, eiúsque vnius ductu vitã ducere ea, quæ viuifico hoc calore

lore attemperata sunt, illud maximè indicat, quòd hoc prædita calore viuere dicantur, illius extinctione intermori, prorsúsque refrigerari. Quę res, cùm & sensuum fide constet, & experientiæ robore testatissima euadat, enunciatum quoddam, tota in hoc nostra de calidi natiui & spirituum tractatio haberi debet. Vnde illud rectissimè Aristoteles pronunciasse est visus, vitam præcipuè calore, ceu proprio fomite contineri: mortem caloris huius extinctu prouenire. Quamdiu enim vel exiguus etiam, & momentaneus in corpore inest intimus calor, tandiu profectò ipsum & vita frui iure dicimus. Quod in animam agentibus experiri quotidie licet. In quib. etsi extrema frigida apparent: spiritus ore emissus frigidus, iique iam voce, loquela, sensibus, mente destituti sint, & orbati, quandiu tamen spirare possunt (vitalis intrò contenti caloris indicium) tandiu certè vitam ducere eos verè pronuntiamus. Est itaque natiuus hic calor vitę in nobis principium, atque fons. De quo quidem considerandum illud in primis venit, quid natiuus in nobis calor sit, quæve eius substantia, quæ sedes atque subiectum illius. Num elementarius is, num verò cœlestis potius habendus, quid in nobis operetur, sítne quicquam illi contrarium, & quonam pacto mutari ipsum, ætatum, temporum anni, & regionum mutatione cõtingat. Quę vbi exacta disquisitione petractata à nobis erũt, tum demum de spiribus nostri corporis tractationem ingrediemur. Vt autem tractari res ipsa commodiùs possit, præcedere rem hanc is sermo debet, qui ex Hippoc. placitis desumptus est, ex quo in vniuersum quid natiuus calor sit, & quænam eius substantia, scire poterimus. Est autem sermo hic, nõ vacua, & corpuscula esse nostrorum corporum principia, aut à motu, frictionéve, aut aliqua alia externa causa calorem in nobis eum, quem natiuũ vocamus, exsuscitari, sed vniuersum corpus confluxile, & conspirabile existimantes, arbitrari calidum minimè aduentitium, aut animalis generationi secundum, sed primum innatum esse, & generis principium, ipsúmque de Hippoc sententia, nihil aliud præter naturam ipsam, quæ in nobis est, esse meritò existimandum, idque sanè ratione optima. Nam cùm natura commoderatio quædam sit, & facultas in nobis corporis rectrix, atque formatrix, operúmque omnium opifex eadem, atque magistra: sit autem caloris natiui nostri ea indita vis, atque potestas, vt omnium

Lib. 1. aph. 14. & 15. & Gal. 5. aph. com. 22. & lib. de Tabe.

Galen. 5. de symp. cau. & in arte med. Hipp. lib. de carnib. & 1. aph. 15 & Lib. de natur. hum. Plato in Timeo. Gal. lib. 8. de Pla. Hipp. & Plat. & 1. aph. com. 5.

naturalium operum sit ipse effector (vt docta tum Hippocratis, tum Platonis, atque Galeni sententia est) consequitur profecto, vt is calor natura nostra esse maximè videatur. Non enim functionum in nobis duos habemus autores, sed vnum. Cùmque calore natiuo non alium aptiorem, non meliorem alium, neque commodiorem reperire possumus, haud sine magna ratione astruere id vna cum Hippocrate Galenus est visus, natiuum calorem, naturam nostram esse. Equidem cùm corporum eorum, quę generantur substantia, ex duobus tantùm principiis, semine & sanguine menstruo, constet, vt tum 1. de san. tu. tū libris de semine, & libro aduersus Lycum conscripto asserit Galenus: sintque duo hæc corpora, quæ primitus generandis adsunt: vnum esse in nobis quoddam innatum, id est primogenitum, seu primigenium, quod ἀρχηγονον Græci vocant, ex quo gignuntur, primam sortiuntur generationem, fateri est omnino necesse. Huius itaque connati corporis ac primigenij, quod ab efficacissima, quæ in eo est qualitate, innatum calidum appellatum fuit: propria est natiui caloris, quem quærimus, substantia. Nam cùm calor qualitas quædam sit, atque accidens, quod per se subsistere nequit, ea vi, atque pręstantia ornari non potest, vt solus, nulli substantiæ innixus vitam substentet, aut conferat. Ac proinde hoc ipsum vitæ conferendę, atque seruandæ munus, ei potius substantiæ summo suo merito tribui debet, cui per naturam ille insederit indissolubilis calor. Quam quidem substantiam iure innatum calidum appellamus: quod quidem natura sua vitæ fons cum sit, & origo, (ab hoc enim viuere inchoamus) calorem de se fundit, atque promit vitalem, cúmque corpori vniuerso partibúsque singulis dispertitur. Huius enim substantiæ beneficio fit, vt corpus alioqui frigidum, & exsangue, vniuersum concalescat, eóque calore fotum persistat, ac vitam trahat. At cùm vitam eo seruari calore, omnino ceu promptuario quodam, ac fonte necessarium quidem sit, & valentissimam ei inesse calorificam vim, & eandé quoque vitalem, consequens certè est, non vrentem quidem illam, non dissipantem, aut corrumpentem non pari siccitate, vitæ materiam, hoc est pingue humidum absumentem. Eam igitur natiui caloris substantiam, necesse est ea benefici cuiusdam humoris temperatione perfundi, vt in eo vita consistere

Ex Galē. lib. aduersus Lycū.

Innatum calidum quid.

sistere probè possit: ac proinde humidam, atque pinguem constitui omnino oportet, ipsúmque vitalem calorem idoneo conuenientíque humido contineri. At humidum hoc, in quo vitalem hunc calorem contineri astruximus, quale nã esse dicimus? Non enim solum temperatum esse natiuum nostrum calorem, sed & humidum etiam Galen. verissimè affirmauit. Verùm cùm multa sint humidorum genera, est enim aqueum quoddam, aëreum aliud, aliud pingue & oleagineum, in vtro horum reponi caloris nostri substantia debeat, paulo penitius est spectandum. In aqueo reponi minimè potest, vt quod suapte natura fluxile, infirmum, dissolubile, minimè tenax, atque permanens (quale esse oportet, quod calori nostro substratum, congrua illius sedes esse debet) & sit, & habeatur, etsi Galenus aëream & aqueam innati caloris nostri substantiam esse dixerit. Quod ita intelligendum est, vt æstimemus humidum id, in quo natiuus calor situs est, humidum quidem instar aquæ esse, sed pingue, calidum, oleosum, non frigidum, tenue, aut fluens, & caducũ velut aqua. Aëreum itaque, sed sufficienter pingue, & oleosum esse oportebit humidum id, quod caloris nostri subiectum, ac basis esse dicitur. Nam si innatus hic noster calor, ceu vitæ dux ac moderator, nos in extremum vsque finem tueri, regere, ac vitam in nobis seruare debet, vt cuius nimirum sit ipse autor, atque opifex, par est profectò in stabili hunc, perennique humido, quo in longum protrahi vita possit, permanere. Is itaque humor, qui partium singularium villis, atque staminibus ingenitus à primordiis generationis, & insitus, ex semine genitali naturæ potentia est, hic certè aptissima fuerit caloris innati substãtia. Quem humorem medicorum scholæ radicalem vocare, quòd veluti vitæ nostrę radix quędam sit, consueuerunt. Hic profectò humor tum aëreus, tum consistentia oleosus esse conspicitur, ac proinde permanens, & constans, inque solida partium nostri corporis substantia firmatus, ac fixus. Qui non nisi annorum, ætatisque decursu finiri vsquam possit, etsi nonnunquam grauiũ morborum interuentu, minui, alterarique non minimùm possit. Vnde fit, vt qui vel plurimis, vel sæuissimis morbis crebro obruuntur, semianimes, exangues, tabidi, breuisque æui sint, alterata nimirum solidorum membrorum substantia. Rectè igitur caloris natiui substantiam, in radicali hoc humi-

Com. 2. in lib. de nat. hum. super tex. Corpus e. im. & 1. aph. com. 14.

1. aph. com. 14.

Caloris innati substantia qua.

Lib. de tremore. do collocauimus. Quod & ipsum tum primogenitum Galeni more, tum vitale, seu primigenium appellare possumus: In carnosa enim substantia collocari profectò minimè potest, vtque nimirum neque adeo constans sit, & pro vario rerum euentu, vt augeri, ita detrahi & deficere certè potest. Hæc tabitudine absumpta, congrua victus ratione resarciri cõmodè potest. Humidum autem primigenium illud, de quo diximus, si quando iacturam accepit, minimè resarciri potest, vt quod à semine ortum partium singularium substantiam conficiat, atque componat. Quamcumque autem solidior illa partium substantia, ab ortu ipso conditionem acceperit, eandem profectò quoad per vitæ cursum licet retinet, atque conseruat: etsi diuturnitate magis magisque in dies siccescãt partes, dum ad extremum senium, quod siccissimum esse ponitur, perueniant, eius tamẽ humidi, quod à semine in partibus solidis à primordiis generationis contractum est, aliquid sibi eæ in omnem vitam seruant: quod vt recens natis, & in pueritię ętate consistentibus plurimum est, sic senibus exiguum, intermediis verò ætatibus mediocre. Quantulumcũque enim id est primigenij huius humoris, in quo fixum esse natiuum calorẽ diximus, quod in vitæ extremum seruatur, atque reconditur, secum id totum & caloris, & vitalis spiritus ex semine aduexit, sibique & partium subsistentiæ indissolubiliter retinet. Vnde intelligi facilè potest, in hoc ipso humore, non in carnosa partium substantia, natiuum calorem situm esse, cùm hæc à sanguine, ille verò humor genitalis à semine ortum duxerit, & tanquam illius quædam portio sit, incorrupta in finem vsque vitæ durare. Ex quibus omnib. constare plenè arbitror, quid sit in nobis natiuus calor, & quæ eius substantia, quæ sedes. Est enim natiuus noster calor substantia nostra, hoc est, natura omnis nostra, vt lib. de tabe Gal. & com. 14. 1. aph. & com. 22. 5. & facultas qua per omnem vitam regimur, cuius substantia aërea est, pinguis, & bene tẽperata, natiuo spiritu, & vitali calore vndique perfusa. Quam quidem substantiam primigeniam, in nobis, & radicalem meritò nominauimus. Hanc esse calorem nostrum natiuum ex suprà adductis euidentissimum relinquitur. Sed iã de natiuo colore, eius substantia, atque sede abundè dictum. Nunc elementarisne ille sit, an cœlestis, indagandum. Quod quidẽ perspicuum fiet, si quænam sit elementaris caloris natura, item &

An natiuus calor noster elementaris an cœlestis.

tem & cœlestis agnouerimus, & cuinam magis natiui nostri caloris functiones congruant. Caloris igitur elementaris ea natura est, vt efficacissimè, & suprà omnia actuosus cum sit, vehementissimè in quę agit calefaciens, atque etiamnum vrens, dissipans, attenuans, disgregans, rarefaciens, cuncta tandem vrat, siccet immodicè, atque perdat. Cœlestis vero caloris ea propria est ratio, vt non solùm luce sua viuentia omnia lustrans conseruet, atque viuificet, sed & eadem vitalis sui caloris temperatione ita foueat, atque sustentet, vt ab eo cuncta vitam ducere, germinare, suos quæque proferre fœtus, alere, sustinere, & in maturitatem certam deducere, perennémque stabilitatem quandam, planissimè videantur. Quod quidem ipsum, ceu fido testimonio ex solis præstantia, atque effectis probari euidentissimè potest: vt cuius benefica virtute, atque influxu in hæc inferiora, non stirpes solùm, & animantia, calore illo cœlesti vitam, ac robur accipere, nouáque prole augeri videmus, sed & in imis terræ visceribus recondita, vt metalla, gemmas, lapides, vitalia, quodammodò fieri & vegetiora, tum etiam meliora, solis vi, atque potentia cernuntur. Fouentur enim cuncta vitali hoc ęthereóq; solis & astrorum calore. Vnde merito à Platone sol boni filius dictus est, & ab Haly Abenragel Ægyptiorum astronomorum sapientissimo, lumen cœli, mundi gubernator, & temporum moderator, ac rector nuncupatus, quòd videlicet (vt idem ait) ab eo moueatur quicquid se ipsum mouet, virtute inquam ab illo rebus indita, per eum originis suæ, & ortus principia nascantur quęcunque nascuntur, & incrementum accipiant sata, arbores, folia, fructus maturitatémque adipiscantur. Ipse est (inquit) spiritus cœli magnus, cuncta vegetans, & illustrans, vt cuius functiones, & opera apparent in omnibus rebus cum anima præditis, tum etiam inanimis, in terra degentibus: planetamque magnæ potestatis ac dominationis, nobilitatis, altitudinis, magnitudinisque immensæ merito asserit. Quod si cuncta externo hoc calore, sed viuifico, & salutari tota agunt, quidni magis interno & proprio, huius solaris quàm simillimo, munia quęque obeant sua, vitalémque auram felicissimè ducunt? Ac proinde elementariū non esse, & igneū, qui in nobis viget calor, quemq; natiuum appellauimus, constare vel eo argumento euidētissimè potest, quod is simplicissimus est, & cuncta momento peruadens, atque

corrumpens. Natiuus vero animantium stirpiúmque calor, nec simplex est, nec substantiam cui innititur perdit, sed cõseruat magis, atque vegetat. Simplicem non esse natiuum calorem, illud maximè indicat, quod (vt antea diximus) ex genitali semine, sanguineque menstruo generationis nostræ primordiis substantiam nanciscatur suam, vt meritò Galen. innati caloris substantiam aëream, & aqueam esse dixerit, sed tamen bene temperatam: igneam autem aduentitij, non natiui caloris, ac proinde sanorum hominum calorem vaporosum, atque suauem, tactuique conuenientem, nihil triste, nihil asperum, nihil mordax præ se ferentem. Eorum verò qui febricitant, acrem, insuauem, mordacem, tactuique ingratum experimur. An non igitur natiuum calorem, cœlesti quàm simillimum magis quàm elementarem esse, iurè pronunciare audebimus? Ad quod item maximè facit, vincentis elementi in mixtis ratio. Equidem in mixtis omnibus, siue animantia ea sint, seu stirpes, id quod vincit superare alia se depressiora, atque infirmiora omnino necesse est. A quo & ipsa, pro vincentis elementi ratione, modò calida, frigida modo, interdum humida, siccáve dicuntur, vt docta Gal. 3. de simpl. fa. sententia est. Itaque si qui in nobis insidet calor elementarius esset, eum superare in omni animante, atq; planta etiam oporteret, contra quàm fieri cernamus. Inter animantia enim pleraque frigido esse temperamento dicũtur, vt serpentes, muscæ, formicæ, talpæ: sic in plantis, mandragora, altercum, papauer, cicuta. Cùm autem natiuo calore omnia hæc viuere dicantur & superetur autem calidum elementare à frigido in mistione, cuius rei merito frigida hęc iure dicuntur, aliũ profectò ab elementari esse eorũ calorẽ natiuũ, quo animantes, & plantæ, quæ tẽperamento frigido esse dicuntur omnino oportet. Ab eo enim, quod in mixtione infirmius est, atque gradu depressius, fortiori collatum nulla sequi actio potest. Quamobrẽ cùm in plantis, animantibúsque frigidis elementarius in illis calor depressior sit, atque frigore inferior (ex quo talia temperamento frigida à superante elemento constituuntur) sequitur profectò ab huiusmodi calore nullam actionem edi posse, quod à vincẽte superetur: cùm tamen euidentissimè constet plantas, & animantes huiusmodi viuere, augeri, ali, fructus proferre, & ad maturitatem quæque suos, natiui caloris opera perducere foetus.

1. aph. com. 14.

fœtus. Non igitur erit in huiusmodi mistis, qui hæc opera parat, atque efficit calor elementarius, sed sui generis, hoc est cœlesti quàm simillimus, probè temperatus, non simplex, sed ex seminum commixtione, & sanguine menstruo in animantibus ortus: in plantis verò, ex cuiusque semine, & terra illi semini apta, in quam semen inijcitur (quæ vteri, & méstrui sanguinis vices suppleat) in iis quæ terræ ad conceptũ, & partum mandantur. Non igitur profectò in elementarem hunc calorem, tanquam in efficientem causam possunt aũt vitæ, aut incrementi, & alimoniæ munia in huiusmodi plãtis & animantib. iure referri. Quamobrem si quis calor functionum omnium, atque vitæ opifex, atque autor est, vt certè est, vel Gale. sententia, nequaquam is esse potest, qui in temperamenti mistione depressus, diminutus, mutilus, ac infirmior est, vt planè necesse sit vitalem hunc, & insitum in nobis calorem, præstantioris: cuiusdam esse naturæ, originis, præstantiæ, & virtutis, neque ignei elementi tristem, omnibúsque inimicam naturam redolere. Ex quo conficitur, iis quas modo attulimus rationibus, vt qui natiuus, & insitus in nobis est calor, elementaris non sit, sed magis cœlestis, aut saltem illi quàm simillimus. Esse enim pleraque quę igneo calore plurimo cùm abundent, natiuo tamen & vitali sint omnino destituta, mineralium non pauca indicãt, vti sulphur, Sory, mysi, chalcitis, sandaraca. Hæc enim calidissima omnino cùm sint, planeque vrentia, ignei nimirum caloris confertissima vi quam in mistione exuperantem, atque vincentem possident, vitalis tamen caloris beneficio sunt destituta, perinde atque vniuersa, quæ in albo inanimorum iure reponuntur. Quinetiam ratione alia, eáque validissima idipsum conuinci potest. Ex cadauerum demortuorum ratione, atque natura, quæ tametsi viuentium structuram, compagem, imaginem, figurámque repræsentent, caloris tamen insiti, ne pilum quidem habent, vti que demortua iam & perfrigerata. Haberent autem profectò, si elementarius esset natiuus in animantibus calor, cùm in cadauere etiam calidi elementaris aliqua resideat, vti & reliquorum elementorum portio. Nam in iis qui vel strangulatione, vel repentino aliquo casu concidunt, vti vulneribus lethalibus, incensiuis febribus, mœrore, dolore, aut alioqui inopinato euentu aliquo vitam deserunt, aliquanto post mortem spatio, calidos est ad tactum

1. aph. cõ. 15. et Arist. lib. de resp c. 4. vere-tra.

inuenire, vt re ipsa cuiq; experiri licet, egoq; millies sum expertus cùm in iugulatis animantib. plerisq; hœdis, porcellis, capris, & dissectis in id auiculis multis, passeribus, hyrundinū, & colomborum pullis, in quib. multo post dissectionem tempore calor adhuc perstare ad tactum conspiciebatur, vt manifestissima fide in magni lucij fluuiatilis adhuc viuentis, & vniuersim dissecti, corde exempto, periculum feci. Quod cùm hora diei tertia ab ortu Solis ab animâte detraxissem, in tertiam pomeridianam calens adhuc, & palpitans ad tactum offendi: idipsúmque in hirundinum pullis experiri de industria volui, tum verò in plerisque hominum cadaueribus conspicere id mihi quoque licuit. Quædam enim octo, vel decem horas ab obitu adhuc calentia ad tactum offendi. Vnde colligere certò licet calorem eum, qui vitę opifex erat, nō elementarium, sed altiore origine profluentē manasse: quod demonstrandum assumpseramus. Sitne verò quicquam illi contrarium, nunc promenda eius rei exacta ratio est. Calido frigidum contrarium esse vnum est ex publicè in Philosophia assertis. Verùm calido insito nostro non frigus contrarium esse dicitur: vt quo nimirum moderato seruetur, floreat, vegetetur, augescat. In id enim attributam animantibus respirationem, tum Gal. tum Arist. lib. de respirandi vtilitate scriptis prodiderunt, vt attracto per inspirationem aëre perfrigeretur intrò consistens natiuus calor. Quicquid autem alterum seruat ac fouet, nequicquam illi contrarium statui potest, cùm sese inuicem contraria suapte natura perdere, & corrumpere soleant. Non igitur calori natiuo nostro, frigus, ceu illi contrarium statuere oportet: sed magis extinctionem, quæ illi vel marcore, vel violenta quapiam causa natiui caloris extinctionē moliente, prouenit. Quod magna ratione sensisse Arist. cùm li. de resp. c. 4. tex. num. 23. tum lib. de vita, & mor. c. 1. tex. num. 9. legimus. Mortem enim ille nō refrigerationem natiui caloris esse, sed magis eius ipsius extinctionem meritò affirmauit. Extinguitur porrò calor, aut à contrario, aut derepente distractus, vt haud immeritò quosdam nimio, eoque repentino gaudio mortem subitariam, & inopinatam obiisse, monumentis autorum proditum sit, Plinij præsertim, & Valerij Max. Marcescit autem, vel caloris extranei copia, vel ætatis progressu, siccitate vincente. Inde fit, vt qui vehementissimis febrib. corripiuntur, plerunque interea nt,

An natiuo calori sit quicquam cōtrarium.

Plin. lib. 7 nat. hi. c. 32
Valer. lib. 9. c. 12.

tereant, quòd nimietate caloris extranei, cùm satis refrigerari nequeat natiuus calor, marcore debilitatus aboleatur. In senibus verò siccitate deficit. Itaque calori natiuo nostro, contrarium propriè nihil est, nisi id priuatiuè oppositum illi statuas, extinctionem, perinde atque lumini tenebras, & visioni cæcitatem, auditui surditatem. Sunt enim hęc priuatiuè contraria, vt philosophi dicere solent. Erit itaque extinctio nihil prorsus aliud, quam natiui caloris priuatio. Sed iam ad aliud de calore natiuo inuestigandum, propero: quid inquã is in nobis operetur, quorúmq; operum ipse sit effector. Respondet Gal. cùm nihil sit aliud quicquam natiuus noster calor, quàm ipsamet natura nostra, ita sentiente Hippoc. erit nimirùm innatus hic calor operum naturalium omnium causa, opifex, & effector. Huic vni generatio auctio, nutritio, ciborum confectio, distributio, & in sanguinem, atque humores mutatio, excrementorum expulsio, adscribi meritò debent. Hic sensiones omnes perficit. Hic motus in corpore omnes excitat. Hic tandem munia ea omnia obit, quibus vel vita foueri, vel incolumitas seruari in animante possit. Hic vnus malorum omnium depulsor, atque medicus vel pereximius est. Siquidem, vel autore Hippo. Naturę morborum medicatrices sunt. Hic valido impetu morbificas causas depellit, decretoria facit, excretiones, quib. finiri morbus queat, mouet ipse, ac concitat. Vnde in decretoriis sudores, sanguinis per nares, mariscas, menses, manationes, vomitus, alui profluuia, vrinam exuberans multitudo. Hic cùm alia via non possit, abscessib. sæpè difficiles morbos finit. Hic vitæ fons, atque fomes, quantum longissimum potest eandem prorogat & tuetur. Huic in summa id quicquid est, quod vegetũ, & robustum in nobis apparet, quod solidum & constãs, quod salubre & bene temperatum, acceptum referri summo suo merito debet: vt à quo omnia profluant ea, quæ in animantis tutelam consentiunt. Talium est operum innatus calor opifex. Quo pacto autem mutari ipsum, atque imminui cùm ætatum inclinatione, tum temporum anni, ac regionũ, varietate contingat, & id quoque nobis est vltimo loco explicandum. Natiuum porro calorem nostrum ætatum progressione, substantia, gradu, functionibus minui, præter experientiæ fidem (quæ omnium demonstrationum fidem longè superat) illud maximè ostendit, quòd si æquè vegetum,

1. aphor. com. 15.

constans, robustum permaneret, si eadem, parique substantia munitum, si paribus semper ętatum decursu functionibus aptum, perpetuari animans, & nullis temporum decursibus deficere: sed sempiternis perennitatibus seculorum integrū, planéque immortale seruari posset. Quod quoniam naturæ lege genitis cunctis negatum est: ætatum decursu mutari, atque imminui, tandémque deficere natiuum calorem omnino oportet. Id quomodo fiat, ex ipsamet natiui caloris substantia, & ætatum natura petenda ratio est. Cùm enim eximiè calida humidaque sit caloris nostri substātia, efficitur, vt in qua ætate plenior, cumulatiórque ea fuerit, magis sit ea ætas caloris, humorísque particeps. Propterea quæ proximè generationis nostræ primordia insequitur ætas (quam infantiam, & pueritiam nominamus) quòd caloris & humoris abundātia polleat (vtiq; generationi adhuc vicina, plurimum seminis, & menstrui sanguinis cōtinēs) calidissima atque humidissima inter ætates, semper ab omnibus habita est. Vnde illud iure optimo dixisse Hippocrates est visus. Qui crescunt, plurimum habent natiui caloris: & rursum, lib. de hominis natura. Corpus quodcunque augescit, & robur accipit necessario calidum esse, quòd robur scilicet, & incrementum innati calidi virtute fieri sit necesse. Summus itaque est in infantibus, & puerulis vixdum à matre rubentibus natiuus calor: sed ita summus, vt minimè acris ille sit, aut mordax, sed multo humore primigenio perfusus, mitis omnino & blandus, & sit re vera, & appareat. Bene temperata enim est, vt Galenus ait, natiui caloris substantia. Ætate autem sensim progrediēte, vi caloris vberior ille, humor siccatur, inde quoque membra siccescunt, simul quoque & robur, & incremētum consequuntur, multa vtique humoris parte in accretionem profusa. Quandiu enim duci facilè membra, & extendi sequaci humore in ipsis consistente possunt, tandiu profectò incrementum sequitur: vbi verò iam siccescente humore, duci membra ampliùs non possunt, incrementum omne sisti est omnino necesse. Protenditur enim eousque incrementū, donec ossa firmum sint robur adepta, vt lib. de optima corporis constitutione affirmat Gal. Io fit, vt in ea ætate, quæ adolescentiam consequitur, desinat fieri incrementum: atque ob id, eam consistentiæ ætate merito nuncupamus. Atque in hac ipsa natiuus calor haud ita, atque in pueritia copiosus sicci-

ſiccitate partium quibus inſidet infirmior fieri incipit, ſi ad pueritiæ ætatem illum conferas. Nam ad naturæ munia, hoc eſt naturales functiones, concoctionem, diſtributionem, appetentiam & ſimiles minus pueris valent, prout in animaliũ functionum editione illos longè ſuperant. Vnde merito florentem ætatem hanc iure optimo nuncupamus, quod & robuſtiſſimis actionibus valeat plurimum, & ad has obeundas humidum radicale, & primigenium ſiccius, atque ob id firmius obtineat. Eandem itidem inter extremas ætates mediã dicimus, vt quæ nimirùm, neque vt ſenium immodica ſiccitate inareſcat, neque vt infantium nimio humore madeſcat. Atque in hac quidem, etſi humor primigenius incremento non ſufficit: tantus tamen eſt, taliterque temperatus, vt qui poſſit natiuum calorem, qualem ab initio acceperat, pari propè gradu conſeruare. Siquidem Galenus parem iuueni & infanti ineſſe calorem iure exiſtimauit: quòd quantum caloris infantia perpetuus ille fluor diſſipauit, tantundem acrimonia, & vigor caloris ſubiecit, ſuppeditauitque in adoleſcentia. Qua ſanè alternatione parem calorem, ſenſus æſtimatione infanti & adoleſcenti tribuimus. Tametſi infanti plurimus ineſt re vera innatus calor, vt rectè Hippocrates affirmauit, iſque blandus & halituoſus. Iuueni autem, quòd ſicciore in ſubſtantia ſedem obtineat, non poteſt innati caloris ſubſtantia, non ad quandam paucitatem eſſe redacta, vt re vera æquè copioſo calore, atque halituoſo & blando vt infans non abundet, ac proinde minus calidus haberi poſſit, ſi accriore quàm infans calore præditus ſit. Sed iam rurſus ad ætates. A media ætate in reliquum omne tempus, quo vitam protrahimus, ſenſim calor atteri, hebeſcere, imminuiq; incipit, vſque eò dum extremo ſenio deficiens contabeſcat, ægréque languidus vitam ſuſtentare poſſit. Inde ſenium atque mors. Quicquid enim eſt primigenij humoris, pinguis & oleaginoſi, quod tanquam caloris pabulum ſubſtat, id vniuerſum caloris natiui perpetua actione quaſi deflagrat, & abſumitur: vt quo ſe ſuſtentet natiuus calor, ad extremum non habeat. Eſt enim humidum hoc tanquam fomentum, & pabulum caloris. Calor autem illius beneficio ſeſe tuetur, ac propagat, vt inde colligere promptũ ſit, humorem hunc primigenium, & radicalem non minus atque calorem, vitæ fouendæ, ac producendæ neceſſarium

quidem esse. Quod maximè ex ętatum inclinatione, atque decursu apparet. In quo tum caloris natiui, tum humoris huius radicalis magnam fieri permutationem experimur, vtroque sensim imminuto, tandémque deficiente: vt dum corpus ætatum decursu extabescit, idem quoque seipso semper frigidius, imbecilliúsque reddatur: Perinde enim natiuo nostro calori, atque lichno ex oleo accenso euenit. Vt enim assidua in lichno accensa flamma, oleum illi vice materiæ substratū depopulatur, & absorbet, tandémque in totum finit, séque ipsam consecutione quadam, pabuli defectu perimit (vt docta Gal. sententia est) ad eundem sanè modum in humidum hoc primigenium agens, incensione natiuus calor (qui instar flammæ est) illud assiduè depascitur, & absorbet, donec congruæ materiæ inopia laborans deficiat, sibique ipsi interitus causa fiat. Nec obstat quod Gal. lib. de marasm. eos iure arguit, qui natiuum nostrum calorem flammæ in lignis viridib. accensæ parem esse dicentes, ad illius analogiam corpori viuo tanquam fomiti coniunctum conferebant, initio quidem humidum esse atque imbecillum, instar flammæ in viridiorib. lignis succensę asserentes: mox auctum ad vigorem vsque excandescere, augeríque, & ignis imitatum flammas, molem in maiorem attolli, mox inclinatione ętatis languescere pedetētim alimenti egenū, postremò (quod est interitus) penitus extingui. Sermonē hunc Gal. ab omnib. tū medicis, tū philosophis receptum meritò in eo improbat, quòd non rectè viuentium calor cum flamma ignis conferri ab iis videatur, quòd flammis ex corruptione fomitis, non ex generatione eius, sit ortus: oriuntur enim flammæ ex ligni quod subiicitur corruptione, non sic autem profectò ab innato calore animalium effectore, ac formatore, animalia ipsa depēdent. Non enim in iis ex animalium corruptione natiuus innascitur calor, sed magis ex generatione. Neque itē flāmæ, materiā in quā agunt, augere, cōseruare, alere vnquā possunt, sed potius ipsam minuere, destruere, omninòque exhaurire: cū contra innatus calor, viuentiū corpora formare, alere, augere, tuerique per naturā possit: & vt in summa dicā, in subiecto fomite (humido inquā primigenio) contrariū, ac flāmæ omnino moliatur. Flāma.n. omnis cui est alligata, materiā depopulatur, ac minuit, natiuus calor fouet, auget, ac incrementū præstat. Hic, quò fomitē seruet, tot organa fabricauit,

lib. 1. de febr. diff. cap. 3. & lib. de tab.

partes

partes ita vestiens, & eousque tegens, vt nequid extrorsum redundare possit. Aperiens è contrario alias, latásque & riuorum plenas efficiens, vt his alimenta trahat, illis spiritū & calorē, ne euolet, cohibeat. Quocirca cum flāmis parum rectè natiuus noster calor conferri certè potest. Etsi.n. hac in re congruentissimè Galeni redargutio procedat, non tamen euincere illi poterit, quin qu ēadmodū flāma sensim humidū in ligno depascitur, tandémque fomite actionis assiduitate subacto, lāgueat, demúmq; eo absumpto deficiat: quin & ad hūc penè modū natiuus noster calor insitū humorē, ętatū decursu depascatur, & exhauriat: quo tandem exhausto, sequi omnino interitū sit necesse. Vnde illud rectissimè dixisse Hippocrates est visus, vnde gignimur, calor ē corpora nostra corrūpere. Quod perinde est ac si dicatur, natiuo calore corpora senescere, & senio confecta corrumpi. Hac igitur ratione insitus calor progressu ætatis, alimoniæ egens in ruinam pręceps agitur, exhausto pabulo, quo, ceu fomite congruo fouebatur, vnáque cum deficiente humore, & ipse quoque deficit, atque restinguitur. Itaque cùm hic causa sit quæ pabulum absumat, fiet idē calor interitus sui causa. Ad id nō per se, & propriè (gaudet si quidē & iucundè fruitur humidi cōmercio, ac societate natiuus calor, vt sine quo consistere nusquā in viuente possit) sed ex accidenti, sublato inquam proprio ipsius in quo alebatur fomite, humido radicali: quo sublato, consequens est & ipsum quoque tolli, & extingui calorem. Qui dum naturę ductu conseruari, & perfici desiderat, semetipsum tamen conficit, suam ipsam materiam depopulās, & absumens. Non solum verò ætatum mutatione, mutari quoque insitum calorem verum est, vt mox probauimus, sed & regionum, & temporum anni varietate. Hyeme & vere plurimus inest innatus in nobis calor, vt Hippocrates affirmat. Æstate, & autumno minor atque imbecillior, vnde cibos tum grauiter homines ferunt, vt hyeme & vere facillimè. Sic & regiones, & terræ tractus varij, caloris nostri substantiam variè demutant. Qui calida, & solis ardoribus exposita loca incolunt, imbecillum exiguúmque possident natiuum calorem, vt qui Lybiam & Ætiopiā incolunt, atque ob id breuioris vitæ. Contrà qui ad aquilonem degunt, valentissimo sunt natiuo calore, vt Germani, & Galli: & qui item temperatos terræ tractus incolunt, vti qui Græciā, Ita-

liam,& Taprobanem inhabitant, ij fermè omnes natiui caloris, bene temperatam substantiam habent & fœliciter degentes,longæui,salubresque degunt. Finem faciam,si id tantum adiecero, natiui caloris nostri substantiam trifariam à nobis intelligi, aut enim primam illam, atque purissi- am solidarum partium à semine prognatam substantiam intelligimus,quæ propria est,& vera innati caloris ratio, aut eandem ipsam alimonia auctam,sed degenerem iam factam,minúsque puram substantiam alimentorum ope, atque præsidio genitam,aut tertio humidum omne corpus calore & spiritu perfusum,vti sanguinem,& spiritum. Hæc quidem tria promiscuè innatum calidum appellamus, sed propriè ac verè solidorum substantiam, in humido illo radicali, & primigenio sitam, atque constabilitam. Sed iam de natiuo calore satis.

De calore innato, Hippocratis, & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

CALOR innatus pueris plurimus inest, & iis qui crescunt.*lib.1.aph.14.*

Calor innatus senibus modicus inest.*lib.1.aph.14.*

Calor innatus hyeme,& vere plurimus.*lib.1 .aph.15.*

Calorem innatum athletæ,& pueri plurimum habent.*Lib.1. aph.15.*

Calidum id quod vocamus (inquit Hippocrates) videtur mihi immortale esse,& cuncta intelligere,& videre,& audire,& scire omnia,tum præsentia,tum futura.*lib.de carnibus.*

Per calidum,hoc loco diuinum, & æthereum intellexisse Hippocratem ipsemet testis est, qui sese eo loco conceptis verbis explicat, ostendens de calore illo cœlesti, & ęther eo talia pronunciasse. Quæ sanè res, magna mihi elucidatione indigere videtur.

Calidum in corpore nulli alij permistum desinit esse calidum.*lib.de vet.med.*

Calidum innatum, neque putrescere, neque crassescere potest.*lib.de vet.medic.*

Calidum omne frigido moderato nutritur. *Lib. de natura fœtus.*

Calidum nihil in seipso, quod nulla alia specie communicet

nicet, id est, quod non mixtum, & cum alio attemperatum sit. *lib. de veteri medicina.*

Calidi temperamentum, à frigido. *lib. de veteri medicina.*

Calidissimus est homo primis diebus, sui respectu, vltimis, frigidissimus. Hæc autem omnia de natiuo calore Hippocrates intelligit, quo statim à genitura plurimo pollet homo, vti in senecta minimo, ob id frigidissimum, tum esse dicit. *lib. de hominis natura.*

Calidum suppuratorium, cutim mollit, extenuat, dolorem sedat, rigores conuulsiones, & distensiones mitigat, capitis grauitatem soluit, ossium fracturis confert. *Lib. 5. aph. 22.*

Hæc autem omnia, à calore natiuo nostro perfici declarat in commento eius aphorismi Galenus.

Calor natiuus à frigidæ aquæ perfusione, intrò reuocatus distensionem, seu tetanum in iuuene bene carnoso, æstate media soluit. *lib. 5. aph. 21.*

Calidum ossibus, dentibus, neruis, cerebro, spinali, medullæ, vtile & amicum. *lib. 5. aph. 18.*

GALENI.

CALOREM natiuũ minimè acquisititiũ esse, aut animalis generationi secũdũ, sed primũ, & innatũ esse. *lib. de tremore.*

Calorem innatum, esse generationis principium. *Lib. de tremore.*

Calorem esse naturam nostram. *Ibid.*

Calor natiuus semper mobilis est, atque ob id non intra tantùm, extráve mouetur, sed alius alium motum semper excipit. *Ibid.*

Calor natiuus, frigoris alicuius particeps est. *eod. lib.*

Calor natiuus, si intrà firmus cõsisteret. immobilis ocyus euaderet, extrorsum dissiparetur, & periret: modicè autem succensus, & modicè auctus, perpetuo mouetur. *lib. de tremore.*

Calor natiuus succenditur, ad ima lapsus, quo alatur appetens: at auctus, & expensus affatim extinguitur fernè. *lib. de trem.*

Calor natiuus, quòd extrorsum exeat & efferatur, & vt sic dicat aliquis, explicetur, à principio proprio, quia calidum natura est, obtinuit. *lib. de tremore.*

Calor natiuus interiorem, & infernum possidet statum,

quòd frigoris alicuius sit particeps.*lib. de trem.*

Calor natiuus ex calido, & frigido mistus existit. *Lib. de tremore.*

Calor natiuus, prima caliditatis ratione, est sibimet motor, eáque si agere debeat, est ei operæpretium.*lib. de trem.*

Calori natiuo magnum vsum frigiditas adiungit, quia sursum ferri natiuus calor est, & sibi simul aliméta ferre, nisique frigus obstet, summa petat.*lib. de tremore.*

Caloris natiui motum, frigiditas impedit, ne longiùs protensus pereat. Dubium nanque, ne leuitate, & ad superna impetu, corpora desereret. Detinet vero frigiditas, & impedit, & vehementis elationis impetum moratur.*lib. de trem.*

Calore natiuo naturaliter se habente, sanum degit animal.*lib. de trem.*

Caloris natiui, & eius qui præter naturam est, id discrimen vult esse Gal. quòd natiuus calor concoquat: prçter naturam verò qui est, putrefaciat, vt in puris generatione ac cósistentia declarat.*Com. vlt. prim. progn. Hip.*

Calor natiuus tãtùm superflua dissoluit, atque euacuat: circunfusus verò tam bona, quàm superflua vacuat. *Lib. 1. aph. com. 15.*

Ob caloris natiui ad igneam naturam conuersionem, accenditur febris. *lib. 1. aph. com. 14.*

Caloris innati substantia aërea est, & aquea. *Lib. 1. aph. com. 14.*

Caloris innati substantia, bene temperata est, ignea autem aduentitij.*lib. 1. aph. com. 14.*

Calor sanorum, vaporosus est, atque suauis, & tactui conueniens. *Ibid.*

Calor natiuus est natura nostra. *Lib. 5. aph. com. 22. & 1. aph. com. 15.*

Calor natiuus est illa natura, quæ solida corpora regit. *Lib. 4. aph. com. 37.*

Calor innatus, est facultas gubernans corpora nostra. *lib. 1. aph. com. 15.*

Calor naturalis in sanguine & spiritibus habitat. *Lib. 2. aph. com. 1.*

Quemadmodum in flammis exterioribus, multa ligna superingesta strangulãt ignem, atque extingunt, sic calorem natiuum multitudo, & crassities humorum. *Lib. 6. aph. com. 12.*

A na-

A natiuo calore generatur sanguis. *Eod.com.*

Calore natiuo senum tale quid accidit, quale lucernis penè extinctis, quæ continuam exigunt olei suffectionem, multam autem, & subitam nequeunt sustinere. *Lib. 1. aphor. comment.13.*

Calor natiuus eorum, qui plurimùm potant non accenditur, sed ob multitudinem extinguitur, sicuti ignis lignorum multitudine superiniecta, & lucernæ flamma, oleo vniuersim super fuso. *lib.7. aph.com.7.*

A calore innato alterationem secundùm naturam, concoctionem, omnem succi generationem, & in excrementis nutritionem, ipsis qualitates prouenire. *lib.2. de fac.nat, cap.4.*

Calorem vnde gignimur, corpora nostra corrumpere, atque interimere perperàm Hippocrati attributa sententia est. *Lib. de marasmo.*

Caloris naturalis, cum flamma ignis veterum comparatio, eiúsque à Galeno redargutio. *Lib. de marasmo.*

Caloris natiui cum lucernis comparatio. *lib.1 aph.com.13.*

A calore innato, naturę progressu corpora siccari verum est. *lib. de marasmo.*

Calor natiuus non solùm moderatus, sed etiam humidus quoque est. *Com.2. in lib. de nat. hu. super text. Corpus quod adolescit.*

A calore natiuo alimentum in venis alteratur. *Lib.2. de fac. nat. cap.8.*

Calor noster intenditur balneis calidis, cibis, potionibus calidis, exercitatione, augustatione meatuum. *lib. de morb. caus.*

Caloris natiui interdum substantia augetur, interdum qualitas intenditur. *lib.3. de temp.*

Calor naturalis, vt in omnibus partibus animantis temperetur, arterias continuò attolli, ac residere. *lib. de morb. caus. cap.3.*

Calorem natiuum, & insitum cordis, arteriarum motus, & inspiratio, moderatum tuentur, atque conseruant. *ibid.*

Sicuti si extrinsecam flammam, à communicatu circunfusi aëris separes, interiectu furmili, vel cucurbitę, vel cuiuspiã rei alterius similis, statim extinxeris, eodem modo si animalibus caliditatem cohibueris, atque intercluseris, ita vt nullam cum aëre exteriori habeat communicationem, statim exitiũ afferes. *lib. de morb. caus. cap.3.*

Calori insiti gratia animalia respirare. *lib. de vtili respir.*

Calor insitus tum extinguitur, tum seruatur modis iisdé, quibus ignis solet, nempe motu, respiratione, seu diffla tu, vt flammæ flabellis agitatæ. *lib. de vtilit. respir.*

Calor insitus materiam vnde accenditur, sanguinem habet *lib. de vtilit. respir.*

Calor insitus à natura insitum principium motus in vtramque partem habet, ita vt altero priuatus, etiam ex necessitate priuetur. *Lib de vtilit. respir.*

Calorem natiuum, siue à respiratione prohibeas, siue sanguine, statim corrumpitur. *lib. de vtilit respir.*

Calorem natiuum, vt lucernæ flammam suffocando, aut oleo priuando extingues. *Eod. lib.*

Caloris natiui ad lucernam collationem vide ibidem lóga serie. Confert enim Galenus cor funiculo in lucerna accéso, oleo sanguinem, organo pulmonem.

Calorem natiuum pulmo arctus, & densatus, velut cùm respiratio cohibita est, omnino extinguit. *lib. de vtilit. respir.*

Calorem natiuum pulmo perforatus & rarus, qualis circa respirationem est, conseruat. *lib. eod.*

Calorem natiuum moderatè ventilari, & moderatè refrigerari, vtile est. *lib. de vtilit respir*

Calorem natiuum aqua frigida, aut vincit, aut colligit. Vincit quidem, cùm debilis fuerit: colligit autem cum fortis, ipsum difflari prohibens, *lib 5. aph com. 21.*

Calor natiuus ob multitudinem nôn accenditur, sed potiùs extinguitur, sicuti ignis lignorum multitudine superiniecta, & lucernæ flamma oleo vniuersum superfuso. *Lib. 7. aph. com. 7.*

Calor natiuus in forti dolore ventris, extinguitur. Ob id sequitur extremitatum frigiditas. *lib. 7. aph. com. 26.*

Calorem natiuum multitudo grauans, extinguit. Tale enim quid accidit, quale in flammis exterioribus in quibus multa ligna superingesta strangulant ignem, atque extingunt. *lib. 6 aph. com. 12.*

Calor cordis sola respiratione fouetur, atque seruatur, reliquarum partium respiratione, & pulsu, qui veluti respiratio quædam est. *lib. de pulsuum vsu.*

Caloris animaliũ natiui cõseruãdi modorũ, per similitudiné olei, ellichnij, ac lãpadis pulchra explicatio. *lib. de vtilit. respir.*

Calor

Calor natiuus, cordis calori reliquarum partium similis non est, cum id feruere semper sit opus, reliquis partibus satis sit, non si sint frigidæ *lib. de pulsuu. vsu*

Calor animantium à medicamentis calidis augetur, vt ignis à ligno. *lib. 3. de temp.*

Caloris in animante materia, vnde accenditur, sanguis est. *lib. de vtilit. respir.*

Calor innatus Hippocrati, naturalium operum est autor. *lib. aph. com. 15.*

Calorem natiuum, omnium naturalium operum autorem esse Hippoc. ait: Plato non calorem, sed ignem nominat. *lib. 8. de plac. Hip. & Plat.*

Calorem natiuum omne animal in sanguine, & venis, quasi ignis quendã fontem habet. *Lib. 8. de placit. Hip. & Plat.*

Calor in animaliũ corporibus, non ex attritu spirituum, qui sunt in arteriis, gignitur, sicut in lapidibus, & lignis fieri videmus: sed è contrario ab insito calore, arteriarum ipsarum motus causantur. *Lib. 8. de placit. Hip. & Plat.*

Calor quomodo varius, decursu ętatum fiat. *Lib. 1. aph. com. 14.*

Caloris natiui, ad functiones naturales vsus. *lib. 3. de sympt. caus. cap. 3. & 4.*

Calor tum ad alias actiones, tum ad succorum præcipuè generationem plurimùm valet *lib. 2. de nat fac. cap. 8.*

Calore natiuo ad nullum effectum, vsus est Erasistratus. *lib. 2. de nat. fac. cap. 8.*

Calor natiuus nutritioni, & facultatum actionib. plurimùm confert. *lib. 3. de symp. caus. c. 3.*

Calor naturalis, omnium naturalium operum causa. *lib. 1. aph. com. 5.*

Caloris innati officium, à natura illi tributum est cibos conficiendi, ac concoquendi. *lib. 1. aph. com 18*

Calor naturalis generat sanguinem. *lib. 6. com. 12. aph.*

Calor naturalis deducit ad suppurationem vlcera. *Lib. 5. aph. com. 20.*

A calore mediocri sanguis, immodico bilis generatur. *lib. 2. de nat. fac. cap. 8.*

Caloris commoda temperies, actionis est causa. *Lib. 2. de nat. fac. cap. 8.*

Calor naturalis concoctionis ciborum in ventre, &

distributionis in iecore, ac per venas Hipp. & Plat. causa est. *lib.8 de placit.*

Caloris puerorum, ac iuuenum differentia, ac inquisitio quomodo rectè procedat. *lib. 2. de temper.*

Calor pueri & iuuenis eò differunt, quòd in pueris magis halituosus, & multus, & suauis: in florentibus exiguus, siccus, nec similiter suauis, etsi neuter eorum simpliciter altero videatur calidior, sed alter multitudine eius, quod difflatur, alter acrimonia. *lib. 2. de temp.*

Calor in pueris, & ætate florentibus æqualis. *lib. 2. de tēp.*

Caloris natiui in pueris, salubris qualitas exquisita habetur. *lib. 1. aph. com. 14.*

Calor per vigilias foras, per somnum intrò tendit. *Com. 4. in 6. de vulg. morb. super textu, Euidenter vigilans.*

Caloris intrò, ac foras delatio, multas animi perturbationes, passionésque sequitur, nempe iram, metum, verecundiā, lætitiam, mœrorem, & similia. *lib. 2. de sympt. caus.*

Calor naturaliter se habens sanitatem efficit, superans, vel superatus, morbos. *lib. de trem.*

Calor naturalis hyeme augetur. *lib. 1. apho. com. 15.*

Calore natiuo debilitato ex profluuio sanguinis, neque cibi bene concoqui, neque in sanguinem transmutari, multò autem magis neque distribui possunt per corpus: & propter hæc omnia aluos fieri humidiores par est, donec processu tēporis vires suas natura recuperauerit. *lib. 4. aphor. com. 27.*

Calor natiuus vel extinguitur, vel extinctioni proximus, facit quæ euacuantur frigida. *lib. 4. aphor. com. 37.*

Calor naturalis secundum Hippocratem, est ea, quæ solida corpora regit, natura. *lib. 4. aphor. com. 37.*

Calore adscititio calent Æthiopes, & Arabes. *Lib. 2. de temper.*

Calor ætate vigentium mordax. *lib. 1. apho. com. 14.*

A calore natiuo fieri defluxus corporū. *lib. 7. aphor. cō. 60.*

Calor natiuus, in quibus non accenditur, non fiunt desipientiæ. *lib. 7. aphor. com. 7.*

Calidum amicum sedis, & neruosarum partium dispositionibus. *lib. 5. aphor. com. 22.*

Calidum vtile ossibus, dentibus, neruis, cerebro, spinali medullæ. *Lib. 5. aphor. com. 18.*

Calor natiuus,exercitiis augetur.*lib.1.aphor.com.15.*

Caloris innati multitudini,semper oportet alimenta esse proportionalia.*Lib.1.aph.com.15.*

Calor natiuus ob id hyeme augetur,quòd refugiat propter circunstantem extrinsecus frigiditatem.*Lib.1.aphor.com.15.*

Calor natiuus æstate,ad sibi affinem protenditur , atque ita contingit dissolui,& dissipari eius substantiam.*lib.1.aphor.com.15.*

De spiritibus,eorúmque differentiis,& actionibus.

CAP. XVI.

SPiritus nomen variè sumi in medicina,vnum est ex publicè iactatis. Nec in medicina solùm, sed in alijs omnibus disciplinis,in quibus de spiritibus tractatio cadit,ad varia spiritus nomen extendi planè cernimus. Theologi enim modò pro Deo,interdum pro Dei virtute,modò pro anima spiritum accipere solent. Vnde est illud Ioannis, Spiritus vbi vult,spirat:& illud Genescos primo,Spiritus Domini ferebatur super aquas. Pro anima verò eo in loco Euangelij sumi videtur:spiritus quidem promptus est , caro autem infirma, Et rursus apud Psalmographum , Spiritus vadens,& non rediens.Sed cùm altioris sint hæc speculationis,nec ad nostram tractationem(qui medica tantùm tractamus)pertineant ,his omissis ad spirituum explicationem,medica methodo perueniemus.Non vnicam autem,ac simplicem esse spiritus in re medica significationem, peruium vnicuique esse potest.Eo enim nomine & aërem,&ventum,& auram,& flatū,& spirationem intelligi , tum denique substantiam omnem tenuem obtutus nostros fugientem , & quæ sub sensum,& aspectum non cadat euidentius est,quàm vt probari oporteat.Nos tantùm hîc de spiritibus,prout vinculum quoddam sunt corporis , & animæ,substratáque calori natiuo nostro materia,ipsiúsque tandem animæ instrumentum præcipuum medica ratione tractabimus.Hunc porrò Stoici , omnibus se mundi partibus insinuantem,cunctáque cœlesti è semine proferentem introduxerunt,vnde sit animantibus cunctis , ac terræ nascentibus ortus,atque origo:esséque illum ipsum è substātia tenui quadam,splendida,ætherea,nec aspectabili ,magnis

Ioan.3.
Matt.26.
Marc.14.
Psal.77.

persuasi rationibus crediderunt. Vnde illud celeberrimi vatis Virgilij manasse videtur, in sexto Æneidos:

Principio cælum ac terras, camposq; liquentes,
Spiritus intus alit: totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.
Inde hominum, pecudumque genus, vitæque volantum,
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore Pontus,
Igneus est ollis vigor, & cælestis origo
Seminibus.

Spiritum hunc diuinus in Timæo Plato mundi animam vocat. Cui sanè spiritui, in vniuersi mole vigenti, quiddam simile inditum nobis à natura est, quo corporea hæc nostra substantia foueatur, totaque ipsa vegetetur, & substet. Spiritum id vocamus, hoc est, substantiam quandam ætheream, minime conspicuam, aut aspectabilem ex elementorum quidem miscella genitam, sed elaboratissimam, & (vt doctissimè Auicenna scripsit) in cœlestium corporum similitudinem, atq; naturam vergentem, atque ob id illustrem, luminis, splendorisque ac æthereæ lucis plenissimam, adeoque tenuem, vt cõspici à nobis minimè possit. Hæc spiritus de quo tractaturi in præsens sumus, natura, hæc substantia. De quo illud rectissime in problematis dixisse Alexandrum Aphrodiseum legimus, spiritum vinculum esse animi ac corporis, quod ea vtraque nectat, concordissimáque communione conciliet, atque coniungat. Qua enim spiritus substantia omnino corpore nõ vacat, eo se corpori accommodat: est enim corpus quoddam, sed æthereum, & tenuissimum, obtutúsque nostros fugiens: quâ vero in similitudinem cœlestium totus penè abit, inuisibilis ipse, lucidus, vitam omnibus, & salutaria munia præstãs, nostrósque artus omnes vegetans, ac fouens. Ea sanè ratione ceu animi accommodatissimum instrumentum, animo inseruire, illiúsque naturam quodammodo induere videtur. Ob idque merito, & corporis, & animi vinculum arctissimum esse creditum est. Hic profecto congrua est, quæ insito calori nostro fomitis loco substerneretur: quod si eidem ipsi calori fouendo familiaris, amicáque valde, & secum congruens substãtia, atque adeo congruens, vt aliquot in locis eandem Galenus cum ipsomet natiuo calore, de mente Hippocratis, effecerit: qua de re paulo post plenius dicemus. At vero substantia hæc, quæ spiritus dicitur, cùm suaptè natura tenuissima quædã

Li.1. de viribus cordis. cap.2.

5. de simpl. fac. c.9. & 1. aph. com. 15.

quædam res ſit,eam quidem & motu celerem,ac concitatam & ætheris modo ſemper ardentem(calidiſſimum enim omnium autoribus Galeno,& Auicenna,ſpiritus eſt)& pellucidam, & ad omnia naturæ munia obeunda facilem,atque paratam eſſe confiteri eſt omnino neceſſe,ac proinde aptiſſimã cui perpetuò natiuus noſter calor inſideat: vnde meritò eius ipſius ſedem eſſe, atque vehiculum docti plerique omnes arbitrantur.Hunc ab ipſo protinus vitę,& generationis initio viuentibus cunctis inſeri,vt & vitam inchoet, inchoatam foueat,atque ſuſtentet,demúmque vt facultati corporis rectrici,ad omnia munia obeunda,ceu idoneum inſtrumentum inſeruiat,viuificúmque calorem complectatur,atque cõtineat, vel ipſa autorum in ea re communi conſenſione,vel demonſtrationis fide,credere omnino cogimur. De hoc ſpiritu inueſtiganda hæc ſunt.Quænam illius ſubſtantia,quæ generatio,quæ functio.Hunc rurſus in ſu... differentias,ſeu mauis ſpecies partiri,cùm ſit quidam ingenitus(quem complantatum ſeu innatum ſcholæ vocare ſolent)quidam aliunde manans,ſeu influens:atque ij rurſus multiplices,vitalis,animalis, & naturalis:& quonam pacto ex ſe inuicem hi generentur, nempe ex naturali ſpiritu vitalis, ex vitali tandem animalis per elaborationem,exactámque coctionem:ſintne idem ſpiritus,& calor natiuus noſter,vt & Galenus,& Ariſtoteles ſenſiſſe conceptis etiam verbis,ſunt viſi.His cognitis abſoluta erit profectò vniuerſa de ſpiritibus tractatio.Spirituum porrò omnium ſubſtantia elementis præſtantior, & in cœleſtium naturam degenerans,vt Auicenna ſcripſit,diuinum quoddam corpus,& æthereum eſt,à natura procreatum,magnáque virtute elaboratum,atque ipſius animæ, ſeu facultatis corporis rectricis primum,præcipuúmque inſtrumentũ,vt rectè Gal. cùm 5.de ſimplicium facul.cap.9.tum lib.de placitis Hipp.& Plat. 7.ſenſiſſe eſt viſus.Prima autem ſpirituum omnium ſubſtantia in humido illo primigenio,& radicali,tanquam in ſua baſi,& propria ſede latet:cùm ſit humidum illud ſpiritibus illi à naturæ inſitis conſertiſſimum,in quibus natiuus noſter ſeruetur calor.De ſpirituum ſubſtantia, atque natura hanc protulit Ariſtoteles ſententiam.*Omnis* (ait) *animæ ſiue virtus, ſiue potentia corpus aliud participare videtur,idque magis diuinũ quàm ea quæ elementa appellantur* Ex quo quidem loco colligere promptum eſt,id Ariſtotelem voluiſſe, animam omnẽ

Li.1.de viribus cordis.cap.2.

2.de gen. animaliũ. cap.3.

vno aliquo corpore, vti quòd elementis præstantius sit : magísque diuinum quàm elementare, quòd aliud quàm spiritus esse non potest, vt qui tenuitate sua, perfectione, & splendore ad cœlestium naturam (quantum quidem corporea substantia ferre potest) proximè accedat. Ac rursus paulò post, eodem ipso capite. 3. secundi de generatione animalium libri, explicatius spiritus naturam expressit. *Inest* (inquit) *in semine omnium, quod facit vt fœcunda sint semina, videlicet quod calor vocatur : idque non ignis, non talis facultas aliqua est, sed spiritus qui in semine, spumosóque corpore continetur, & natura, quæ in eo spiritu est, proportione respondens elemento stellarum.* Quid ijs verbis congruentius ad spiritus explicandam naturam dici possit, non video. Erit itaque nimirùm spiritus, ęthereum quoddam corpus è purissima, & præstantissima sanguinis parte elaboratum, & in aëris tenuissimi substantiam naturæ vi demutatum, idem & insiti caloris, & facultatum nostri corporis fundamentum, ac sedes, primúmque animæ ad omnes obeundas functiones, instrumentum. Quæ quidem spiritus ratio ex Aristotelis supracitato loco, & Gal. tum. 5. de simplicium facul. lib. tum. 7. de placitis Hipp. & Plat. sensis elici vel conceptis verbis potest. Esse autem in nobis tenuem quādam, & spirituosam substantiam, illud maximè declarare videtur, quod respiratione continuò indigeamus, qua aërem attrahentes, eo attracto, quasi familiari & congeneo pastu, ali, atque foueri spirituosa illa, quæ in nobis est substantia possit: qua profectò si careremus, nullus esset in nobis respirationis vsus. Non enim ad corporis crassam, & terream alendā substantiam aëris attractu opus est nobis, cùm ea solido, & pleno reficiatur sustenteturq; alimento, non aëre. Quamobrem respiratione in id indigemus, vt aërem hauriamus, quo is finitimę, & germanę cuipiam in nobis, sui generis substātię iungatur, & copuletur, eíque in alimoniam cedat. Vnde accidere illud videmus, vt auras per æstum captantes frigidiores, toti recreemur ipsi, & magna inde commoda totis spiritibus, sentiamus. Contra vero in locis æstuosis, angustis, tenebricosis, tetrum exhalantibus, cùm animo deficere, tum certè extingui, ac præfocari nos experiamur. Talis est igitur spiritus nostri, qualem modò ex Aristotelis, & Galeni mente depinximus substantia, atque natura. De illius generatione modò dicendum. Gignitur porrò spiritus à primordijs vitæ, in ipso genitali

genitali semine,à corporis, & principum partium rectrice facultate quæ in spumosa illa,& genitali substantia vires suas omnes fundés,diuinum hoc corpus tenue,aëreum,viuificum, & cœleste inserit,quod spiritum nuncupamus. Eius virtute, atque potentia semina omnia vt fœcunda sint, & prolifica, vt rectè Aristoteles tradidit,habent.Inde fit,vt cuiusuis generis semina tale quid ipsa actu proferant,qualia potentia fuere:ac proinde equinum semen equos,caninum canes,suillum sues,humanum homines generet. Sic pyri,citri, mali medici, sorbi,& persici,reliquorumque arborum semina ,sui generis proferunt singula fructus.Itaque cùm in semine plantæ cuiusuis,seu animãtis eluceat vis,& facultas eius à quo dimanauit corporis,siue id è plantarum,& stirpium genere, siue animantium sit:vigeat autem eo in corpore,vnde deriuatum est semen,& natiui caloris,& spirituum copia:efficitur profectò,vt in semine multa quoque subsit spirituosa , & calida pars,cuius merito vt fœcunda sint,semina cuncta habent.Atque hæc prima est spirituum generatio : vt haud immeritò scholæ spiritum hunc in semine, & primis generandi fœtus partibus insertum,complantatum, seu innatum appellent. De quo mox à nobis copiosè dicetur.Constans itaque illud maneat,generari quidem spiritus à totius corporis,& principum partium rectrice facultate,in semine primùm,dein verò ab ipso semine genitali in fœtum eadem potentia,atque virtute in semine locata.atque fixa.pares spiritus generari.Quę vero propria sit spirituum functio(quod proximè dicendum proposuimus)explicatu facilè erit,si id intellexerimus,ad omnes naturales actiones spiritu,ceu commodissimo instrumento ,naturam vti: si rursus & illud quoque ,caloris natiui sedẽ præcipuam,atque vehiculum in ijs spiritib⁹ sitũ esse. Quamobrem cùm omnium operum effectorem natiuum calorem superiore capite probauerimus, consequitur profectò,vt spiritus quoque ipsi sint omnium naturæ actionum administri operatores,id est,naturæ ipsi in functionibus edendis instrumentorum vicem agentes.Itaque ad vitam,ad nutritionem, concoctionem,distributionem,ad sensum denique , & motũ præstandum,& ad principis in cerebro facultatis munia obeunda , intellectionem dico,imaginationem,memoriam,spiritus profectò aptissimi cooperatores erunt existimandi. Omnia enim quæ modo recensuimus opera,horum interuẽtu,

2.de gen anim.c.3.

probáque eorum commoderatione fieri experimur: veluti horum vel deprauatione, vel diminutione, vel defectione, interuerti, deprauari, languescere, ac prorsus deficere. Quod in animi deliquiis, & integra virium concisione, (quam syncopem vocant) experiri licet, tum & in immodicis vacuationibus, præsertim sanguinis, in quibus symptomatis naturæ munia peruersè edi, inanitis vtique, & exhaustis spiritibus, planè videmus, quòd opifex natura sine spirituum ope, tanquam commodo instrumento munia sua obire minimè queat. Hæc de spirituum actione. De differentiis modò agendum. Sunt autem primæ, præcipuæque spirituum differentiæ eæ, vt sit quidam connatus, ingenitus, atque insitus, quem rectissimè scholæ complantatum vocare consueuerunt, quidam influēs. De vtroque particulatim agemus. Vt autem connati spiritus naturam perscrutemur, illud in primis sciendum, ipsum à principiis generationis nobis innasci, vnde connati, seu insiti nomen meruit. Equidem cùm ex semine tum maris, tum fœminæ, atque ex sanguine menstruo, omnis nostra generatio constet: genitura autem ipsa à toto parentum corpore, à solidis inquam, & mollibus partibus, & ab omni in corpore humido secernatur (vt docta Hippocratis sententia est) necessarium quidem est, multo spiritu, atque calore *Lib. de genitura.* genituram præditam esse, vt quæ nimirùm à principum partium influxu in eam, & ab omni reliquo corpore vnde manat, plurimum concipiat, tum insiti caloris, tum spiritus. Nisi enim & spiritum nancisceretur, & calorem neque spumesceret ipsa, ne- *Vbi suprà.* que generationi subseruire vnquam posset. Vnde illud rectissimè ab Hippocrate dictum est, in genitura id quod robustissimum est in corpore secerni, cuius rei argumentum id esse voluit vel maximum, quòd à veneris vsu, tantula re emissa, imbecilles reddamur. Cùm itaque valentissima quædam res genitura ipsa sit, & calidissimam esse, & multo spiritu præditam omnino oportet. Hic porro qui in ea latet spiritus, dum à facultate fœtus formatrice, primis simplicibúsque partibus, omnibúsque reliquis distribuitur, à semine quidem ceu fonte, ac promptuario manans, & à formatrice facultate pro cuiusque partis merito absumptum, in easque deriuatum, insitus spiritus, seu innatus iure appellatur. Simul enim atque formatus fuerit in vtero fœtus, spiritus hic partibus singulis inest, aliis alius nec omnibus idem. Qui enim in

osse

osse subest spiritus, ab eo qui in carne, aut neruo plurimùm distat, quantum scilicet & partium, quarum sunt naturæ. Quot enim partes corporis, tot constituere pro portione spiritus omnino oportet. Perinde enim vt aliam os, aliam neruus, aliam caro natiui caloris substantiam nacta sunt, & & disparem omnino humidi primigenij portionem, atque naturam (ficciorem enim os, humidiorem caro naturam habet) sic sanè & spiritus innatos pro partium ratione diuersos, à seséque plurimum differentes partibus inesse confiteri omnino oportet, vt docta Gal.5. de simpl facul.cap 9. sententia est. Atque hic quidem connatus spiritus partium articulator,& opifex esse, ab Hippocrate dicitur. *Genitura* (inquit) *in pellicula est,& spiritum habet intrò,& foras.Et paulò post. Caro augescens à spiritu articulatur,& abit in hac vnumquodque simile ad simile, densum ad densum, rarum ad rarum humidum ad humidum, & vnumquodque in propriam regionem abit, iuxta cognitionem ad id à quo genitum est.* Rursus: *Atque hæc omnia* (subdit) *à spiritu coarticulantur.* Et mox: *Postquam articulatus est puer, speciebus membrorum ipsius augescentibus,tunc & ossa duriora fiunt,& cauantur, atque hæc à spiritu fiunt.* Plurimum hic insito spiritui nostro Hippocrates tribuisse est visus, vt cui nimirum formationis, & structuræ membrorum munus attribuat,& meritò illud quidem, cùm in illo,ceu in propria sede,formatrix potentia sita sit,ac collocata,à qua partium corporis structura effingitur, ac dearticulatur.Atque hæc spiritus innati ratio,hæc natura est. Est enim vitæ & subsistentiæ nostræ fundamentum,à primis originis nostræ initiis, ad finem vsque persistens. Verùm cùm fluore continuo substantiæ nostræ(perpetuo enim fluit, atq; dissoluitur nostri corporis substantia ac partium robur) & dissipari quoque insitos in partibus spiritus sit necesse:prouidit sapientissima parens, ac nostri conseruatrix natura, vt ad eorum tutelam, ac veluti deperditorum instaurationem alij succederent spiritus,à principibus partibus manantes,qui innatos partium spiritus conseruarent, & ne citò dissoluerentur suo influxu prohiberent: ac proinde meritò influentes hos spiritus,medicinæ autores nuncupauerunt. Nulla enim pars in nobis,aut calorem,aut insitum spiritum, aut vires ab ortu datas potis est retinere, citra spirituum influentium vires, sed in breui omnia conciderent à principiorum viribus

Lib.de nat.fætus.

& fauore destituta. Quocirca pars vnaquæque tum insitis, tũ aliundè influentibus viribus gubernatur, alia manifestius, vt musculus: alia obscurius, vt os, cartilago, copula. In has enim partes tametsi neque vena inseritur, quæ sanguinem, neque arteria quæ spiritum proferat, satis tamen hæc in illas deriuari declarat assidua, quæ fit earum nutritio. Neque enim citra influxum possint eæ persistere, & vita teneri. Vnde intelligi potest, cùm sint partium corporis aliæ principes, vt cerebrum, cor, iecur, testes; aliæ ab his natæ, & quasi earum viribus subseruientes, vt nerui, arteriæ, venæ, seminaria vasa: reliquas partes omnes, tum insitas, tum influentes vires habere, nullásque seipsis duntaxat gubernari, nisi fortassis id ita accipiendum quis velit, quod non per manifestos, & patentes ductus, musculorum & interiorum viscerum modo regātur. Hæc siquidem vt vberiores spiritus atque vires acceperunt, sic venis, arteriis, atque neruis indigent, quibus manifesta sit, & conspicua gubernatio. Ex his demũ planum fit & apertum, tum vitalem, tum naturalem spiritum in omne corpus effundi, atque diffluere, eóque pertingere vbi neq; vena, neque arteria est. Harum enim adminiculo non vbique indiget. Animalem autem spiritum nusquam posse citra neruos, aut eorum villos, atque stamina contineri, aut vires suas prodere. Optima id quidem ratione à natura institutum quòd pars vnaquæque nutritione, & vita, non autem sensu, & motu indigeret. Prodeunt autem spiritus hi influentes à tribus principiis, corde, iocinore, cerebro, & si quidem spiritus naturam propius inspectemus, inueniemus profectò, spiritui influenti vocato, hanc ipsam potius, quàm innato conuenire. Spiritus nanque substantiæ cùm tenuitas, & citata motio propriè conueniant: hæc autem ambo influenti spiritui magis, quàm innato insunt (cùm ille pro partium diuersitate aliam atque aliam sortiatur substantiam, vt paulo anteà dictum, hic perpetuò tenuitate, & citata mobilitate præditus sit) efficitur profectò, vt vere ac propriè huic magis, quàm alteri spirituum ratio congruat, etsi vtrique spiritus iure dicuntur. Hos autem qui aliunde manant, & influentes vocantur, à tribus nasci principiis diximus, à corde vitalem, à cerebro animalem, ab hepate naturalem. De quo quidem valdè, ponendúsne sit, addubitatum est, dubitandi causam nobis præbente Gal. qui 12. meth. medẽdi, duo tantùm spirituũ gene-

genera statuisse est visus: animalem à cerebro, ceu fonte manantem, vitalem à corde. De naturali verò iis verbis addubitasse est visus. Quod si naturalis (inquit) quoque aliquis spiritus est, vtique is quoque in iocinore, & venis continebitur. Qui ponendum non esse spiritum hunc arbitrantur, ea maxime ratione nitūtur, quod nulla in iocinore insignis cauitas sit, perinde atque in corde, ac cerebro, quæ spiritus huiusmodi officina esse possit. In corde enim sinister venter, spiritus vitalis est officina: quemadmodum & in cerebro ventriculi illius effatu digni: in hepate nulla huiusmodi cauitas visitur, quę generationi spiritus naturalis subseruire possit. Addunt præterea sanguinem ipsum, ad alenda membra venarū ministerio delatum, spirituum adminiculo minimè indigere, cùm citra ipsorum opem in membra ferri possit, eáque congrue alere. Hanc porro sententiam Auerrous primo collectionum, conceptis verbis expressisse est visus. Spiritus, inquit, duo sunt, spiritus apparens in corde, & spiritus apparens in cerebro, sed spiritus in hepate non apparet per viam sensus. Quin & Isaac Israelita, in spirituum ratione tradenda, definitionum libro animalis tantùm, & vitalis spiritus meminit, naturali hoc prætermisso. Vt autem relicta sua cuique opinione, meam ipse priuatim aperiam, eámque ad disquisitionem doctrinæ consultorum candido proposito reuocem. Dico spiritum quidem naturalem, non nisi latiùs accepta spiritus voce, verè talem dici posse: quòd spiritus substantiam tenuem, pellucidam, elaboratam, ac curulem esse omninò oporteat, vt initio capitis dictum à nobis est, contra quàm spiritui huic eueniat, ab hepate genito: qui vaporosum potius quoddam corpus calidū, crassum, nec satis elaboratum, quàm spiritus dici queat. Qui.n. ab hepate, ad alendas corporis partes conficitur sanguis, & ad illas delegatur, is secum saporem calidum multum, eúmque crassiusculum defert. Quem si lata quadam significatione, spiritum quis vocare velit, minimè sum repugnaturus. At verò si iuxta rerum essentiam, proprietatémque (vti verè Philosophum decet) spiritum esse negabit. Atque hæc de ea re in præsens dixisse abundè sit. De spiritu autem vitali exploratissima illa sunt, hunc à corde per arterias in vniuersum manare corpus, sedémque esse, ac fundamentum natiui caloris, vitámque partibus suppeditare. De animali porro, à cerebro ipsum procedere, per neruos ferri,

An sit dare spiritum naturalem.

Autoris de spiritu naturali opinio.

Lib. 7. de placit. Hipp. & Plat.

sensum, voluntariúmque motum præstare, esseque hunc (vt vult Gal.) primum animæ instrumentum, ac proinde animalem esse dictum, non quod substantia animæ sit, sed quod primum sit ipsius, in cerebro habitantis instrumentum. Sicut vero vitalis spiritus, & in arteriis, & in corde gignitur, materia generationis ex inspiratione, & humorum exhalatione desumpta, ita animalis ex vitali perfectius in retiformi plexu elaborato, atque concocto oritur. Num vero spiritus hic animalis perinde vt in cauis cerebri continetur, ita quoque in singulis neruis veluti insitus, innatúsque maneat, ad sensum, & motum partibus suggerendum, excitetúrq; ab alio à fonte promanante: eóque tanquam nuncio quodam pulsetur, an insitus quidem minimè sit, sed eo tempore, quo motui voluntario inseruire debet, à cerebro influat tanquam aduentitius, plurimum hæsitare hac de re videtur septimo de placitis Hipp. & Plat. Galenus. Soluit autem post longam eius rei disquisitionem, accommodatione nerui, facultatem à cerebro excipientis ad aërem illustrationem à sole accipientem, perinde se habere neruum ad facultatem, vt se aër ad solem habeat. Nam vt hic, continuam dum accipit à radiis solaribus immutationem, illustratur, non in semel accepta mutatione perseuerat, hæc enim Galeni eo loco verba sunt: sic neruos oportet assiduam semper, ac recentem informationem à cerebro, ceu fonte accipere, hoc est virtutis à cerebro transmissionem: sicuti circunfusus nobis aër, assiduam accipit, ac mutuatur à sole illustrationem, ac splendorem, qui quidem splendor statim cum illustrante dissipatur, ac euanescit, quod sensuum fide experiri licet. Si nanque solidum aliquod corpus in medio opponamus, confestim aërem interceptum fulgore destitui conspicabimur, vtpote qui, dum perennem, atque continuam accipit à sole mutationem, illustratur, non in semel accepta persistit, vt paulo antè dicebamus. Si enim posito obice lux in aëre perstaret, aliquandiu lux in eo (sublato etiam illustrante) permaneret, contra quàm fieri cernamus. Nubiloso enim, & pleno cœlo nusquàm aërem à sole illustrari conspicimus, crassamento vtiq; nubium aëris illustrationem prohibente. Itaque similitudine ad neruos translata fieri videmus, vt neruis præcisis tota ea pars quæ à cerebri continuitate, per sectionem fuerit separata, stupida confestim reddatur, cerebro vtique vim suã

exere-

exerere non valente, continui scil. dissolutione. Ob id profecto rectissime Gal. assidua neruos egere à cerebro informatione, eaque recenti, hoc est, virtutis, & spirituum per eos manatione, asseuerasse est visus. Sic arteriæ, quia tunicas cum cordis corpore connexas habent, ab eo vim influentem assiduè accipiunt. Inde fieri, vt si eæ, aut laqueo interclusæ aut incisæ fuerint, pulsu omni, micationéque orbentur: influxu nimirum facultatis à corde per spiritus manantis destitutæ. Pulsari itaque tum neruos, tum arterias spiritu à corde, & cerebro manante, omnino oportet, si in opere permansura ipsa sint, nec innatum in iis sufficere, aut vitalem, aut animalem spiritum, vt demonstratione Galenica hac ostendisse me arbitror. Nunc quod postremum dicendum superest explicemus. Sintne natiuus calor, & spiritus idem, an diuersa. Eadem porro esse, insinuasse Gal. 5. de simpl. facul. plane est visus. De suppurantium enim facultate edisserens, ipsa symmetriam natiui caloris seruare oportere astruxit, de quo quidem natiuo calore hæc protulit: *Halituosum* (inquit) *& calidum spiritum contineri quamplurimum in parte oportet, & ad vnguem calidita te symmetrum, quippe cùm hic in pueris copiosissimus, omnes actiones naturales adaugeat. Sed sunt quos id fugit, & cum hoc, quòd ignorent, Hip. insuper accusare non verentur, quòd dixerit crescentia plurimùm habere caloris innati. Sed nos dicta eius haud perperam capere oportet, ac cognoscere innatum dixisse calorem, quem in quoque animantium, & natiuum spiritum nominamus, de quo & Aristoteles scriptum reliquit. Verùm nihil prohibet sanguineam substantiam, simúlque seminalem vnà cum spiritu, calidum inaudire innatum. Hac Galeni serie euidentissimum fit, id quod calorem insitum in quoque animalium appellamus, idipsum quoque, & spiritum natiuum esse.* Quam vtique sentētiam Galenus ab Aristotele desumpsisse est visus, qui de generatione animalium libro, cap. 2. & 3. insiti caloris naturam, iis verbis expressit. *Inest* (inquit) *in semine omnium, quod facit vt fœcunda sint semina, videlicet quod calor vocatur: idque non ignis, non talis facultas aliqua est, sed spiritus: & eiusdem libri cap. 2.* idipsum prædixerat. *Semen quoque* (ait) *exit quidem intrinsecus spissum, & album, calore interiore multum spiritus calidi continens.* Hisce verbis constare illud certum est, calorem insitum nihil prorsus in nobis aliud esse, quàm ingenitum illum spiritum, qui suapte natura (vt testatur Auicennas) omnium

Libr. 7. de placit.

Cap. 9. nouæ versionis.

Calidum innatum quid.

Fen.1.primi.doc.3.c.de compl. membrorum. nostri corporis partium, calidissimus est. In quam item Aristotelis, & Galeni sententiam videtur Arabs Auerrous collectionum suarum lib.2.cap.7. pedibus ire. Sed quid autorũ sententiis pugno? Profecto si calidi natiui substantiam attendamus, non qualitatem substantię inhærentem, inueniemus mehercule, calidum hoc insitum in nobis nihil prorsus aliud esse, quàm corpus hoc vaporosum, tenue, elaboratum, summè calidum, à corde primum in arterias, inde in vniuersum corpus manans, quod spiritum iure vocamus. *5.de simpl. fac. cap.9.* Quanquã (vt vult Galenus) nihil prohibet, & sanguineam substantiã, & seminalem, atque aëream innati calidi nomine, audire. In his enim substantiis, nostræ generationis primordia reuera sita sunt. Nam etsi natiui caloris, & spiritus rationes diuersæ sint, vna tamen amborum est substantia, atque subiectum. Dicitur nanque eo potissimum spiritus, quòd permeet, quòd veluti aura suauis, & nobis connata spiret, pulset, illustret, viuificet, sensum, motúmque excitet, facultatésq; à principibus partib. ceu fontibus in reliquũ omne deferat corpus. *Spiritus ratio quæ.* Hæ quidem certè spiritus rationes sunt, prout caloris calfacere, attenuare, concoquere, distribuere, & ea quæ ad naturam pertinent munia complere, atque perficere. *1.aph.com 15.* Siquidem omnium naturalium operum hic est autor, vt vult Galenus. Insiti caloris natura profecto, si cui alteri rei, spiritui certè conuenit, vt qui & tenuitate, & perfectione substantiæ, & motionis celeritate, & qualitate propria (quæ caliditas summa est, hoc est summe temperata) idonea sit substantia, quæ nomenclaturam hanc insiti caloris sortiatur: & per hanc tandem semini genitali aëreæque in nobis, tum & sanguineę substantiæ, id nomini, tribuatur: Atque hæc mea de natiuo calore, déque spirituum natura, functionibus, generatione, ac causis assertio.

De spiritibus, Hippocratis, & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

SPIRITVM delatorem cogit natura, tum viis arduis, tum cursibus prodere. *Lib. de arte.*

Spiritus maximus est in omnibus, quę corpori accidunt, & autor, & dominus. *Autor libri de flatibus.*

Spiritus nutrit, nutriũt enim cibus, potus & spiritus. *Eo. lib.*

Spiritus qui in corporibus sunt, flatus vocantur. *Eod. lib.*

Spiritu

Spiritu plenum est, quod inter cœlum, & terrã est. *Eod. lib.*

Spiritus æstatis, & hyemis causa. *Eod. lib.*

Spiritus igni nutrimentum præbet, quo si priuetur ignis, viuere non possit. *Eod. lib.*

Spiritu mare participat. *Eod. lib.*

Spiritus viæ in corpus si intercipiantur, breui periturum est. *Eod. lib.*

Spiritus mortalibus vitæ, & morborum ægrotis solus est autor. *Eod. lib.*

Spiritus omnibus corporibus tanta necessitas extat, vt si quidem omnibus alijs abstineat homo, neque cibum sumat, neque potum, possit tamen dies duos, vel tres, & plures ducere: spiritu priuatum, in breui parte vnius diei, intereat. *eod. lib.*

A Spiritu ducendo, nulla vnquam quies mortalibus dari potest, vt cessent spiritũ adducere, ac rursũ exhalare. *Eod. lib.*

Spiritum habet genitura. *Lib. de natur a pueri seu fœtus.*

Spiritum genitura concipit, nempe in calido existens. *Lib. de natura fœtus.*

Spiritus per mediam genituram erumpit. *Eod. lib.*

Spiritum habent omnia quæ calescunt. *Eod. lib.*

Spiritus erumpit, & sibi ipsi viam facit ac foras procedit. *Eod. lib.*

Spiritum emittunt omnia, quæcunque calefiunt. *Eod. lib. de natura fœtus.*

Spiritum habet genitura in vtero calfacta, & emittit. *eo. li.*

Spiritum habet genitura, à matre spirante. *Eod. lib.*

Spiritum genitura habet intrò, & foras. *Eod. lib.*

A spiritu articulatur caro augescens. *Eod. lib.*

A spiritu omnia membra coarticulantur. *Eodem lib.*

Spiritus omnes, nobis sunt ab aqua. *Eod. lib.*

Spiritus vocat Hippocrates permeantia corpora, cùm inquit continentia, contenta, aut intus permeantia corpora. Sunt autem tria hæc, membra, humores spiritus. *lib. 6. de pop. morb.*

Spiritus tanta caliditas, frigidas, crassities, tenuitas, siccitos, humiditas, plenus, imminutus, & copiosior, à quibus mutationes, quales ex qualibus prout se habent. *Lib. 6. de pop. morb.*

GALENI.

SPIRITVS, natiuus calor est in corde situs. *lib. definitionum med.*

Spiritus procreatur, sicut Erasistratus putat, ex ambiente nos aëre intra corpus assumpto, primo in pulmonem, deinde in cor, ortasque ab eo arterias. *Lib. An sanguis natura in arteriis contineatur.*

Spiritum exire ex arteriis vulneratis, nec tamen videri quòd tenuis sit, & leuis, & hac de causa facilè recedat, *Erasistratus contendebat. Lib. An sanguis natura in arteriis contineatur.*

Spiritus ambiente nos aëre tenuior non est, vt eius procreatio docet.

Procreatur enim ex aëre intro assumpto. *Eod lib.*

Spiritum & crassum, & vaporibus similem Praxagoras existimabat. *Eod lib*

Spiritum insensiliter exinaniri, arteria vulnerata, Erasistratus opinabatur. *eod. lib*

Spiritum esse animæ instrumentum, præsertim animalem. *lib. 3 de loc. aff. cap 5.*

Spiritus noster, talis est, qualis aër inspiratus, vt in nubiloso aëre nubilosum in nobis generari spiritum astruxerit. *Gal. Com. 1. in primum de pop. mor. Hip. sup. text. Cùm esset autem totus hic status austrinus, & squalidus.*

Spiritus aut ipsa animæ substãtia, aut primum ipsius organum est. *lib. de vtilit. respir c. 5.*

Spiritus animæ substantia non est, sed primum potius ipsius instrumentum. *Lib. 7. de placit. Hipp & Plat. & 5. de de simp. fac. cap. 9.*

Spiritus primus, per omnia mundi diffusus. *lib. An animal sit, quod in vtero continetur.*

Spiritum in omnibus animalis partibus contineri, verùm non vndique sibi similem, vt nec sanguinem est necesse. *lib. 5. de simpl. fac. c. 9.*

Spiritum nebulosum, & caliginosum in nobis reddi, cùm plurimus vapor huiusmodi in corpore collectus fuerit. *Com. 1. ad primum de popul. morb. Hip super textu Cùm esset, &c.*

Spiritum in arterias non ferri, sed trahi ab ipsis. *Lib. An sanguis in arteriis natura contin.*

Spiritum per arterias, non tanquam per canales lapideos ferri, sed trahi ab ipsis spiritum, *eodem lib.*

Spiri-

Spiritus in arteriis per multa foramina ſpirantibus, ſanguini miſtus, per ipſarum poros fluit. *lib. 1. de febr. diff. cap. 1.*

Spiritus quo pacto per arterias ferri queat, ſanguine ipſi reluctante quærit Gal. Soluit autem id fieri, quoniam diſtẽtis ipſis, confeſtim ſpiritu impleantur: ob id enim implentur, quia diſtenduntur ipſæ. *Lib. An ſanguis natura in arteriis contineatur.*

Spiritus ex arteriis mitti cordis impulſu, probabile non eſt. *eod. lib.*

Spiritus vnde ſuppetit, illic eſſe animæ principatum, contendebant Eraſiſtratij. *Lib 2 de placit. Hippoc. & Plat.*

Spiritus faciliùs, quàm humores, & ſolida inflammantur. *Lib. 1 de diff. feb. cap. 1.*

Spiritus repentinæ corruptiones, vel ſubſtantiæ ipſius corruptionem, vel immoderatam caliditatem ſequuntur. *lib. de vtilit. reſp.*

Spiritus qui per arterias in ventrem incidit, plurimùm valet ad concoquendum. *lib. 2. de nat. fac. cap 8.*

Spiritus coquit cibum, non proprietate occulta, ſed caloris mediocritate. *lib 2 de natur. fac. cap 8.*

Spiritus innati duplex ſpecies, alius naturalis, alius animalis. *In Introductorio. ſeu Medico.*

Spiritu hecticon quidam iutroducũt. Hecticus igitur eſt ſpiritus, qui lapides continet. Naturalis animantia & ſtirpes nutrit. *In Introd. ſeu Medic.*

Spiritus naturalis, animantia & ſtirpes alit: animalis ſentiendi, omníſque motus facultatem animanti exhibet. *Eod. lib.*

Spiritus animalis, eſt primum animæ organum. *Lib. de vtilit. reſpir.*

Spiritus animalis, alimentum habet ab aëre per inſpirationem attracto. *lib. de vtilit. reſpir.*

Spiritus qui in arteriis continetur, vitalis eſt: & dicitur qui in cerebro animalis. *Lib. 7. de placit. Hip. & Plat.*

Spiritus animalis dicitur, non quod animæ ſubſtantia ſit, ſed quod primum ſit eius ibi habitantis inſtrumentum. *Lib. 7. de plac.*

Spiritus animalis, exhalatio eſt quædam ſanguinis benigni. *lib 6 de vſu part. cap. 17.*

Spiritus animalis cerebri generatio, materiam propriã

habet, ſpiritum vitalem, qui per arterias ſurſum fertur. *lib. 9. de vſu part. cap. 4.*

Spiritus animalis cerebri, exactiorem ſemine poſtulat coctionem. *Eod. lib. & cap.*

Spiritum animalem in cerebro, animæ rationatricis habitaculo, plurimum contineri. *Eod. lib. & c.*

Spiritum craſſa, ac denſa concludi tunica eſt neceſſe. *lib. 6. de vſu pa t. cap.* 10.

Spiritus tenuis eſt, leuis, ac citus, ob id ne hic expiraret repentè, atque euolaret, craſſis, & denſis, & vndique conſtrictis tunicis, vt aſſeruaretur indiguit. *Lib. 6. de vſu partium cap.* 10.

Ad ſpiritus animalis nutritionem, inſpiratione, & expiratione opus eſt. *lib. 1. de diff. reſp.*

Quibus ſpiritus animalis euacuatur, & ob id cita renutritione opus habent, ij non ſolùm valde, ſed & citò & denſè ſpirant. *lib. 1. de diff. reſp.*

Spiritum animalem optimum, atque puriſſimum eſſe conuenit. *lib. de vtil. reſp.*

Spiritum in ventriculis cerebri contentum, animalem Galenus vocare ſolet. *lib. 3. de plac. Hip. & Plat.*

Spiritus animalis, qui in ventriculis continetur cerebri, parua quadam ex parte fortaſsè, ex iis etiam, quæ ad ventriculos ipſos pertinent venis gignitur: maximum vero, ac præcipuum ortum huic, arteriæ illæ, quæ ſunt ad reticularè in fundamento cerebri ſitam texturam, ſuppeditát, à corde ipſo ortum habentes. *Li. 3. de decretis Hip. & Plat. ad fin.*

Spiritus animalis nutritionem, & pulſui, & reſpirationi communem eſſe. *lib. de pulſ. vſu.*

Spirituum animalem in cerebri ventriculis oriri, atque idcirco eò coire, & arteriarum, & venarum non paruam multitudinem. *lib. 7. de placit. Hipp. & Plat.*

Spiritum animalem, neceſſarium eſt nutriri ab aëre per inſpirationem, attracto. *lib. de vtilit. reſpir. cap. 5.*

Spiritus animalis ſubſtantiam nutrit reſpiratio. *Lib. de cauſis reſpir. ad principium.*

Spiritus animalis in ventriculis cerebri anterioribus, aſſiduò nutriri poſtulat. *Lib. de vſu pulſuum.*

Spiritum animalem inſpiratione nutriri, tradũt & Hippocrates, & Eraſiſtrati ſectatores, ſed nõ eodem modo. Nam

Eraſi-

Erasistrati sectatoribus ex corde per arterias ad cerebri mébranas: Hippocrati verò, per nares statur in cerebri ventriculos peruenire attractum spiritum. *lib de vtilit. respir.*

Spiritu à corde allato non valdè cerebrum opus habet. *lib. de vtilit. respir.*

Spiritui animali, ex inspiratione per nares, potissimam alimenti partem accedere. *lib. de vtilit. respir.*

Principium alimenti spiritus, os, nares, guttur, pulmo, & alia respiratio, ab Hippocrate dictum. *lib. de vtilit. respir.*

Spiritus animalis alimentum, in mirifico illo plexu retiformi præparari, qui ad basim cerebri situs est. *Lib. de vsu pulsuum.*

Spiritum animalem, in motu voluntario consumi. *Lib. de vsu pulsuum.*

Spiritus animalis consumitur in exercitationibus, & immodicis per halitum digestionibus, influxionibúsque intrò vergentibus, *Lib. 1. de causis pulsuum, ad fin.*

Spiritus animalis visorius, vel ad vnguem purus est, vt æther, vel nebulæ ritu humidus, ac turbidus. Præterea in modo substantiæ, vel plus eius habetur, vel minus. Acsi quidem multus est, & æthereus, etiam quæ longissimè absunt videt, ac perfectè discernit. Sin paucus est & purus, quæ propè sunt exactè dignoscit: quæ procul absunt, non videt. Quod si humidus, multúsque est, longissimè quidem videt, sed non exactè. Sicuti etiam si humidus simul exiguúsq; est, nec eaxctè, nec longissimè videt. *Lib. 1. de sympt. caus. cap. 2.*

Spiritus visiuus, primo incursu cum ambiente aëre vnitur, atque ipsum contactum ad naturæ suæ proprietatem alterat, atque immutat, non tamen vlterius, latiúsque extenditur. *lib. 7. de placit.*

Spiritus, qui in arteriis est, vitalis & est, & dicitur. *lib. 7. de placit. Hipp. & Plat.*

Spiritus vitalis, & in arteriis, & in corde gignitur, materia generationis ex inspiratione, & humorum exhalatione sumpta. *lib. 7. de placit. Hipp. & Plat.*

Spiritus animalis è vitali oritur spiritu, perfectiùs concocto. *lib. 7. de placit. Hipp & Plat.*

Spiritus naturalis si sit, in iocinore gignitur. *Lib. 12. meth. med. cap. 5.*

Spiritus & sanguis materia sunt, in qua habitat calor

naturalis.*lib.2.aph.com.1.*

Spiritum, ac sanguinem eò tendere, vbi natura aliquid violenter excernit.*lib.5.aphor.com.53.*

Spiritus & sanguis, duo sunt instrumenta, quibus natura vtitur, dum ea quæ infestant per vim expellit. *Lib. 5. aph. com.53.*

Spiritus cum semine miscetur. *Lib.5.aph.com.53.*

Spiritus vitalis excretio, exsolutionem & animi defectũ parit.*lib.7.aph.com.8.*

Spiritum animalem, materiam propriam esse animæ, vult Gal.*lib. Quòd animi mores corpo.temper. sequantur.*

Spiritus principaliora instrumenta, pulmo, cor & thorax. Mox arteriarum genus duplex, vnum à sinistro cordis vẽtriculo, in vniuersum corpus propagatum: alterum quod earum est arteriarum, quas asperas vocant. *Lib. 7. de anato. administr.*

Spiritus naturalis sicco, humidóque alimento proportione respondet.*lib.2. de plac. Hipp. & Plat.*

Non spiritus substantiam, sed qualitatem potius cordis ex vsu esse, vt potè quod refrigerari appetat. *Lib. An s. n .. is in arteriis natura contineatur.*

Spiritus substantiæ aut nihil penitùs, aut ad modùm parùm, in cor transsumitur. *Lib. An sanguis in arteriis natura contineatur.*

Spiritus omnium quæ in corpore sunt, leuissimum, atq; tenuissimum est. *Lib.3. de fac. nat.*

De semine genitali tam maris, quàm fœminæ, generationis nostræ monente principio.

CAP. XVII.

INfirmã esse hominis naturã, ipsa generationis nostrę principia, semen genitale, & mẽstruus sanguis abundè indicare videntur. Ex his enim caducis, & fluxis initiis omnis hominum origo, omnis nostra generatio, & naturæ omnis humanę seminarium profluit. Vt haud immeritò Pliniana conquestione, queri mihi nunc de semine tractaturo liceat, qua ille misereri se, atque pudere ingenuè est professus, æstimantem quàm friuola esset animalium superbissimi origo. Quæ recta si reputemus via, verissima deprehendemus. Quid enim genitali

Plin. libr. 7. nat. hist. cap. 7.

nitali semine infirmius? quid mutationi, alterationi, ac deniq; corruptelæ magis obnoxium? Proinde minimè mirum, quòd ex tam leuibus sit initiis, atque momentis, & cœptum, & materiatum, id fragile, imbecillum, tandémque mortale esse effectum. De semine itaque genitali hoc, futura nobis in præsens tractatio est. De hoc inquirēda hæc sunt. Quid semen ipsum sit, & quæ illius natura: quo à genitura differat: num à toto corpore decidatur, & num vt opifex tantùm, num vt materia fœtum ingrediatur: semen muliebre, quid generationi seruiat, semen animatum sit nec ne, Aristotelis, Athenæi, & Galeni de semine, & sanguine menstruo controuersa sensa dissoluere. De natorum ad parentes similitudine, num à semine proueniat. Cur è semine orta membra, deperdita instaurari minimè possint. Quibus breuissimè absolutis finem tractationi imponemus. Semen itaque Galenus nihil aliud esse, quàm sanguinem in venis, quæ ipsum continent exquisitè confectum, lib de semine secundo expressit. Zeno Citteus ita definiuit, vt sit semen, hominis abstractum, ac maiorum generis mistura, quod homo, cum animæ parte humida trāsmittit, vtique tale existens, quale id, à quo excretum est. Autor definitionum medicarum, semen esse humorem in vasis, quę à testibus exoriuntur contentū, calido spiritu constantē, ex quo nasci hominem licet. Medicorum scholę, semen seu sperma definiunt, superfluitatem vtilem vltimi alimenti sanguinei, in partes distributi. Nonnulli spiritum calidum in humido, qui ex seipso moueatur, ac gignere tale potens, quale id à quo emissum est. Ac proinde auulsum materialis animæ partis, cum spiritu, id quod semen vocamus esse volunt. Mirum profectò tantulæ rei tantam inesse vim, vt ex ea cuiusuis generis animantes creari, ceu è fonte perenni quodam valeant. Vnicum sanè perpetuæ propagationis, atque subsistentiæ rerum præsidium. Nisi enim in semine, propagatrix illa vis, specierum conseruatrix abdita esset, deficere breui temporis spatio animantia cuncta cerneremus. Rerum itaq; perennitati prospiciens bonitate sua Deus, humiditatem quandam in nobis esse voluit generis seruatricem, qua cùm in singularibus consistere animantium naturæ nequirent (ætatis enim progressu, aut morbo perire singularia planè videmus) in specie, ac sui quæque generis propagatione permanerent. Ob id concumbendi desiderium, miramque in con-

Semen quid.

cubitu voluptatem animantibus indidit, vt ea illectę, sui quęque generis animantes, ad generis propagationem, seminis emissione excitarentur. Hæc seminis natura est, vt tale quid actu efficere possit, quale id à quo excretum est. Est enim semen potentia animal, veluti sulphur potentia ignis, vt rectissime Zeno, abstractum hominis, semen genitale illius esse dixerit, ac maiorum generis misturam, ab homine cum parte animæ humida transmissum, tale vtique existens, quale id vnde emissum est: potentia scilicet homo, vt equinum, & bubulum semen, potētia equus, & bos dici rectissimè potest. Quod cùm ita sit, procreare semper simile illi potest, à quo auulsum est. Inde semen genitale promptuarium specierum, à quodam non iniuria appellatum est, vt à quo species omnes prodeant. A genitura autem eò semen distat (quod secundo loco dicendum proposuimus) quòd genitura autore Aristotele id sit, quod à generante proueniens, causa est quæ prima obtineat principium generationis, videlicet in iis quæ coire natura voluit. Semen autem id quod ex ambobus coëuntibus illis originem trahit, quale & nonnullorum animalium est: in quibus non distinctus, seorsúmque cōstitutus sexus maris & fœminæ est. Est enim seminis, quàm genituræ latior vsus, & acceptio. Siquidem & plantis, & insectis animātibus, seminis nomen accommodamus. Ex semine enim non ex genitura plantas prouenire, rectè dicimus, atque item imperfectorum animalium pleraque vt bombices, locustas, formicas, & id genus multa, atque semen ipsum, & effectuum principium, & materiam generationis quodammodò designare videtur, vt paulò post de mente Galeni explicabimus: Genitura verò & perfectioribus tantùm congruit animantibus, & contractius est, quàm vt plantis, & insectis conuenire possit, efficiens tantum principium, non etiamnum materiale significans. Genitura enim id est, non quæ substracta est animali generando materia, sed quæ generationis à principio interno est effectrix substantia. Ac proinde impuberum semen genituræ nomine non dignamur quòd generandi facultatem non habeat, & si semen sit & habeatur, sed infœcundum, & minimè prolificum Atque hæc seminis, & genituræ discrimina sunt ex Aristotelis promptuario desumpta. Esse verò semen excrementū vtile postremi alimenti, vt concors est medicorum omnium consensus, illud maximè indicat, quod

Libr. 1. de gener. animal. c. 18.

Genitura quid.

Ex Arist. vbi suprà

quòd cùm neque pars aliqua sit corporis, neq; præter naturam sit, cùm & in omnib. insit, & natura ex eo ipso oriatur, superest vt vel alimentum sit, vel colliquamentum, vel tandem postremò excrementum: quid enim aliud ab his esse possit, inuenire non est. Atqui alimentum res aduentitia, non insita est, cùm semen insitum sit, non erit itaque alimentum. Ac multo minus colliquamentum, quoniam cum omne tale præter naturā sit, nec quicquā secundum naturā oriri possit, ex iis quæ prçter naturā sunt, ex semine verò, quç sec. naturā sunt, generentur, efficitur, vt colligamentum esse non possit. Etsi id veterū nōnulli sunt opinati, existimantes, quod ex toto secedat corpore, propter motus calorem vim colliquamenti habere. In eo tamen decepti, quod quæ colliquantur, à forti, & violento calore, eóque extrario, non ab interno, & commoderato fieri non animaduerterunt. Ob quam causam eliquatum per æstatem in nobis sudorem, Diocles præter naturam esse arbitrabatur ita primo Apho. com. 15. referente Galeno. Erit itaque semen excrementum. At excrementum omne, aut alimenti inutilis est, aut vtilis. Inutile id vocat Aristoteles, à quo nihil prætereà naturæ suppeditetur, sed quo plus absumitur, eò magis natura vitiatur: vtile contra, quod commodi plurimum ab eo naturç suppetat, eo reddatur vegetior natura. Inutilis porrò alimenti excrementum semen esse nequit, eo quod iis qui vel çtate, vel morbo præter naturam se habent, genus hoc inutilis excrementi plurimum insit, semen autem minimè, cùm aut nullum omnino, aut non prolificum obtineant, propter inutilis, & morbidi excrementi permistionem. Ergo vtilis excrementi pars aliqua semen erit. Vtilissimum autem, quod vltimum est, ex quo iam vnumquodque gignitur membrum. Hæc seminis natura, hçc vera ratio est. Num vero à toto secedat corpore, num à genitalibus tantum partibus, aut à cerebro (qua de re magna inter Aristotelem, & Galenum, atque Hippocratem dissensio est) modo videndum. Hippocrates certe ab omnibus corporis partibus procedere semen, conceptis verbis est testatus. *Quod enim (inquit) semen genitale ab omnibus corporis membris procedat à sanis quidem sanum, à morbidis morbosum, fiátque vt ex re, aquit, calui caluis gignantur, ex cæsiis cæsij, & vt plurimum distortus distortum generet, eadémque ratio sit circa reliquas formas.* Hæc

Lib. I. de gene. animalium c. 18.

Semen an à toto secedat.

Lib. de aëre, aquis, & locis.

lib. de aëre, aquis, & locis. Lib. verò de genitura idipsum explicatius cõfirmans, sic ait: *Porrò genituram dico à toto corpore secerni, & à solidis & à mollibus partibus, & ab humido omni in toto corpore.* Ex his vtique Hippocratis locis abundè constat, quid ipse de seminis manatione senserit. Vult enim à toto corpore secerni genitale semen: non à solidis solùm, & mollibus partibus, sed ab humido omni, quod corpori insit. Eò fieri idem arbitratur, vt à sanis parentibus sanum, à morbosis morbosum procedat semen: sicque calui caluos, cæsij cæsios, distorti distortos generent. Id profectò sensuum fides apertè confirmare videtur, quæ vna omnes omnium aduersantiũ rationes euertere potis est. Vbi enim aliud ratio, aliud experientia indicant, vni tum experientię innitendum, vt sen. 4. pri. c. 20. conceptis verbis voluit Auic. Quæ enim sensibus exposita, sui fidem faciunt, ea (vt ait Galenus) ex se probata satis sunt. Quamobrem cùm experientia duce constet à mancis mancos, à podagricis podagricos, ab elephanticis elephanticos gigni vt plurimùm, imò filios parentum referre in membris peculiaribus, peculiares etiam notas, vt alij simo naso, alij recuruo, alij facie tota, digitis, manibus, incessu etiã, voce ac habitu totius corporis parentes referant, an non ex toto successisse semen magna ratione fatendum erit? Refert Aristot. in Calcedone cùm cuiusdam pater brachio esset cõpuncto, filium ex eo natum idem retulisse cõfusa tamen nota, minúsque explanata. Non solùm enim rebus naturæ insitis, & natiuis liberi similes parentibus prodeunt, sed etiam aduentitias, atque externas præsentant. Visum enim est, cùm parentes notas quasdam, quadam sui corporis parte haberent, & filios quoque, eadem sui corporis parte easdem retulisse. Nisi enim à toto genitura manaret, non peculiares parentum in membris notas referre vsquàm possent. Quin & illud, à toto manare semen ostendere planè videtur, quod ex nimio concubitu, non vnius tantùm partis aut plurium, sed vniuersi corporis collabi vires cernamus. Cur id? quòd à toto decessio fiat. Quam vtique rem inquirens in problematis Aristot. sic de tota re censet. *Quare* (inquit) *qui concumbunt, resolui, atque languere, magna ex parte solent? An quòd semen omni ex parte corporis secretio est?* Itaque vt ædificij cõstructio, sic corporis compactio quatitur, dum semen decedit. Dissolui à concubitu corpus vniuersum arguere profectò videtur, ab omni

Libr. 2. de plac. Hip. & Plat.

Lib. 1. de generat. animalium. cap. 17.

Quarta proble. Sect. proble. 22.

omni corporis parte secedere genituram: perinde atque maxima nos etiam perfrui in ipso concubitu voluptate, quam cùm maximam sentire nos vniuerso corpore (sed genitalibus tamen partibus præcipuè magis) deprehendamus, à toto fieri secretionem, opinandū hercle est. Sed id virtute magis & potestate, quàm mole intelligendum est. Nam cùm genituram à toto manare pronuntiamus, ita intelligendum duco, vt membrorum omnium virtute, ac potestate semen decidat: non autem, vt mole sua semen ab omnibus secernatur. Quomodo enim tantula seminis moles, quantula in concubitu secernitur ab omni corpore manaret, si à singulis corporis partib. seminis aliquid deflueret? Ingentem profectò seminis copiam toti corporeæ moli respondere omnino oporteret, si ab omni corpore, mole, non virtute potius manaret. Genituram enim à toto manare, non aliud certè est, quàm omnium virtute membrorum decidere, ab omnibusque ipsā partibus notas aliquas referre. Vnde eorum virtute manasse, dici merito possit. Ea causa est, cur cæsij cæsios, distorti distortos generent: quòd è singulis corporis partibus aliquid viriū, & singularis notæ semini impartiatur. Quam secum à parente vnde exiit trahens, semen similem fœtui formando tribuat. Quæ docta Hip. cùm lib. de genitura, tum lib. de aëre, aquis, & locis mens fuit. Sic itaque à toto corpore manare semen, ex veri sententia proferendum. Num vero vt opifex tantùm, an vt materia fœtui seruiat, quod quarto loco ad inquirendum propositum est, nunc disseremus. Magna enim inter Arist. Hippocr. & Gal. ea de re contentio est. Quam nos ad veri fidem explicare, pro nostra virili conabimur. Hippocrates certè, non vt opificis tantùm rationem subiens, genitale semen fœtui seruire, sed vt materiæ, scribit. *Si genitura* (inquit) *ab vtrisque permanserit in vtero mulieris, primùm quidem simul miscetur, vtpote muliere non quiescente, coaceruaturque, ac crassa per calorem euadit. Deinde spiritum concipit, nempe in calido existens, & postea matre spirante, & cætera.* Ex hoc quidem loco quænam de genitali semine in fœtus procreatione Hippocr. mens fuerit, elici facillimè potest. Vult enim primū quidem ab vtrisque, mare inquam, & fœmina, semen in vterū proiici, proiectúmq; misceri, crassescere, & coaceruari, spiritúmque tandem concipere. Quod si inuicem, & maris, & fœminæ semina misceantur, exque miscella huiusmodi men-

an semē vt opifex an vt materia fœtui seruiat.

Lib. de nat. pue.

ſtruo poſtea mulieris accedente ſanguine, fœtus conſiſtat, nónne genitale ſemen materiæ in eo fingendo, rationem ſubibit? Nam etſi plus in eo virium, & potentiæ in formando fœtu, quàm materiæ ſit inuenire, in menſtruo plus materiæ, minùs potentiæ, in vtroque tamen vtrumque, ſed diſpari ratione contineri, ipſa fœtus ex his procreatio docet. Quod ſumus magnis rationibus edocturi, ab eo principio exorſi, vnde totius futuræ tractationis, ceu è fonte quodam manare rationem arbitramur: nempe ex vniuſcuiuſque rei experientia, vnde ſumendas eſſe, ad quiduis demonſtrandum aſſumptiones, Ariſtoteli, atque Galeno eſt perſuaſum. Conſtat itaque ipſa experientiæ fide cunctis animantibus, fœminis quæ concepturæ ſint, intus in vtero retineri à concubitu ſemen, non excerni. Quod & ipſum plena fide ipſum conceptionis nomen indicat. Tum enim concepiſſe fœminam dicimus, cùm à congreſſu iniectum in vterum ſemen continet, ac comprehendit. Id enim conceptio eſt, ſeminis inductum in vtero comprehenſio, atque retentio. Vnde inditum perquàm commode mulieribus nomen. Cùm itaque contineri in vtero ſemen (ſi conceptura mulier eſt) perſpectiſſimum ſit, an mox excerni, an totum in ſpiritum diffIari, vt Ariſt. arbitratur, dicemus? Neutrum profectò, vt exactiſſimè Gal. in Ariſt. libr. de ſemin. 1. oſtendit. Quid igitur? Opificisne tantùm rationem in pangendo fœtu obtinere, an quicquam ex illo in fœtu gigni aſtruemus? Gal. certè magnis rationibus docet venam, arteriam, neruum, à ſemine, ceu propria materia, non à ſanguine menſtruo procreari. Generationem enim his à ſemine, eſſe eo potiſſimum contendit, quòd exanguia hæc ſint, & ſatis magnam diſtentionẽ admittant, & colore alba, & conſiſtentia lenta ſint, prorſúſq; ſeminis ſpeciem, atque naturam, non ſanguinis referentia. Non enim eſt albus, neque lentus, neque adeo craſſus ſanguinis ſuccus, vt ſi & intendatur, & fiſtulæ in modum perforetur, ad venas, & arterias conſtruendas poſſit in ſua continuitate perſtare. Ned dici commodè poteſt, iſthæc quæ modò receſuimus mẽbra, à ſanguine ipſo, verùm à natura immutato, atque alterato confici, vt è rubro in album, è tenui in craſſum mutatio fiat. Fruſtra enim id niti videretur natura, quæ inſitorum motuum nũquam obliuiſcitur, cùm ſanguinẽ talẽ ab

Libr. 1. de ſemin. c. 5.

ab initio efficere conaretur, quale à principio semen habebat. Quod si (vt vult Arist.) protinus vt mẽstruo sanguini motionis principium dedit, foras eijcitur semen, inque illius vicem alterum quendam similem succum album, crassum, ac lentum ex sanguine natura gignit, semine profecto opus non fuit. Nam vel hanc ipsam, hujus substituendi humoris, semini quàm simillimi, facultatem ex seipso habet sanguis, aut à semine genitali accipit. Si à seipso habere dicatur, iam seminis nullus erit in conceptu vsus, cùm citra ipsum similis gignendi humoris sanguis à semetipso facultatem habeat. Sin ex semine facultatem hanc nanciscitur, cur semen sanguinis ministerio vtatur in his formandis membris, quorum ipsum effingendorum, ex seipso facultatem habeat. Vt enim neruus, arteria, vena edantur, semen à seipso, non ab alio facultatem accipit. Est enim vitali spiritu plenum. Oportet itaque (si vera sit Arist. opinio habenda, qui semen vt menstruo sanguini motionis principium dedit, euanescere, atque in spiritum versum dissolui astruxit) vel facultatem, vel corporea mole seminis reiecta, alio quodam in illius vicem vsam fuisse naturam. At neutrum dici verè potest, cùm semen ipsum vim, & facultatem sanguini (vel autore ipsomet Arist.) tribuat, & substantiam habeat ad primatum partium formationem valdè accommodatam: nerui dico, arteriæ, venæ. Equidem cum natura comparatum sit, vt trium horum instrumentorum exanguis sit substantia, talem profecto genitale semen habet. Cùm item crassa, ac lenta, hanc quoque in semine magis, quàm in sanguine inesse reperiemus, si talem, quæ & extendi & perforari, vel longis spatijs sine ruptionis periculo valeat, quænam substantia alia ad hæc semine accommodatior (vt quæ lenta, ac tenax abunde sit) inueniri vsquam poterit. Omnia igitur quæ ad horum vasorum constitutionem, generationémque necessaria sunt, in seminis substancia collecta inueniuntur. Vt non aliunde ipsa, quàm à semine genita fuisse dici verissimè possit. Vnde & membranæ, & ossa, & cartilagines, & copulæ, & tendones vt sint, suáque ipsorum quodque substantia constet, semini genitali adscribi merito debet. Referunt enim isthæc omnia, seminis vnde manarunt speciem, atque naturam, vt è vuluis eijci semen, non in ipsis perstare falsò dixisse Arist. sit visus. Cùm tam multæ ex ipso formen-

lib. de gen. anim. 2. c. 3

Lib. 2. de gē. ani. c. 5.

tur primæ,simplicésque partes à quibus reliqua omnia mẽbra gubernantur:vnde consequi illud planè videtur vt semen non opificis tantùm rationem subeat, sed constitutæ etiam formæ (nempe fœtus geniti) pars aliqua sit. Quantacunque enim seminis pars vuluam attingit,ea statim membrana efficitur,vt ex Hippoc.serie lib.de nat.infantis colligi apertissimè potest,ancillæ psaltriæ,quæ sexto à conceptu die genituram proiecerat,historiam recensentis. Manere enim in conceptibus semen,moxque membrana circundari testatur, exploratissimum illud vt sit, genitale semen constituti fœtus partem aliquam fieri. Quod nobis aduersus Arist.mentem erat probandum.

Superest modo explicandum illud, num muliebre semen in fœtus constitutione opis aliquid afferat. Quod quinto loco explicandum proposuimus. Arist.rerum naturæ scientissimus,fœminas semen non emittere,nec ab ipsis genituram in conceptibus conferri,testatissimis verbis cùm 1.tũ 2.de gen.animal.lib.astruxit. Contrà libr.de sem.1. Gal.magnis rationibus tum præcipuè dissectionum, & experientiæ fide, fœminas non solùm semen in concubitu cum mare eiaculari:verùm & quoque magno vsui ipsum esse,in vniuerso constituendo fœtu contendit. Quod & ego quoque verissimum esse arbitror,& ijs,quæ sensuum iudicio constant maximè consentaneum. Equidem cùm genitale maris semen vuluam omnino implere nequeat(non enim exiguitate sua, & fundum,& illius processus,quę cornua vocantur aspergere potest)mirabile quiddam in eo machinata est prouidentissima natura,vt quæ fœmineo semine virtutem omnem hanc subleuerit,ad quam virile semen pertingere non potest. Matricis enim processibus, vtrinque vas seminarium est adiunctum,ex fœminæ testibus procedens,à quibus vasis fœmineũ eiaculatur semen;muliere cum viro concumbente,inque vteri sinum vnà cum virili semine effunditur, illique admiscetur. Inde vbi admixta sunt ambo semina, membranulis copulantur,quas motu suo atque progressione fœmineum semen parit,vt membranulis his,crustulis quàm simillimis,foueri in vtero genitura possit. Atque hunc vsum virili semini, fœmineum semen præbet. Frigidius enim cùm sit maris semine,cogi in membranam faciliùs potest, tum etiam virili semini est alimenti instar. Tenuius enim ipso cùm sit,& frigidius

Cap.19.

gidius, accommodatius ad alimentum præstandum, quàm quiduis aliud est. Eiaculari porro à mulieribus semen, vnáque cum maris semine commisceri, vbi concepturæ sunt, ipsa sensuum fides plenè indicat. Testantur enim mulieres, quandã se sentire in vulua cõmotionem, ac veluti comprehensionem quandam seminis, vbi concepturę sunt: & voluptate se plurima perfundi, dum semen eiaculantur. Qui quidem motus non à mulieribus solum, sed à viris in concubitu percipitur: vt manifestissimum sit, & fœminas semen emittere, & hoc ipsum semen fœtui magno vsui esse. Præterquàm quod in dissectionibus apparet, cornua quæ dicuntur, atque processus, in his quæ parere adhuc animal possunt, genitali semine albo, atq; crasso, vt plurimum referta esse. Quamobrẽ verissimũ illud erit, quod est ab Hippocr. lib. de nat. infantis proditũ, ab vtrisque, mare inquam, & fœmina semen emitti, vnaque commisceri, exque ambobus coniunctis, & alteratis fœtum constare vt locum iam hac in parte non habere Arist. videri meritò possit, qui à fœmina semen non emitti, nec amborũ mistura generari fœtum, c. 18. 1. de gen. animal. lib. nimis arroganter, & contra veri fidem astruxit: cum huic opinioni ipsa rerum experientia (demonstrationis omnis fundamentum, & basis) tum & ea quæ in dissectionibus vuluæ apparẽt, tum denique Hippocra. Gal. & omnium medicinæ autorum probatissima dogmata, atque demonstrationes reclamare, aduersaríque ex diametro plenissimè videantur. Nec est, quòd rationes Arist. plenius redarguendi occasionem nunc sumamus. Esset enim id, & longioris temporis, & maioris otij opus. Sat supérque fuerit, è medicorum sensis veram fœtus ex seminibus compositionem demonstrasse, & ad id quod sequitur orationem vertamus. De semine porro inuestigandum illud restat, sitne ipsum animatum, an prorsus anima careat. Rem totam compendio Arist. bellissimè explicat, asserens potentia quidem ipsum tum habere, animam, tum motu peracto partem animantis ipsum existere, eandémq; animatam. Eius porro verba hæc sunt: *Omnia* (inquit) *quæcũque aut natura, aut arte efficiuntur, ab eo quod actũ est, fiunt ex eo, quod potentia tale est. Semen igitur* (subdit) *tale est, motúmque habet, & principium tale, vt motu peracto pars existat quæque, eadémque sit animata.* Et rursus sub cap. fin. *Sed habeátne semen animam nécne, ratio eadem, atque de partibus reddita est. Nec*

An semen animatũ
Libr. 2. de gẽ. ani. c. 1.

enim anima vlla esse potest in alio, nisi in eo cuius est, neque pars vlla esse potest, quod partic eps anima non est, nisi æquiuocè, vt mortui oculus. Semen igitur (ait idem) *& habere animam, & esse potentia palàm est.* Hæc Aristo. summi semper philosophi, de seminis animatione se digna sententia. Non enim actu habere semen, animam, aut esse, verissimè certè protulit: potentia habere, animatúmque fieri, vbi absoluto generandi motu, qui à semine proficiscitur pars fœtus factum fuerit. Cùm enim vitali spiritu plenum sit, aptitudinem maximam, vt animetur habet: perinde atque sulphur potentia ignis dicitur, vt qui pronitate suæ ipsius naturæ, atque substantię, facillimè ignem excipiat, ipsumque ignis fiat. Atque hæc hactenus. Sed cur nati parentibus similes euadant (quod & ipsum seminis dominio acceptum referri volunt) vt modo mares matri, fœminæ patri, quàm simillimæ sint, modò contrà: mares quidem patrem, fœminæ matrem referant maior quæstio multóquę difficilior, si vnà & id explicuerimus, cur auis, atauísque interdum atque maioribus similes ieri nepotes euadant. Hæc omnia quàm poterim⁹ breuissimè perstringere conabimur, hinc facto initio, similitudinem hoc loco nihil prorsus aliud esse, quàm alienæ formæ in seipso expressionem. Id enim quodcunque alterius gerit speciem, illius aut formam, & figuram, aut qualitates quasdam repræsentans, illius simile esse dicitur. Vnde est illud celeberrimi Poëtæ:

Cur nati parentibus similes.

Similitudo quid.

Sic oculos, sic ille manus, sic ora gerebat.

Similitudinem porro natorum ad parentes, ex membrorum formatione existere, lib. de sem. 2. abundè docet Gal. *Similitudo* (inquit) *ex membrorum formatione existit, non quantum ad communem speciem, sed quantum ad differentias quæ speciei accidunt. Quippe cùm communis species hominem, equum, bouem, constituat: membrorum verò differentia ea sit, quæ aduncum, aut simũ facit, in quo similitudo, & dissimilitudo omnis ad parentes consistit.* Ex qua verborum serie illud constat, non ex iis, quę speciem constituunt, sed ex differentiis, quæ speciebus, seu magis singularibus accidunt, quòd hic albus, niger alter: hic adunco, ille simo naso: hic cæsiis oculis, nigris alter, ex iis inquam differentiis, similitudines natorum ad parentes desumi. Sed vnde ea similitudo emanet, num à materia, hoc est menstruo, vt Athenæus quidem, vel autore Gal. cenśebat, num potius

Cap. 1.

Libr. 2. de sem. cap. 1. circa fin.

à semine, illiúsque in fœtus procreatione dominio, vt Gal. c. 5. libr. 2. de sem. astruxisse est visus, paucis inquirendum. Sed à menstruo procedere non posse, illud argumento est, quòd natos omnes similes matri esse, omnino oporteret, patri neminem, quum tamen alterutris similes nasci videamus. Si enim menstruum similitudinem nato præbet: à fœmina autẽ tantùm menstruum, non à viro: consequens profectò est, semper natum matri esse similem oportere, quum ab illa similitudinis originem trahat. Quod cùm falsissimum sit, dici certè non potest, à menstruo similitudinem nasci. A semine vero congruentius similitudinem procedere dici potest. At si semen tantùm effundit mas, non etiam fœmina (vt Athenæus & Arist. existimauerunt) nunquàm similes matri pueri nascentur, contra quàm fieri experientia ipsa docet. Non igitur ex horum assumptionibus, similitudinis causas venari vsquam poterimus: cùm tam Athenæus, quàm Aristot. falsis nitantur assumptionibus, nempe à solo mare, non etiamnum fœmina semen effundi: & à formatrice, quæ in semine est facultate, partes quidem fieri, sed eas hac vel illa constare figura, colore, magnitudine, à materia id habere, nempe menstruo. Nasum enim (vt in exemplo dicam) ab opifice, rectum aut aduncum effingi, à materia fieri sic, & oculum à seminis facultate, oculum cæsium vel nigrum à materia: cùm tamen eiusdem sit facultatis, & partes fabricare, & easdem hac vel illa forma, atque figura ornare. Veluti artifex statuã ex ligno fingens, aut luto, nequaquam ipse nasum, aut oculũ fabrefacit, eúmque posteà materiæ, aut rectum, aut aduncũ formandum relinquit, sed ipsemet opifex, & partes format, & suis quamque figuris exornat, nihil materiæ relinquens. Non enim ipsius est agere, sed opificis tantùm. Atque hęc eò tantùm à nobis dicta in præsens sunt, vt hac parte Athenæi, & Aristot. sensa confutaremus, quod facturos nos polliciti sumus. Qua de re plura qui scire volet, Gal. lib. de semine 2. cap. 5. adeat. Ad causas vero similitudinis, vel dissimilitudinis natorum, ad parentes propius reddendas accedamus. Illud autem in primis constat, vtrisque parentibus similes edi partus. Quod si vtrisque similes eduntur, ex communi quæ vtrisque inest causa, similes reddi est omnino necesse. Atqui si ex cõmuni, quod ambobus inest principio, similes procreãtur, vel ex seminis, vel menstruorum substãtia fieri id oportet

at menstruorum substantia communis minimè est (fœminæ vtique propria) ex semine igitur similitudo proueniet. Similitudo siquidem ad parentes, ex principio existit, id autem semen est. Itaque si à semine similitudo prodit, multos autem matribus quàm simillimos nasci videmus: fœminam igitur emittere semen (vnde puero ad matrem similitudo constet) erit omnino necesse, contra Arist. & Athenæi assertionem, qui à fœmina nullum emitti in conceptibus semen asseuerabant: cùm contra semen ipsam habere, sensibus credendum sit. Nec opinione vlla, quantumuis magnis subnixa rationibus, veritatem rei quæ extat, labefactandam. Nisi enim semen, & testes haberet fœmina, ne coitum quidem profectò appeteret. In id si quidem complexũ desiderat, vt semen, quo locelli turgent, excernat: cuius sanè diuturniore mora fieri videmus, vt vteri strangulatu ipsæ tẽtentur, vti in vidua illa hysterica vsu venisse comprobat. 1. de semi. Galen. quam plurimo excreto, tum crasso, tum copioso semine, à symptomate liberatam fuisse scribit, & nos idipsum in dies experimur. Partum itaque ei similem reddi cuius semen præualuerit, vult omnino Gal. Itaque si maris semen præualeat, & mas nascetur, & (nisi aliunde impediatur) patri similis efficietur: Contrà si fœminæ, fœmella, eaque matrem referens gignetur, similitudinem nempe formæ ad alterutrum parentem, ex fictrice, ac formatrice facultate, quæ in vtroque semine (maris inquam, ac fœminæ) continetur, existere, confiteri omnino necesse habemus. Sed quãdo mas, quando fœmina procreatur? Mas quidem, tum cùm calidior, & siccior fœtus in vtero temperatura ex semine virili nata fuerit. Fœmina vero tum fiet, cùm frigidior, & humidior fœtus temperatura, constiterit. Speciem vero animalis (quod hic homo fiat, illud bos, asinus, equus, leo) sequi naturam, subiectæ ad animal generandum materiæ probat præcitato loco Galenus. Itaque trium similitudinum, tria statuere principia oportebit. Generis seu speciei animalis, ex materia vnde fit, formæ ex seminis motione, maris & fœminæ, ex vtrorumque principiorum temperamento, seminis inquam, & menstrui sanguinis. Similitudinem vero ad parentes ex seminum patris, ac matris ratione, ac prædominio cõstare. Hæc ex Galeni doctrina quæ de similitudine natorum ad parentes dicerem, habui. Sed etsi exactè multa hoc qui-

Cap. 1.

Libr. 2. de sem. c. 5.

quidem in argumento tradidisse Galenus sit visus, non omnia tamen expendisse, nec omnium nobis ea in re rationem reddidisse, videri potest. Qui nec causam, cur nonnunquam neque patri, neque matri similes, sed maioribus suis, nati euadãt, attulerit: nec cur interdum, nec parentibus, nec maioribus similes edantur, sed alienis, & exteris. Horum pulcherrimè causas attulit Aristoteles, quas ex illius ditissimo penu, proferre in medium non pigebit. Is igitur lib. 4. de generatione animalium, cap. 3. has similitudinis, aut dissimilitudinis natorum ad suos, tùm & procreationis maris, aut fœminæ adfert causas: nempe, cùm id in quo generandi virtus est, materiam nullatenùs impeditum superarit (id autem genitale viri semen est, à quo principium motus in generatione procedit) tum marem gigni: cùm verò superare non possit, nec materiam omnino vincere, quod aut ob ætatem iuuenilẽ, & generationi ineptam, senilemve, aut ob aliam eiusmodi causam fit, fœminam ob eam rem gigni est omnino necesse. Quoties enim seminale excrementum benè cõcoctum mẽstruis est (ait Arist.) motus maris agit pro sua forma. Itaque si superat, facit marem, non fœminam, & similem ei qui generat: omne enim agens in id tantum agit, vt quoad fieri potest, id quod materiæ loco est, quódque actionem excipit, simile sibi reddat. Optima itaque ratione, si maris semen probè concoctum in menstruis fuerit, & mas procreabitur, isque patri, non matri quàm simillimus erit: sed si non superat, iis quas anteà attulimus causis, pro ea qua non superarit facultate, defectum faciet, hoc est fœminam generabit. Nam cùm gignatur ex contrario vnumquodque, sit autem contrarium maris, ac veluti defectus fœmina, cùm principium non superarit, neque concoquere poterit, ob caloris inopiã, neque ducit in suam formam, sed tantisper superatur, mutari in contrarium necesse est: contrarium autem maris, fœmina, quã alterum mas, alterum fœmina est. Diximus ex Arist. mente cur mas, cur fœmina gignatur. Cur nati parentibus similes, dissimilesve euadant, modo promendum. Quod vt planiùs intelligi queat, altiùs repetenda rei tantę nobis initia erunt. Sunt autem hæc præcipuè, id quod generat, non solùm marem esse oportere, sed hunc quoque marem nempe Socratem, aut Coriscum, hoc est marem ea forma, magnitudine, membrorum lineatura, habitu, quæ Socrati, Coriscóve

insunt. Hinc profectò similitudinis initia ducuntur. Nam cùm facultatem habeat, quod generat, tale quid profectò generabit, quale ipsum est. Quomobrem cùm & generans homo sit, hominem certè procreabit, nec hominem solùm, sed talem qualis erat qui genuit, nempè simo naso, adũcove, cæsiis, glaucis, aut nigris oculis, recuruis digitis, aut rectis. Ex membrorum enim differentia similitudo, aut dissimilitudo omnis ad parentes nascitur, vt lib. 1. de semine Gal. Itaque cùm non soluuntur generantium motus, id quod gignitur generanti se simile semper euadit, mari mas, fœminæ fœmina: sed cùm soluuntur, tuum dissimilitudo sequitur, sic Aristoteles. Sed naturæ, aut generantium motus solui quid sit, minime certè explicat. Ego vero id esse censeo, vt tum solui dicantur generantium motus, cùm in id cuius gratia ordinati à natura sunt, impedimento aliquo ferri non possunt, nec eo peruenire, hoc est, generationis perfectæ finem (quo generantium motus properant) attingere non posse. Vt si arborum fructus gelu, aut vredine interueniente concoqui, & maturescere minimè queant, vel si ex optima arbore vitiosissimi fructus insipidive gignantur, tum enim solui in his naturæ motum rectè dicimus. Cur autem sic sæpe naturæ motus soluantur, in causa est, quod omne agens à patiente in agendo patitur. Vnde necessum quidem sit tantò agentis retundi motum, quanta videlicet vis fuerit patientis in agens. Videmus enim quod secat, hebetari ab eo quod secatur: quod calefacit, à calescente refrigerari: denique quodcunque mouet, excepto primo mouente, (id enim mouet, neque tamen mouetur, ex quo primum est) mutuo, ac repricoco motu agitari est omnino necesse. Interdum etiam id vsu venit, vt quod agit magis patiatur, quàm agat: cùm videlicet agentis vis imbecilla, eius vero in quod agit valida, & fortis fuerit. Tum enim agens, etsi actionem aggreditur, ita tamen à forti patiente retunditur, vt magis ipsum pati, quàm agere dicendum sit. Itaque rectissimè illud Aristoteles dixisse est visus, si motus eius qui generat soluatur, in superiorum, atque maiorum à quibus prognati sumus transitum fieri, hoc est aui, abaui & ataui. Maiorum enim propria, hoc est quæ in ipsis peculiares notæ sunt, ac delineationes in nepotum semine potentia insunt, in

Cap. 1.

Libr. 4. de gen. ani. c. 3. Loci Arist. explicatio.

eo

eo inquam semine vnde geniti nepotes sint. Ea causa est, cur interdum nepotes auis, non autem parentibus, qui se genuerunt similes edantur. Quod parentis motus solutus sit, degenerarit autem in eũ qui aui. Est enim auus patri proximus, qui nepotem genuit à quo nõnnihil in generantis semine proprium, ac peculiare deductum est, & in nepotis formam, atque substantiam translatum. Cur autem mares interdum matribus similes sint, hanc vult esse Arist. causam, quod motus, qui à mare est, superauit, & propterea genitus mas est, sed ob id matri non patri similis, quod motus qui à tali mare est, nempe Socrate, aut Corisco, non superauit: ac proinde genitus infans, etsi mas sit editus, tamen patrem non refert, quòd motus patris tanquam singularis in fœtu defuerit, vicerit autem matris motus, qua talis est, & propterea natus etsi mas, matri tamen similis est effectus. Contra verò ob id interdũ fœminæ patrem referunt, quòd motus qui à patre est, nõ quidem vt mas est, sed vt talis mas, népe Socrates superauit: & propterea femella quidem genita est, quod motus is, qui à mare erat superare non potuerit: similis autem patri effecta filia est, quòd motus à tali parente pro membrorum, & corporis habitu superstes in conceptu fuerit. Quod enim superat, id quod genitum est, similitudine semper ad se trahit: quod superatur, in oppositum perpetuò degenerat. Itaque vt similitudinum omnis exactè ratio teneatur, subiicienda hæc oculis sunt. Primum motus inesse alios potentia, alios actu: potentia quidem, vt in nepotibus maiorum vis, vt supra habitum: actu, vt in generante. Alterum quoties generationis motus soluuntur, degenerare in oppositum quod superatur, quæ causa est cur fœmina generetur. Tertium transire in motum proximum, id quod soluitur, & si modicè soluatur motus, in propinquum: si magis in remotiorem fieri discessũ: demumque ita confundi, vt nemini quidem suorum similes nati euadant, sed commune tantum relinquatur, vt homo sit, nec tamen suorum quempiam forma referat. Cuius rei causa est, quòd commune particularia consequitur omnia. Homo enim vniuersale est, Socrates pater. Atque hæc abditissima, & reconditissima similitudinum, ab Aristotele prodita ratio. Cur vero è semine genita membra restitui non possint, dictum abunde suprà capite de membris est.

De

De semine genitali, Hippocratis, & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

SEMEN genitale quum ab omnibus corporis membris procedat, à sanis quidem sanum, à morbidis morbosum prodit. *Lib. de aëre, aquis & locis.*

Semen genitale, ab omnibus corporis partibus manans efficit, vt ex caluis calui, ex cæsiis cęsij, ex distortis distorti generentur. *Li. de aëre, aquis & locis.*

Semen velut fauus ab vtraque parte vesicæ est. *Lib. de ossium natura.*

Semine genitali, vena quæ ad pudendum est expleta, voluptas accedit. *Lib. de ossium natura.*

Semine genitali, vena, quæ ad pudendum est, repleta, & calfacta semine deorsum confluente. *Eod. lib.*

Ex semine plantarum generatio fit, sic & hominis. *Lib. de natura pueri.*

Genitura siue semen, si ab vtrisque, hoc est, viro & muliere permanserit in vtero mulieris, miscetur primum, coarceruatur, ac crassa per calorem euadit, & spiritum concipit. *li. de nat. pueri.*

Genitura vbi spiritu repleta fuerit, viam spiritus ipse sibiipsi facit, & per mediam genituram spiritus forâs erumpit. *Lib. de natura pueri.*

Genitura in vtero calfacta spiritum habet, & emittit. *Lib. de nat. pueri.*

Genitura à matre spirante, spiritum habet. *Eod. lib.*

Genitura inflata pelliculam acquirit. *Eod. lib.*

Genituræ calfactæ, & inflatæ ex toto pellicula forinsecus circundatur. *Eod. lib.*

Genitura sex dierum eiecta qualis visa sit, ex enarrata ab Hippocrate historia, de ancilla cantatrice, legendum *Eod. lib.*

Genitura non egreditur, sed intus manet in ventre, quãdo conceptura mulier est. *Eod. lib.*

Genitura augescit à matre sanguine in vterum descendente. *Eod. lib.*

Genitura in vtero existens, semper à corpore trahit. *Lib. de natu. pueri.*

Genitura vbi in vteros illapsa est, primis diebus paucissimus sanguis à muliere in vteros venit, deinde copiosior. *lib. de nat. pu.*

Ge-

Genitura spirationem habere non posset, si aceruatim multus sanguis semel veniret. *Eod.lib.*

A fortiore, & crassiore genitura fit masculus, quàm fœmina. *Eod lib.*

Semen vbi deiectum fuerit in terrā, humiditate quadam ab ipsa impletur. *Eod.lib.*

Vide collationem seminis in terram iacti, ex quo arbores & plantæ nascuntur, & generationis hominis ex semine in vtero concepto, pulcherrimam certè, & Hippocrate dignam. *Eod.lib. de nat. pueri.*

Genitura in pellicula est, & iuxta medium ipsius vmbilicus. *Eod lib.*

Genituram vbi contigerit findi, & in duos sinus peruenire, & vteri genituram susceperint, & sinus alter ad alterū non hiauerit, nec dimiserit, segregata genitura in vtroque sinu pelliculas induit, & viuificatur eodem modo quo vnus fœtus, túmque gemelli ab vno coitu fiunt. *Eodem lib.*

Genitura tum fortior, tum debilior in muliere, & in viro, & in omni animali. *Eod.lib.*

Genitura non simul, nec semel procedit, sed & bis, & ter ebullit, & eiaculatur: & non est possibile omnem esse fortē, tum quæ prius exiuit, tum quæ posterius. *Eod lib.*

Genituram si in vtrum sinum ingredi crassiorem, ac fortiorem contigerit, illic masculus gignitur. In vtrum vero rursus humidiorem, ac debiliorem, illic fœmella generatur. Si vero in vtrunque fortis ingrediatur, ambo masculi fient: sin debilis, ambo fœmellæ. *Eod.lib. de nat. pue.*

GALENI.

SEMEN est vis in humido conspersa, quæ vis si congruas nanciscatur rationes, atque materias in hominis generationem explicatur. *Lib. defin. medicinalium Item lib. de sem.*

Semen, est spiritus calidus in humido, qui ex seipso mouetur, ac gignere tale potest, quale id à quo emissum est. *Eod. lib.*

i Zeno semen ita definiuit, vt sit hominis abstractum, ac maiorum generis mistura, quòd homo cum animæ parte humida transmittit, vtique tale existens, quale id à quo excretum est. *Eod. lib.*

Semen est sanguis, à venis quæ ipsum continent exquisitè confectus. *lib. 2. de sem. cap. 2.*

tur primæ, simplicésque partes à quibus reliqua omnia mẽbra gubernantur: vnde consequi illud planè videtur vt semen non opificis tantùm rationem subeat, sed constitutæ etiam formæ (nempe fœtus geniti) pars aliqua sit. Quantacunque enim seminis pars vuluam attingit, ea statim membrana efficitur, vt ex Hippoc. serie lib. de nat. infantis colligi apertissimè potest, ancillæ psaltriæ, quæ sexto à conceptu die genituram proiecerat, historiam recensentis. Manere enim in conceptibus semen, moxque membrana circundari testatur, exploratissimum illud vt sit, genitale semen constituti fœtus partem aliquam fieri. Quod nobis aduersus Arist. mentem erat probandum.

Superest modo explicandum illud, num muliebre semen in fœtus constitutione opis aliquid afferat. Quod quinto loco explicandum proposuimus. Arist. rerum naturæ sci-
Cap. 19. entissimus, fœminas semen non emittere, nec ab ipsis genituram in conceptibus conferri, testatissimis verbis cùm 1. tù 2. de gen. animal. lib. astruxit. Contrà libr. de sem. 1. Gal. magnis rationibus tum præcipuè dissectionum, & experientiæ fide, fœminas non solum semen in concubitu cum mare eiaculari: verùm & quoque magno vsui ipsum esse, in vniuerso constituendo fœtu contendit. Quod & ego quoque verissimum esse arbitror, & ijs, quæ sensuum iudicio constant maximè consentaneum. Equidem cùm genitale maris semen vuluam omnino implere nequeat (non enim exiguitate sua, & fundum, & illius processus, quę cornua vocantur aspergere potest) mirabile quiddam in eo machinata est prouidentissima natura, vt quæ fœmineo semine virtutem omnem hanc subleuerit, ad quam virile semen pertingere non potest. Matricis enim processibus, vtrinque vas seminarium est adiunctum, ex fœminæ testibus procedens, à quibus vasis fœmineũ eiaculatur semen; muliere cum viro concumbente, inque vteri sinum vnà cum virili semine effunditur, illique admiscetur. Inde vbi admixta sunt ambo semina, membranulis copulantur, quas motu suo atque progressione fœmineum semen parit, vt membranulis his, crustulis quàm simillimis, foueri in vtero genitura possit. Atque hunc vsum virili semini, fœmineum semen præbet. Frigidius enim cùm sit maris semine, cogi in membranam faciliùs potest, tum etiam virili semini est alimenti instar. Tenuius enim ipso cùm sit, & fri-

gidius

gidius, accommodatius ad alimentum præstandum, quàm quiduis aliud est. Eiaculari porro à mulieribus semen, vnàque cum maris semine commisceri, vbi concepturæ sunt, ipsa sensuum fides plenè indicat. Testantur enim mulieres, quandã se sentire in vulua cõmotionem, ac veluti comprehensionem quandam seminis, vbi concepturę sunt: & voluptate se plurima perfundi, dum semen eiaculantur. Qui quidem motus non à mulieribus solum, sed à viris in concubitu percipitur: vt manifestissimum sit, & fœminas semen emittere, & hoc ipsum semen fœtui magno vsui esse. Præterquàm quod in dissectionibus apparet, cornua quæ dicuntur, atque processus, in his quæ parere adhuc animal possunt, genitali semine albo, atq; crasso, vt plurimum referta esse. Quamobrẽ verissimũ illud erit, quod est ab Hippocr. lib. de nat. infantis proditũ, ab vtrisque, mare inquam, & fœmina semen emitti, vnaque commisceri, exque ambobus coniunctis, & alteratis fœtum constare vt locum iam hac in parte non habere Arist. videri merito possit, qui à fœmina semen non emitti, nec amborũ misturà generari fœtum, c. 18. 1. de gen. animal. lib. nimis arroganter, & contra veri fidem astruxit: cùm huic opinioni ipsa rerum experientia (demonstrationis omnis fundamentum, & basis) tum & ea quæ in dissectionibus vuluæ apparẽt, tum denique Hippocra. Gal. & omnium medicinæ autorum probatissima dogmata, atque demonstrationes reclamare, aduersarique ex diametro plenissimè videantur. Nec est, quòd rationes Arist. plenius redarguendi occasionem nunc sumamus. Esset enim id, & longioris temporis, & maioris otij opus. Sat superque fuerit, è medicorum sensis veram fœtus ex seminibus compositionem demonstrasse, & ad id quod sequitur orationem vertamus. De semine porro inuestigandum illud restat, sitne ipsum animatum, an prorsus anima careat. Rem totam compendio Arist. bellissimè explicat, asserens potentia quidem ipsum tum habere, animam, tum motu peracto partem animantis ipsum existere, eandemq; animatam. Eius porro verba hæc sunt: *Omnia* (inquit) *quæcũque aut natura, aut arte efficiuntur, ab eo quod actũ est, fiunt ex eo, quod potentia tale est. Semen igitur* (subdit) *tale est, motũmque habet, & principium tale, vt motu paracto pars existat queque, eademque sit animata.* Et rursus sub cap. fin. *Sed habeátne semen animam nécne, ratio eadem, atque de partibus reddida est. Nec*

An semen animatũ

Libr. 2. de gł. ani. c. 1.

enim anima vlla esse potest in alio, nisi in eo cuius est, neque pars vlla esse potest, quod parti. eps anima non est, nisi æquiuocè, vt mortui oculus. Semen igitur (ait idem) *& habere animam, & esse potentia palàm est.* Hæc Aristo. summi semper philosophi, de seminis animatione se digna sententia. Non enim actu habere semen, animam, aut esse, verissimè certè protulit: potentia habere, animatúmque fieri, vbi absoluto generandi motu, qui à semine proficiscitur pars fœtus factum fuerit. Cùm enim vitali spiritu plenum sit, aptitudinem maximam, vt animetur habet: perinde atque sulphur potentia ignis dicitur, vt qui pronitate suæ ipsius naturæ, atque substantię, facillimè ignem excipiat, ipsumque ignis fiat. Atque hæc hactenus. Sed cur nati parentibus similes euadant (quod & ipsum seminis dominio acceptum referri volunt) vt modo mares matri, fœminæ patri, quàm simillimæ sint, modoq; contrà: mares quidem patrem, fœminæ matrem referant maior quæstio multóquę difficilior, si vnà & id explicuerimus, cur auis, atauísque interdum atque maioribus similes seri nepotes euadant. Hæc omnia quàm poterimus breuissimè perstringere conabimur, hinc facto initio, similitudinem hoc loco nihil prorsus aliud esse, quàm alienæ formæ in seipso expressionem. Id enim quodcunque alterius gerit speciem, illius aut formam, & figuram, aut qualitates quasdam repræsentans, illius simile esse dicitur. Vnde est illud celeberrimi Poëtæ:

Cur nati parentibus similes.

Similitudo quid.

Sic oculos, sic ille manus, sic ora gerebat.

Similitudinem porro natorum ad parentes, ex membrorum formatione existere, lib. de sem. 1. abundè docet Gal. *Similitudo* (inquit) *ex membrorum formatione existit, non quantum ad communem speciem, sed quantum ad differentias quæ speciei accidunt. Quippe cùm communis species hominem, equum, bouem, constituat: membrorum verò differentia ea sit, quæ aduncum, aut simū facit, in quo similitudo, & dissimilitudo omnis ad parentes consistit.* Ex qua verborum serie illud constat, non ex iis, quę speciem constituunt, sed ex differentiis, quæ speciebus, seu magis singularibus accidunt, quod hic albus, niger alter: hic adunco, ille simo naso: hic cæsiis oculis, nigris alter, ex iis inquam differentiis, similitudines natorum ad parentes desumi. Sed vnde ea similitudo emanet, num à materia, hoc est menstruo, vt Athenæus quidem, vel autore Gal. censebat, num potius

Cap. 1.

Libr. 2. de sem. cap. 1. circa fin.

à semine,illiúsque in fœtus procreatione dominio,vt Gal.c. 5.libr.2.de sem.astruxisse est visus, paucis inquirendum. Sed à menstruo procedere non posse,illud argumento est, quòd natos omnes similes matri esse,omnino oporteret,patri neminem,quum tamen alterutris similes nasci videamus.Si enim menstruum similitudinem nato præbet : à fœmina autẽ tantùm menstruum , non à viro : consequens profectò est, semper natum matri esse similem oportere,quum ab illa similitudinis originem trahat.Quod cùm falsissimum sit, dici certè non potest,à menstruo similitudinem nasci. A semine vero congruentius similitudinem procedere dici potest.At si semen tantùm effundit mas,non etiam fœmina (vt Athenæus & Arist. existimauerunt)nunquàm similes matri pueri nascentur,contra quàm fieri experientia ipsa docet. Non igitur ex horum assumptionibus , similitudinis causas venari vsquam poterimus:cùm tam Athenæus , quàm Aristot.falsis nitantur assumptionibus,nempe à solo mare ,non etiamnum fœmina semen effundi:& à formatrice , quæ in semine est facultate,partes quidem fieri,sed eas hac vel illa constare figura,colore,magnitudine, à materia id habere, nempe menstruo.Nasum enim(vt in exemplo dicam)ab opifice ,rectum aut aduncum effingi,à materia fieri sic,& oculum à seminis facultate oculum cæsium vel nigrum à materia : cùm tamen eiusdem sit facultatis,& partes fabricare , & easdem hac vel illa forma,atque figura ornare.Veluti artifex statuã ex ligno fingens,aut luto,nequaquam ipse nasum,aut oculũ fabrefacit,eúmque postea materiæ,aut rectum , aut aduncũ formandum relinquit,sed ipsemet opifex ,& partes format, & suis quamque figuris exornat , nihil materiæ relinquens. Non enim ipsius est agere,sed opificis tantùm.Atque hęc eò tantùm à nobis dicta in præsens sunt, vt hac parte Athenæi, & Aristot.sensa confutaremus , quod facturos nos polliciti sumus.Qua de re plura qui scire volet,Gal. lib.de semine 2. cap.5.adeat.Ad causas vero similitudinis, vel dissimilitudinis natorum , ad parentes propius reddendas accedamus.Illud autem in primis constat,vtrisque parentibus similes edi partus.Quod si vtrisque similes eduntur,ex communi quæ vtrisque inest causa, similes reddi est omnino necesse.Atqui si ex cõmuni,quod ambobus inest principio,similes procreãtur, vel ex seminis,vel menstruorum substãtia fieri id oportet

at menstruorum substantia communis minimè est (fœminæ vtique propria) ex semine igitur similitudo proueniet .Similitudo siquidem ad parentes,ex principio existit, id autem semen est. Itaque si à semine similitudo prodit, multos autem matribus quàm simillimos nasci videmus: fœminam igitur emittere semen (vnde puero ad matrem similitudo constet) erit omnino necesse, contra Arist.& Athenæi assertionem, qui à fœmina nullum emitti in conceptibus semen asseuerabant : cùm contra semen ipsam habere,sensibus credendum sit. Nec opinione vlla , quantumuis magnis subnixa rationibus, veritatem rei quæ extat, labefactandam.Nisi enim semen, & testes haberet fœmina,ne coitum quidem profecto appeteret. In id si quidem complexũ desiderat,vt semen,quo locelli turgent, excernat : cuius sanè diuturniore mora fieri videmus, vt vteri strangulatu ipsæ tẽtentur,vti in vidua illa hysterica visu venisse comprobat. 2. de semi. Galen.quam plurimo excreto,tum crasso , tum copioso semine, à symptomate liberatam fuisse scribit , & nos idipsum in dies experimur. Partum itaque ei similem reddi cuius semen præualuerit, vult omnino Gal. Itaque si maris semen præualeat,& mas nascetur,& (nisi aliunde impediatur) patri similis efficietur: Contrà si fœminæ , fœmella , eaque matrem referens gignetur, similitudinem nempe formæ ad alterutrum parentem , ex fictrice, ac formatrice facultate, quæ in vtroque semine (maris inquam , ac fœminæ) continetur,existere, confiteri omnino necesse habemus.Sed quãdo mas, quando fœmina procreatur ? Mas quidem , tum cùm calidior , & siccior fœtus in vtero temperatura ex semine virili nata fuerit.Fœmina verò tum fiet , cùm frigidior, & humidior fœtus temperatura,constiterit. Speciem vero animalis (quod hic homo fiat,illud bos,asinus,equus,leo) sequi naturam , subiectæ ad animal generandum materiæ probat præcitato loco Galenus. Itaque trium similitudinum , tria statuere principia oportebit. Generis seu speciei animalis,ex materia vnde fit, formæ ex seminis motione , maris & fœminæ,ex vtrorunque principiorum temperamento , seminis inquam,& menstrui sanguinis. Similitudinem vero ad parentes ex seminum patris,ac matris ratione, ac prædominio cõstare. Hæc ex Galeni doctrina quæ de similitudine natorum ad parentes dicerem, habui. Sed etsi exactè multa hoc qui-

Cap. 1.

Libr. 2. de sem. c. 5.

quidem in argumento tradidisse Galenus sit visus, non omnia tamen expendisse, nec omnium nobis ea in re rationem reddidisse, videri potest. Qui nec causam, cur nonnunquam neque patri, neque matri similes, sed maioribus suis, nati euadãt, attulerit: nec cur interdum, nec parentibus, nec maioribus similes edantur, sed alienis, & exteris. Horum pulcherrimè causas attulit Aristoteles, quas ex illius ditissimo penu, proferre in medium non pigebit. Is igitur lib. 4. de generatione animalium, cap. 3. has similitudinis, aut dissimilitudinis natorum ad suos, tùm & procreationis maris, aut fœminæ adfert causas: nempe, cùm id in quo generandi virtus est, materiam nullatenùs impeditum superarit (id autem genitale viri semen est, à quo principium motus in generatione procedit) tum marem gigni: cùm verò superare non possit, nec materiam omnino vincere, quod aut ob ætatem iuuenilẽ, & generationi ineptam, senilemve, aut ob aliam eiusmodi causam fit, fœminam ob eam rem gigni est omnino necesse. Quoties enim seminale excrementum benè cõcoctum mẽstruis est (ait Arist.) motus maris agit pro sua forma. Itaque si superat, facit marem, non fœminam, & similem ei qui generat: omne enim agens in id tantum agit, vt quoad fieri potest, id quod materiæ loco est, quódque actionem excipit, simile sibi reddat. Optima itaque ratione, si maris semen probè concoctum in menstruis fuerit, & mas procreabitur, isque patri, non matri quàm simillimus erit: sed si non superat, iis quas anteà attulimus causis, pro ea qua non superarit facultate, defectum faciet, hoc est fœminam generabit. Nam cùm gignatur ex contrario vnumquodque, sit autem contrarium maris, ac veluti defectus fœmina, cùm principium non superarit, neque concoquere poterit, ob caloris inopiã, neque ducit in suam formam, sed tantisper superatur, mutari in contrarium necesse est: contrarium autem maris, fœmina, quà alterum mas, alterum fœmina est. Diximus ex Arist. mente cur mas, cur fœmina gignatur. Cur nati parentibus similes, dissimilesve euadant, modo promendum. Quod vt planiùs intelligi queat, altiùs repetenda rei tantę nobis initia erunt. Sunt autem hæc præcipuè, id quod generat, non solùm marem esse oportere, sed hunc quoque marem nempe Socratem, aut Coriscum, hoc est marem ea forma, magnitudine, membrorum lineatura, habitu, quæ Socrati, Coriscóve

insunt. Hinc profecto similitudinis initia ducuntur. Nam cùm facultatem habeat, quod generat, tale quid profecto generabit, quale ipsum est. Quomobrem cùm & generans homo sit, hominem certè procreabit, nec hominem solùm, sed talem qualis erat qui genuit, nempè simo naso, adūcōve, cæsiis, glaucis, aut nigris oculis, recuruis digitis, aut rectis. Ex membrorum enim differentia similitudo, aut dissimilitudo omnis ad parentes nascitur, vt lib.2. de semine Gal. Itaque cùm non soluuntur generantium motus, id quod gignitur generanti se simile semper euadit, mari mas, fœminæ fœminal sed cùm soluuntur, tuum dissimilitudo sequitur, sic Aristoteles. Sed naturæ, aut generantium motus solui quid sit, minimè certè explicat. Ego vero id esse censeo, vt tum solui dicantur generantium motus, cùm in id cuius gratia ordinati à natura sunt, impedimento aliquo ferri non possunt, nec eo peruenire, hoc est, generationis perfectæ finem (quo generantium motus properant) attingere non posse. Vt si arborum fructus gelu, aut vredine interueniente concoqui, & maturescere minimè queant, vel si ex optima arbore vitiosissimi fructus insipidive gignantur, tum enim solui in his naturæ motum rectè dicimus. Cur autem sic sæpe naturæ motus soluantur, in causa est, quod omne agens à patiente in agendo patitur. Vnde necessum quidem sit tantò agentis retundi motum, quanta videlicet vis fuerit patientis in agens. Videmus enim quod secat, hebetari ab eo quod secatur: quod calefacit, à calescente refrigerari: denique quodcunque mouet, excepto primo mouente, (id enim mouet, neque tamen mouetur, ex quo primum est) mutuo, ac repricoco motu āgitari est omnino necesse. Interdum etiam id vsu venit, vt quod agit magis patiatur, quàm agat: cùm videlicet agentis vis imbecilla, eius verò in quod agit valida, & fortis fuerit. Tum enim agens, etsi actionem aggreditur, ita tamen à forti patiente retunditur, vt magis ipsum pati, quàm agere dicendum sit. Itaque rectissimè illud Aristoteles dixisse est visus, si motus eius qui generat soluatur, in superiorum, atque maiorum à quibus prognati sumus transitum fieri, hoc est aui, abaui & ataui. Maiorum enim propria, hoc est quæ in ipsis peculiares notæ sunt, ac delineationes in nepotum semine potentia insunt, in

Cap.1.

Libr.4. de gen. ani. c. 3. Loci Arist. explicatio.

eo inquam semine vnde geniti nepotes sunt.Ea causa est,cur interdum nepotes auis,non autem parentibus,qui se genuerunt similes edantur.Quod parentis motus solutus sit,degenerarit autem in eũ qui aui.Est enim auus patri proximus, qui nepotem genuit à quo nonnihil in generantis semine proprium,ac peculiare deductum est,& in nepotis formam, atque substantiam translatum. Cur autem mares interdum matribus similes sint,hanc vult esse Arist.causam,quod motus,qui à mare est,superauit , & propterea genitus mas est, sed ob id matri non patri similis, quod motus qui à tali mare est,nempe Socrate,aut Corisco,non superauit:ac proinde genitus infans,etsi mas sit editus ,tamen patrem non refert,quòd motus patris tanquam singularis in fœtu defuerit, vicerit autem matris motus,qua talis est,& propterea natus etsi mas, matri tamen similis est effectus.Contra verò ob id interdũ fœminæ patrem referunt,q motus qui à patre est,nõ quidem vt mas est,sed vt talis mas , népè Socrates superauit; & propterea femella quidem genita est , quod motus is, qui à mare erat superare non potuerit:similis autem patri effecta filia est , quòd motus à tali parente pro membrorum, & corporis habitu superstes in conceptu fuerit. Quod enim superat,id quod genitum est,similitudine semper ad se trahit:quod superatur,in oppositum perpetuò degenerat. Itaque vt similitudinum omnis exactè ratio teneatur,subiicienda hæc oculis sunt.Primum motus inesse alios potentia,alios actu:potentia quidem,vt in nepotibus maiorum vis,vt supra habitum:actu,vt in generante.Alterum quoties generationis motus soluuntur,degenerare in oppositum quod superatur, quæ causa est cur fœmina generetur. Tertium transire in motum proximum,id quod soluitur,& si modicè soluatur motus,in propinquum:si magis in remotiorem fieri discessũ: demũmque ita confundi,vt nemini quidem suorum similes nati euadant,sed commune tantum relinquatur,vt homo sit, nec tamen suorum quempiam forma referat.Cuius rei causa est,quòd commune particularia consequitur omnia.Homo enim vniuersale est,Socrates pater,Atque hæc abditissima,& reconditissima similitudinum , ab Aristotele prodita ratio.Cur verò è semine genita membra restitui non possint,dictum abunde supra capite de membris est.

De

Genitura spirationem habere non posset, si aceruatim multus sanguis semel veniret. *Eod.lib.*

A fortiore, & crassiore genitura fit masculus, quàm fœmina. *Eod lib.*

Semen vbi deiectum fuerit in terrã, humiditate quadam ab ipsa impletur. *Eod.lib.*

Vide collationem seminis in terram iacti, ex quo arbores & plantæ nascuntur, & generationis hominis ex semine in vtero concepto, pulcherrimam certè, & Hippocrate dignam. *Eod.lib.de nat.pueri.*

Genitura in pellicula est, & iuxta medium ipsius vmbilicus. *Eod lib.*

Genituram vbi contigerit findi, & in duos sinus peruenire, & vteri genituram susceperint, & sinus alter ad alterũ non hiauerit, nec dimiserit, segregata genitura in vtroque sinu pelliculas induit, & viuificatur eodem modo quo vnus fœtus, túmque gemelli ab vno coitu fiunt. *Eodem lib.*

Genitura tum fortior, tum debilior in muliere, & in viro, & in omni animali. *Eod.lib.*

Genitura non simul, nec semel procedit, sed & bis, & ter ebullit, & eiaculatur: & non est possibile omnem esse fortẽ, tum quæ priùs exiuit, tum quæ posteriùs. *Eod lib.*

Genituram si in vtrum sinum ingredi crassiorem, ac fortiorem contigerit, illic masculus gignitur. In vtrum verò rursus humidiorem, ac debiliorem, illic fœmella generatur. Si verò in vtrunque fortis ingredietur, ambo masculi fient: sin debilis, ambo fœmellæ. *Eod.lib.de nat.pue.*

GALENI.

SEMEN est vis in humido conspersa, quæ vis si congruas nanciscatur rationes, atque materias in hominis generationem explicatur. *Lib.defini.medicinalium Item lib.de sem.*

Semen, est spiritus calidus in humido, qui ex seipso mouetur, ac gignere tale potest, quale id à quo emissum est. *Eod.lib.*

i Zeno semen ita definiuit, vt sit hominis abstractum, ac maiorum generis mistura, quòd homo cum animæ parte humida transmittit, vtique tale existens, quale id à quo excretum est. *Eod.lib.*

Semen est sanguis, à venis quæ ipsum continent exquisitè confectus. *lib.1.de sem.cap.2.*

Semen, similare quid est. *lib.2.de sem cap.5.*

Semen, vtilis excrementi quædam pars est Aristoteli, atque Galeno. *lib 1.de sem cap.9.*

Semen, cùm conceptura sunt animalia, in vtero manere. *lib.1.de sem.cap.9.*

Seminis substantia, in ipsis testibus manifestè apparet. *lib.1.de sem.cap.9.*

Seminis generatrix natura, in arteriis, & venis inest. *lib.1. de sem.cap.9.*

Semen arteriæ, & venæ ex sanguine in ipsis diutiùs immorante procreant. *Eod.lib.& cap.*

Semen, album, crassum, & lętum est, ad alendum, arterię, & venæ corpus ac commodatum. *eod.lib.& cap.*

Semen appellat Aristoteles, non quod ab omnibus secedere, sed quod ad omnia accedere, natura comparatū est. *eod.lib.& cap.*

Semen licet similare sit, & virile cum fœmineo in vteris misceatur, nihil obstat quin fœtuum informatione alterū alteri, in diuersis tamen partibus præualere possit. *lib.2.de semine cap 5.*

Semini, testib. annexum anfractum natura præparauit, vt exactè conficiatur semen, & moram diutius in his trahat, vt probè elaboretur. *Lib.7.de plac.Hipp. & Plat.*

Semen ex sanguinis cócoctione, non ex omnium animalis partium colliquatione gigni, tum Galeni, tum Aristotelis, tum Athenæi sententia constat. *lib.2.de semine, cap.5.*

Seminis generandi munus, Aristoteles necessariò venæ, & arteriæ ad testes descendenti, mandat, dum testibus illud adimit. *lib.1.de semine, cap.10*

Semen à solis testibus non gigni, sed & à vasis seminariis. *lib.1.de semine, cap.11.*

Semen ob id candidum, quod natura ducatur in solidorum corporum colorem, quæ alba sunt. *lib.1.prognos com.vlt.*

Semen ob id album, crassum, ac lętum est, quod pro ratione transmutantiū ipsorum corporum tale fiat, nempè venæ & arteriæ. Omne vero id, quod alterat, in suam naturam illud quod alteratur transmutat. *lib 1 de sem.cap.9.*

Semen genitale copiosum, calidúmque quidam gignūt, quod eos ad expulsionem sui proritat. Postquam os ventris illis resoluitur, & ipsi toto corpore non solum relaxantur, imbe-

imbecillíque fiunt,ſed etiam ſicci,graciles, pallidi, cauíſque oculis cernuntur: ij autem omnes abſtinere à concubitu debent. *lib 6. de ſan. tu.*

Semen, vt Plato, & Diocles putant,ex cerebro, & dorſi medulla excernitur,vt autem Praxagoras,Democritus,atque Hippocrates,ex toto corpore,vt lib. de aëre,aquis,& locis teſtatus eſt. *lib. definit. medicinalium.*

Semen genitale emittere fœminam, perindè vt mas, iis rationibus edocetur,quòd fœmina concubitú appetat, quod retento in ea ſemine in morbos ſæpe incurrat, excreto leuetur,quòd in ſeminariis ipſius vaſis per diſſectiones ſemen cõſpiciatur, quod ſimiles ſæpè matribus liberi procreentur, ac demum rurſus teſtimonio Hippocratis,qui lib. de nat. infantis,ab ambobus procedere genituram affirmauit: *lib. 2. de ſemine. cap. 1 & in defin. med. cir. fin.*

Semen,mulier,ac teſtes ſi non haberet, coitum non appeteret. *lib. 1. de ſemi. cap. 11. & lib. 2. cap. 4.*

Semen eo à genitura differt,quod hoc in ſeminariis meatibus ſit. Quidam vero quòd iam ſit excretum, id eſſe ſemen volunt: genituram autem, ſemen nondum concoctum. Lib. defin. med. Sed rectiùs Ariſtoteles, qui lib. 1. de gener. animalium, cap. 18. ſemen plantis, & inſectis quibuſdam conuenire; genituram non item,aſtruxit, vt quæ perfectioribus tantùm conueniat.

Semen mulieris extra vuluam effundi affirmantium nõ vera ſententia eſt. *Lib. 2. de ſemi. cap 1.* cùm intus manere ſemen in vtero, ſi conceptura ſit mulier, *Hip lib. de nat. pueri dixerit.*

Semen fœminæ etſi ineſt,ſola tamen ob id generare nequit,quod principium motus à mare deſideret, ſemen enim virile vtpotè calidius & ſiccius fœmellæ generationi principium tribuit. *Ex lib. 2. de ſem. cap. 4. & Ariſt. lib. 1. de gener. animalium, cap. 18. & 19. & rurſus lib. 2. cap. 1. & 4.* Mas enim ſecundùm Ariſtotelem eſt efficiens in fœtu,ſine autem efficiẽte nihil quicquam effici poteſt. Itaque fœmina ex ſeipſa animal generare non poteſt. *Vide cap. 4. lib. ſecundi de gener. animalium, ab Ariſtotele.*

Semen mulieris, ei vſui eſt in conceptibus, quòd ex eo membrana inteſtinalis in fœtu gignatur, & vt oblinantur eę vteri partes, vbi genitale viri ſemen pertingere non poteſt, &

quòd cùm frigidum humidúmque sit, vt virili semini est veluti alimentum. *lib. 2 de semi. cap. 1. & 4. & lib. 1. cap. 7.*

Semen muliebre, per vtraque vteri cornua eiaculatum, fertur in mediam vuluæ cauitatem, simúlque & humectat vias, & ad semen vsque viri peruenit, cum eóque miscetur. *lib. 1. de sem. c. 7.*

Semen concipientes mulieres, vuluæ motionem quandã sentiunt. *lib 1. de semi. cap. 2.*

Seminis susceptrices vuluæ à natura fabricatæ sunt. *lib. 1. de semi. cap. 5. ad fin.*

Semen etsi fœcundum effundit mulier, vincitur tamen id à masculi semine. *lib. 2. de semine cap. 2.*

Seminis qualitatem cùm vterus affectet, totus obuiam sese offert, suóque collo, ac gula tanquam manu vtitur, qua semen intrò compellat. *lib. 1. de semi. cap. 4*

Quale semen, cui vtero conueniat, nempe frigidum calido, humidum sicco, frigido calidum, humido siccum. *Com. 1. ad lib. de nat. hu. super text. Rursus nisi calidum, &c.*

Semen prægnantibus futuris, intro, remanere probat Gal: *Lib. 1. de semine. cap. 2.*

Semen quæcunque continuisse animalia visa sunt, grauida esse, quæ secus, non grauida deprehensa, *Eod. lib. & cap.*

Semen quod in vterum mulieris est iniectum, potestate animal esse, sicut ignis in silice latens, aut in calce, ignis potẽtia est. *Lib. An id quod in vtero est animal sit.*

Semen aliud, vt animal fieri possit, habet: tunc verò actu est, cùm pro homine præbeatur. *eodem lib.*

Semen quod in mulieres iniectum est, id animal esse verè quispiam dicet: etenim ipsum iam potentia animal est. *eod. lib.*

Semen in vterum iniectum, hanc habet vim, quòd natura animalis sit. Cùm enim paruæ sit molis, multum potentia sit, & principem causam ostendit, ipsámque animalitatis substantiam. *eod. lib. An animal sit, &c*

Cum iacto in vterum semine, vnà insitam à creatore vniuersi esse animam, vt gubernandi vim corporis haberet, testatur Gal. *Lib. An animal sit, quod in vtero continetur.*

Semini tum membranam circumiectam, tum circa ipsũ totum, vuluam contractam, videre est in dissectionibus. *Lib. 1. de semi. cap 4.*

Semẽ

Semen in vteros iniectum, principiũ motionis menstruo præstare tantùm, inde excerni rursus, falsa Aristotelicorum quorundam sententia *lib.1.de semi cap.3.*

Seminis pars, quæ vuluam attingit, statim efficitur mẽbrana, reliquum vires insitas habens, tum attrahentem, tum immutantem. *Lib.1.de semi.cap.4.& 6.*

Seminis substantiam, vt fœtui edendo seruiat, crassam, lentam, sibiipsi continuam, & abundè calidam esse oportet. *Lib.1.de semi.ca.4.*

Semen fœcundissimũ habere, viri multi rarum corpus habentes, quod & materiam habent, ex qua semen generatur copiosum & vim à qua concoquitur. *lib.5.aph.com. 63.*

Semen ita in animalibus principium est statuendũ, qualiter in plantis esse videtur: & vide pulcherrimam de ea re collationem. *lib.1.de semin.cap.7.*

Semen substantiam habet magis idoneam generationi præcipuorũ instrumentorum, venę, arterię, nerui, quàm sanguis. *lib.1.de sem.ca.5.*

E semine prognatæ partes, arteria, vena, os, neruus, membranæ. *lib.1.de sem cap.7.*

Semẽ spiritu vitali plenum est. *li.1.de sem.c.5.* Gal.

Semen à sanguine actionem non accipit, sed in sanguinẽ sibi moderatum agit. *lib.2 de fac.nat.cap.3.*

Quod semen prius erat, id cùm primum & gignit, & format animal, natura quædam fit. *lib.2.de nat.fac. cap.3.*

Maris semen facultates quidem in seipso possidet, actionem verò non didicit à materia, sed circa hãc actionem obit. *lib.2.de nat.fac.ca.3.*

Vt Phidias antè habuit facultates artis, quàm materiam attigit, vsus autem ipsis facultatibus est in materia (omnis enim facultas, si competens desit materia, otiosa est) ita & semen maris facultates in se habet, sed actionem non nisi in materia molitur. *eod.lib.& cap.*

Semen, si copioso obruatur sanguine, corrumpitur, sin sanguinem omnino desideret, cùm ociosum sit, natura esse non poterit. Itaque quò nec corrumpatur, & natura pro semine fiat, exiguum illi sanguinis affluat necesse est: imo verò id exiguum dicendum non est, sed quod seminis modo sit iustum. *eod.lib & cap.*

Vt magneti lapidi trahendi ferri, sic semini trahendi san-

guinis facultas inest. *eod lib. & cap.*

Semen est principium animalis efficiens, materiale nanque menstruus est sanguis. *lib. 2. de fac. nat. cap. 3.*

Semen opificis officio fungitur. *eod. lib. &c.*

Semen generationis nostræ principium mouens. *Lib. 1. de sanit. tu.*

Seminis in vtero concepti obseruatio, ad fœtificationis tempus noscendum, necessaria. *lib de sept. part.*

Semini facultas est, sanguinis menstrui attractrix, sibi familiaris. *lib. 2 de nat fac. cap. 3*

Semini vim attractricem, alteratricem, formatricem, inesse probat, aduersus Erasistratum. *Gal. lib. 2 de fac. nat. cap. 3.*

Semen ob id non illicò generationem producit, quod ex seipso non tantùm obtineat vt producat, sed externum desiderat auxilium, & aduentitiam opem: nempe sui alterationem, & mistione cum alieno semine in coitu. *Com. 1. in lib. de nat. hu. Super textu, Primum itaque necessarium est.*

Semen, non solùm facultas quædam generandi, sed materia quoque quædam est. *lib. 2. de semin. cap. 2*

Semen vtriusque principij, & materiæ, & efficientis rationē subire, Hippocratis opinio est, Aristotelis, effectiui tantùm. *Lib. 1. de sem. ad principium.*

Semen non præbere materiam, sed solam artificis vim, Aristotelis opinio, aduersus propria ipsius principia pugnās. *Lib. 1. de semine cap. 5.*

Seminis ad coagulum comparatio, ex Aristotelis sententia, *Lib. 1. de sem. cap. 3.*

Seminis parte crassiori, ac terrestri, minúsq; ad disttrahēhendum idonea, in ossium fabricam vsa natura est: lenta verò, ac tenaci cæterorum. *lib. 1. de sem. cap. 7.*

E semine natæ partes, è sanguine ali nequeunt: sed à semine, cùm vnumquodque ea substantia, qua primum genitum est, ali etiam perpetuò consueuit. *lib. 1. de sem. cap. 13.*

E semine ortum habētes partes si corrumpantur, vel rarò, vel nunquam: è sanguine vero facilè regenerantur. Quod inopia materiæ fieri in illis: in his, copia eiusdem, asseuerat Gal. *lib 1. de sem. cap. 8. & 10.*

A semine generationem, & formationem omnem, vt planta habet, non vt animal, id quod in vtero continetur. *lib. 1. de sem. cap. 7.*

Ex

Ex seminis substantia, vnumquodque membrum effici, primo de gener.anim affirmat Aristoteles, cùm idem tamē posteà,non ex eo,sed ab eo fieri pronunciet.*Lib.1.de semi.c 9.*

Semen in vterum iniectum,in spiritum abire,dissolui affirmat Aristoteles. Quam opinionem validissimè confutat Gal *lib.1 de semi.c.4.*

Seminariorum vasorū longissimus circuitus, vt diutissimè in iis sanguis moram trahat,exactéque conficiatur.*Lib.1. de semi.cap.11.*

Seminaria vasa ab Aristotele ignorata, Herophilo,atque Philotimo.*Lib.de dissecti.vului.*

Seminalis meatus, dum ad venerem stimulantur animalia,plenus semine reperitur,vacuus vero post coitum. *lib.2.de semi.ad principium.*

Seminaria mulierum vasa, in vteri cornua committuntur,*lib.1.de semi.cap 7.*

Ex vtraque genitura maris, ac fœminæ, commista fœtuū generatio existit.*lib.2.de semin.cap.1.*

Semen cùm sit summè coctum, principium est animalis effectiuum.*Lib.14. de vsu part.c.6.*

Semen quod in testibus mulierum inest, parcius, frigidius,humidiúsque existit.*Eod.lib &c.*

Semen non alia ratione ad maris, alia ad fœminæ procreationem,moueri Galenus docet.*Lib.14.de vsu part. cap.7.*

Seminis fœminæ in generando fœtu, vnà cum viri semine motuum conspiratio in vnum. *Lib.14. de vsu part.cap.7.*

Vt semen quam longissime euibretur, pudendum tensum in coitu esse oportet.*lib.15 de vsu part.cap.3.*

Dum semen excernitur,vtile est,meatum, hoc est pudēdum,latissimum simul & quàm rectissimum seruari, quo semen totum sibiipsi continuum, confertim, quàm celerrimè ad matricum sinus perueniat.*Lib.15.de vsu part.cap.3.*

Semen spirituosum, ac spumosum est: illiúsque humiditas crassa,viscosa,& spiritu vitali plena. *lib.14.de vsu part.cap.9.*

Semen habet paucam terrenam substantiam. *Lib.1.aph. com.14* Plurimum autem aëris calidi, humidíque in se continet.*Ibidem.*

Semen viri si frigidum fuerit, aut vterus mulieris frigidior concipere facit fœminas.*lib.5.aphor.com.42.*

Cùm semen mulieres inter seipsas conceperint, totum interius vteri spatium,& os contrahitur,& clauditur. *Lib.5.aphor.com.51.*

Semen quantò & celerius extra eiicitur, & ad longius spatium,tanto humidius esse oportet. *Lib.5.aphor. com.53.*

Semen aduritur siccitate,extinguitur humiditate. *Lib.5. aphor.com.62.*

Semen nisi extendatur ad vteri cauitatem, mulier non concipit. *lib.5.aphor.com.62.*

Semen fœcundissimum subest in iis, qui calido, & raro sunt corpore. *Lib 5.aphor.com.63.*

Semen copiosum in calidis temperaturis gignitur. *ibidem,*

Semen expressum extra eiaculantur vasa seminaria, sua intentione. *Ibid.*

Semen fœcundissimum fit in calidioribus, & humidioribus temperaturis: assatur vero, & torretur propter calorem immodicum. *Ibid.*

Semen qui habent humidum,sunt minùs sani. *Lib. 6. aphor.com.2.*

Semen vitiatum in auis,& parentibus, vehementes faciunt in natis eorum partiũ imbecillitatẽ. *Lib.6. aphor.com 28.*

Semen in testiculis est,& eo testes nutriuntur *lib.5.aphor. com.59.*

Semen crassius, & siccius est in siccioribus temperaturis, aquosa humiditate consumpta. *lib.6.aphor.com.2.*

Semen prouocantium medicamentorum facultas, calida & humida,atque flatuosa est : ciborum vero,flatuosa quidem,sed tota substãtia familiaris. *lib.5.de simpl.fac.cap.21. & 23.*

Semen extingunt desiccantia, & refrigerantia omnia, & quæ totis substantiis sunt contraria. *lib 5.de simpl.facul.cap.23.*

Semen prouocantium,alia vt medicamenta sunt, alia vt cibi.Scincus,& satyrion, medicamenta sunt, lini semen, & eruca cibi simul,ac medicamenta. *lib.5.de simpl.facul.cap.21.*

Seminis effectrices facultates sunt, vt lactis, partim in medicamentis tantùm,partim in alimentis.In medicamentis cùm succos pituitosos excalfacientes in sanguinem vertimus: in alimentis autem secundùm totius substantiæ similitudinem *lib.5.de simpl.facul.cap.21.*

Semen præpedientium,alia reprimũt ipsum tantùm,alia corrũpũt. *lib.5.de simpl.fac.c.23.& ea quæ sint,vide ibi.*

Quæcunque semen aut procreare, aut prouocare possunt, bene nutriant, & flatuosa sint, oportet, vt bulbi, cicer, fabæ, polypodes, conus, quæ multi seminis edulia sunt. *Lib. 5 de simpl. facul. cap. 23.*

Semini totius substantiæ proprietate contraria sunt, ruta, & nymphæa. *Eod lib. & cap.*

Seminis retenti noxæ à Gal. citatæ, adductis historiis *Lib. 6. de locis affect. cap. 5.*

Vt semen retentum excernant, animalia ad coitum excitari. *Lib. 6. de loc aff. cap. 5*

Contra seminis profluuium, præcepta salubria. *Lib. 6. de sanit. tuend.*

Semine in vterum proiecto, multæ conflantur partes eius, quæ gignitur substantiæ. *Lib. 1. de facul. natur. cap 6.*

De conceptione fœtuum formatione, gestatione, & partu.

CAP. XVIII.

CVm de semine genitali, propagationis humanæ seminario, ac fonte, pertractatum à nobis abundè superiore capite sit: id autem naturæ ductu, ad conceptionis munus sit ordinatum ac constitutum, consequens est, vt de conceptione hoc capite agamus. Quoniam vero conceptionem, commoda geniti infantis in vtero gestatio, gestationem fœlix partus, atque in lucem editio consequitur, visum est ob rerum germanitatem, ac consequentiam de his omnibus eodem capite pertractare. Primùm itaque de conceptione, & fœtuum formatione, dein de gestatione, vltimo loco de partu agemus. Conceptionis porro nomen à comprehensione deductum esse docet lib. de semine primo Galenus, vt sit conceptio nihil planè aliud, quàm genitalis seminis in vteris mulierum, ad fœtus generationem comprehensio. Equidem cùm animaduersione summa dignissimum illud inquirere iudicauisset Galenus, Num mulieribus prægnantibus futuris, intus remanere semen, an excerni oporteret, ab experimento, & sensuum fide didicit, cùm in brutis cuiusuis generis animantibus cunctis, tum præcipuè in mulieribus semen intus contineri, cùm concepturæ essent: vti contrà, si elabatur, & effluat semen, ne gestare quidem vnquã ventrem posse. Quamobrem rectissimè illud à mulieribus vbi semen conceperint, dici, quandam se in vulua motionem sentire, quæ quasi conuellat, ac paulatim in se illam contra-

Conceptio quid.

hat,ad semen continendum:quod cum sibi euenisse sentiūt, & se prægnantes dictitant,& concepisse affirmant,hoc est,semen continuisse.Vnde conceptioni ipsi, est à mulieribus(vt paulo anteà diximus)inditum nomen Conceptionis porrò causæ sunt,proba, in primis vteri in muliere commoderatio, recénsque mensium purgatio, idonea ætas & congressus appositus:in viro autem, bonus corporis habitus, ad calidum præsertim,& humidum inclinans,seminis prolifici copia,robusta,& virilis ætas,cum virium robore coniuncta. concubitus moderatus,& plenior victus ratio.Isthæc enim omnia si mutuo consensu in vnum conueniant,vt semen contineatur, procreetúrque fœtus efficiunt.Concipiendi porro hanc esse præcipuè rationem medici omnes censent,vt quoniam immortale esse non poterat,quod ex carne,ossibus,neruis,menstruóque sanguine esset coactum,mirabilem machinata est prouidentissima natura artem, qua subsistere animantium genera possent,cùm in singularibus id fieri minimè posset. Ob idque,& concumbendi animantibus appetitum, & in ipso congressu incredibilem indidit genitalibus membris voluptatem,vt in vicem eius,qui substare non posset animalis, eiusdem generis aliud substitueretur. Ob id voluit natura concipere fœminas,generare mares. Concipiunt porro mulieres,vt plurimum vel incipientibus, vel cessantibus menstruis,vt lib.de dissectione vuluæ Galenus. Tum enim vteri, continendo semini aptiores fieri solent excrementitia sublata humiditate, quæ semen vel corruptura erat, vel certè,vt elaberetur effectura.Equidem cùm mulieribus stato tempore fluunt menses,non tamen tum nisi raro concipere mulieres possunt,cùm nequeat semen probè tum in vtero contineri,sed ab influentis sanguinis copia eluatur.Cessantibus verò menstruis,vel paulo antequam recurrere incipiant,& ora vasorum vteri aperta sunt,& menstruum,neque multum neque vniuersim,sed paucum,& sensim effluit, quasi ex humiditate quadam sanguinea exsudante.Vnde efficitur, vt tū re siccata commodè matrice,semen firmius hæreat, satísque alimenti semini ipsi,ex sanguinis affluentis paucitate accedat,vt inde procreari fœtus quàm commodissimè queat.Sed cur antequàm prodeant menses,iuuenculis etiam viro iunctis,conceptus tamen non sequatur,in promptu causa est, quia & alimento caret semen(est enim menstruum seminis

Ex lib. de diss. vuluæ

congruum alimentum, vt & Aristoteles, & Galenus consent) & adhærentiam vuluæ tum nullam, semen habere potest: quod tum temporis occlusis vasis, læui, & lubrica relicta vulua, defluat semen, neque vniri cum tunica eius possit, aspera siquidem, & rugosa idonea magis sunt, quàm leuia ad coalescendum, & quippiam firmius continendum. Itaque menses decurrere primum per ætatem oportet, si conceptura sit mulier, túmque virgunculæ, à quibus manare menses cœperint, viri potentes, & nubiles dici à iuris peritis, atque medicis etiam consueuerunt. Quid verò à conceptu ipso fiat, vbi semen probe à muliere in aluo retentum fuerit, mox explicãdum. Multa nanque vno temporis momento, eáque mirabilia valdè circa animalis generationem fiunt naturæ opera. Celerrimè enim tum matrix ipsa semini vndique adhæret, illius internum orificium, collúmque ipsum totum ita clauditur atque conniuet, vt ne specilli quidem aculeum, ac graphij extremitatem, ac cuspidem (vt vult Gal.) admittat: atq; tum auidè semen continens, illud complectitur, fouet, calefacit, & sic suo calore fotum, & sanguine menstruo, quasi alimento saturatum implet, indéque fœtum membranis inuolutum, diuina & admirabili arte conficit, atque componit. *Lib. 5. de sym. cau. c 3.* Nam primùm qui humor matricis asperitates, & rugas illinit (is autem est genitale mulieris semen) toti superficiei internæ subtensus, membrana tenuis efficitur (hunc enim vsũ in conceptibus mulieris semen præbet, vel Gal. testimonio) sicque sensim quod in membrana illa tenui conclusum est, foueri, ac spiritu impleri, turgescere, & efformari incipit, ita attestante lib. de pueri nat. Hipp. Concalescit enim intus conclusum genitale semen, calidorum corporum adhæsione, concalefactum turget, extenditur, ac dilatatur, ídque lentore, ac crassitie sua, caloréque assequitur, vt membranam contrahat. Perinde atque ea, quæ à dulciariis pistoribus arte cõfecta, & ex liquida pulte concinnata (placentas, liba, crustulas, & bellaria appellant) crustam & ipsa quandam igni admota, & calefacta induunt. Hac membrana circundari, atque inuolui genituram vidit Hipp. in psaltria illa ancilla, quæ sex dierum genituram eiecit, quàm eiusmodi fuisse affirmat, ac si quis ouo crudo externam testam circum circa adimat, in interna verò pellicula inclusus liquor pellucescat. Atque in pellicula quidem fibræ, quędam albę, ac crassæ cùm cruo-

re crasso,& rubro obuolutæ,inesse videbantur. Conformari itaque in embryis secundas,dein reliqua,in conspicuo est.Ha ctenus breuiter de conceptionis ratione diximus, plura di cturi,vbi de fœtuum formatione tractationem ingrediemur. Nunc quæ mulieres magis,minúsve ad conceptum sint idoneæ,& quibus signis concepisse mulierem deprehendamus, breuibus explicandum.Ex mulieribus porrò quæ paruæ sũt, ad conceptionem maioribus præstantiores habentur, vti tenues crassis,albæ rubicundis,& quæ item venas conspicuas habent,quàm quibus non apparent,aptiores:quibus etiam menstruæ purgationes statis mensibus comparent,in copia satis magna,bene coloratæ,æquales:quibus item vterus sanus,siccus,ac mollis fuerit,ísque neque retractus,neque pronus,neque ostio auerso,concluso,aut euerso, aptissimæ omnes ad generationem habendæ sunt, vti bellissime Hippocrates,tum secundo prædictionum libro,tum in aphorismis lib.5.explicauit.Vnde facilè est,ex contrariis causis sterilitatis mulierum rationem reddere.Quæ enim sua ipsarum culpa non concipiunt,aut viscerum,& totius vitio laborant,aut nimium obesæ,tenuésve sunt,aut iis menses non rectè procedunt,aut vteros eę habent frigidos,spissos,aut præhumidos, nimiúmve siccos: in aliis enim genitura extinguitur, in aliis alimenti defectu corrumpitur semen. Sic etiam si vel vteri ostium,aut compressum nimis,aut patens, aut auersum fuerit,conceptionem impedit,perindè atque vteri morbi innumeri tumores,obstructiones,cancri,vlcera, inflammationes, & reliqua id genus. Quibus vero notis concepisse mulieres agnoscamus,ex Hippocrate libr. aphorismorum quinto petendum.Mulierem porrò concepisse illud in primis testari videtur,si à congressu cessent purgationes,nec stato tempore redeant,ipsa quidem nullo morborum genere oppressa, superueniántque fastidia, vomitus,animi deliquia,deprauati appetitus,quos picam Latini vocant,Græcis κίττα dicitur.Vbi enim mulieres vterum gerunt, duobus circiter, aut tribus à conceptu mensibus pica oritur,affecto nimirum ventriculo,nondum enim vis embryo consumendi alimenti suppetit.Cuius sanè pręgnantium affectus,ea causa est,quod vitiosa redundet materia,& stomachus perturbatione vexetur.Cuius rei argumentum id est, quod increscente fœtu, tunc recipiente se deorsum sanguine, cóque à fœtu absũpto, ad

Nota cõceptionis

ad se stomachus redit. Appetunt interdum per id mali mulieres accida, aut acerba, interdum etiam acria, non raro extranea, vt cimoliam terram, gypsum, cineres, testas, extinctos carbones, & id genus, ob vitiosorum in ventriculo redundantium humorum consistentiam, atque noxam. Conceptionis vero signa exactius qui scire volet, Hippocratem lib. Aphoris. 41. & 42. 51. 59. & Auicennam Fen. 21. tertij canonis c. 11. adeat. Ab iis enim inuenire plura poterit, quæ hîc breuitatis causa omittimus: De fœtuum formatione dicẽdum nobis ordine est, omni conceptionis explicata natura. Quę profecto tractatio vt est ipsa & diuinissima, & in intimis naturæ recessibus posita, sic sanè accuratissimè explicari, ac plenissimè debet. Eam igitur dicimus admirabilem, diuinam, excellentem, omniumque abditissimam, nec naturæ dignationi, sed vni tantùm Dei Opt. Max. potentiæ, & maiestati, iure, ac meritò adscribendam. Quod agnoscens Rex idem & Propheta Dauid cœlesti numine plenus, cecinisse illud est visus. *Psal. 18.* Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me. Quod & san- *Iob. 10.* ctissimus Iob ijsdem pene verbis est etiam testatus, corporis vniuersi plasmationem Deo autori tribuens. Quin & Galenus noster summus potentiæ, & maiestatis Dei cultor, & prędicator, partium corporis humani structuram, vsúmque tractans, totus in Deum assurgit, humani corporis fabricam admirabilem illi, vt autori tribuit, illius in pangendo corpore, in connectendis membris, in disponendis, prouidentiam, potestatem, sapientiam vbique admiratur, vti ab eodem autore cùm primo ac secundo, tum tertio ac decimoquarto de vsu partium libris, pluriésque alibi, percipere luculenta lectione possumus. Sed & Aristoteles cœlitus in nobis principium duci, lib. de gener. animalium secundo, cap. 1. astruxit. An non igitur Deum tanti operis effectorem, & architectum summa cum laude, ac veneratione prædicabimus? & illius opus, quod ille admirandum diuina sua arte architectatus est, illius lumine illustrati, & numine pleni non proferemus? Proferamus itaque de pleniss mo vbertatis suæ fonte, fœtuum quam tractandam suscepimus formationem in hunc, qui sequitur modum. Virile semen in vteros proiectum, ea, quam diuinitus obtinet formatrice facultate, primum omnium inuolucra, & tegmina membranacea ex semi-

Lib. 1. de semin. c. 7. & 2. item Lib. cap. 1. & 4.

ne mulicbri potissimum effingit, quibus fœtus inuolui, & circundari in vtero queat. Harum membranarum prior illa afformatur, quam Gal. intestinalem vocat, quæ & ipsa plus cæteris fœtum inuoluentibus, & vtero vicinior est, & cæteris compactior. Hæc Græcis χωρίον, Latinis secundina dicitur, vtero tota adhæret, ad quem suspensa est. Cuius ad vterum connexio & adherescentia, vt fiat, à Gal. lib. de dissectione vulu. legendum. Ab hac priore membrana, altera quædam innascitur, venis, & arteriis eius inter se coniunctis; & alias se latiores gignentibus, sensimque dilatatis, ex quibus tenuis quædam altera membrana farciminis figuræ persimilis conflatur, quæ Græcis allantoides dicitur. Hæc altera sui parte, qua dilatato primum vracho incipit enasci, scabra, & aspera apparet, ab alio latere lenis admodum, & subtilis est. Tertia inde procreatur, allantoidi ferè continua, & exporrecta tunica, quæ fœtum proximè cõtinet, & inuoluit, circa quã etiam embryo ipse volutatur. Hanc à mollitie amnion vocari volunt. Eam tunicam foras prodiens fœtus, secum ipse adducit, eáque contectus (si facilis, & promptus sequatur partus) prosilire solet. Vittam obstetrices, & vulgus vocare solẽt, & vittatos pueros qui cum amnio prodeunt, fœlicitatis futuræ indicium plerique esse putant, sic nasci. His tunicis complexus in vtero fœtus permanet, & à seminis facultate formatrice sic effingitur, vt primum tria principia, cor, hepar, cerebrum deformentur, lineamentis quibusdam tenuissimis, mox conspicuis magis, & spatiis inter se dissidentibus. Lineamenta porro hæc, quæ primo conformari, & quæ se vidisse in genitura illa sex dierũ Hip. testatur, cruore crasso, & rubro interlitæ, generationis venarum & arteriarũ fuisse lineamenta, & fibras putat lib. de fœt. form. Galenus: & illa omnium prima effingi, post illa autem, tria illa, de quibus modo diximus principia. Siquidem attracto in vterum sanguine, & spiritu per arterias, subtilior quidam, ac calidior, quàm qui in venis est sanguis attrahitur, ex quo videlicet calidissimum omnium viscus cor, fabricatur, reliquus autem crassior sanguis, iecinoris formam constituit. At tertium principium, quod neruorum omnium origo, & fons est (cerebrum inquam) ex solo semine, non à sanguine ortũ habet: & propterea exangue, album, molléque apparet. Cui

eadem

eadem formatrix facultas ex crassiore, ac duriore seminis parte, in externam superficiem reiecta (quæ postea temporis mora calefacta, atque arefacta in ossis naturam euasit) solidũ cerebro domicilium fabrefacit, os inquam, quod cranium vocitamus. Decebat enim fœtus eam partem, quæ diuinitatis, & rationis particeps, atque animi sedes esset futura, & in sublime attolli, & solido tecto, ac firmamento ne læderetur, muniri. Atque hæc sunt, quæ in structuræ initiis circa animalis generationem architectari solers natura consueuit. Post vero reliqua spiritu, & sanguine menstruo administris, semineque opifice, formari, atque articulari solent, quoad omnino perfectum, & absolutum sit opus. Sic ea de re tota Hippocrates: *Caro* (inquit) *au[...]escens à spiritu articulatur, & abit vnum quodque simile ad simile, densum ad densum, rarum ad rarum, humidum ad humidum, & vnumquodque ad propriam regionem abit, iuxta cognationem ad id à quo genitum est, & quæcunque,* subdit, *à densis genita sunt, densa sunt: & quæcunque ab humidis, humida [...] & reliqua iuxta eandem rationem sunt in incremento. Et ossa durescunt à calore conglutinata, & sanè ramificantur velut arbor, & tum interna, tum externa corporis, adhuc meliùs articulantur: ipsúmque caput distantiam acquirit ab humeris & brachia, ac cubiti à lateribus, & crura inter se disparantur, & nerui exiliunt circum naturas articulorum & os per se diducitur & nasus, & aures eminent in carne, ac perforantur, & oculi implentur humore puro, & pudendum conspicuum fit, vtrum tandem sit, & viscera coarticulantur.* Quid hac structuræ nostræ ab Hippocrate proditæ affiguratione appositius quicquam vel dici, vel excogitari possit, quid diuinius, quid maius, planè non video, vt qui breui compendio, vniuersam corporeæ molis substructionem, narratis structuræ modis, & opifice, sit persecutus. Sed rei huic vt coronidem imponamus, illud tantum inquirendum nobis est (de quo non satis sibi constitisse Galenus est visus) vtrum viscerum prius creetur cor, an hepar. Primo enim de semine lib. cap. 7. cor similiter vt hepar circa primos gestationis in vtero dies, quasi fundamentum quoddam generationis obtinere dicit; ex vsu ipsius cordis, qui in perfectis animalibus maximè insignis existit, ad talem ratiocinationé perductus. Verùm li. de fœt. form. palinodiam canens, contrarium omnino, conceptis etiam verbis astruxit, cor nimirũ hepate posterius gigni, & ex communi nimirum tum philo-

Vtrũ viscerũ p[r]iùs creetur, cor an hepar.

ſophorum, tum medicorum omnium ſententia, ad id ſentiẽdum inductus, qui fœtum, vſque ad manifeſtam effigiationẽ, ſimiliter vt plantas gubernari veriſſime affirmabant: túmque probabilius Galeno viſum, nullam generationis cordis in principio vtilitatem haberi, quòd quandiu ab natura ſola, plantarum inſtar regeneretur in vtero fœtus, cordis vſu minimè indigeret, perinde atque plantæ illo non indigent, vt latiùs libris de vſu reſpirationis, & de pulſuum vtilitate conſcriptis patere poteſt, in quibus oſtenditur, ad caloris natiui refrigerationem, & tutelam, pulſuum, & reſpirationis vſum ſeruire, ipſamque reſpirationis cordis gratia potiſſimùm à natura conſtitutam. Quamobrem cùm non reſpiret per primos generationis dies in vtero fœtus, ne corde quidem tum indigere videretur. Hæc eſt Gal. ratio vel præcipua, cur cordis viſcus hepate poſteriùs gigni, in fœtus productione arbitretur. Verùm etſi Galeno in ratiocinandi methodo, tantum quantum nemini alteri tribuendum ſummo ſuo merito ſit: hallucinatum tamen in hac re eum fuiſſe, cùm Ariſtotelis authoritas, tum demonſtrationum robur, quas paulo pòſt ſumus allaturi, plena fide oſtendent. Siquidem Ariſtoteles lib. de partibus animalium tertio, cap. item 3. cor & in parte corporis priori, atque in medio ſitum eſſe, in eoque principiũ vitæ, omniſque motus, ac ſenſus eſſe, conceptis verbis affirmat. Sed & eiuſdem lib. cap. 4. cor in generatione omnium primum conſiſtere, his verbis expreſſit. *Cor* (inquit) *origo prima, & fons ſanguinis eſt, aut conceptaculum primum. Hæc* (ſubdit) *ex conſectione animalium perſpici poſſunt, atque etiam ex generatione: cor enim ſtatim omnium partium primum conſiſtens, ſanguinolentum eſt, ipſúmque in prima partium generatione ſtatim palpitare aſſeuerat.* Rurſúmque lib. de generatione animalium ſecũdo, cap. 4. principium naturæ cor ſtatuit, & primum quod actu ſecernitur in fœtibus, cor eſſe: idque primum effici, atque viuere, & per obitum vita vltimo deficere, conceptis verbis affirmat. Quod & ipſum, non ſolùm ſenſuum fide conſtare, ſed & demonſtratione contendit. Eſt autem illius demonſtratio huiuſmodi: *Cùm* (inquit) *quod gignitur de ambobus, mare, inquam, & fœmina, abiunctũ iam eſt, ſeipſum gerere, gubernare, & diſpenſare debet, perinde quaſi filius à patre emãcipatus, ſeorſúmque collocatus. Itaque in fœtibus principium haberi oportet, à quo etiam pòſt ordo membrorum diſtribuatur, & quæcunque ad abſoluendum*

soluendum animal pertinent, disponantur. Nam si extrinsecus aliquandò aderit, & post inesse incipiet principium, non solùm dubitaueris, & quonam tempore accedat quæsieris, sed etiam cùm pars quæuis distinguitur, id primum substare necesse est, ex quo & incrementū, & motus cæteris partibus cōtingat. Quapropter (subdit) *cor primùm distinctum in omnibus inspicitur animalibus, quæ sanguinem habent. Id enim principium est, & similarium, & dissimilarium partium.* Hæc illa est Aristot. demonstratio, qua cor primum omnium in fœtibus substare, ostendere est annixus. Quam quidem Auicenna secutus, ita aduersus Galeni sensa ratiocinatur, etsi de quorundam mente erratum id Hip. non Gal. adscribat. *Verum* (inquit) *illud est. primum quod creatur membrum cor esse, quamuis nonnulli de Hipp. existimarint, ipsum sensisse cerebrum, & oculos primum in fœtib. efformari, vt in pullis embryonis ab ouo genitis, fieri cernitur. Cor verò* (subdit de mente Hipp. Auicenna) *non est in primis, cùm creatur in omni re apparens, & manifestum, vt sequenti serie pronuntiasse est visus, in qua affirmauit, rectius esse vt sit primum quod creatur hepar, quoniam prima corporis operatio sit nutrimentum.* Quam vtique assertionem improbans Auic. hæc subjunxit, *Sermo hic* (ait) *corruptus esse ostenditur, ex via experimenti, quoniam studiosi in hac re minimè affirmant, ex ratiocinatione rem esse perinde, atque illi est visum. Equidem cùm nutriri membrum nullum animalis possit, in quo non sit sustentatio vitæ cum calore natiuo, (vt enim nutriatur quodpiam membrum, in viuis esse omnino oportet) cùm quæ vita priuata, destitutáque sunt, ali nullatenus possint. Quod cùm ita sit, membrum id creari omnium primum necesse est, à quo & natiuus calor, & vita, ceu à principio, & fonte nascuntur, vt inde nutriri quod genitum est, possit. Tale autem membrum cor est omnium assertione, cùm sit tam medicis, quàm philosophis vitalis facultatis principium: itaque cor omnium primum gigni in fœtibus, non hepar necessarium quidem est. Sed & altera item demonstratione idipsum plenius idem autor confirmat. Facultas, inquit, formatrix, dum fœtū effingit, in eo quidem munere obeundo, nutritione partium quas format non indiget, quod tum resolutio nulla, ac dissolutio effatu digna partibus accedat, cuius merito refici ipsa alimento oporteat.* In id enim alimento nobis opus est, vt quod de substantia membrorum effluxit, restituatur, ac instauretur, vt millies in mille locis Galenus. Itaque vbi nullus substantiæ fluor inest, ibi nec alimento erit opus, atqui in fœtibus per primos dies, dum

Fen. 21. tertij can. tra. 1. c. 2. de gener.

Fē. 21. ter tij cau. crā; 1. cap. 2.

Vbi suprà.

adhuc informis ipse est, & delineari tantùm partes incipiunt, nullus est substantiæ effluxus, nulla resolutio, quæ effatu digna sit: non itaque tum alimonia opus erit. Quamobrem nec hepar, vt alimoniam præstet primùm gigni oportebit, sed contrà, cùm in omni propagandi fœtus tempore, & calore natiuo, & spiritu vitali, & omnino vita sit opus, vt fœtus & regatur, & disponatur, suisque partibus describatur, isthæc autē omnia à corde, ceu à principio quodam emanent, omnino si regi, & efformari fœtus commodè debeat, gigni omnium primùm cor, necessarium erit. Hisce ergo profectò telis euersam omnino Galeni, de hepatis primæua ante cor generatione abundè existimo. Auicennæ porrò huc adductam à me seriem meo more sensa illius fideliter recensendo, non verba interpretis eius insulsissima, & corruptissima referendo, adducere de industria volui, mutatis quidem in paulo puriorem sermonem inepti interpretis verbis, seruato tamen vbique Auicennæ sensu, fides vt maior rei constaret. Quod monuisse lectorem volui, ne eadem in Auicenna non reperiens, quæ in præsens attuli verba, falsi me insimulare posset. Atque hæc de quæstione proposita satis. Nunc illud videamus, cur monstra non rarò generentur. Id fieri Aristoteles tradit, cùm ita seminis genitalis, & naturæ in pangendo fœtu motus soluūtur, & eousque procedendo, à semetipso degenerent, vt demū ne homo quidem, sed animal tantum aliquod existat, cuiusmodi quæ gignuntur, monstra appellari meritò solent. Neq; enim quod genitum est, generanti vspiam simile euadit, sed extraneum maximè, & alienum: & quæ subest materia, à semine non superatur. Vnde nec homo ex homine nascetur, sed tantum animal, quod vniuersale seruetur in generatione: pereat autem quod singulare est. Nam si vis singularis generantis seruaretur, tale quid gigneret, quale ipsum est. Ex quo sanè naturæ errore, horrenda interdum videre est animaliū figmenta. Puerum enim ortum capite arietis, aut bouis accepit à quibusdam Aristoteles, & vitulum capite pueri, & ouem bouis capite natam idem refert. Testatur Plinius grauissimus autor, Arimaspos vno oculo in frontem monstrosè nasci. In conualle magna Imai montis regio est Abarimon vocata, in qua syluestres nascuntur homines, auersis post crura plantis, eximiæ velocitatis. In India plerosque gigni longitudine quina cubita excedentes, idem autor est.

Cur monstra generentur.

Lib. 4. de gen. anim. cap. 3.

Vbi suprà.

Lib. 7. nat. hist. cap. 4.

Prout

Prout & quosdam caninis capitibus nasci, qui pro voce latratum edant, & vnguibus armatos venatu, & aucupio vesci. Propè Trogloditas occidentem versus, quosdam sine ceruicibus, oculos in humeris habentes nasci, idem testatur. Alcippen mulierem elephantum peperisse, & inter initia Marsici belli ancillam quandam serpentem enixam, idem etiam refert. *vbi suprà. cap. 3.* Hæc quidem, atque talia ex hominum genere, lubidria sibi, nobis miracula, ingeniosa fecit natura. Et singula quidem quæ facit in dies, aut propè horas quis enumerare valeat? Vidi ego Arelate hoc ipso quo hæc scribebam, anno (erat autẽ is 54, supra sesquimillesimum) agnum vno capite, & ceruice, reliqua bicorporeum totum, quatuor vtrinque cruribus, duplici ventre. Puerum quoque eodem anno monstrosum in pago Senas, propè Druentiam bicipitem natum, à plerisque non dilutæ fidei hominibus, qui spectatores fuerunt, oculatíque testes accepimus: perinde atque alium quendam, qui circunferebatur Auenione vidisse memini, à ceruice infrà bicorporeum totum. Hęc sunt ludentis naturæ circa fœtus aberrantis, ludibria. Monstra porrò ea propriè sunt quæ contra naturam fiunt, qualia quę modò recensuimus. *Monstra quæ sint.* Nec solùm ea monstra dicuntur, quæ diuersorum animalium speciem gerunt, verùm etiam ea, quę forma prodeant multimembri, scilicet multis pedibus, aut multis capitibus, vt Aristotelis mens est lib. de generatione animalium quarto, cap. 5. Itaq; profectò rationes monstrorum, & oblæsorum animalium propinquæ, & similes inter se quodam modo sunt: monstrum enim oblæsio quædam est. Deesse enim fœtui quicquam, aut superesse monstrosum est, vt idem Arist. tradit. Fiunt autem monstra, vt autor definitionum medicarum arbitratur, vel declinatione, obliquitatéque vteri (nam quòd inæqualiter semen effunditur, monstra progignit) perindè atque liquatum plumbum si inæqualiter defusum sit, inæquale, atque deforme conflatur opus. *Lib. 4. de gen. anim. cap. 4.* Itaque monstra, vel per excessum, vel per defectum fiunt, vt quæ amplo, vel passerino sunt capite, & quæ numerosis, aut à recto numero deficientibus digitis prodeunt. Omni iam fœtuum formationis, atque monstrorum enarrata historia, ad gestationis fœtuum explicandam historiam properemus. Gestationem porrò totum id tempus dici volunt, quod à genito intus infante, ad eius exitũ interest: cùm sit gestatio nihil prorsus aliud, quàm geniti in *De Gestatione.*

vtero infantis ad partum vsque permansio, atque mora. Nō enim sat est concipi in vtero fœtum, ni is congrua mora maturescat, atque absoluatur: quod tempus maturitatis, & moræ gestationem nominare Medici consueuerunt, & mulieres tum ventrem gestare à Iurisperitiis dicuntur. Quò autem dierum, ac mensium numero gestatio ea, quæ secundum naturam est, compleri soleat, ex diuini Hip. sensis proferemus, etsi hac tota de re, propositoque argumento fusissimè à nobis, libro nostrarum Enarrationum tertio, enarratione septima (quod nos opus recens hoc ipso anno in lucem emisimus) dictum sit, quantum tamen tractationi huic locorum communium congruere videbitur, ne quid operi desit, quod desiderari à candido lectore possit, tantum profecto adiiciemus Arist. Porro partum, qui temporius quàm septimo mense prodeat, qui quidem vitalis esse possit, nullum inueniri, atque hunc primum vitalem exire, lib. de nat. anim. septimo. cap. 4. constantissimè, atque verissimè affirmauit. Vt sit primus perfectę gestationis limes, septimus mensis, prout extremus, & consummatus, decimus: idque vel Hippocratis testimonio, qui eas, quæ longiùs, quàm decem mensium tempus vterum gestare sibi visæ sunt, deceptas esse testatur, idque in hunc modum, quòd vteri sæpe spiritum accipiant in seipsos, à ventre flatum exhibente, eleuato tum, atque intumescente vtero, videntur sanè sibi tum mulieres concepisse. Quinetiā mensibus non procedētibus, atque in vtero congregatis, aut calescentes, aut flatibus mixti, falsam quandam gestationis speciem, non rarò mulieribus præbent, vt sibi in vtero habere videantur, nimirùm menstruis non prodeuntibus, & vteris eleuatis. Non posse autem diutiùs quàm decem mensium spatio, fœtus in vtero gestari, sic probat Hippocrates, quòd alimentum, atque incrementum, quod à matre fœtui suggeritur, non amplius puero sufficiens sit, vbi decem præterierint menses fœtu nimirum iam nimium aucto. Trahit enim quod dulcissimum est in sanguine ad sese fœtus, quod cùm illi eo mensium expleto numero sufficere non possit, rarius vtique, & minus à matre deriuatum, ipseque puer plenus, ac maturus, copiosius alimentum desideret, calcitrat, ac pelliculas rumpens initium partus matri inducit, sicque foras egredi inopia alimēti, & loci cogitur. Hunc itaq; summū gestationis terminum Hip. lib. de pueri natura posuit. Verùm alio loco, nempe

Lib. de nat. pueri.

nempe lib.de septimestri partu,atque lib. de octimestri, diuersum idem autor sentire videtur, nempe in vndecimum vsque mensem proferri partum posse. Eius porrò vtrobique verba subiiciam, vt pugnantes Hippocratis loci conciliari à nobis commodiùs possint. *Porrò* (inquit) *mulieribus de partibus fidem derogare non oportet: dicunt enim omnia, & semper dicüt & semper proferunt. Neque enim aut opere, aut sermone persuasæ sunt, sed ex eo quod cognouerunt accidisse in corporibus suis. Quæ vero iudicio prædita sunt, & victoriam de hac sententia pronunciant, semper dicunt ac testantur, nasci septimestres, & octimestres, & nonimestres & decimestres & vndecimestres. Lib. verò de octimestri partu Cæterùm* (inquit) *decimestres & vndecimestres partus ex septem quadragenariis eodē modo fiunt.* & paulò post: *Ex his igitur omnibus necessarium est plerásque mulieres circa plenilunium, & vltra in ventre concipere, vt ducenti & octoginta dies sæpe vndecimum mensem apprehendere videantur, tot enim dies septem quadragenarios constituunt. Nam cum vltra plenilunium mulier concipit, necesse est eum conceptum vndecimum mensem attingere ac apprehendere, quo ad vltimum circuitum perueniat.* Idemque Arist. lib. 7. de hist. animal. cap. 4. conceptis verbis testatur, mulieres quasdam vndecimum tangere mensem. Plinius vero Vestiliam C. Herdicij coniugem, Gillum Ruffum vndecimo peperisse mense, re vera affirmat. *lib. 7. nat. hist. cap. 5* Aulus Gellius luculentissimus scriptor, de Varronis sententia scribit, vndecimo mense aliquādo nasci hominē posse, idq; à Varrone lib. 14. rerum diuinarum proditum esse. Quin & vsu hoc quoque venisse Romæ comperit, fœminam bonis, ac honestis moribus, nec dubia pudicitia in vndecimo mense, post mariti mortem peperisse, causaque ad diuum Hadrianum delata, ac cognita, decreuisse in vndecimo quoque mense partum edi posse, idque se statuere requisitis veterum philosophorum & medicorum sententiis. Quòd si tam multis tantorum virorum testimoniis, gestari ventrem vndecim mēses posse, asseueratum est, cur Hippocrates (quod suprà diximus) vltra decimum mensem gestari minimè posse affirmauit? Et Vlpianus iureconsultus post decem menses natū, ad legitimam hæreditatem non admittit: quod illegitimum eum partum qui post decem à morte patris editus sit menses, existimarit: legitimum vero illum qui centum & octoginta diebus exactis in lucem emissus sit. Vt verò omnis ab Hip *l. intestato §. post decem menses. ff. de suis et leg. hæred.*

pocratis dictis pugnantia tollatur, id tantùm dicemus, iustũ, & maximè secundum naturam gestationis limitem, decimũ mensem esse exactum, nec vltra illud tempus ob alimenti & loci penuriam consistere foetus in vtero posse, nisi forte ad paucos tantùm vltra decimum mensem dies, nempe duos, aut tres. Nam totos vndecim menses consistere in vtero foetum, naturæ ratio non admittit: & hoc est quod verba illa tũ Aristotelis, tum Hippocratis sonant, quasdam mulieres vndecimum tangere, hoc est paucos vndecimi mensis attingere dies, sed rarissimum id est: vt haud immeritò Varro Romanorum longè doctissimus id dixisse sit visus, antiquos Romanos huiusmodi, quasi monstrosas raritates non recepisse, sed nono mense, aut decimo, neque præter hos alias partiones mulieris secundum naturam fieri, existimasse. Quod & sensisse Hippocratem iudico, dum decimum mensem, summum gestationis terminum voluit esse. Sed de gestatione hactenus. Superest vt de partibus vltimo loco agamus, quorum vt varia, & nonnunquam prodigiosa est ratio, sic vna tantum, quæ secundum naturam sit, cùm in caput procedit puer. Vnde Hippo. Puer autem (inquit) procedit in caput, si secundùm naturam prodierit. Fit autem partus tum maximè, cùm puero, & alimenti, & loci inopia oppresso, motus validus accidit, quo manibus, ac pedibus calcitrante, pelliculam quandam internam rumpi contingit: rupta autem vna, etiam aliæ debiliorem vim habent, & rumpentur primùm quidem illi cõtiguæ, & cohærentes, posteà extrema. Quum autem ruptæ fuerint pelliculæ, tùm foetus à vinculis exsoluitur, & agitatus foras procedit. Ruptis autem membranis, ichores prodeunt multi, & cruenta multa, doloresque tum validi parturientes diuexant, dum rumpuntur vincula, & fortiter calcitrat foetus, viam sibi, & aditum valido motu parans. Atque hæc est naturalis partus ratio. De innaturali vero pauca ex adiuratorũ sententia autorum promemus. Innaturales porrò eos partus rerum naturæ scientissimi vocant, qui naturæ ordinem peruertant: est autẽ is naturæ ordo, vt in caput procedat puer, sequantur reliqua corporis. Quorum verò in nascendo non caput, sed pedes primi exeunt, Agrippas hos, vt ægrè partus appellant: hic enim partus difficillimus, ægerrimúsque habetur, ac vt Plinius tradit, contra naturam est. Varro capite infimo nixos (de partubus rationem instituens) confixos esse

Libr. 7. de hist. an. c. 4
Li. de oct. par.
Ex Gellio Lib. 3. noctium attic. cap. 17.
lib. de nat. puer.

in vtero pueros dicit, sursum pedibus elatis, non vt hominis natura est, sed vt arboris. Nam pedes cruráque arboris appellat ramos, caput, stirpem, atque caudicem. Quando igitur, inquit, contra naturam forte conuersi in pedes, brachiis plerúque diductis retineri solent, ægriúsque tunc mulieres enituntur. Interdum verò in latus fœtus progreditur, qui item partus difficillimus habetur. Multos porro in pedes prodiisse, quotidiéque prodire, cùm veterum monumenta tum ipsa sensuum fides docent. Hoc pacto M. Aggrippam ferunt genitum: sic Agrippinas vtrásque: sic Neronem toto principatu suo hostem generis humani, pedibus genitum, parens eius scribit Agrippina, vt Plinius tradit. Itaque ritu naturæ capite hominem gigni mos est, pedibus efferri. Cæsa nonnunquam, enectáque prius, vt enixus parente, foras prodeunt partus, viui quandoque, non raro & mortui, ac sæpe ferramentis, vncinísque integra, & viua matre educti. Qui enecta parente, & cæsa gignuntur, vitalésque sunt auspicatius nasci dicuntur. Hoc pacto Scipionem Africanum priorem, Iuliúmque Cæsarem, & Manlium, natos esse Plin. scribit. Qui verò sic prodeunt, Cæsares tum, & Cæsones, à cæso matris vtero appellantur, vnde Cæsarum nomen deductum. Prout & Vopiscos eos nominabāt, cùm è geminis vnus nasceretur, altero interempto abortu. Nec verò solùm in ipsa partuum in lucem emissione, rara circa hoc miracula existunt, vt ægrè prodeant partus, sed in numerosa sobole vnico partu educta, non minora contingunt. Arist. in Ægypto, & tres & iiij. nasci, idque crebro fieri testatur. Quin & quinque cumplurimum nasci, ídque pluribus mulieribus euenisse in Ægypto conspectum fuisse tradit, quandámque mulierem partubus quatuor, viginti pueros enixam, quinósque singulis partubus edidisse, qui & enutriri, & adolescere potuerint, pro cōperto vult haberi, contigisséq; affirmat. Quin & admirabilius quiddam, vt in muliere quadam facta fœtuum corruptione duodecim superfœtata puerperia egesta sint, accedente mirabili numerosæ prolis testimonio, idem testatur. Superfœtare autem mulieres posse, & Hippocratis liber de superfœtatione inscriptus, & Aristotelis atque Plinij plena dignitatis autoritas, & ipsa experientiæ fides abundè docent. Multas namque superfœtasse mulieres, Aristoteles variis exemplis lib. de nat. anim. 7. cap. 4. ad finem tradit. Qua verò periodo cùm in mare, tum

Lib. 7. na. hist. cap. 8.
Ex Gellio lib. 16. noc. att. ca. 16.
Libr. nat. hist. 7. c. 8.
Lib. 7. nat. hist. cap. 9.
Libr. 7. de nat. anim. cap. 4.
Vbi suprà
Libr. 7. de na. hist. c. 11

in fœmina generandi ratio finiatur, paucis promendum. Mulier post quinquagesimum annum non gignit vt plurimùm, maiórque pars quinto, & quadragesimo profluuium genitale sistit, amissæ fœcunditatis testimonium. Mares ad septuagesimum annum generare adhuc possunt. Sed in vtroque sexu nulla stata ratio, nullus præfixus finis est, cùm alij alijs temporius, aut tardius generandi tempora, aut finiant, aut proferant, prout corporis, & vitæ, & succorum, & temperamenti, & cœli bonitas, atque habitudo quemque in fœliciorem naturam prouexerit. Masinissam Regem, post octoginta sex annos filium generasse, literis proditum est: Catonem Censorium octogesimo exacto, Corneliam verò inter mulieres è Scipionum gēte, Volusium Saturnnium post sexagesimum secundum annum genuisse, veterum monumentis constat. Valescus a Taranta medicus haud ignobilis, vidisse se puerperam mulierem, quæ sexagesimo septimo suæ ætatis peperisset anno (cùm alios anno sexagesimo, & sexagesimo primo peperisset) lib.6.cap.12. sui operis, quod Philonium inscripsit, testatur. At de his hæc dixisse sufficiat, hicque capitis huius finis esto.

ex Pli. lib. 7. cap. 14.

De conceptione, fœtuum formatione & partu, Hippocratis, & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

AD conceptionem aptiores mulieres paruæ maioribus, tenues crassis, albæ rubicundis, nigræ liuidis, & quæ venas cōspicuas habent, non apparentibus. *lib. 1. prædictionum.*

Vt conceptio fiat vterum sanum oportet, siccū, ac mollem, neque retractum, neque os habere auersum, conclusum, aut euersum. *Ibid.*

Concipere in vtero, quæ mulieres non possunt, verùm pallidæ apparent, neque febre, neque visceribus in causa existentibus, hæ capite se dolere docent, & menses sibi malè, ac meracos prodire. *Ibidem.*

Quæcunque in vtero se concepisse putant, & non conceperunt, & per multos menses fallun tur, menstruis purgationibus non apparentibus, & ventres augeri, ac moueri vident, hæ & caput dolent, & collum, & præcordia, & in mammis lac ipsis non est, nisi modicum quiddam, & aquosum. *eod. lib.*

Con-

Concipere in ventre pluribus mulieribus necessarium est, post menstrua purgamenta, vbi ab his exolutæ fuerint. *lib. de octimestri partu.*

Quæ circa plenilunium, & vltra concipiunt, sæpe vndecimum mensem apprehendere videntur. *lib. de octimestri part.*

Si mulier non concipiat, purgatoria matricis plurima. *lib. de natura muliebri, & de mulierum morbis.*

Si velis mulierem prægnantem fieri, ipsam, & vteros purgato, & vinum meracum dato, & quæ sequuntur multa. *lib. de muliebri nat.*

Quæ mulieres concipiunt quidem, sed fœtum gestare non possunt, quod ipsis in vtero corrumpantur tertio, aut quarto mense, in his vteros malè habere, humectósque nimium esse, aut duros, aut resiccatos, aut malo aliquo premi oportet. *lib. de morbis mulierum.*

Vt mulier concipiat, considerandi menses quales sunt. *eod. lib.*

Quum purgatæ fuerint mulieres à mensibus, maximè tum in ventre concipiunt, cum viro consuetudinem habentes, & genitura ipsis corroboratur. *lib. de morbis mulierum.*

Mulier si quidem euacuatur à sanguine, in ventre concipit, si verò repleta fuerit, non. *lib. de nat. pueri.*

Conceptus molæ fit, cùm plurimi menses, semen modicum & morbosum conceperint, neque conceptus rectus fit, & venter plenus est, velut prægnantis. *lib. de mulier. morb.*

Mulier prægnans si non coitu vtatur, facilius à partu liberabitur. *lib. de superfœtatione.*

Prægnantem mulierem si aliter non cognoscas, oculi tracti, & cauiores fiunt, & candidum oculorum albedinis naturam non habet, sed liuidius existit. *lib. de superfœtatione.*

Non concipientium variæ affectiones. *lib. de morb. mulier.*

Ad conceptum præparatio varia. *lib. de superfœtatione.*

Quæ mulieres difficulter concipiant, nempe quib. ostiũ vteri alio inclinatur, & ad coxam allabitur. *Lib. de morbis mulierum.*

Conceptus maris tùm maximè fit, si ab vtrisque semen fortius prodierit, si vero debile, fœmina. *lib. de genitur.*

Mulieres si cùm viris coëant, magis sanæ sunt, si non, minus. *lib. de genitura.*

De fœtuum porrò generatione, vide librum de natura

pueri vniuersum, in quo omnis formandi fœtus tam maris quàm fœminæ ratio exactè ab Hippocrate ponitur.

Quicquid (de fœtibus loquens Hippocrates ait) in septuaginta mouetur, in triplicitatibus perficitur. *lib. 2. de popularibus morb. & item lib. 6. eiusdem tractationis.*

Partus modus est, vt deficiente alimento prodeat puer. *lib. de natura pueri.*

Partus fit, cùm ruptis calcitratu, & motu valido pueri, membranis, ipse à vinculis exolutus, foras prodit. *lib. de natura pueri.*

In partu procedere in caput puerum oportet, si secundum naturam prodierit. *Ibid.*

Partus septimestris, & nouimestris, vitales sunt, octimestris minimè vitalis. *Lib. de carnibus, & lib. de sept. partu. & octimestri.*

Partus in vtero concussio lethalis. *lib. 7. de popularibus morbis.*

Partus debiles cur fiant. Lib. de genitura. Vteri enim causa, aut seminis id fieri Hipp. tradit.

Partus manci, hoc est aut claudi, aut cæci in ventre octauo mense laborarunt. *lib. de sept. part.*

De partubus fidem derogare mulieribus non oportet, vt quæ ea proferát, quæ in corporibus suis contigisse cognouerunt *lib. de sept. part.*

Partus septimestres nascuntur diebus centum & octoginta duobus, ac dimidio, & insuper accedente diei particula, *lib. de sept. part.*

Partus septimestres ob id edi, quòd maturescente fœtu, & robore multum augescente, pelliculis, in quibus conclusus in vtero manet, à fortissimo fœtu violatis, atque laxatis, quémadmodum in semente spicarum membranæ laxantur, ad id coactæ antequam fructus perfectè maturescat, tum & vuluã impleri, & partum violento quodam motu accelerari necesse est. *lib. de sept. part.*

Partus septimestres ex vtero egressi, quadraginta dierum afflictionem pati coguntur. *eod. lib.*

Partus septimestres ob id vitales, quòd ratio, & tempus, in quo enutriti sunt in vtero, constat, vt omnium participes sint effecti, quorum etiam perfectissimi participes existunt. *Eo. lib.*

Partus

Partus purgamenta cùm non fuerint purgata, grauiter laborant mulieres.*lib.de morb.mul.*

In partu plurimùm laborant primiparæ, ob inexperientiam dolorum, *lib.de nat.pueri.*

Partus difficilis cùm ad multùm tempus in parturitione puerum edere mulier non potest, túmque aut obliquus, aut in pedes procedit puer.*lib.de morb.mulier.*

Partus ſptimeſtres, octimeſtres, nouimeſtres, & decimeſtres, & vndecimeſtres naſci, mulieres teſtantur. *Lib.de ſept. part.*

Partus octimeſtres, ob id ſuperſtites non eſſe, quòd impoſſibile ſit, vt duas conſequenter ſuccedentes afflictiones pueri ferre poſſint.*lib.de octim.part.*

Suppetationem menſium, in geſtatione fœtuum, per menſes ſolares xxx.dierum fieri debere, affirmat conceptis verbis, lib.de octimeſtri partu Hipp.cùm dicit: Nouilunium, quod dies vnus extitit, eſſe trigeſimam menſis partem, duos autem dies quindecimam, & tres dies partem menſis eſſe decimam, & reliquos iuxta horum rationem: vnde elicere eſt ſupputationem non lunaribus menſibus, ſed ſolaribus eſſe faciendam.

GALENI.

CONCEPTIO eſt ſeminis comprehenſio. *Lib. 1. de ſemin.*

Conceptionis nomen à mulieribus impoſitum eſt. *Ibid.*

Conceptionis modus, & ratio tota expoſita. *lib.14.de vſu par.cap.3.& lib.1.de ſem.cap.4.*

Conceptionis tempus eſt, vel incipientibus, vel ceſſantibus menſtruis.*Lib.de diſſect.vulua.*

Concipere cur alio tempore, quàm dum vel incipiunt, vel ceſſant menſes, mulieres nequeant, cauſa eſt, quòd ſemen nequeat in vulua remanere, ſed à confluentis ſanguinis copia eluatur.*lib.de diſſ vulua.*

Conceptio fœminæ, ex colore mulieris deprehenditur. Nam quæ fœminam concepit, minùs ſeipſa colorata apparet, quoniam frigidior eſt fœmina mare.*lib.5.aph.com.42.*

Concipitur fœmina, cùm vel viri ſemẽ, vel vterus mulieris frigidior eſt, quo tempore fit conceptus.*Eod.com.*

Cùm concepit mulier, vteri os comprimitur.*lib.5. aphor. com.51.*

Conceperit mulier, an conceptura sit, ex odoris perceptione si deorsum suffiatur, deprehendemus. *lib 5. aphor cō 59.*

Conceperit mulier si nosse volueris, dormituræ aquam mulsam præbeto, & si tormina patietur, concepit: si non, minimè. *lib. 5. aph. com. 41.*

Conceptionis indicium ex colore. Nam quæ marem cōcepit, bene colorata, quæ fœminam malè. *lib 5. aph. com 42.*

Conceptionis maximum indicium, si obstetrix immisso digito os vteri tangere possit: statim enim cùm semen intra se ipsas acceperint mulieres, totum sui interius contrahunt spatium, & claudunt os. *lib. 5. aphor. com. 51.*

Conceptus nutriuntur humore spumeo ad ipsos delato, qui talis est, quale est lac. *li 5. aph com 39*

Conceptus sanguinem habet sibi deputatum. *Lib. 5. aph. com. 44.*

Conceptus nutriuntur dulcissimo, quod in sanguine est. *lib. 5. aph. com. 37.*

Conceptus cùm minimum absumit alimenti, magis implentur mammæ. *lib. 5. aph. com. 52.*

Concipientes extenuatæ, abortiunt antequàm crassescant. *lib. 5. apho. com. 44.*

Conceptus in læua parte vteri constitutus frigidior. *Lib. 5. aph. com. 44.*

De fœtuum formatione, Galeni loci.

FOETVM appellat Hipp. quod in vtero est, quando tria principia coagulationem quandam, & magnitudinem alicuius momenti præ se tulerint: quod secundum tempus totius fabricæ animalis est. *Lib. 1. de sem cap. 7.*

Hippocrates fœtuum fabricam vniuersam, quatuor temporibus diuisit. Primum est, cùm adhuc in abortibus, vel dissectione seminis species apparet, quo tempore Hipp. animalis constitutionem, non fœtum, sed genituram appellat. Vbi verò sanguine fuerit repletum semen, corque & cerebrum, & iecur indistinctam adhuc, & informem, quandam tamen coagulationem præ se tulerint, fœtum: atque id secundum est tempus, cùm iam videlicet substantia fœtus carnea, non amplius seminalis apparet. Tertium tempus, cum crurum, & brachiorum distinctio conspicitur, sed obscurior. Quartū illud, & extremum tempus est, cùm brachia, & crura absolu-

tè

tè distincta conspiciuntur, cùm & palpitat & mouetur, túmque non iam fœtum, sed infantem Hippocrates vocat. *Lib.1. de sem cap.7.*

Fœtificationis tempus innotescere absque eo vt seminis conceptio obseruetur, nullo pacto potest, *lib.de sept.part.*

De fœtuum formatione dissertatio non solùm philosophis, sed & medicis vtilissima. *Lib.de fœtuum format.*

De fœtu. .m formatione philosophi veteres, falsa, Hippocrates primus omnium vera conscripsit. *Lib.de fœtuum format.*

Fœtuum formatio, an ex motu aliquo irrationali ad optimum finem perueniat, an ab aliquo rationali, & num illo perpetuò assidente, num potius vbi plantarum, & animalium semina pr :pararit, vt ad tantam motuum successionem idonea sint, nihil amplius agat. *eod.lib.*

Fœtuũ generatio ex vtraque genitura, maris, & fœminæ commixta fit, Hipp. *Lib 2.de sem.ca.1.*

Fœtum anima non format. *Lib.de fœt.form.*

Fœtuum formatio quadripartita: prima ad venas, arterias, chorion, & iecur pertinet: secunda ad principiorum delineationem: tertia ad brachiorum, crurum & reliquorum deformationem: quarta cùm iam in lucem editus est infans Ad ea quæ partim absentia denuo accedunt, partim inchoata perficiuntur. *lib.de fœtuum format.*

F:etus per singulas eius partes, formatio tota exposita. *lib.eod.*

Fœtuum pars nulla, absque substantia sanguinea nasci potest. *ib.de fœtuum format.*

Fœtus eadem, quæ plantæ in primo ortu dispensatio. *lib. de fœtuum format.* & eiusdem ad plantas comparatio. *Ibid. & lib.1.de sem.cap.7.*

Fœtus planta quædam sanguinea, vel carnea est. *lib. 1.de sem.cap.7.*

Fœtus planta quædã sanguinea vel carnea est. *Li 1.de se.c.7.*

Fœtui vndiquaque circumiecti loci conspiciuntur in dissectionibus animalium. *lib.1.de sem.cap.4.*

Fœtum inuoluẽtes membranæ quot, & quæ: sunt enim tres, chorion, allantoides, amnion. *lib.de diss.vulua.*

Fœtus temperatura calidior & siccior marem, frigidior & humidior fœminam generat. *lib.2.de sem.cap.5*

Foetus neque arteriarum, neque pulsuum, neque cordis

vsu indiget,in prima sui formatione,vti nec plantæ *lib.de fœt. form.*

Fœtui præter vegetabile principium: quod omniũ primũ habet,addita sunt alia duo alterũ instrumentorũ, quę calorem naturalem conseruent: alterum eorum, quæ omnibus ex appetitione functionib.obtẽperent. Sunt autem duo illa principia,cor,& cerebrum.*lib.1.de sem.c.7.*

Fœtibus, neque expressę formationis, neque motionis, neque absolutionis,neque egressus in lucem, vnus præfinitus terminus est.*libr de fœt.form.*

Fœtus tum primùm animalis modo administratur, cùm cor pulsare incipit,& arteriæ moueri. Tum enim non amplius vt planta,sed vt animal quoddã regitur.*lib.de fœt.form.*

Fœtus non amissa, quam primum habet, plantæ facultate, sed alia insuper acquisita in animal euadit. *lib. 1. de sem.cap.7.*

Fœtus in vtero gustu sentit, cæteris sensibus quietem agit,& ociatur.*lib. An animal sit,quod in vtero est.*

Fœtus, facultatum ipsum gubernantium origines, in se sitas habet *lib.6.de plac.Hip.& Plat.*

Fœtus num venarum principium in se habeat,an à vulua pręgnantis accipiat,tacta quęstio à Gal. *lib.6.de plac.Hip. & Plat.* vult autem Gale. eo ipso loco à se ipso fœtum, non à vulua hęc principia insita habere.*Vide pag.951.b.*

Fœtus ipsius generationis,ad plantarum ortum pulcherrima comparatio,atque expositio. *Lib.1. de sem.c.7.& lib.de fœt.form.*

Fœtus per vasa chorij,seu secundę membranę (quę quidem vasa ex arteriis, & venis vteri existunt) vtero alligatur. *lib.de fœt.form.*

Fœtus qui in vtero gestatur cerebro non indiget, quum nec voluntario motu,aut actione,nec sensu vllo,aut exteriori,aut interno habeat opus.*lib de fœt.form.*

In fœtibus formandis scopos haudquaquam citra sapientissimum eundemque potentissimum opificem factos esse, affirmat sanctissimè Gal.*lib.de fœt.form.*

In fœtuum formatione suprema video (inquit Gal.) sapientiam,ac potestatem *lib.de fœt.form.*

Fœtum, neque ab anima in semine plantatitia quędã ab Arist.vocata,appetitrice à Plat.ab Stoicis natura, formari exi-

existimat conceptis verbis Gal. li.de fœ.for. quod ea natura nō solū nō sit sapiens,sed & penitus bruta,& rationis expers.

Fœtum formantē animam,apparet ex parentibus in fœtum ipsum transfundi,ceu in semine contentam,vnde natorum ad parentes similitudo.*Lib.de fœt.f r.* Sed hîc animaduertendum, Gal.nomine animæ , non rationalem animam intelligere,sed id quod naturam, seu vegetalē animam nuncupamus. Nam de rationali anima idemmet Gal. lib.An animal sit quod in vt.est , conceptis verbis testatur,à creatore vniuersi vnà cum iacto à semine insitam esse , vt gubernandi vim corporis haberet.Et rursus eod.lib.animam ipsam ab vniuersis animis ,& cœlesti choro delapsam,cœlestem diuinitatem attingere,& diuinius quodpiam,quàm naturam sortitam esse sanctissime affirmat.

De fœtus opifice causâ,dubitare se consilij inopem, confitetur Gale.*Lib.de fœt.form.*cùm tamen idem ,tum libris de vsu part.tum eod.ipso de fœt.form.libro,& eo in quo quæritur.An animal sit,quod in vtero continetur,creatoris in pāgendo fœtu,& partium vsu,potentiam,sapientiam,artem , vbique admiretur,ac prædicet,quasi sui oblitus.

Fœtus in vtero,animalia esse probat,lib.ad id dicato Galenus:tum præcipuè ex pœnis legibus illatis iis , qui abortus causa extiterint,tum quod in ventre constituti fœtus , heredes,legitimi legibus constituantur,id non effecturæ nisi animal esset,quod in vtero continetur.

Fœtuum ad vteros,& plantarum ad fructus comparatio *lib.4.aph.com.1.*

Fœtuum ad vteros connexus, eandem habent proportionem,quam fructus ad plandas. *Eo.com.*

Fœtus ita se habet,vt fructus in arbore. *Eodem com.*

Vt fructus in prima generatione , debilioribus capulis continentur,& ideo facilè decidunt,posthac aucti difficilem habent à plantis dissolutionem , sicuti rursus cùm perfecti sunt,sponte sua sine vi extrinseca decidunt : eodem modo & fœtus in primo quidem tempore facillimè dirumpuntur.Sic quando & iam perfecti sunt : tempore verò intermedio firmiorem habent coalitum.*lib 4.aph.com.1.*

Fœtibus nulla alia materia ad alimoniam idonea est, quàm quæ à fœtante suppeditatur.*lib.de fœt.form.*

Fœtus alitur menstruo sanguine,à toto corpore ad vteri

fluente.*lib.5.aph.com.60.*

Fœtus in vtero, non solùm ab ea materia, quæ per vmbilicum ad portas in iecur è secundis fertur, alitur, sed maximè per eas, quæ perfectiores sunt, ac per quascunque defertur, nutrimento fruitur. *li. An animal sit, quod in vtero est.*

Fœtus in vtero, ore nutrimentum sumit, vel eo testimonio, quod post partum protinus infans mammam appetat. Neque enim, nisi anteà huic viç assuetus esset, eam tam in promptu mammam appetens haberet. *li. An animal sit, &c.*

Fœtus in vtero, per os, & nares spirat de Hip. sententia, ait Gal. *lib. An animal sit, quod, &c.*

Fœtus in vtero, vt ab ore matris alimentum, sic & spiritum accipit, per ea vasa, quæ ad vmbilicum sunt, nec per os respirant. *libr.6. de vsu part. cap.10.*

Pugnantes sunt ij duo loci, cùm altero dicat fœtum ore, & naribus respirare, altero vero non ore, & naribus, sed à matris ore spiritum ducere.

In fœtu iam in lucem edito, natura vasorum quasdam anastomoses, quæ ad cor pertinent abolet, atque extinguit. *li. 6. de vsu part. cap.21.*

Fœtus masculei in dextra matricis parte, fœminei in sinistra magis geruntur. *li.14. de vsu part. c.7.*

Fœtus imbecillis indicium, lac multum è mammillis vtero gerentis fluere. *lib.14. de vsu part. cap.8. & 5. aph.52.*

Fœtus in vtero, totum lotium sursum ad vmbilicum, atq; vrinaculum mittit: nec meatu, qui in collo vesicæ est, vtitur. *lib.15. de vsu part. c.5.*

Fœtus in vtero quare à iam natis dissideant, longissima explicatio. *lib.15. de vsu part. c.6.*

Fœtus editus, partium vsum à natura docet. *lib.15. de vsu part. cap.7.*

Fœtus, cur propter gestantium febres corrumpitur. *lib.5. aph. com.55.*

Fœtus sanus esse non potest, si mulieri purgationes eant, *lib.5. aph. com 60.*

Fœtus vigor, item & matris, faciunt ad bonum partum. *li. 5. aph. com.55.*

Fœtus si debent corrumpi, priùs mammæ extenuantur, vterum gestantis. *lib.5. aph. com.53.*

De Partu, Galeni loci.

Partus

PARTVS fit,cum fœtus ita iam perfectus eſt ,vt per os nutriri poſſit.*Lib.15.de vſu part.c.7.*

In Partu,natura diligenter prouidit , quo pacto fœtus, qua conueniebat figura ad collum matricis perueniret.*Eod. lib.& cap.*

Partus dolores,ſunt ſpiritus conferti impetus,ad embryi excurſum.*In defin.medic.*

Prodeunt in lucem partus,quatuor figuris , ſiue habitibus,vna in caput,quæ ſecundum naturam eſt , tres reliquæ præter naturam,,eæ ſunt,in pedes,in latus,in duplum.*In defin.medic.*

Ægri partus tribus modis fiunt,pro gerente in vtero,pro eo quod geritur,pro exterioribus,& vide horum omnium exempla.*Eod.lib.*

Partus ſeptimeſtres cur viuant,octimeſtres minimè,quoniam numerus octonarius par eſt,& coniunctus,nec decretorius,ſeptimus impar neque coniunctus,atque ob id decretorius.Eodem lib.Vide alias rationes,ex Hippo.à me adductas, tum hoc c.tum lib.mearum enar.4.enar.7.

Partus boni,duo exigunt , & vigorem infantis , & prægnantis.*Lib 5.aph.com.55.*

Partus non ſine periculo fit,cum & fœtus valetudinarius eſt,& mater imbecilla.*l.5.aph.com.55.*


Parienti difficulter mulieri,ſternutatio ſuperueniens bonum.*Lib 5.aph.com.35.*

Partus initium matri fœtus adfert , plus cibi requirens quàm id quod adeſt,cùm calcitrans,& membranas dirũpens: quod fit ante x.menſes,propterea partus initium facit.*lib.5. aph.com 37.*

Parturientes mulieres,obſtetrices non illico ſurgere iubent,nec in ſella collocant,imo prius os vteri , quod paulatim ſe aperit,tangunt,& parua deinde interpoſita mora , cũ dehiſcentis vteri modum auctum vident ,vt ad fœtus tranſitum ſatis pateat,tum ſurgere mulierem iubent,& in ſubſellio collocant,ac ad expellendum ſtrenuè fœtum ſe paret,adhortantur.*Lib.3.de nat fac.cap.3.*

Partus,qua tempeſtate difficiles,imbecilli,& morbidi euadant.*Lib.3.aphor.com.12.*Fiunt autem tales,cùm hyems auſtralis,& pluuioſa,ver autem ſiccum,& aquilonium fuerit.


A partu retenta purgatio , quæ mala ſequantur. *Lib.1. prorrhet.Hipp.aph.48.& com.eo.*



LOCORVM MEDICINAE COMMVNIVM FRANCISCO VALERIOLA MEDICO AVTORE,

LIBER SECVNDVS.

De causis salubrius, seu rebus non naturalibus, quaenam & quot sint. CAP. I.



Vm de his rebus omnibus, quæ nobis natura insunt, quæque corporis nostri essentiam continent, ac constituunt, dictum à nobis accuratè, & copiosè superioribus capitib. sit, omnésque ad id negotij pertinentes locos vniuersim tractauerimus: consequens est, vt ad ea ordine progrediamur, quæ corpus nostrum, illiúsque quam à natura accepit constitutionem conseruare posse dicuntur. Non enim tantùm id medico scire sat est, ex quibusnam humanum constituatur corpus, nisi & illa pernouerit, quæ sic constitutum in suo ipsius statu conseruare, suapte natura possunt. Ea porrò quæ præstare id valent, Gal. in arte c.83. & 85 med. causas salubres, & conseruatrices, vulgus medicorum res non naturales vocat. Rectè autem sic vocandas Galenus censuit, quòd corporis nostri cõmoderationẽ, & constitutionem totã incolumẽ atque salubrem rectè accommodata seruare, tueríq; possunt, quod cùm suapte natura præstare queant, meritò salubres causæ, hoc est sanitatis cõseruatrices sunt nuncupatæ. Nam etsi ex ipsæ sanitatis etiam effectrices sunt, cùm sint tamen conseruatrices effectricibus, & tempore, & dignitate priores, vt idem eodem loco Gale. asserit, à tutela sanitatis, quàm probè adhibita tuentur, potius quàm ab effe-

ctione

ctione salubres sunt dictæ: quod nobilius sit partam vi naturæ sanitatem sustentari, atque seruari, quàm amissam, harum prçsidio rerum restitui. Vt quid vero res non naturales à medicis dictæ sunt, facilis explicatio est. Non enim quòd in albo rerum naturalium locatæ non sint, ob id non naturales vocantur (sunt enim profectò si rerum naturam spectes, ex naturalium ordine aer, cibus, potus, vigilia, somnus, inanitio, plenitas, motus, & quies, & animi accidentia) sed ob id, quod nostri corporis essentiam, ac constitutionē minimè complét. Non.n.ex his proximè enarratis nostra constitutio est, sed ex elementis, tēperamento, actionibus & spiritibus, humoribus, mēbris, facultatib. quæ ꝑinde res naturales dictæ sunt, vt sup. 8. docuimus. Itaque duplici nomine eæ res non naturales dictę sunt, tum quod nobis à natura non insint, sed forinsecus adueniant, tum quòd nisi opportunè, vt corporis constitutio exposcit, adhibeantur, ita corpus alterant, vt sanitatem etiã sæpenumerò peruertant, & destruant. Summè autem est medico vtilis, ac necessaria harum rerum cognitio, vt quoniã ea contineat quorum prçsidio (rectè si adhibeantur) incolumis seruari hominis constitutio possit, sin minus, peruerti: vt inquam sanitatem tueri, à morbo cauere possimus, vtilis erit de hisce rebus omnibus tractatio. Quę tota, cùm ad sanitatem tuendam intenta sit, merito ad eam medicinę partem refertur, quæ de salubribus est, ὑγιεινὴν Græci appellant. Itaque cùm maxima ab his rebus corpori vel vtilitas, vel noxa accedat, pro congruo horum vsu, enitendum sic cuique erit (qui modo sanitatis obseruans esse cupit) vt ita accuratè ac diligenter iis vitę, ac valetudinis præsidiis vtatur, vt sustentari ab his veletudo, & vita, non labefactari possit. Vt sapientissimè dixisse illud Cic. in offic. sit visus, sustentari cuiusque valetudinem notitia sui corporis, & obseruatione earum rerum, quæ res aut prodesse soleant, aut obesse, & abstinentia in omni cultu, atque victu corporis tuendi causa, & prætermittendis voluptatibus: postremò arte eorum, quorum ad scientiam isthęc pertineant. Porro sex ea esse, quę res non naturales dicantur, tum ex Galeno in arte medicinali, tum ex publico medicorũ omniũ consensu didicimus. Quot enim numero sunt ea, quæ corpus nostrum alterare ex necessitate possunt, tot profectò & causæ salubres erunt. Igitur cùm necessariò, & quę nulla est euitandi ratio, corpus nostrũ

2. Offic.

Cap. 8.

ab aere, cibo ac potu, somno ac vigiliis, excretis ac retentis, motu ac quiete, & animi affectibus alteretur, necessariò consequitur totidem esse salubres causas, quę rectè, vt anteà dictum, adhibitę, sanitatem tueantur, & à morbis corpus incolume seruent, vnde salubrium nomen meritò nactę sunt. Nos porrò singulatim quid vnaquęque in corpore res non naturalis possit, explicabimus.

Sunt autem in vniuersum sex,

Aer,	Excreta, & retenta,
Cibus, ac potus,	Motus ac quies,
Somnus, & vigilia,	Animi accidentia.

De Aëre, eiusque mutationibus, & effectionibus in corpore.

CAP. II.

Rectissimè illud, autor lib. de flatibus dixisse est visus, spiritum, hoc est aërem, mortalibus vitę esse autorem, quòd eius tanta extet necessitas, vt eo priuatum animans, momento vita excedere oporteat: cùm à spiritu ducendo, hoc est, aëris per inspirationem attractu, nulla vnquam quies mortalibus dari possit, vt cessent aerem attrahere, ac rursum exhalare. Ob id Arabs Auicenna aërem, nostrorum corporum ac spirituum elementum esse, hoc est materiam & veluti pabulum, appositissimè certè dixit. Equidem cùm corporum nostrorum, ac vitę subsistentia, spirituum in nobis & copia & cõmoderatione constet, illorumque vigore nitatur (quę concors est cùm philosophorum, tum medicorum omnium sententia) spiritus autem ipsi, alimentum ab aëre per inspirationem attracto capiant, vt lib. de vtil. respi. testatur Gal. consequens profectò est, vt aëris magna sit mortalibus cunctis, seu sanis, seu ęgris ratio habenda. Vt sine quo neque in secunda, neque in aduersa valetudine degere, vel momento possimus: dicente vtique 9. meth. med. Gal. sine ambiente nos aëre, nec morbum tolli vllum posse, nec sanitatem constare: ac proinde de eo nobis est hoc capite accuratè agendum, vt cuius circumfusi statu, pro ipsius ratione variè animalium copora affici, sit omnino necesse, ita plurib. locis asserente Gal. Aëris itaque occursus nobis perpetuò necessarius est, vt qui ad vitam ducendum pręcipuas ipse partes agat, sitque caloris intimi nostri (quem natiuum vocamus) optimus moderator, ac conseruator pręcipuus. Aërem igitur qui omnibus ex ęquo temperamentis hominum vsui sit futurus,

Fē. 2. pri. doct. 2. c. 2.

Com. 1. in lib. de nat. hum. super tex. Ineū- te hyeme.

turus, saluberrimũ esse oportet, talis autẽ fuerit, qui tota sua substantia, & essentia, purus, nitidus, tenuis, patens & liber, nullis inquinamentis obsitus, nulla putredine affectus, nullo vapore malo, aut vligine, crassitie, aut corruptela perfusus fuerit, quique lenibus, & suauiter spirantibus ventis difflatus modicè agitetur, & serenitate multa redundãs, spiritus nostros recreet, atque reficiat. Equidem cùm eorum, quę extrinsecus homini incidũt, vnum id sit, quod separari à nobis nullo prorsus pacto potest, quodque nobis perpetuò veluti cognatum adhęret, aër scilicet ipse ambiens, hunc ad vitę tutelam optimum semper deligere oportet, qualem nũc memorauimus. Cui sanè contrarius is erit, qui aut stagnantium aquarum aut paludum halitu infectus fuerit, aut ex profundo specu quodam pestilentem spirarit auram, quive aut è cloacis vastam vrbem purgantibus vitium contraxerit, aut ex animalium laniena, olerũ, aut leguminũ, fimive putredine inquinetur, aut ob stagni cuiuspiam vicinitatẽ, vastive fluminis, nebulosus, crassúsque, & caligine plenus constet. Nec minus vitiosus haberi solet, qui editis vndique montibus septus, demissóque loco, ac cauo arctatus, atque conclusus, nullum recipit perflatum. Suffocans enim is, putrísque est ei planè similis, qui diu non difflatus (vt in domibus quibusdam, quarum fenestrę; & lumina occlusa nouo aëri multos annos aditum non fecerunt, est videre) situm multum, squalorem, ac putredinem multo nidore coniunctum obtinet. Qui igitur ad hunc modũ affectus fuerit aer, omni ętati temperamẽto, omni denique animantium generi, nedum homini, est cùm inutilis, tum valdè mehercule noxius, & pestilens, acproinde summopere fugiendus: perinde atque purus ille, & nullis inquinamentis perfusus amplectendus. Equidẽ omnib. optimũ in pulmones trahere aerem, quo puri inde generentur spiritus, saluberrimũ iudicauit Gal. vti pestilentissimũ, noxio aëre vti. Quam rẽ animaduertens luculentissimus rerum rusticarũ scriptor, idẽmque doctissimus autor, Columella, de Catonis, atque Varronis sententia in emendo agro salubritatẽ cœli esse imprimis spectandã censuit. Neminem .n. sanũ debere facere sumptus in pestilenti, quamuis feracissimo, pinguique agro, cùm incertum sit an dominũ sinat ad fructus peruenire. Nam vbi sit cum orco ratio ponenda (subdit idem) ibi non modò perceptionem fructuum, sed & vitam colonorum

Et com. I. ad 1. de po pul. morb. super text. Cùm esset autem. 3. aph. cõ. 7. 8. meth. 2. de crisi. ca. 3. Et in arte med.

Vitiosus aer quis.

1. de sa. tu

Lib. de Re rustica 1. c. 3. et Varro lib. item pr. rei rust. cap. 5.

Ex Colu. bi suprà. esse dubiam, vel potiùs mortem quæstu certiorem. Petatur igitur aër calore, & frigore temperatus, quem ferè medius obtinet collis, quod neque depressius hyeme pruinis torpet, aut torret æstate vaporibus, neque elatus in summa montiũ, perexiguis ventorum motibus, aut pluuijs omni tempore anni sæuit. Hi itaque erunt mediocritatis in aëre ambiente termini, vt in eo degentes, neque horreamus propter frigus, neque sudemus propter æstum. Qui itaque ad hunc modũ fuerit in simmetria quadã positus aër, is profectò omnibus ex æquo vtilis erit. Quæ vero ex calore, frigore, siccitate, atque humiditate in aere varietas accidit, non perinde se ad omnes homines habet, sed pro alio, atque alio hominum temperamento, hic aut ille magis est expetendus aër. Equidem corporibus, quæ optimo temperamento sunt, optimus etiã, ac exquisitè temperatus aër saluberrimus est. In quibus vero vna aliqua qualitatũ elementarium exuperantia, à iusto temperamenti modo recessus fit, his vtilissimus aër est, qui ei qualitati maximè est aduersus: frigidus calidæ, calidus frigidæ, humidiori siccus, sicciori quàm par est, tanto humidior, quantò siccitas ipsa modum excessit. At verò cùm talem perpetuò variis hominum naturis cõuenientem inuenire haud facile sit, arte supplendum erit, quod nobis naturæ beneficio denegatum est. Vt si regendo corpori calido, frigido aëre eguerimus nec talis vel regionis vel situs ædium culpa fuerit, præparare ipsum ad frigidũ licebit, euriporum, & aquæductuum procuratione, aut aquæ multæ in ædibus sparsione, florum, & plantarum refrigerantium vsu, patentium ad septentrionem luminum apertione, quo inde spirans aura ædeis perfrigeret. Sic contrà si calido aëre egeamus, multo accenso ex lignis valentibus igne, talem parare licebit, stipatis vndique ædium meatibus, quò frigus ingredi prohibeatur, vel calfacto vaporario subditis ignibus, locum omnem miro artificio calfacere licet. Quod optimè Germani, & qui septentrionalẽ plagam incolunt, ad hyemis vim, rigorémque tẽperãdũ facere norũt. Sic & humidũ aërea suffitibus igne multo facciorem reddemus, vti siccũ, aquarũ irrigationibus, & perfusione corrigere satagemus. Sed iam quid in nobis aër calidus, frigidus, humidus & siccus efficiat, atq; præstet promẽdũ. Calidus aër corpora calidiora reddit, humores dissoluit, liquat, & attenuat, vires deiicit, si immodica fuerit eius caliditas, vitã insuper breuem facit.

Ex Gal. in arte medicinali.

facit. Ob id Æthiopes, & qui Lybiam sole exustam incolunt, breuis æui esse ob id voluit Aristoteles, quod nimio solis ardore, natiuus eorum calor breui dissipetur, citòque senium accedat siccitatis eorum corporibus. Tú verò id præstat calidus aër, vt sudorem, æstúmque pariat, vrinã minuat, sitim inferat, coctionem, & vegetalis virtutis munia debilitet. Frigidus contra corpora refrigerat, densat, adstringit, coctionem caloris intro repercussũ valentiorem facit, vrinã proritat, tum quòd corporis succi minimè in sudoré vertantur, tũ præcipuè quòd cogendo, & arctando quasi humores detrudat, instar spongię aqua perfusæ, & manibus compressæ. Vnde videmus flante Borea, & rigida hyeme, magis nos ad mictioné, quàm æstate, & austri flatu incitari, vt quotidiana experientia docet. Ad hęc robustiora, & bene colorata corpora reddit, quod Gallorum, Germanorúq; corpora, plena fide testantur. Quãtò enim magis hi cæteris Europę populis, aquilonibus, & frigido aëri expositi sunt, tantò profectò amplius calore natiuo pollent, qui & vasta, & bene valentia corpora creet. Humidus aër cutem mollit, lenítque plurimùm, & corpus humectat, excrementísque obnoxiũ reddit, pigrũ, & deses efficit corpus, delatis videlicet in articulos humoribus multis, torpidos etiã, & ingenio tardos efficere homines solet. Siccus verò omnem corporis habitũ siccat, excrementa minuit, agilia & bene mobilia corpora facit, ingenij & sensuum claritaté, & acrimoniã infert. Aër verò turbatus, qué Barbari vocant, Latini impurũ, corpora prauis humoribus, ac inquinatissimis spiritibus implet. Vbi enim nubilus fuerit aër, plenũ, ac triste cœlum, ibi in pituitosis quidem naturis pręcipuè nubi, ac nebulę similem gigni pituitã: in biliosis verò nebulosã, ac nubilosã bilim gigni videas. Quæ docta Gal. com. 1. ad primũ de vulgaribus morbis Hippocratis assertio est. Nec humores solùm ad aëris circunfusi naturã similes reddi, sed & insitos in nobis spiritus, pro comperto haberi debet. Sic enim ea de re pręcitato loco Galenus, *Atque, inquit cùm in corpore hic accruatus sit* (de caliginoso, ac nubiloso aëre loquens) *similem reddit nebulæ, & caligini innatum in nobis spiritum. Æmulatur enim in ambiente animãtes aëre, spirituum exhalatio. Vnde* (subdit idem) *ne hic dubitemus dicere, in eiuscemodi statu generari insitum in nobis spiritum.* Ea ratio est, vt qui in palustribus locis degunt, & pleniore cœlo, ac concreto vtun-

Super tex. Cum esse e autem totus huc status austrinus.

tur,crassos,tenebricosos, & caligini similes tum humores, tũ spiritus habeant vt si in his accendi febrem, putredinémque occasione aliqua contingat,sæuissimi inde morbi, & qui curationem facilè non admittant,oriantur, vt nobis sæpe Arelatę, magno nostro & ciuiũ periculo popularibus ex aëris crassiore natura obortis morbis experiri licuit Quid verò inter nubilum, & nebulosum aërem intersit, ex Arist. lib. de mundo petendum. Vult. n. nebulam expirationem quandã, ceu exhalationem roscidam esse,quę aquam, vt nubes minimè fundat,aëre quidem crassiorem, sed nube rariorem. Nubem vero crassamentum exhalationum conuolutum, aquæ gignendæ,& profundendæ vim habens. Quibus quidem ambabus aëris affectionibus,serenitatem idem autor,ceu aduersariam opponit. Nihil enim aliud ipsa est,quàm aër nubibus nebulaque vacuus.Ita que quantum inter nubem, & nebulã interest,tantum profecto inter aërem nubilum, & nebulosũ interesse, necessario arbitrandum est. Nubilus enim aquas fundit,& corpus graue efficit. Caligine plenus & nebulosus, eadem ipsa in corpore,quod ad grauitatẽ pertinet, sensuúmque hebetudinem facit, vt rectè Hipp. 3.apho affirmasse est visus,veluti serenus humorum, spirituúmque simmetriã seruare,hilaritatémque quandam puritate sua inferre videtur, quod aëre spiritus omnes, præsertim animalis, nutriantur. Qua de re nobis nunc texendus sermo est, inquirendúmque num aëre ali spiritus queant. Aëre quidem nec ali spiritus, nec quicquam omnino aliud posse, Aristoteles ipse lib. de sensu,& sensili indicare in hæc verba videtur, Pythagoreos quosdam arguens,qui animalia quædam odoribus ali asseuerabant. *Primùm nanque videmus* (ait) *oportere cibum esse compositum, Etenim ea quæ aluntur,simplicia non sunt. Quocirca & è cibo superuacanea quædam gignuntur. Deinde nec aqua ipsa per se,& incommixta alere solet, cùm oporteat id,quod ex aliquo constituatur corpulentum esse. Sed adhuc multò minùs consentaneum est,corpulentum fieri aerem* Hactenus Aristoteles, qui id planè sensisse est visus, nec aquam ipsam, ac multò minus aërem (quod corporatus non sit) alimentum esse. Quod si ita est, nutriri certe aëre spiritus non poterunt. Verum enimuerò, si propius & medicorum sensa rerum experientiæ innixa,& quæ ex aëris puri attractu, odorib úsque

Nebula.

Nubes.

Aphor. 5.

An aëre spiritus alantur.

Cap. 5. nu. 40. veter. versionis.

bonis ſpiritibus accidere nouimus, expendamus, inueniemus profectò aëre, ſuauibúſque odoribus, hoc eſt, exhalatione fumoſa & aërea ſpiritus refici, ali, ac deficientes inſtaurari. Quod ne nuda adferentes verba, temerè protuliſſe videri poſſimus, adiuratorum in medicina autorum ſenſa proferemus. Hipp. certè lib. de alimento, aëre ſpiritus ali, conceptis verbis expreſſit. *Quicunque* (inquit) *veloci appoſitione opus habent, his humidum ad reficiendas vires, remedium optimum. Quicunque verò adhuc velociori indigent, per olfactum. Principium namque alimenti, ſpiritus, nares, os, guttur, pulmo, & reliqua reſpiratio.* Conſtat itaque ex hoc Hippocratis loco, & aëre per inſpirationem attracto, citiſſimè ſpiritus ali, & alimenti eorum principium, nares, os, guttur, & pulmones eſſe, quòd his inſtrumentis, aërem futurum ſpiritui alimentum, intro ſumamus. Cuius rei merito nares, os, pulmonem, guttur, rectiſſimè Hippocr. alimenti ſpirituum principium nuncupauit. Quam vtique Hippocratis mentem interpretatus Gal. ſic lib. de vtilit. reſpir. de hac ipſa re diſſeruit. *Neceſſarium* (inquit) *eſt ex inſpiratione per nares, potiſſimam alimenti partem animali ſpiritui accedere.* Atque hoc eſt (ſubdit) quod ab Hippocrate dicitur, Principium alimenti ſpiritus, os, nares, guttur, pulmo, & alia reſpiratio. Lib. verò de vſu pulſuum, reſpirationis duplicem eſſe vſum, de eiuſdem Hipp. ſententia confirmauit, alter qui præcipuus eſt, ipſius inſiti caloris cuſtodia, alter animalis ſpiritus nutritio: eadēque ferè lib. de difficili reſpiratione. Quin & 7. de vſu par. li. aërem ſpiritus eſſe alimentū, conceptis verbis pronuntiauit, indicans & quonam pacto ad alimoniam ſpiritus aër attemperetur, & qua in parte ea aëris alteratio fiat. Eius eo loco hæc ſunt verba. *Caro pulmonis aërea videtur, & ſpiritu plena, euidenter ad coctionē aëris ſe oſtendens eſſe cōſtructam, ſicut caro hepatis ad coctionem alimenti. Rationale enim eſt, non vniuerſim, neque ſubitò, externum aërem, ſpiritus qui in animali eſt, fieri nutrimentum, ſed paulatim quidem alteratum (quemadmodum & cibaria) familiarem innato ſpiritui qualitatem tempore ampliori recipere, & huius alterationis organum eſſe carnem pulmonis.* Hæc cap. 8. cap. verò 9. eiuſd. pulmonis carnem mollem, cauernoſam, ſpirituoſāmque feciſſe naturam aſſerit, vt externum aërem intro receptum concoqueret, quem fami-

Cap. 5.

Cap. 8. & 9.

liare nutrimentum spiritui animali futurum prouiderat, eóque admirari naturæ industriam iustum esse. Multò autem præstantius 11. meth. medendi id expressit, dum virium seruare substantiam docet: eam ex tribus compleri statuens: nempe ex spirituosa, ex carnosa, & solida substantia, ac cuique sua præscribens propria alimenta, spiritui quidem ex respiratione, & transpiratione, & qui ex sanguine atollitur vapore, solidorum verò generi, ex solido nutrimento, carnoso generi per ea quæ in medio humidorum, & solidorum sita sunt. Porrò alimenti spiritus materiã aerẽ esse, idem etiã Gal. aph. 2. com. 11. ex Hipp. mente lib. de alimento confirmauit, dum qui citissima adiectione indigent per odoratum celerrimè refici est testatus. Quod & innuit Hipp. 6. epidemiorum, cùm odores implere, oblectare, & placare conceptis verbis astruxit. Quem locum Ioãnes Alexandrinus enarrans Democritum Abderitanum Philosophum, mellis odore vitam quatriduo sustentasse, de quorundam sententia affirmat, aut (vt alij quidam sensere) panis calentis odore. Cuius item rei Oribasius. 1. aph. com. 12. meminisse est visus, inquiẽs, Philosophus autem refert, ad odorem mellis quadraginta dies vixisse quendam. Verùm hoc loco mendum egregium est, vt pro quatuor, appositi sint quadraginta, facili per numerales notas lapsu. Cùm itaque odores quidam impleant & delectent, vt voluit Hippocrates (qui enim suaues sunt, & bene olentes, & vires roborare omnes, præsertim cerebrũ, & cor, & collapsos spiritus restaurare, atq; reficere, quotidiano experimẽto, in animi deliquiis cernimus) consequitur profectò, aëris per odorabilia attractu spiritus nutriri atque ceu familiari pabulo instaurari. Vnde Auicenna, syncopes, seu deliquij animi curationem tractans, odoribus bonis nutriri imprimis spiritũ oportere, conceptis verbis expressit. Nec solùm aere & suaui exhalatione nutriri spiritus censendum est, sed & solidis quibusdam, vt vino pręsertim, eóque generoso, & boni succi cibis, tum medicamentis quibusdam spiritus vna aliqua qualitate iuuantibus, vel aromatica substantia, qualia margaritę, ambar, moschus, caphura, emblici, succinũ. odorati fructus & eius generis multa, quæ vel nutriendo fouent spiritum, & conseruant, vel splendore illustrant, vel adstrictione celerem ipsorum dissolutionem prohibent vel melancholicum nidorem ab his segregando, puriores reddunt, vt

Aph. 34. Section. 8.

Fen. 11 3. tra. 2. c. 8.

vt de buglosso perhibent. Hisce enim omnibus modis ali spiritus locupletissimus testis Auicena lib. de viribus cordis est. Docuimus abunde probatorum autorum testimoniis, aëre & odoribus bonis, spiritus ali: nunc idipsum ratione probemus. Quodcunque inanitioni, & dissolutioni expositum est, impleri, & refici indiget, ne omnino deficiat, (ob id enim alimẽto egere nos testatur vbique Galenus quod defluat, & euacuetur nostra omnis substantia à qua si nihil omnino decederet, ne alimento quidem vllo opus esset) spiritus autem exinaniri, dissolui, tandemque deficere videmus, vt in nimiis vigiliis, laboribus, dolore, mœstitia, sanguinis immodica profusione, & morbis grauissimis animi deliquia, & spirituum defectiones adferentibus. Alimento itaque ad eorum instaurationem egebunt. Commodissimum autem illis, ob naturarum similitudinem alimentum, aër est. Aere igitur puro, & salubri, exhalationeque odorata probè spiritus reficientur. Nec quæ in oppositum adducta ab Arist. ratio est, magni momenti mihi esse videtur. Fallitur nempe in eo Arist. quod aërem tũ, & spiritũ corporea esse non putet, atq; ob id neq; spiritum alimento indigere, neque etiamsi indigeret, aërem alere spiritum posse, quod corporatus minus sit quàm aqua, quæ tamen ipsa (eodem Arist. autore) non nutrit. Etsi enim verum est, quod nutrit corpus esse oportere, falsum tamen est, aërem, aut exhalationem vaporosam, ab odorabili in corpus sublatam, atque exceptam, corpus non esse. Nam etsi sẽsibus conspicuus aër non est, corpus tamen esse tenue quoddam, idemmet Aristoteles millies in mille locis prodidit, & ipse inspirationis vsus, & follium impletio, & ventorum impetus docent. Quamobrem cùm & corpus aër sit, & cum spiritu substantiæ similitudine cognationem multam habeat, facillimeque alterationem subeat, quidni alere spiritũ poterit? Verissimum autem est quod ab Aristotele dicitur, quod incommixtum est, alere non posse, sed quem inspirando attrahimus aërem, talis profectò non est, sed confusus, atque permistus. Neque enim elementa ea, quæ sensibus nostris conspicua sunt, pura impermistáque verè sunt, vt rectè Gal. cùm primo de Elementis, tum primo de simplicium facul. astruxit. Constans igitur sit, aëre spiritus nostros ali, atque foueri. Nunc de aëris mutationibus tam secundum naturam, quàm præter naturæ ordinem disseramus. Mutari aë-

Trac. 1. ca. 6.

Lib. 16 de vsu par. c. vlti. & 1. aph. cõ. 15.

Dissolutio rationis Aristot.

Lib. de sensu & sensili.

ris statum temporum anni mutatione, sensuum fide didicimus, & modo ad calidum, modo ad frigidum, humidũ, & siccum inclinet aër. Temperatus est in vere, calidus in æstate, frigidus in hyeme, inæqualis & siccus autumno. Atque eæ sunt aëris naturæ ductu, vicissitudines, quas interdum à naturæ ordine alienas experimur. Vt sit ver minimè temperamentum, sed vel aquilonium & hyemale, vel austrinum & imbriferum. Sic & æstatem non raro vel borealem & frigidã vel æstuosam nimis & non ferendis ardoribus sæuientem, interdum magnis imbribus humentem videmus. Sic & autũnum, & hyemem à suis natiuis temperaturis euersa sæpe cernere licet. Quod vbi accidit, & graues & mali indicij oriri morbos Hippocrates rectè aphorismorum tertia sectione pronunciauit. In constantibus vero temporibus, & bene corpora degunt, & si in morbum occasione aliqua labi lapsa cõtingat, boni indicij morbi fiunt, vt sequenti capite latius Deo autore prosequemur. Cõtingit vero nonnunquam in putredinosam, pestilentémque qualitatem aërem demutari, cum ipsius substantia, aut situ vitiosa effecta, & morbosa, nidoribúsque plenissima, aut malis vaporibus alicunde manantibus coinquinata, nempe à pestilenti quopiam lacu tetrum spirante, aut à lacunis, aut insepultorum cadauerum nidore vitium contraxerit, túmque morbosa, quam continet, excrecretione, hoc est aliena, & vitiosa quadam substantia secum immista, pestilentes, & epidimicos parit morbos. Morbidam vero hanc excretionem, qua totus aër sæpe conspersus, populares & letiferos parit morbos, nihil prorsus aliud esse cẽsendum est, quàm vim quandam exitialem, & deleteriam toti nostræ substantiæ sua natura prorsus aduersam, illiúsque corruptricem, quam vulgu contagium, seu infectionem aëris, Hippoc. lib. de nat. hu. morbidam excretionem vocat. Putrescere autem aërem, in sua ipsius substantia posse, ipse aëris diu conclusi situs, & nidor indicant, vt in multis terræ specubus, & antris, tum in metallariis fodinis experiri licet. A quibus ob aërem diu cõclusum, nec difflatũ, sæpe pestilẽtes prodeunt afflatus, homines interimentes, vt Albertus cognomento Magnus, de puteo Paduæ olim retecto, qui plurimos pestilenti aura interemit, refert, & Georgius Agricola Germanorum in re metallaria tractanda longe doctissimus de quibusdam fodinis tetrum spirantibus in suo lib. de vete-

ribus

ribus, nouis & metallis tradit, illud vt constet, aërem alienæ substantiæ immissione, vel sua ipsius peruersione, concepto ob situm extraneo calore, putrescere posse, & vitiosum, ac pestilentem fieri: túmque (vt anteà diximus) pestilentes fieri, & populares morbos, quod aerem vitiosum, ex equo omnes intrò trahamus: lethalémque auram inspiremus: ac proinde cuiusuis ætatis, sexus, & victus generis homines eodem morbo laborant, vt lib. de nat. hu. Hipp. Sed iam de aere, eiúsque mutationibus satis.

De Aere, Hippocratis, & Galeni loci.

AER quem attrahimus, communissimum quid est. *lib. de nat. hu.*

Aërem morbi alicuius grassantis causam tum statuere oportet, cùm homines diuersa victus ratione vtentes, eodem morbo corripiuntur. *Lib. de nat. hu.*

Aër morbosam aliquam in se exhalationem habet, cùm morbi vnius popularis grassatio existit, *lib. de nat. hu.*

Aëre morbosa exhalatione affecto, prouidendum, vt quã paucissimus aëris influxus corpus ingrediatur, & vt ille ipse quàm peregrinissimus existat *Eod. lib.*

Aëre morbosa exhalatione prædito, regionum locos in quibus morbus consistit permutare oportet, & corpora attenuare. Sic enim minimè multo, ac denso spiritu homines opus habuerint. *Eod. lib.*

Aër maximus est in omnibus, quæ corpori accidunt & autor, & dominus. *Autor libri de flatibus, qui Hip. adscribitur.*

Aër multus quando fortes fructus facit, tum & arbores radicitus euelluntur, & mare vndis exæstuat, spirituum potẽtia ita cogente, & naues onerarias etiam, & ingentes in altũ disiiciente, *Lib. de flatib.*

Aër oculis minimè est conspicuus, & tantùm consideratione cognoscitur, & effectu suo fit manifestus. *eod. lib.*

Aëre quicquid inter cœlum, & terram est, repletum est. *Eod. lib.*

Aër, hyemis, & æstatis causa. *Lib. de flatib.*

Aër in hyeme quidem frigidus, & condensatus: in æstate autem mitis, & tranquillus, scilicet à ventis. *eod. lib.*

Aër terræ vehiculum est. *Eod. lib.*

Aere seu spiritu, nihil quicquam vsquã est vacuum. *eo. lib.*

Aër mortalibus vitæ,& morborum ægrotis, solus est autor. *Lib.de flatib.*

Aëris tāta omnibus corporibus necessitas extat,vt si quidem omnibus aliis abstineat homo,neque cibum sumat, neque potum,possit tamen dies duos,vel tres, & plures ducere. Si cui verò spiritus in corpus viæ intercipiantur,in breui parte vnius diei intereat. *lib.de flatib.*

Ab spiritu,hoc est aëre,ducendo, nulla omnibus mortalibus animantibus requies contingit, vt cessent spiritum adducere,ac rursum exhalare. *Eod.lib.*

Cùm aër inquinamentis plenus est, quibus humana natura offenditur,homines ægrotant : cùm vero alteri cuipiam animantium generi aër inconueniens est, tum morbus illud genus corripit. *eod.lib.*

Aër conturbatus sanguinem turbat, ac conspurcat. *Eod. lib.*

Aëre discurrente incluso,multis eructationes post cibos, & potus euenire solent. *Eod lib.*

Vbi aër impurus,ac morbosus est, ibi homines graui voce,& raucosos esse verisimile est,vti vbi aër purus, boni coloris,& claræ vocis homines esse. *lib.de aere,aquis, & locis.*

Aëris fluens vnda,ventus est. *lib.de flatib.*

Aër medium locum cepit inter elementa, & calidum quid,& humidum est. *lib.de carnib.*

GALENI.

AER,est corpus vnum, vndique sibi continuum, quod nusquam habet quicquam intextum vacui. *lib.3.de puls diff. & 1.de simpl fac.cap.24*

Aërem quidam Philosophi, vacuum esse dixerunt. *Lib. eodem.*

Neque aër,neque terra,neque ignis, aut aqua, in vllo animali insunt simplicia, pura, nec aliis elementis incommixta. *lib.1.de elem.*

Aër tenuium partium est,terra crassiorum. *lib.4.de simpl. fac.cap.2.*

Aër accensus fit flamma. *Eod.lib.& cap.*

Aërem ob id tenuem dicimus, quòd in tenues partes facilè comminuatur,quódque per corpora densissima expeditè penetret. *lib.1.de simpl.fac.cap.24.*

Aër

Aër omnis natura calidus. *Lib. 2. de simpl fac. cap.* 20.

Aërem Aristoteles calidum, Stoici frigidum arbitrati sunt. *Eod. lib. & cap.*

Aëris ambientis fauor, æstus dicitur. *lib. 7. aph. com.* 13.

Aër cùm tenuis sit essentiæ, facilè perpetitur, promptéque tum incalescit, tum refrigeratur, non tamen facilè congelatur, perinde vt vitrum, pix, cera, resina. *Lib. 1. de simpl. fac. cap.* 18.

In aëre vbi nullus prorsus apparet motus, tranquillitas id est. *Com. 3 in 3. epid. Hip. super text. Annus austrinus.*

Aëris status haud alius est, quàm maris: nam vt illic semper est fluctus in alto, vel maior, vel minor, qui interim ob paruitatem non animaduertitur: sic aer quoque planè immotus, & quietus haud videtur vnquam esse, tamen interdũ nos, quia motus est paruus, fugit. *Eod. com.*

Aer ex omnibus elementis, solus in animalium corporibus iuxta naturam suam, tum in respirationibus, tum in pulsibus cernitur perstitisse. *lib. 8. de decretis Hippocratis & Platonis.*

Aerem nos ambientem semper attingere est necessariũ. *In arte medic. cap* 85.

Ab aere afficitur corpus, quia aut calefit, aut frigefit, aut exsiccatur, aut humectatur, vel secundum horum patitur cõiugationem, aut in tota alteratur substantia. *In arte medic. cap.* 85.

Aeris ambientis substantiæ, arteriæ aliquid trahunt. *Lib. 1. de diff feb. cap.* 4.

Aeris ambientis calidiores status quales, maximè circa canis ortum contingunt, per inspirationes manifestè quidem cor calefaciunt. *lib 1. de diff. febr. cap.* 4.

In aeris pestilenti statu, inspiratio plurimum febris est causa. *Eod. lib. & cap.*

Ab aere ambiente breuem aliquam occasionem, ad febris originem accipit animal, magna autem ex parte ex inspiratione incipit aëris circunstantis, à putrescibili euaporatione vitiati. *Lib 1. de diff feb cap.* 4.

Ex aeris ambientis temperatura, de morborum essentia cognitionem sumere licet. *lib. 1. aph. com.* 12.

Aeris circunfusi statu animalium corpora affici. *Lib. de nat. hu. com. 1. super textu, Ineunte hyeme. Et com. 1. ad primum de*

vulg.morb.super textu,Cùm esset autem.

Aer calidus aliter nos calefacit, aliter moderatus. *Lib.2. de simpl.facul.cap.24.*

Aeris ambientis temperatura sola, morborum causa non est. Nam sic oporteret nos quolibet tempore illos morbos pati, qui naturæ temporum essent affines. *Lib.3 aphor.com.19.*

Aer vnum est eorum, quæ extrinsecus accidunt, quod separari à nobis ne quicquam potest; atque is perpetuo nobis tanquam connatus adhæret. *Lib.1.de san.tu.*

Aer nos ambiens ob id lædit, quod aut calidos immodicè, frigidos, humidos, aut siccos efficit. *Lib.1.de san.tu.*

Aer delatus per gulam ad ventriculum, si modicus sit, nõ lædit *Lib 2.aphor.com.17.*

Aer ambiens humidus chordas implet, siccus arctat, cõuellit ac colligit. *Lib.6 aph.com.59*

Aer ambiens ęstatis tempore extra trahit humores, quo intra trahit, medicina. *Lib.4.aphor.com.5.*

Aeris copiam congregat natura, ad sternutamenti generationem. *Lib.7.aphor com.52.*

Aerem qui ex capite excernitur, opinari solùm esse quod sonat per sternutamenta, falsum est. Nam liquidò apparet desubter ex pulmone elatus aer, vniuersim se comprimente thorace. *Lib.7 aphor com.52.*

Aeris offensiones, si prouideas, vbi, & quemadmodum fiant, toto victus genere à tempestate dominante diuerso instituendo declines oportet. *Com 3.ad lib.3.de vulga.morb. Hipp.super textu, Voces multis vitiatæ fuerunt.*

Aerem optimum in pulmones trahere, omnibus iuxta salubre est. *Lib.1.de sani.tuen.*

Aerem optimum prorsus censet Galenus, qui prorsus sit purus. *Lib.1.de sani.tuen.*

Aer is purus est, qui nec paludis, nec stagni halitu sit infectus, nec ex profundo specu pestilentem auram spiret: nec qui ex cloacis, quæ vrbem vel numerosum exercitum purgent, vitium contraxerit, nec qui ex animalium, olerum, leguminum putredine, aut fimo coinquinetur: nec qui ob stagnum vel flumen vicinum nebulosus sit: nec qui editis vndique montibus in cauo loco clusus, nullum recipit perflatũ. suffocans enim is, putrisque est. *Lib.1.de sani.tuenda.*

Sine aere, neque morbus tolli, neque seruari sanitas potest-

test *lib.9.method.meden.*

Aer in domibus quibusdam inclusus, ob putredinem & perflatus defectum, situm multum coaceruat. *Li.1.de sani.tu.*

Aer vitiosus, vt omni ætati est noxius, ita purus omnino, nulli non ætati vtilis. *lib.1.de sani tuend.*

Aeris diuersitas, quæ illi ex calore, frigiditate, humiditate, & siccitate contingit, non perinde se ad omnes homines habet. *lib.1.de sani.tuend.*

Aer calidus frigidis temperaturis, frigidus calidis, humidus siccis, siccus humidis magis conuenit. *lib.1.de sani.tu.*

Aer temperatus optimo temperamento præditis est saluberrimus. *lib.1.de sani.tu.*

Aere optimo semper vtendum, puero, iuueni, atque seni. *lib.1.de sani.tuend.*

Ad aeris coctionem, carnem pulmonis aëriam, & spiritu plenam esse comparatam, vt caro hepatis ad cibi coctionem. *Lib.7.de vsu partium.cap 8*

Aerem externum eius spiritus, qui in animali est, non confertim, neque repentè fieri alimentum, sed paulatim. *lib.7.de vsu part.cap.8*

Alterationis aeris ad spiritus nutrimentum, carnem pulmonis esse primum instrumentum. *lib.7 de vsu part.cap.8.*

Aeris qualitas, alia quidem familiaris, & amica spiritui animali, alia aliena, ac corruptrix. *eodem lib & cap.*

Aer qui ab asperis arteriis extrinsecus trahitur, in pulmonis quidem carne primum conficitur, tum autem in corde, & arteriis, & iis maximè, quæ in plexu sunt retiformi, vltimum ac perfectissime in cerebri ventriculis, vbi vtique & animalis primum exactè efficitur. *lib & cap eodem.*

Aeris corrigendi, colendique instrumenta quænam sint, ne omnino frigidus ad pulmones aer perueniat. *Lib 11.de vsu part.cap.11.* sunt autem ea narium intima foramina, os, & columella.

Aer quem respirando attrahimus, quo pacto in vniuersum corpus perueniat, cùm arteriæ sanguinem contineant, quæstio *Lib. An sanguis natura in arteriis contineatur.*

Aeris substantiam cor non exposcere, sed frigiditatem solummodo, qua recreari desiderat plurimis tum philosophorum, tum medicorum est visum. *Lib. An sanguis natura in arteriis contineatur.*

Aeris expirati portio nihilo paucior apparet, quàm inspiratur. *lib. de vtilit. respir. ad fin.*

Aer qui respirando trahitur, bifariam partitus. Vehitur partim ad cerebrum, partim ad cor. *lib. de causs. respir. ad principium.*

Aer qui per os, & nares trahitur, principium & materia existens vtilitatis respirãdi, minore sui parte per nares ad cerebrum defertur: altera verò maiore, per asperam arteriam in pulmonem deuehitur. *lib. de causs. respir.*

Aeris inspirati, vel nihil omnino, vel parum admodum ad cor descendere demonstratum. *Gal. lib. de vsu respi.* Vt idem testatur. *lib. An sanguis natura in arteriis contineatur.*

Aer circunfusus, nobis instrumentum videndi est. *lib. 7. de placi. Hipp. & Plat.*

Aer, oculo tale instrumentum est, quale neruus cerebro. *lib. 7. de placi. Hipp. & Plat.*

Per aerem medium intueri nos euidens est. *lib. 7. de placit. Hipp. & Plat. circa fin.*

Aerem, visionis medium esse inter omnes constat, vtrũ verò tanquam via sit media, per quam aliquid ex rebus, quas videmus ad nos perueniat, an quale est neruus ad tactiles, tale instrumentum nobis sit aer ad visiles res discernendas, non inter omnes conuenit. *Lib. 7. de placit. Hipp. & Plat. ad fin.*

Aer nos ambiens, vbi illustratus à sole fuerit, tale continuò visus instrumentum efficitur, quale est is, qui à cerebro proficiscitur spiritus. Prius verò quàm lucem receperit, ex alteratione videlicet, quæ ex emissione ictúque spirituum causatur, consentiens cognatúmque instrumentum non euadit. *eod. lib. ad fin.*

Per aerem circunfusum, quasi per baculum visionem nostram fieri, Stoici existimabãt. *lib. 7. de placit. Hipp. & Plat.*

De temporum anni natura, mutationibus, & effectionibus. CAP. III.

MAgnam esse, ac pernecessariam medico de anni temporum constitutione, atque natura consideratioñe, vnum est ex publicè confessis, quod non solùm ad victus rationem tum sanis, tum ægris salubriter instituendam eiusmodi obseruatio plurimùm conferat (vt lib. aphor. primo,

mo, aphoris. 17 atque comment. eodem docent Hippocrates & Galenus) verum etiam ad morborum dignotionem, eorúmque commodam curationem plurimum momenti, temporũ anni obseruatio habeat, vt ex qua qui in singulis temporibus vigeant morbi, vt decernant, vt bonæ, malæve fiant excretiones, abundè edocemur, vt tertio aphorismorum, & libris de vulgaribus morbis, fusissimè Hippocrates docet. Itaque de temporum anni natura, hoc est natiua eorum constitutione, mutationibus, atque effectis, sumus hoc capite tractaturi, id primum explicantes, vnde temporum origo, ac generatio, annorum dico, mensium, ac dierum, ceu à principio, ac fonte manarit. Deinde quatuor anni particulis, vere, æstate, autumno, hyeme, ex quibus rebus omnibus mutatio, atq; alteratio accedit, differemus, quæ illorum initia ac fines, & à quibus petenda, quæ cuiusque tẽperies sit declarantes. Quid quæque partium anni constitutio in corpore, atque humoribus efficiat, tertio loco ponemus. Vltimo quot, & quænam sint temporum mutationes, & quanam ratione morbos in nobis, qualésque pariant ostendemus. Quibus cõpendiò absolutis finem capiti faciemus. Porrò anni tempora ad rerum vicissitudines, & nouas rerum productiones, maturitatésque proferendas, à Deo esse creata, ipsáque ab astrorum, & cœli conuersione, Solis præsertim, ac Lunæ ceu effectricibus caussis ortum ducere, sacra Geneseos historia docet, & confirmant philosophorum præstantissimi Plato, atque Chalcidius. Sic enim in Genesi scriptum est: *Dixit autem* DEVS, *fiant luminaria in firmamẽto cœli, & diuidant diem, ac noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos, vt luceant in firmamento cœli, & illuminent terrã: & factũ est ita. Fecitque* DEVS *duo luminaria magna, luminare maius, vt praeesset diei, & luminare minus, vt praeesset nocti.* Hactenus diuus Moses, qui diuino oraculo tẽporũ productionẽ à Sole, & Luna DEI iussu manasse, sanctissimè est testatus. Atq; huius censa diuinus Plato, eiúsque interpre Chalcid. secuti vidẽtur. Mundi .n. admirandã, planéque diuinam Genesim enarrans in Timæo Plato, concordi spiritu, eadem quæ Moses cecinisse est visus. *Hac, inquit, ratione, consilióque* DEI *tempus creare volentis Sol & Luna, & aliæ quinque stellæ, quæ vocantur errantes, factæ sunt, quo temporis numerus distinguatur, atque obseruetur.* Et paulo post, à *Sole* (inquit) *noctis, dieíque varietas orta est. propter hac etiam vnius,*

ſapientiſſimique circuitus reuolutio. Menſis verò prouentus, quando Luna luſtrato circulo ſuo, Solem conſecuta eſt: anni, vbi ſol ſuum peragrauit orbē. Chalcidius verò diuinus & ipſe diuini Platonis interpres, in ſuis ad Timæum cōmentariis rem totam his verbis confirmauit: *Ad dinumerationem* (ait) *conuerſionéſque temporum, immutationéſque, & diuerſitatem terrenorum, ſtellarū errantium varius motus neceſſarius omnibus, qui nunc accidunt euentibus autoritatē dedit.* & paucis interpoſitis, *At nunc conuerſiones, & æquinoctia, proceſſuſque, & regradationes per latitudinem, pérque altum, maxime quidem Solis, & Lunæ, tum cæterorum quoque ſyderum, vices temporum mutant, & omnem iſtam important commutationem. Igniuit* (inquit alio loco idem) *lucem clariſſimam* DEVS, *rerum conditor, quam lucem Solem vocamus, tum propter cæteras ineffabiles vtilitates, quas vniuerſo mundo ſol inuehit, tum etiam propter id ignis huiuſmodi dicit extitiſſe genituram, vt tanta rerum deſignatio nulla tegeretur obſcuritate, vt cùm idem rebus colorem daret, tum etiam numeri, quo temporis ſpatia notantur, commoditas proueniret, atque vt dierum, & noctium viciſſitudo ſuccederet. Menſis verò deſignauit eſſe genituram, cùm Luna peragrato circulo ſuo, Solem conuenit: anni quoque, cùm Sol ad idem ſignum, ex quo progreſſus erat reuertitur, numero dierum trecentorum ſexaginta quinque, & parte quarta.* Hæc ſummorū philoſophorum de temporū productione decreta, ex quibus apertiſſimè conſtat, temporum omniū viciſſitudines in Solis, ac Lunę motus, conuerſionéſque, æquinoctia, inquam, ac ſolſtitia eſſe præcipuè reiiciendas. Quam rē Galenus, Platonem præceptorem ſecutus, tertio de diebus decretoriis, c. 2. conceptis verbis aſtruxit, Solem æſtatis, hyemis, veris, atque autūni autorem conſtituens. Diximus de temporū origine, ac productione, vnde anni, menſes, ac dies prodeant. Nunc de quatuor anni particulis, vere, æſtate, autumno, atque hyeme (quod ſecundo loco dicturos nos propoſuimus) diſſeramus. Has porro particulas omnes ex varia quadā mutatione aeris, ſyderúmque quorundam ortu, atque occaſu naſci conſtans omnium opinio eſt. Equidem cùm Sol perpetuo, atque irrequieto ſuo motu dierū trecentorū ſexaginta quinq; ſpatio, vniuerſum ſignorū circulum permeans, per alia, atq; alia ſigna continuato curſu feratur, efficitur, vt varias pariat in aere caloris, frigoris, humoris, ſiccitatiſque mutationes. Arietis enim, tauri, atq; geminorū ſigna percurrens ver creat,
dum

dum cancri, leonis, ac virginis signa premit, æstatem. Autumnũ efficit, ad libram, scorpium, sagittariúmque delapsus. Hyemẽ profert in capricorno, aquario, & piscibus. Metiendam autem horum tẽporũ distinctionẽ esse, caloris, frigoris, humiditatis, siccitatisve excessu, per quæ mutuo à se inuicem tempora distant, testis locupletissimus est Gal. com. 1. ad primũ de vulg. morbis Hipp. Quibus vero initiis ác finibus tempora hæc concludantur, & quibus orientibus, aut occumbentibus sydeꝛibus, nos belle Gal. cum loco proxime citato, tũ lib. aph. 3 com. 14. docet. *Ordo (inquit) temporum, sicuti Hipp. sæpius in lib. Epidemiorum ostendit, & sicut ij qui hoc studio excellentes scripserunt, hic est. Ortus Pleiadis principium est æstatis, postquàm carnis ortus Operam, id est, fructuum generationem inchoat: quam & ipsam pro secundæ parte æstatis ponunt. Post hunc Arcturus oriens initium facit autumni. Deinde occasus Pleiadum hyemis principium facit. Deinde quod hyemem sequitur æquinoctium, principiũ veris habet.* Harum vero anni partium temperaturas enarraturi, ab ipso vere principia ducemus, cùm sit ea pars & salubritatis dignatione, & temperamenti perfectione cæteris cũctis anteponenda. Ver igitur, & nascentis mundi primigeniũ, ac genitale initium, & labentis anni infanti a iure à priscis dictum est. Genitale initiũ ob id Hebræorum scientissimi Iosue, eiúsque sectatores dici voluerunt, quod in eo prima effulserit natalis mundi nascentis hora. Martio enim mense factũ mundũ ipsi censent, tum quia pubescentes tum primũ terra proferat herbas, iucundaque viriditate omnia compleantur, nascique tũ facta omnia videantur: tũ quòd mensis is (qui & veri initium dat) primus mensiũ anni in Exodo dicatur. Quã sententiã Ambrosius confirmare videtur. Inde (inquit) mundi oportebat initium capi, vbi erat opportuna omnibus verna temperies: vnde & nascentis mundi imaginẽ annus exprimit, vt post hybernas glacies, & caligines hyemales, serenior solito verni tẽporis splendor eluceat. Propterea poeta nobilis aptissimè hęc cecinisse videtur:

Non alios prima crescentis origine mundi
Illuxisse dies, aliúmue habuisse tenorem
Crediderim: ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis.

Ferunt autẽ quum primũ in ordinem hunc, & nitidissimam claritatem facta; excita, compositáque elementa sunt

Super textu. 1. In Thaso.

Ex primo lect. antiq. Cælii rhodig. cap. 9.

Exod. 12.

Ambro. li. 1. Examer. on. cap. 4

(quem diem mundi esse natalem prędicant) Arietem signũ, cœli media tenuisse, qui locus, ceu mundi vertex intelligitur. Proindéque factũ, vt principem in signorum duodecim limbo locũ Aries habere credatur. In de concinnè admodum ex hoc signo reliquis omnibus initium factũ. Quod Manilius Astronomicon primo testatus est:

Vt sit idem mundi primum, quod continet arcem
Aurato princeps aries in vellere fulgens.

Atque hoc argumento mundanæ originis, coniectant plerique, astronomos ab Solis in arietem introitu de totius anni euentis pronunciare illud vt intelligamus (quod paulo antè diximus) ver nascentis mundi, ob miram sui temperiem primigeniũ quoque tempus esse. Huius igitur natura temperatissima est, eadémque saluberrima, vt ab Hippocrate affirmatum est, qui ver saluberrimum pronunciauit. Esse autem ver temperatissimũ, & in omnis excessus medio, quasi libramento positum, docet abundè Gal. lib. de temperamentis primo, asserens anni tempora ex sua ipsorum ęstimare natura oportere, non ad alia tempora collata, vt hyemem scilicet frigidam & humidam, quòd humiditas in ea siccitatem, frigiditas calorem superet. Sic æstatem calidam & siccam, calido frigidum, sicco humidum vincente. Sic & autumnum frigidum, siccúmque pronuntiare licebit, quod in eo frigiditas calorem, siccitas humorem vincat. Ad quem etiã modum veris tẽperiẽ si expendamus, inueniemus profectò in omnis excessus planè medio positam esse, vt neque (sicut in hyeme) plus in eo polleat frigidum quàm calidum, neque sicut in æstate minus. Quin & siccitatis in eo atque humiditatis æquabilitatem, & cõmoderationẽ ad eum modũ est spectare, in eo scilicet, non quemadmodum in æstate præualẽte sicco, neque velut in hyeme exuperante humido. Nec obstat ver ab Hippocrate calidũ & humidũ, lib. de hominis natura dictnam ad id ipsius ad alia tempora collatione, non ex sua natura verũ existimari debet. Hyemi enim collatũ, calidũ, æstati iure humidũ constituetur. Sed non sic expendenda anni temperamenta, verùm ex sua ipsorũ potius natura, vt præcitato de temperamentis loco docet Galenus. Equidem cùm calidũ & humidũ excessus nomina sint, congruere veri (quod suapte natura moderatũ est)minimè certe poterunt. Quæ docta Galeni sententia est. Itaque cùm neque propter frigus

Lib. 3. aph. 9.

Lib. 1. de temp.

frigus in vere natiuam suam constitutionem seruante, algere nos perinde, atque in hyeme contingat, neque æstu perinde atque in ęstate premi, nec humore diffluere, aut siccitate torqueri, nullúmque insignem harũ qualitatũ in nobis sentiamus excessum, tẽperatũ omnino ver inter anni tẽpora iudicare oportebit. Æstatem porrò calidã & siccã, sensuum fide experimur, in eáque anni parte acriorẽ, ac valentiorẽ vigere calorem, tum ob radiorum Solis directionem (si quidẽ supra verticem capitũ nostrorũ se attollens cursu suo Sol cancri signum percurrens, eóque aditu æstatẽ conficiens, rectissimè radios in terram mittit, eóque radiorũ reflexu, calorem plurimũ intendente, intensissimè eam calfacere solet) tum ob longiorẽ Solis supra horizonta morã. Cùm.n. longissimi tum incurrant anni dies, Solque diutissimè ab ortu in occasum labens, supra finitorẽ feratur, atque consistat, ingentẽ gigni tũ ardorem est omnino necesse, etsi Sol longissimè tum à terra absit, in auge nimirùm puncto à terra remotissimo situs. At plus facit ad inferendũ calorem, cùm radiorũ Solis directio, & longior supra finitorem mora, quàm ipsius distantia. Quin si rem totã recta reputemus via, inueniemus profectò Solem nobis, qui ab aquatore Septentrionem versus incolimus, propiorem tum fieri, cùm in Cancro est, & æstatẽ conficit. Vt enim tum iis qui meridianam incolunt plagam est remotissimus, sic iis qui Aquilonarẽ incolunt proximus. Quo in situ cùm omnis Europa sit, & bona Asiæ pars, efficitur vt & propior nobis per ęstatem factus, & directius nos intuens, & longiores moras supra finitorem trahens, ampliorem excitet in aere æstum, vnde meritò æstatem, quæ suã naturã seruet, calidam siccámque existimare oportebit. Quem caloris excessum plurimùm iuuare Syrij ardentis syderis (quem canem vocant) exortus, qui tũ temporis vel astronomorũ, & medicorum censura incidit, creditur. Ardent enim tum omnia, & calore immodico æstuant. Quamobrem molestas esse id tẽporis purgationes, rectissimè Hippocrates dixit. Contrariis ex causis hyemẽ frigidã, & humidã experimur, quòd & longissimè à nobis Septentrionem incolentibus tum Sol absit, etsi terræ proximus tum esse dicatur, & obliquo radiorum aspectu, non directo terram illustret, & breuissimè supra verticem nostrum, horizontáque feratur, breuissimis tunc diebus sese prodentibus. Vnde brumam scientissimi

philoſophorũ dictã volunt. Quamobrem meritò frigidã, atq; humidã hyemẽ ſtatuere oportebit, frigido ob prædictas cauſas calidum ſuperante, humidũ pariter ſiccum vincente. Autumnũ frigidũ & ſiccum, ſi ſuam modo temperiem ſeruet, iure æſtimabimus: ad hæc inæqualem, atque morboſum, quod eadem die modò calor, modo frigus vigeat. Ob quam inæqualitatem morboſus meritò autumnus dicitur, vt conceptis verbis Auicennas teſtatur. Interdiu nanque calor adhuc reſidet, quiſpiam corpora atterans, & ab æſtate reſiduus, in nocte frigiditas exercet, corpora aſtringens & refrigerans. Accedit quod ex horariorum, qui in æſtate proceſſerunt fructuum eſu, mali ſint procreati intus in corpore ſucci, diſſolutáque ab æſtiua caliditate præcedente, corporum rectrix facultas. Quo ſanè tempore, ſi commoueri facultas, ad noxiorum ſuccorũ expulſionẽ velit, ab autumni inæqualitate impedita, & ſuccorum malignitate, meatuúmque corporis ſtipatione, ab eo munere prohibita, ipſiſque tũ ſuccis mora deterioribus effectis, graue corpori ob eas cauſas impendeat malũ. Vnde varij generis morbos, per autumnum naſci contingit, erraticas, & quartanas, & hemitritæas, difficiliſque ſolutionis febres, impetigines, pſoras, lepras, carcinomata, arthritides, ſplenes, dyſurias, anginas, voluulos, apoplexias, melancholiã, peripneumoniã, tabitudines, & omnẽ (vt vno verbo dicam, malorũ lernam autumnus adferre dicitur, vt meritò cũ Auicenna æſtiuorum morborũ nutritorẽ, congruo nomine appellarit. Ea porrò ſalubrior autũni conſtitutio cenſebitur, quæ humidior & imbribus redundantior fuerit, deterior quæ ſiccitate, & inæqualitate preſſa, negotium corporibus inferet. Atque hæc de quatuor anni partium natura dicta ſufficiant. Quid quæque nunc harum partium conſtitutio in corpore, atque humoribus efficiat, ordine explicemus. Veris natura, & æquabilis conſtitutio ſalubritatem parit, hilaritate ſpiritum reficit, quod grata viriditate omnia niteant, vernent, & exundent nouis fœtibus arbores, nemora, animantes. Cœlũ patens & apertum, idémque purum humores probos, ſpiritúſque puritate nitidos, ac pellucidos creat. Corpora verno tẽpore laxari, & rara fieri incipiunt, vt 1. aphoriſmorũ cõmen. 18. adnotauit Galenus. Quos optimis humoribus præditos inuenit, hos ſalubri-

Fen. 2. primi doc. 4. cap. 6.

Vbi ſuprà.

salubriter seruat, nihil ex propria nouans natura. Vitiosos vero humores, è partibus principibus ad cutem propellit, tum enim profundū corporis expurgatur. Diffundi.n.id tēporis ab aeris ambientis calore humores, educíque ad cutem affirmat Galenus. *Lib.3.aph.*

Cæterùm verno tempore pueri, & qui hos sequuntur *com.20.* ætate adolescentes optimè degunt, & sani sunt maximè, vel Hippocratis testimonio, quod naturis, & ętatibus benè tem- *Lib.3.aph.* peratis, optimū tēpus sit, quòd summam habet temperiem, *18.* quale vernum est: seruari autem à similibus vnumquodque, transmutari a contrariis medicum dogma est. Sic & bene tēperatę naturę, vere quoquè ob eandem rationem optimè de- *Lib.de na* gunt. Sanguis tum crescit, rubicundique homines fiunt, ac ca- *hum.* lidi apparent, ita asserente Hippocrate: quæ omnia ambien- *In com.ad* tis, & sanguinis redundantię tribuit Galenus. Atque eam ob *lib. de na.* rem molliores cibos, paucioresque tum esse sumendos, & assa *hum.super* elixis commutanda, oleribus paucis vtendum, dum æstatem *textu, ve-* homo attigerit. Amplius quidem, sed dilutius potandum, at- *re autem.* que paulatim Hippocrates iubet. Omnino autem medię facultatis cibos sumere id vere, pręcipit lib. de alimentorum *Lib.de sa-* facultatibus primo Galenus. Cōfert autem plurimùm, quos *lubri diæta* purgari oportet, eos aut veris initio, aut fine purgāre. Hęc ver *Cap. de* nobis, quę recensuimus cōmoda pręstat. Æstas verò hęc in- *Lente.* commoda parit: corpora immodico æstu fatigata, calidiora, sicciora, squalida, siticulosa, rara, attenuata, fluxa, imbecilliáq; reddit, humores attenuat, & accendit. Venę enim ęstiuo tempore exsiccatę trahunt ad se acres, biliosósque humores, qui- *Lib.de ra.* bus febres acutę fiunt, vt autor est Hippocrates. Bilis tū plu- *vic. acut.* rima viget, feruent, & exęstuant intus in corpore succi, bilescit corporis calor, appetentia ciborum fatiscit, ac labat, vrget immodica sitis, labor, angustia, defectiones, corpora ęstus & squaloris exuperantia tenent: vigilię exercent, & sudoribus corpora diffluunt, & attenuantur, vnde virium languor: & motus segnitia sequuntur. Quę omnia calori immodico siccit atique adscribi meritò debent: tali enim temperatura prędita ęstas est. Hoc itaque tempore, suę quisque valetudinis obobseruans maximè esse debet, sibique cauta victus ratione prospicere, ne in morbum incurrat. Parco victu refrigerante.

atque humectante vtendum, præsertim biliosis, molles sumendi cibi, olera, fructus, elixis magis quàm assis vescendum. Plurimo quidem, sed dilutissimo potu humectandum corpus, multaque quiete reficiendum, frigidum vt sit, & molle corpus studere oportet. Tempestas enim calida est & sicca, corpora adusta, squalidaque efficiens, vitandæ tum purgationes, in magna quępiam, & præsens ad malum quodpiam depellendum occasio subsit, túmque lenissimis medicamentis vtendum, quę morbum tollere, vires fatigare minime queat. Sequitur autumnus pars anni omnium grauissima, & morbosissima. Is frigiditate siccitatéque sua atque inęqualitate corpora refrigerat, siccatque, & ad morborum iniurias exposita pronáque reddit, idque ea potissimum ratione, quod id temporis de matutino frigus vigeat, circa meridiem magnus æstus, qui rursus ad crepusculum vespertinum transit in algorem, vt bellè Galenus expressit initio commentariorum suorum ad libros de vulgaribus morbis, Hippocratis. Imminuitur tum in corpore sanguis, redundat atra bilis, densantur & coguntur corpora, humores difflari prohibentur, & ad interiora aëris frigiditate truduntur, atque densatis externis corporis meatibus, intrò pelluntur. In hoc tempore paulò pleniori, quàm in æstate cibo vtendum, sed parco tamen (cibos enim corpora, æstate & autumno grauissime ferunt, vt Hippocrates censet) 1.aphor.18 ficciora quàm per æstatem sumenda. Pocula pauciora, ac meraciora sunto. Exercitatio, & motus leniter sensímque intendantur. Si qua purganda in corpore 4. aphor. com. 7. sint, purgare tum vel Galeni censura expedit, sed præsertim atram bilim, quæ tum plurima in corpore viget. Concubitus id temporis exitiosus, & grauis censetur, quòd corpora imbecilliora, frigidiora, & morbis excipiendis idonea magis reddat, ob id fugiendum scientissimi quique affirmant, vti vere expetendum magis. Tutissimam enim tum venerem esse volunt, quod ver omnibus saluberrimum, autumnus grauissimus esse soleat. Autumnum hyems anni senecta sequitur, frigidum & humidum omnes iure testantur, atque pro sui ratione sic quoque corpora afficit. Frigida nanque, atque humida, & fluxionibus obnoxia tum corpora apparent. Hyēs corpora firmat, vegetiora & calore natiuo multo pollentia reddit, somnósque ob noctium longitudinem productiores facit: ob idque etiam concoctiones, & sanguificationes meliores fie-

res fieri affirmat.1.aphoris.Galenus.Augetur id temporis pituita:vnà tū exercere plurimùm corpus videtur. Quamobrem valentioribus tum exercitationibus, motionibúsque concitatioribus fatigandum corpus, ne & frigore torpeat, & imperium in corpus pituita agat. Calescit enim valentiore motu corpus,& crassi attenuantur succi, prorsúsque transpiratu magna ex parte exhalant, sicque excrementis vacuum reddi corpus, minúsque fluxionibus obnoxium, est omninò necesse.Cibis & plurimis, & valentioribus ac siccioribus per hyemem vtendum (ventres enim tum calidissimi sunt natura, & assumpta probè conficere valent) potu quàm parcissimo,eodē & meraciore,quàm reliquis anni tēporibus.Somno plurimo indulgendum.Cauendæ tum obstructiones,& meatuum stipationes.Purgationes vitandæ, laboribus assuescendum.Superest vt de temporum mutationibus,& quos in nobis singula tempora morbos pariant,vltimo loco disseramus. Mutationes porro temporum dicimus, cùm aut in alienam quandam, & suæ ipsorum naturæ contrariam qualitatem tēpora abeūt, aut cùm derepētè modo ad æstū, modo frigidum inclināt, aut in ꝑpria sua natura excessu qualitatis tēpori cōgruētis,aut substātiæ aëris putredinosa qualitate,exuperātia, immodica fit, aut demum cùm sibi inuicem tempora stato naturæ ordine succedunt. Vltima hæc mutatio maximè secundùm naturam est,cùm alternata fiat,naturæ ordine,temporum vicissitudo: vt cùm veri æstas,æstati autumnus, huic hyems hyemi rursus ver succedit. Reliquæ autem commemoratæ, & præter naturā sunt,& corporibus valdè molestæ: vnde illud rectissimè ab Hippocrate dictum est. *Mutationes temporum pariunt morbos,& in quibusdam temporibus magnæ mutationes,aut frigoris,aut caloris eodem modo.* Et rursus: *In temporibus quando eadem die modò calor,modò frigus fit,autumnales morbos expectare oportet. Contingit itaque temporum mutatione morbos fieri cùm tempora natiuas suas constitutiones non seruant.* Vt si æstatem frigidam & aquiloniam, hyemem austrinam & calidam,ver inæquale,autumnum calidum,& imbriferum esse contingat,inconstantes tum,& mali iudicij oriri morbos sperandum est, vel Hippocratis testimonio. Tum verò etiāsi immodicè talia tempora fuerint,vt si æstas nimiū calens & æstuosa,hyems rigida nimis, & nimio gelu, nimbis, niuibus, aquilonaribus flatibus prædita, autumnus si nimium frigidus

Lib.3.aph 1. & 2.

Lib.3.aph. 8.

squaléntque fuerit, pares morbos gigni tum est arbitrãdum. Mutationum porro minus mala est ea, quæ sensim & modicè, quàm quæ derepente, magnóque cum excessu obuenit. Natura enim non sustinet repentinas mutationes, vt in arte medicinali rectissimè à Galeno dictum est. Minus item noxia est, quę in qualitatibus aëris accidit alteratio, quàm quæ

Cap. 85. in eius substantia aduenit putrefactio, & morbida excretio. Pestilentissima nanque talis est, & mortem vt plurimùm adferens. In qualitatibus verò temporum, quę ad calidum humidúmque fit immutatio, omnium perniciosissima, & maximè putredinosa esse consueuit, vti quæ temperata fuerit, aut temperamento proxima, maximè salutaris. Aquilonia porrò temporum constitutio, corpora densat, contendit, bene mobilia, coloratiora, & melius audientia facit, aluos exsiccat, & oculos mordet. Austrina verò corpora dissoluit, humectat, caput aggrauat, vertigines parit, sensus hebetat, difficiles præstat motus, auditum obtusum reddit, aluos humectat. Iam verò qui in singulis anni particulis vigere morbi soleant, expli-

Lib. 3. aph. 20. 21. 22. 23. cemus. Vere (inquit Hippoc.) furores, atræ biles, morbi comitiales, profluuia sanguinis, anginæ, grauedines, raucitates, lepræ, tusses, impetigines, vitiligines, pustulæ vlcer osæ plurimę, & tubercula, & articulorum dolores. Æstate horum nõnulli, & febres continuę, & ardentes, & tertianę & quartanæ febres, & vomitus, & alui profluuia, & lippitudines oculorum & aurium dolores, & oris vlcerationes, genitaliũ putredines, & sudamina. Autumno quartanæ febres, & erraticę, & lienes, aquę inter cutem, & tabes, & stillicidia vrinæ, & difficultates intestinorum, & coxendicum dolores, & anginę, & anhelationes, ilei, morbi comitiales, furores, atrę biles. Hyeme verò morbi laterales, & pulmonis inflãmationes, grauedines, atq; raucedines, tusses, dolores pectoris, & laterum, atque lumborum capitis dolores, vertigines, & apoplexię. Hi proprij temporum morbi: nam etsi omnes quidem morbos in omnibus temporibus accidere posse compertum sit, & affirmarit Hippocrates, quidam vero magis in quibusdam ipsorum & fiunt, & excitantur. Hactenus de temporum natura, mutationibus, & effectis à nobis medica ratione dictum est. Paucula de hoc ipso argumento, philosophico more tractemus. Iuuat enim cum medicis philosophica illis coniuncta adnectere. Tempora autem quæ sunt, nisi mutationum vices, hyēs, ver,

ver, æstas, atque autumnus? In istis igitur temporibus aut velocior est transitus solis, aut tardior. Alia enim præstringit radiis suis, alia inflammat caloribus suis. Itaque cum sol meridianis partibus immoratur, hyems nobis est. Nam cùm sol longius abest, terra rigescit gelu, stringitur frigore, & plurima noctis vmbra terras operit, vt multo prolixiora sint noctis spatia quàm diei. Hinc oritur causa, vt hybernis flatibus nimia vis niuium, pluuiarúmque fundatur. Cùm vero ex meridianis decedens partibus super terram redit, noctis ac diei ex æquat tempora, & quo magis moras suis adiungit cursibus, eo paulatim temperiem aëris huius reducit, & reuocat cœli clemétiam, quæ fouens omnia repetendos cogit in partus, vt terra germinet, ac resoluta sulcis semina reuiuiscant, virescant arbores, ad perpetuitatem quoque conseruandi generis eorum, quæ vel in terris sunt, vel aquis gaudent, annuis fœtibus successio propagetur. Ast vbi ad æstiuas conuersiones in septentrionem se subrigit, spacia diurna producit, noctis vero arctat, & astringit. Itaque quò magis vsu assiduo aeri huic copulatur, atque miscetur, eo amplius & ipsum aerem vaporat, & terrarum exsiccat humorem, adolescere facit semina, & tanquam in succos viriles maturescere pôma syluarum. Tum quia flagrantior & sublimior est, minores vmbras facit in meridiano, quoniam ex alto hunc illuminat locum. Post æstatem nos autumnus excipiens, infringit quidem æstuum magnitudinem, sed paulisper relaxato, ac deposito calore per temperiem veluti quandam moderationi persimilem, sensim nos flatibus tradit hyemalibus, ita se per medios quosdam ductus transferente natura, vt mediocritate seruata nos per eam ad extrema deducat, à vere in æstatem, ab autumno in hyemem, illud nobis vt indicet, statos esse & ratos, ordinatósque ipsius motus, neque vnquam ad summa, nisi per media progredi solere. Sed iam hìc capitis finis esto.

Hyemis descriptio. *Veris descriptio.* *Aestatis descriptio* *Autumni descriptio.*

De temporibus, Hippocratis, & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

TEMPVS dux medicinæ est. Nam naturam, doctrinam, locum studijs aptum, institutionem, industriam, hæc inquam omnia corroborat. *Lib. de leg.*

Tempus est, in quo occasio est: occasio verò, in qua tem-

pus non multum. *Lib. de praeception.*

Tempore medela, aliquando etiam occasione contingit. *Lib. pracep.*

Pro temporis circunstantia, humanum corpus humores se ipsis, aut copiosiores, aut pauciores habet. *Lib. de nat. hum.*

Ad tempus appositi medici esse debent, & ad occasionem arripiendam accommodati. *lib. de decenti ornatu.*

Ad temporis expectationem, patientes medici esse debent. *lib. de decenti ornatu.*

Tempus artem facilem, ac peruiam facit, aut in consimilem viam incidentibus, processus manifestos facit. *Eod. lib.*

Tempus exhibendae sorbitionis, nedum in pleuritide, sed & per omnem morbum obseruare oportet, *lib. 1. de vic. rat. in morb. acut.*

Per tempora venientia, omnia quae naturam ex ijsdem habent, transmutationes habent. *lib. de sept. part.*

Iuxta temporis rationem multi morbi, multae etiam sanitates fiunt. *lib. de sept. part.*

Tempora vitae, sanitatis, mortis, ac morborum eadem. *li. de sept. part. & 3. praesagiorum ad princip.*

Temporum varietates potissimae sunt, quae naturam ipsam permutant. *lib. de aere, aquis, & locis.*

Vbi temporum mutationes contingunt frequentes, & plurimùm inter se diuersę, ibi & formas, & mores, & naturas reperias plurimùm differentes. *lib. de aere, aquis, & locis.*

De temporum anni constitutionibus variis, vide librum tertium aphorismorum Hippocratis, ab aphorismo primo, ad vigesimumquartum, quos locos breuitati studētes, hîc apponere visum non est: locos indicasse, sat visum fuit.

Temporum anni rationem, medico imprimis esse habēbendam. *lib. de aere, aquis & locis.*

Temporum mutationes pariunt morbos. *lib. 3. aphor. aph. 1.*

Temporum mutationes sunt, quae hominis mentem semper excitant, neque sinunt quiescere. *lib. de aere, aquis, & locis.*

Temporum occasiones multae sunt, & variae in arte, quēadmodum etiam morbi, & affectiones & horum curationes. *lib. 1. de morbis.*

In temporibus neque in aquilonaribus, neque in austrinis

nis colores similes sunt.*lib.de humoribus.*

De vere, æstate, autumno, hyeme, anni partibus, Hippocratis assertiones.

Ver conceptui aptum maximè est.*lib.de superfœtatione.*

Ver pluuiosum,& australe, post hyemem siccam & borealem, æstatem febriculosam, & lippitudines inducit.*lib.de aere, aquis, & locis.*

Ver si boreale, siccum,& tempestuosum fuerit post hyemem austrinam pluuiosam,& clementem, mulieribus abortus fieri periculum, reliquis dysenteriæ,& lippitudines siccæ, & defluxiones à capite in pulmones.*lib.eodem, & 3.aph.*

Vere sanguis augescit.*lib.de nat.hu. & de salubri dieta.*

Ver saluberrimum,& minimè lethale.*lib.3.aph.9.*

Aestas degentibus sub vrsis,& Riphæis montibus paucissimis diebus, nec valdè multa illis contingit.*lib de aere, aquis, & locis.*

Aestas sicca breuiores, pluuiosa diuturniores morbos facit.*lib de aere, aquis, & locis. & 3.aph.16.*

Aestate terra rara est,& leuis, nimirùm sole vehementiùs irruente,& ab ipsa humiditates ad sese attrahente.*lib.de nat.puer.*

Aestate inferna terræ pars frigida existit, quòd per ipsam raram tum existentem, ac leuem spiritus multus pertranseat frigidus, ex aqua in terram delatus.*lib.de nat.puer.*

Aestiuos morbos, hyems succedens soluit.*lib.3.de pop.mor. ad fin.*

Autumnus siccus est,& homines frigefacere incipit.*lib.de nat.hu.*

Autumno atra bilis,& plurima,& fortissima est. *Eod.lib.*

Autumno morbi acutissimi,& omnino mortiferi. *lib.3. aph.9.*

Autumnus tabidis malus.*lib.3.aph.10.*

Autumno qui morbi fiant.*lib.3.aph.22.*

In autumno si aquæ fiant, salubrior est annus.*lib.de aere, aquis, & locis.*

Hyems Scythis,& septētrionem incolentibus perpetua, *lib.de aere, aquis, & locis.*

Si hyems sicca sit,& borealis, ver pluuiosum & australe, necesse est æstatem febriculosam fieri, & lippitudines inducere.*lib.de aere, aquis, & locis. & 3.aph.11.*

Hyems si australis, pluuiosa ac calida fuerit, & corpus nō adstringatur, neque venæ vere accedēte boreali, ac sicco, grauedine, ac raucedine cerebrum dissolui, ac purgari contingit, *lib. de aer., aquis, & locis.*

Hyeme interna terræ pars calida existit, quod densior existens nullam transpirationem habeat. *lib. de nat. puer.*

Hyeme in homine pituita augetur. *lib. de nat. hm.*

Hyems æstiuos morbos soluit *lib. 3. de pop. mor.*

Hyemales morbos, æstas succedens transmutat. *Ibid.*

GALENI.

NEQVE enim temporum anni nomina, sed temperamenta, certas morborum formas committunt. *Com. 3. ad 3. de vulga. morb. super textu, De iis quæ ad exitum libri.*

Tempus anni indicat bene excretum esse. *Lib. 4. aph. com. 47.*

Ad quæ tempora, morbi bene, vel malè se habeant. *Lib. 3. aph. com. 3.*

Tempora vt ad generationem, morbos sibi similes pariūt, vt ad solutionem morborum, contraria tempora idonea magis. *Com. eod.*

Temporum anni distinctionem ab ortu & occasu Pleiadum, Canis, Arcturi, & æquinoctij verni sumit, Gal. *Lib. 3. aph. com. 14. & com. 1. ad 1 epidemi.*

Tempora pessima, optima, media, ex collatione ipsorū ad hominum temperamenta inueniri, tum & ætatis, naturæ, & regionis. *lib. 3. aph. com. 18.*

Tempore omni, omnes morbos fieri posse: alij tamen alijs temporibus magis. *lib. 3. apho. com 19.*

Tempus notat humores peccantes. *lib. 3. aph. com. 2.*

Tempora sicca, vniuersaliter pluuiosis salubriora. *lib. 3. aph. com. 7. & 15.*

Tempore longo indigent, & magnam vim demolientē, firmata vt expellantur. *lib. 4. aph. com. 30.*

Tempus occasionis in medecina breue, & præceps. *Lib. 1. aph. com. 1.*

Tempora anni valent ad victus rationem instituendam. Colligitur: *lib. apq. com. 15.*

Tempus anni aliquod extenuat, nempe æstas. *lib. 2. aphor. comment. 28.*

Temporum mutationes maximè pariunt morbos. *Lib. 3. aph.*

aph.com.1.

Temporum mutationes,id est successiones, & faciunt,& soluunt morbos.*lib 3 aph.com.1.*

Temporum magnæ mutationes,caloris,& frigoris, pariunt morbos.*lib.3.aph.com.1.*

Temporum appellationes causæ morborum non sunt, sed temperaturæ.*lib.3.aph.com.4.*

Tempore sicco fiunt febres acutæ,sed non multæ. *lib.3. aph.com.7.*

Tempora sicca paucos quidem humores, sed qualitate biliosiores efficiunt.*Ibid.*

Temporis longitudo in morbis per hæc verba(capti, & capiuntur)iudicatur apud Hippoc.*lib.5.aph.com.70.*

De Vere,& reliquis anni particulis, Galeni assertiones.

VERIS initium,æquinoctium quod hyemem sequitur, finis,vergiliarum exortus.*Com.1.ad primum epid.in principio.& com.2.in eundem,super textu,Cùm esset totus annus humidus.& li.3.aph.com.14.*

Ver in medio ambarum oppositionum est,& in vtraque oppositione neutrum in vere alteri præstat, sed est ambarũ quasi æquilibrium.*Com.1.ad 1.epid.ad principium.*

Ver calidum esse & humidum Hippocrates affirmauit. *Com.1.ad lib.de natur.hum.super text.Vere autem.*Idque vt in genere corporeorum animalia hoc cum plantis conferentes. Ver autem cum autumno:& rursus.*lib.3.aphor.com.6.*

Ver ob id saluberrimum dictum est,quod quatuor qualitatum mistionis æqualitas,& mediæ temperaturæ eius, & salubritatis sit causa.*lib.1.de temper.*

Ver temperati hominis cuti rectè assimilatur. *lib.2.de temper.*

Vere rubent homines, quòd vere genitus sanguis ex suo colore rubentem colorem vniuerso corpori inducit.*Com.1.ad lib.de natu.hum.super text.Vere autem.*

Vere redundat in corpore sanguis.*Ibid.*

Vere dysenteriis cruentis,homines corripiuntur.*Ibid.*

Vere purgandi,aut sanguine minuendi,qui angina,pleuritide,peripneumonia,comitiali,sanguinis reiectatione periclitari solent, & aliis à plenitudine morbis,nec expectare dũ aliquot euidens plenitudinis symptoma appareat, sed ante

vertere sanguinis missione pręstat. *Lib.de sang.missi.*

Vere inchoante, eos qui comitiali, articulorum dolore, & melancholia morbo laborant, euacuare oportet, & in vniuersum quicunque ab humorum crassitie in morbos incidunt. Eos verò qui bile flaua abundant, desinente vere euacuare melius est. *lib.eod.*

Vere fieri possunt purgationes per superius, & per inferius secundùm naturas. *lib.4.aph.com.7.*

Vere qualis victus ratio seruanda. *lib.de salubri diata Polybij, & Galeni in com.eius libri.*

Vere medij temperamenti, & medię facultatis cibos sumere oportet. *lib.1.de aliment.facul.cap.de lente.*

Vere ęgros nutriemus paucis, & ex longo interuallo, atque item sanos. *lib.1. aph.com.17.*

Ver in regendis corporibus hyemem sequitur, hoc est, raro, & plurimum cibi dandum. *lib.1.aphor.com.18.*

Vere corpora laxantur, & sunt rara. *Ibid.*

Ver saluberrimum, etsi multi in eo contingant morbi, quòd minimè mortiferi sunt, qui in eo contingunt morbi. *lib.3.aph.com.20.*

Veris tempore profundum corporis expurgatur. *Ibidem.*

Vere pluuioso, & austrino, hyeme frigida & aquilonia pręcedente, ęstate febres acutæ fiunt, & lippitudines, & intestinorum difficultates. *lib.3.aph.com.11.*

Ver siccum, & aquilonium si fuerit hyeme australi, & pluuiosa præcedente, mulieres quibus ad ver partus inest, abortient, aut imbecilles, & morbidos parient. *lib.3.aph.com.12.*

Vere optimè degunt adolescentes. *Lib 3.aph.comment.18.*

Vere bene temperatæ naturæ optimè habent. *Lib. 3. aph.com.18.*

Ver est medium omnibus naturis, id est nec optimũ, nec pessimum, demptis adolescentibus. *Ibidem.*

Veris propria mala, & morbi proprij. *lib.3 aphor.com.20.*

Vere omnes morbi periculo vacant. *Ibid.*

Veris ad exercitia comparatio. *Ibidem.*

Ver si inueniat bonos humores, illos conseruat. *Ibidem.*

Veris opera, naturæ operib. assimilantur. *Ibid.*

Vere quod debeant homines purgari, & ita ab imminentibus ægritudinibus seruentur, & quod hac ratione multos seruauerit. Gal. *lib.6.aph.com.47.*

Vere

Vere eos qui morbo comitiali, apoplexia,& melancholia,& articulari,& aliis passionibus,à crassis humoribus obortis infestantur,ab initio veris statim purgare oportet. Qui vero biliosis humoribus abundant desinente vere. *Ibid.*

Vere podagri dolores magna ex parte fiunt. *Lib.6. aph. com.55.*

Vere melancholiæ factæ & futuræ à sanguine hemorrhoidali soluuntur. *lib.6.aph.com.47.*

Verno tempore diuturnæ passiones excitantur iis qui hyberno tempore in victu deliquerint. *lib.6.aph.com.55.*

Vere propter multitudinem, & extraneam qualitatem, aggrauant materiæ. *Com.eod.*

Vere venam oportet secare, quibus à venis sanguinẽ mittere confert. *lib.7.aph.com.54.*

De æstate.

ÆSTAS caliditate,ac siccitate reliquis tẽporibus præstat. *com.1.ad 1.ep.de.super text. In Thaso*

Æstate adhuc sanguis viget,potissimùm eius initio,& bilis augetur. *com.1.ad lib.de natur.humana,super text. Æstate.*

Æstate qui morbi crescunt, hyeme soluuntur. *Hipp. & Gal.lib.de natur.hum.*

Æstate refrigerantibus, & humectãtibus cibis vtendum. *lib.1.de aliment.fac.cap.de tẽtubus. & lib.de boni & mali succi cibis.*

Æstate maza molli nutriri,& potu diluto,simulq; multo,tum obsoniis omnibus elixis vti oportet. *Polybius lib.de salubri diæta.*

Æstuosis temporibus refrigerare, atque humectare corpori siccitatem, tum cibis & potionibus,tum balneis oportet. *lib.de boni, & mali succi cibis.*

Æstate minùs appetunt homines,& cibum difficilius cõcoquunt *lib.1.aph.com.15.*

Æstate pauci cibi dandi sunt, quod calor innatus exiguus sit. *lib.1.aph.com.18.*

Æstate,bilis in corpore redundantis indicia sunt. *Lib.1. aph.com.1.*

Æstate quosdam tertianis corripi: præseruari autem, si circa finem veris purgentur. *lib.6.aph.com.47.*

Æstate si qui fructuum tẽpore vitiosos coaceruauerint

humores, iis autumno podagræ excitantur. *lib.6.aph.com.55.*

Æstate breues sunt morbi omnes, quòd humores funduntur inutiles, & per totum corpus feruntur, atque difflantur. *lib.2.aph.com.25.*

Æstate discuti humores, & vires dissolui contingit. *Ibidem.*

Æstatis principium Pleiadum ortus. *lib.3.aph.com.14. & cõ. ad 1. de vulg. morb.*

in Æstate, frigidæ & humidæ temperaturæ meliùs habent. *lib.3.aph.com.2. calidæ siccæque malè afficiuntur. Ibid.*

Æstate, & hyeme calidæ & humidæ temperaturæ bene habent. *Ibid.*

Æstate senes meliùs habent. *lib.3.aph.com.3.*

Æstas veri similis facit multos sudores in febribus. *lib.3.aph. com.6.*

Æstas arida plurimam absumit, atque resoluit humiditatem. *lib.3.aph.com.6.*

Æstas veri similis ob caliditatem humores attrahit ad cutem, ob humiditatem non potest per modum vaporis resoluere. *Com. eod.*

Æstate humores sunt assati. *lib.3.aph.com.9.*

Æstas sicca, & autumnus pluuiosus faciunt hyemē, in qua fiunt dolores capitis, grauedines, raucedines, tusses, tabes. *Lib. 3. aph.com. 13.*

Æstate, in terram calidam iacta semina, ob id non nascuntur, quòd ob immodicam caliditatem, & alimenti defectum adurantur. *lib.5.aph.com.62.*

Aestate superiores partes magis purgandæ, hyeme inferiores. *lib.4.aph.com.4. & com.7.*

Aestate purgationes molestæ sunt, quando natura exusta non fert acritudinem medicamentorum, & purgati incidunt in febres, & dissoluuntur. *lib.4.aph.com.5.*

Aestatis calor, vt balnearū calidarū, aptus natura est obsistere purgationibus. *Ibid.*

Aestatis principio pueri optimè degunt, senibus verò propter temperaturæ frigiditatem, æstas vtilissima est. *lib. 3. aph. com.18.*

Aestas veri superueniens, humores euacuat, non sic autem autumnus æstiuos. *lib.3. aphor.com. 22.*

Aestiuo tempore venę exsiccatę trahunt ad se acutos, ac biliosos humores. *lib.4 aphor.com.58.*

Aestas

Aestas tertianas facit.*lib.4.com.59.*

Aestate pituitosiores naturę bene degunt. *Lib. 3. aphor. com.18.*

Aestiuum tempus flauam bilem vltra modum generat. *lib.3.aphor.com.20*

Aestatis morbi quot,qualésque sint.*lib.3.aphor.com.21.*

Aestas singulis morbis celeritatem sanationis addit, hyems tarditatem. *libr. 1.aphoris.com.12.*

Aestate maritimę partes in locis frigidis calidę sunt,quádo humiles in calidis frigidæ,quando venti, qui ab arcto spirant,refrigerant *lib.1.aph.com.14.*

Aestus ventriculi,à bile flaua fit.*lib.4.aph.com.65.*

ab Aestibus fortibus conuulsio , atque distensio malum. *lib.7.aph.com.11.*

Aestiuus humor,flaua bilis adhuc in autumno manet.*lib.3.aph.com.22.*

Aestiuus sol chordas exsiccat.*lib.6.aphor.com.39.*

Aestus apud antiquos significat febres , aëris ambientis feruorem,cauteria,escharas.*lib.7.aphor.com 13.*

Aestu imbeciles ex purgatione dissoluuntur. *Lib.4.aph. com.5.*

De autumno.

AVTMNVS oriente Arcturo incipit.*lib.3.aph.com.14. & com.1.ad primum epidemi.*

in Autumno pręualet frigidum calido , siccum humido, & magna in eo fit frigoris & caloris mutatio, cùm de mane frigus vigeat , in meridie ęstus, demum sub vesperum frigus. *Com.1.ad 1.de vulg.morb.super text.in Thaso.*

Autumnus frigidus, siccus, & inęqualis. *lib.3.aph. com.22. & com.10.*

Autumnum morbiferum facit inęqualis ipsius intemperies.*lib.1.de temper.*

Autumnus non rectè frigidus, siccúsque dicitur Non.n. frigidus est si ipse per se spectetur,vt hyems est , sed vbi cum ęstate confertur,vtique illa frigidior.*lib.1.de temper.*

Autumnus à vere maximè dissidet , quòd mediam temperiem,& ęqualitatem perpetuò parem non seruat. *Lib.1.de temper.*

Autumnus neque calidus, neque humidus *lib.3.aph.c&.6.*

Autumnus ęstatem subsequitur, in victus ratione ęgris præscribenda. *lib.1.aph.com.18.*

Autumni ad ęstatem, vt iuuentutis ad declinantem ętatem comparatio *lib.3.aph.com.10*

Autumnus frigidus existens rufam excipit bilem, tempore æstiuo exassatam. *Ibid.*

Autumno sanguis minuitur, & atra bilis plurima redundat, *com.1. ad librum de natur. hum. super text. Autumno.*

Autumnus atram bilem generat. *lib 3. aph. com 10.*

Autumni tempore corpora nostra paucum habent sanguinem. *lib.1 aph.com.15.*

Autumno coguntur, & densantur corpora. *Lib.1.aph. com.18.*

Autumno qui morbi gignantur. *lib.3.aph.com.22.*

Autumno morbi acutissimi, atque exitiales fiunt. *Lib.3. aph.com.9.*

Autumnus ob id malus, non solùm quòd humores tum in corpore exassati plurimi sint, & vires debiles, sed quòd à frigiditate difflari humores prohibeantur, & intrò trudantur. *lib.3.aph.com 9.*

Autumnali tempore infestant materiæ potius extranea qualitate, quàm multitudine. *lib.6.aph.com.55.*

Autumno dolores podagri fiunt. *Ibid.*

Autumno multi insaniunt. *lib.3.aph com.30.*

Autumnus salubris tum esse poterit, si Etesię per ęstatē perflauerint, & pluuiæ subsequantur. *lib 3. aph com.11.*

Autumnus omnibus naturis, ætatibus, ac regionibus malus. *lib.3.aph.com.18.*

Autumno calidę & humidę naturę, minus cęteris lędūtur. *lib 3.aph.com.18.*

Autumnales morbos expectare oportet, quando eadē die modo calor, modò frigus viget. *lib 3.aph.com.4.*

in Autumno humores detrudūtur ad interiora. *lib.3.aph. com.9. & 22.*

Autumnus si quem bene temperatum offendit, hunc nōn conseruat. *lib.3. aph.com.10.*

Autumnales omnes fructus exigui sunt alimenti, *Libr.2. de alim.fac.cap.de armeniacis, & præcocibus.*

in Au-

in Autumno cibi maiori copia, quàm in ęstate, & ficciores sumendi, pocula pauciora, & meraciora. *Polybius lib. de salubri diæta.*

Autumno melancholicis cibis, & exficcantibus abstinere oportet. *lib. 1. de alim. fac. cap. de legibus.*

Autumno purganda melancholia, non solùm vere, *lib. 6. aph. com. 47.*

Autumno possunt fieri euacuationes per superius, & inferius, nisi naturæ obstent. *lib. 4 aph. com. 7.*

Autumnum pluuiosum, & ęstatem pręcedentem siccam, sequitur hyems in qua fiunt capitis dolores, tusses, raucedines, grauedines, tabes. *lib. 3. aph. com. 13.*

Autumnus tabidis malus. *lib. 3. aph. com. 10.*

De hyeme.

HYEMS frigiditate atque humiditate, cęteris temporib. pręstat. *Com. 1. ad 1. de pop. morb. super text. in Thaso.*

Hyeme sumpti in ventriculo cibi, in iecore dum mutantur non absolutum assequuntur sanguificationis cultum. *com. 1. ad lib de nat. hum. super text. Ineunte hyeme.*

Hyeme pituita copiosior est. *Com. eod.*

Hyeme ventres calidissimi sunt natura. *com. eod. & lib. 1. aph. com. 15.*

Hyeme corporis partes plus refrigerantur. *Com. eod. lib. de nat. hum.*

Hyeme ambientis aëris frigus, quàm potest penitissimè se in corpus insinuat. *Com. eod. super text. Ineunte hyeme.*

Hyeme cibi multi, quibus qualitates sunt pituitosiores, sumuntur, vt legumina, olera, & agninę carnes, cochleę, caseus, porcinę carnes, & huiusmodi. *Com. eod.*

Hyeme qui morbi augentur, ęstate indicantur, & contrà. *Com. 1. ad lib. de nat hum. super text. Cùm igitur.*

Hyeme tumores albi, & alij morbi pituitosi oriuntur. *Com. 1. ad lib. de nat. hum. super text. Hyeme increscit.*

Hyeme febres pituitosiores fiũt, vt ęstate biliosiores. *cõ. eod.*

Hyeme fiunt morbi laterales, pulmonis inflãmationes grauedines, atque raucedines, tusses, dolores pectoris, & laterum, atque lumborum, capitis dolores, vertigines, & apoplexiæ. *lib. 3. aph. com. 23.*

Hyeme ſiccantibus cibis vtendum. *libr.1.de alim.fac.ca de lente.*

Hyeme præ cæteris temporibus plurimùm comedendí, bibendum quàm parciſſimè. Et potus vinũ eſſe debet, quàm meraciſſimum, cibus, panis, obſonia, aſſa omnia. Corpus enim calfacere, ſiccaréque oportet. *Polyb.li.de ſalubri diæta, & Gal. in com.eius lib.*

Hyems tarditatem ſanationis in morbis facit. *Lib.1.aph. com.12.*

Hyemi coniunctæ quartanæ longæ. *Lib.2.aph.comment. 25.*

Hyberno tempore plus appetunt homines, & cibum facilius concoquunt. *Lib.1.aph.com.15.*

Hyberno tempore bene omnia in corpore animalis administrantur, ſi hyems mediocritatem ſeruauerit. *Lib.1.aph. com.15.*

Hyeme & coctiones, & ſanguificationes, & nutritiones meliores fiunt. *Lib.1.aph.com.15.*

Hyeme ſomni longiſſimi fiunt. *Ibid.*

Hyeme cibi multi dandi ſunt, calor enim innatus multus ineſt. *Ibid.*

Hyeme pueri, & pluribus indigent cibis, & plura concoquunt, quia calidum plurimum habent. *Ibid.*

Hyeme calor noſter augetur, quia refugit propter circũſtantem extrinſecus frigiditatem, ſicut rurſus æſtate ad ſibi affinem protenditur, vt Ariſt. dicit. *Com.eod.*

Hyeme morbi longiſſimi, quod humores intus remaneãt. *Lib.2.aph.com.25.*

Hyeme bene ſe habent naturæ calidæ & ſiccæ. *Lib.3.aph. com.2.*

Hyberno tempore quæcunque animalium ſunt natura frigidiora, iis calor innatus à frigore hyberno ſuperatur, adeò vt ferè extinguatur. *Lib.1.aph.com.15.*

Hyeme cibum melius concoquimus ſanguine, ac ſpiritu ad profundum corporis retrocedentibus. *Com.eod.*

Hyberno tẽpore quia calor plurimus eſt, idcirco ſibi appetentiam intendit, coctiones auget, & plus ſanguinis cumulat, & craſſius efficit corpus, vt ſuperfluitates excernantur, prouidentiam habet. *Com.eod.*

Hyeme in vrinis plus eſt ſedimenti, quàm per æſtatem præ-

præter id quod etiam tota vrinarum multitudo hyeme sufficienter augetur. *Ibid.*

Hyeme calidæ & humidæ naturæ meliùs habent. *Lib.3. aph.com.2.*

Hyems sicca & aquilonia, vere pluuioso & austrino, febres acutas æstate parit, lippitudines, intestinorum difficultates. *Lib.3.aph.com.11.*

Hyeme austrina & pluuiosa, vere sicco & aquilonio, mulieres quibus ad ver partus inest abortiunt, aut imbecilles edunt. Cæteris difficultates intestinorum, & lippitudines siccæ fiunt. *Lib.3.aph.com.12.*

Hyeme fiunt dolores capitis, tusses, raucedines, grauedines, & tabes, si æstas aquilonia fuerit, & autumnus pluuiosus. *Lib.3.aph.com.13.*

Hyems frigida, & humida esse debet. *Com.eo.*

Hyems nullam plenitudinem in parte aliqua corporis dissoluit. *Com.eod.*

Hyemis principium Pleiadum occasus. *Lib.3.aph.com.14.*

Hyems optima consistentibus. *lib.3.aphor.com.18.*

Hyems quibus ætatibus & naturis cõgruat magis. *Com.eo.*

Hyems si inueniet aliquem temperatum, non sic eum conseruat. *lib.3.aph.com.20.*

Hyeme inferiores partes purgandæ, æstate superiores. *lib.4.aph.com.4.*

Hyeme aliquando flaua bilis abundat. *lib.4.aphorism.comment.4.*

Hyemem in vomitu cauere oportet. *lib.4.aphor.com.6.*

Hyeme superiora purgari malum, iis qui leuitate intestinorum laborant. *lib.4.aph.com.12.*

Hyeme si quis in victu delinquat, in vere incidit in morbos longos multitudine, & alia qualitate lædente. *lib.6.aph. com.55.*

Hyeme partes extremas corporis velut nares, aures, pedes, & extremas manus frigidas fieri, nihil absurdum. *lib.7. aph.com.1.*

De ventis, & quid in nobis efficiant. CAP. IIII.

VEntorum cognitionem medico necessariam esse vetustissimus medicorum Hippocrates, prodidit. In id enim velut constans eiusdem autoris, atque Gal. assertio est, vt morborum præsertim popularium naturam, vt regionum, ac *lib. de aere, aquis, & lo...*

Com.1.ad lib.1.Epi. tractuum terræ salubritatem, morbosamve qualitatem, vt constitutionum anni varietatem, vnde varij generis morbi nascuntur, scire ex ventorum dignotione possemus: quòd ab his plurimas fieri in aere mutationes, atque subinde varias in corporibus alterationes, caloris, frigoris, humiditatis, ac siccitatis cernamus. De ventis itaque hoc capite differemus, ostẽdentes qui eorum præcipui sint, quatenus nos afficiant, & qui salubres, qui noxij sint habendi. Pauca enim omnino sunt ea quæ de ventis tractari medico more debent. Quæ antequam aggrediar, de ipsa venti natura nonnulla altius repetita, breuissimè explicabo. Ventum Aristoteles, sicci halitus, quem terra profundit, copiam circum terram currẽtem esse voluit. Plutarch. de Anaximandri sententia aërem fluidum subtilissimis eius, humidisque partibus à Sole citatis, aut liquefactis, ventum esse arbitratur. Seneca autem, aërem in vnam partẽ fluentem. Ventorum hanc solam esse causam Arist. atque Seneca ducunt, aquarum, terrarúmve euaporationes. Ex his grauitate aëris fieri, deinde solui impetu, cúmque densa steterint, vt est necesse, extenuata niti in ampliorem locum. Est porrò & illa longè (vt ego quidem arbitror) verior, atque valentior causa, habere aera naturalem vim mouendi se, nec aliunde eam nancisci, sed inesse illi, vt aliarum rerum, ita & se agitandi potentiam, nec inertem & inagitabilem esse relictum, ac proinde interim densat ipse sese, modò expandit se, & purgat, aliàs contrahit, diducit, ac differt. Gignuntur vero ad hunc modum venti. Quicquid ex se flumina, paludes, patẽtes campi, halituosi, vi solis emittunt (id autem, & multum est, & assiduũ solis potẽtia in sublime latum) id omne nocte densatum, ac montibus inclusum, in vnam regionem, atque locum colligitur. Cùm illa lata sursum exhalatio impleuit, vt se ipsam pre multitudine capere nõ possit, exprimitur aliquò, & in vnã partẽ impetu facto procedit, atq; hic processus ventus est: qui eo incumbit, quo liberior exitus inuitat, & loci laxitas, in quam coaceruati halitus decurrant. Esse autem in vniuersum ventos duodecim, à varijs mundi plagis originem ducentes, omnes vno ore testantur, tum philosophi, tum rei rusticæ, ac cœlestium rerum autores. Nam cùm cœlum omne in circulos suos discretum nempe æquatorem, solstitialem, æstiuum, brumalem, circulum arcticum, & illi oppositum antarcticum, meridianum, atque horizonta, vniuersum mundi ambi-

lib.2.meteor.c.4.
libr.3.de plac.phil.
lib.5.nat. questio.
Ventorum generatio.

ambitum complectatur: efficitur, vt alij in alios intercurrentibus circulis xij. in cælo partes conficiantur, è quibus venti spirēt. Necesse enim est tot aëris discrimina esse, quot distinctæ in cælo partes, quæ cum circulorum intersectione xij. esse mathematica ratione constet, & totidem fieri à cælo in aere discrimina, totidemque ventos, est omnino necesse. Quos omnes cum duodecim esse dicimus, ita intelligendum ducimus, non quia vbique tot sint (quosdam enim inclinatio terrarū & situs excludit) sed quoniam plures nusquam sunt. Surgunt ij omnes à quatuor mundi plagis, ortu, occasu, meridie, & septentrione, varieq; pro sui quisq; cōditione aërem immutāt, imbribus, nebulis, nubibus, tempestatibus, serenitate, colore, humiditate, frigore, ac siccitate: à quibus corpora nostra affici ipsa sensuum fides declarat. Quatuor itaq; hos cœli cardines, quos modo diximus, internas rursus partes astronomi diuidunt, & singulis principibus ventis, binos subditos dant: ita in vniuersum duodecim conficientes ventos, quatuor principes, à quatuor mundi angulis, seu cardinibus manantes, octo vtrinque læuorsum, atque dextrorsum sitos, quos & subditos iure appellant. Quoniam vero non eodem semper loco Sol oritur, aut occidit, sed alius est ortus, occasūsque æquinoctialis, (bis autem æquinoctium est) alius solstitialis, alius hybernus. Qui surgit ab oriente æquinoctiali, cùm Sol arietis, aut libræ capita tenet, Subsolanus nominatur: Græci illum ἀπηλιώτην vocant. Ab oriente hyberno Eurus, quem Latini Vulturnum appellant. Ab æstiuo ortu excitatus, Cæcias dicitur Græcis, apud nos sine nomine est. Æquinoctialis occidens Fauonium mittit qui & Zephirus dicitur Græcis: ab æstiuo, seu solstitiali occidente, Chorus. Ab Hyberno Aphricus furibundus, & ruens, qui Græcis Libs dicitur. A Septentrionali latere summus est Septentrio seu Boreas, à polo arctico spirans. A circulo arctico læuorsum Aquilo. Ab eodem dextrorsum Circius, seu Thrachias. A meridiano axe Auster princeps spirat, quem & Notum appellant, cui à parte dextra circuli Antarctici Euroauster seu Euronotus. A sinistra Austroaphricus aut Libanotus stant, indeque suos flatus emittunt. Principes porro ventos, Ouidius, ac Lucanus pulcherrimè descripsisse mihi sunt visi, alter 1. Metamorphos. alter 1. Pharsalicæ pugnæ.

Ventorum nomina.

Ouidius sic:

Eurus ad auroram, Nabathæáque regna recessit,
Persidáque, & radijs iuga subdita matutinis.
Vesper, & occiduo quæ littora sole tepescunt,
Proxima sunt Zephyro: Scythiam septémque Triones
Horrifer inuasit Boreas: contraria tellus
Nubibus assiduis, pluuióque madescit ab Austro.

Lucanus sic:

Heu quantum terræ potuit, pelagíque parari
Hoc quem ciuiles hauserunt sanguine dextræ!
Vnde venit Titan, & nox vbi sydera condit,
Quáque dies medius, flagrantibus æstuat horis,
Et quà bruma rigens, ac nescia vere remitti,
Astringit Scythicum glaciali frigore Pontum.

Diximus quot in vniuersum venti, & qui principes, & quibus ab oris spirent. Quid nunc in nobis efficiant, promendũ. Plurimi ventorum (inquit Arist.) Aquilo & Auster spirare solent. Ab horum igitur effectionibus inchoauimus. Aquilones, & qui ab arcto flant ventorum omnium saluberrimi, atque frigidissimi sunt: quòd ab extremo mundi cardine, ad quem nunquam Sol adit, tanquam è natali sede prodeant, quod per mõtosa, & niuibus ac glacie obsita loca illis ad nos cursus sit: nec frigidi tantum, sed & sicci apparent, quod neq; his flatibus vapores aquosi, & humidi permisti sint (quę enim ad septentrionem attinent loca, ob frigoris perennitatem minùs vaporibus tẽtantur, quòd vis solis exigua, modicũ inibi possit vaporem attollere) neque per vasta maria, statariásve, ac cœno refertas aquas, sed per inculta, & multo gelu rigentia loca, longo tractu in nostras oras sese proripiant, ac proinde impetu acti aërem quidem refrigerant, & quod ad corporis nostri constitutionem pertinet, septentrionalis, & aquilonius omnis ventus corpora corroborat, & natiui caloris intro reuocatione vegetiora, maiora, robustioráque creat. Vnde Sauromatum, Getharum, Scytharum, Germanorúmque corpora cæteris & viribus pręstantiora, & mole ampliora conspicimus. Prætereà corpora idem ventus indurat, & cogit, fluxionem cohibet, meatus coarctat, coctionem, & sanguificationem fortes, validásque efficit: aluos sistit, sudorem prohibet, ciet vrinam, aërem putridum, & morbosa excretione pestilentem factum, sanat: siccando atque difflando quod in

Li. 2. meteor. c. 4.

aere

aere morbidum,& peſtilens fuerat. Senibus verò & virtute imbecillis,ac à morbo reſurgentibus,& attenuatis aduerſiſſimus is eſt. Si verò viciſſitudine quadam Aquilonius flatus auſtrinam ſequatur,fluxionum tum morbi naſcentur: ſiquidem ab Auſtrino flatu humorum fuſio & liquatio, ab Aquilonari expreſſio ſequitur, túmque grauedines, raucedines, tuſſes:neruorum,vteri,pectoris dolores, & laterum oriri ſolent,vt præcedenti capite eſt à nobis monſtratum. Vniuerſam verò Aquilonaris conſtitutionis naturam pulcherrimè Hippocrates 3.aph.expreſſit,inquiens:Quotidianæ conſtitutiones,Aquiloniæ quidem, corpora denſant, contendunt, & bene mobilia,coloratiora,& meliùs audientia faciunt, & aluos exſiccant, oculos mordent, & ſi pectus dolor aliquis obſiderit, dolorem augent. Auſter porro Aquiloni, & ſitu & natura contrarius, diuerſa omnia atque contraria facit: robur omne deiicit, vires laxat, meatus reſerat, humores turbat, atque exagitat, ſenſus hebetes & graues reddit,motus ſegnes pigróſque parit, articulorum robur diſſoluit,febres,ac putredinem creat, tubercula multa, podagras,comitiales,ſomnos graues,plenitatem,faſtidium, & inappetentiam excitat:quæ omnia caliditate atque humiditate efficere creditur.Nam etſi is cui ortus initio frigidus perinde atque ſeptentrio ſit:procedit enim ab altero mundi cardine vrſę oppoſito & perpetuo gelu rigente, vnde frigidum ſuapte natura eſſe omnino oportet(vti & nos ampliſſimè lib. 5.Enarrationum noſtrarum,enarratione eius libri prima mõſtrauimus)cum illi tamen per loca terrarum,ingenti ardore exuſta(torridam zonam vocant)& vaſta maria ad nos aditus ſit,calorem multum media via cõcipere plurimis atque madentibus vaporibus intermiſtum, neceſſarium quidem videtur.Vnde merito & febres,& putredines, & peſtilentes morbos creare eſt aptus. Cùm ſit autem Auſter omnis calidus, non omnis tamen humidus(ſunt enim auſtri quidam ſicci) qui & ipſi, vel Ariſtotelis teſtimonio febres generãt. De Auſtro hanc tulit Hippocrates ſententiam: *Auſtri*(inquit) *auditum hebetantes,caliginoſi,caput grauantes,pigri,diſſoluentes.* Et rurſus: *Auſtrinæ conſtitutiones diſſoluunt corpora, & humectant, auditum obtundunt,capita aggrauant, & vertigines faciunt,oculis atque corporibus difficilem motum præſtant, & aluos humectant.*

Lib.1 probl.prob.23 lib.3.aph. 5.& 17.

Orientales venti, quòd probè sint à virtute solis temperati, validi non sunt: iidémque ficciores & leuiores. Quod si per integrum diem flare eos contigerit, maiore sublata à sole exhalatione, validiores, & calidiores fieri tum certè possunt. Sunt autem in vniuersum, qui ab ortu manant flatus, his qui ab occiduo longè salubriores. Occidui enim venti ob vaporũ in eis copiam, & crassiores, & densiores, & lentoris plenissimi esse solent, atque ob id caput grauant. Vnde illud rectissimè à Celso dictum est, Eos qui valetudini student, serotinum & matutinum aëra vitare debere. Atque hæc de ventis in genere: illud speciatim, Esse quosdam quorundam locorum proprios, & vernaculos, qui non longè transmittunt, sed in proximum ferunt. Non est illis ab vniuersi cardinibus aut solstitiis impetus, sed à regionis positu motus, ob id in longinqua non proferuntur. Atabulus ventus Apuliam infestat, Calabriam Iapix, Athenas Scyron, Pamphiliam Chagenus, Galliam Circius, & nostram hanc Narbonensem, quam incolimus Galliæ oram, peculiaris itidem ventus (quem de nomine prouinciæ Narbonensem itidem incolæ vocant) exagitare solet. Infinitum profectò fuerit, singulos velle persequi. Etesiarum solùm meminisse profuerit. Ij enim & vtilissimi, atque saluberrimi sunt, & prouidentia quadam singulari nobis à Deo Optimo Maximo dari, anniuersarij seu annales dicti sunt, quòd stato anni tempore in hominum salutem, atq; subsidium recurrant. Flare enim incipiunt post canis ortũ, vt cœli ardorem, æstuantémque animantium omnium animam tum restinguere, tum refrigerare leni spiritu suo, & Aquilonari frigiditate queant. Nos verò corollarij loco ventorum commoda omnia, eorúmque in orbe situm, explicata figura, huic fini capitis adnectamus. Inter cætera enim prouidentiæ opera hoc quoque altioris indaginis homo, & naturæ operum admirator, vt diuinum quiddam, & summa admiratione dignissimum valde suspexerit. Non enim ex vna causa ventos aut inuenit, aut per diuersa disposuit rerum moderator Deus: sed primùm vt aëra non fineret pigrescere, sed assidua motione vtilem, difflatum, vitalem, salubrémque redderet terris: deinde vt imbres terris largos funderent, iidémque nimios compescerent, & nubibus depulsis serenitatem inducerent. Siquidem venti modò adducunt nubes, modo deducunt, vt toto orbe secerni, atque distribui pluuiæ possent. In

Ventorũ commoda.

Italiam

Italiam Auster impellit, Aquilo in Aphricam reiicit. Etesiæ apud nos consistere nubes non sinũt. Itidem totam Indiam, & Æthiopiam continuis per id tempus aquis irrigant. Quid quod fruges percipi nõ possunt, nisi flatu superuacua, & mixta seruandis ventilentur? Nisi esset, quòd segetem excitaret, & latentem frugem ruptis velamentis, & membranis suis, (quæ folliculos agricolæ vocant) aperirent? Quid quòd omnibus inter se populis toto orbe dissitis, ventorum beneficio commercium dedit, & gentes dissipatas locis miscuit? Dedit itaque summus rerum parens Deus, ventos ad custodiendam cœli terrarumque temperiem, ad euocandas (vt anteà dicebam) supprimendasque aquas, ad alendos satorum, atque arborum fructus, quos ad maturitatem cum aliis causis adducit ipsa iactatio, attrahens cibum in summa, & ne torpeant promouens. Dedit ventos ad vlteriora noscenda. Fuisset enim imperitum animal, & sine magna rerum experiẽtientia homo, si natiui soli fine circunscriberetur, nec posset ventorum præsidio vlteriora mundi petere maria, tranare, sinus videre, alienos gentium conspicari ritus. Dedit insuper ventos, vt cuiusque regionis commoda co mmunia fieri remotissimis possent: vnde rerum pretiosarum, & mercium omnis generis conuectiones, importationes, exportationésque. Quis igitur non summam, & admirandum Dei in ventorum natura potentiam, sapientiam prouidentiamque admiretur? Ego quidem certe non in vna hac tantum fœtura numen laudibus celebrare, & sacrificium laudis cum exultatione tota mẽtis intensione adferre desinam: sed & in omni reliquo opere, in quo diuinæ bonitatis radios largè effulgere conspicor (effulgent autem in cunctis naturæ operibus) tanti numinis potentiam venerari, pronúsque adorare perpetuò anteuertam.

De ventis Hippocratis & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

VENTORVM tum calidorum, tum frigidorum, tum eorum, qui in vnaquaque regione sunt ndigenę, & proprij, notionem oportet habere medicum. *lib. de aere, aquis, & locis.*

Ad ventos calidos, quę ciuitas sita est, huic hi venti sunt peculiares. *ibid.*

Venti calidi sunt, qui inter brumalem solis exortum, itidémque occasum perflant. *eod. lib.*

A ventis septentrionalibus ea ciuitas tuta, ac protecta est, quę ad ventos, qui inter brumalem solis exortum, eiúsque occasum sita est. *eod. lib.*

Ad ventos frigidos, quę ciuitates sitę sunt, etiam ipsis hi venti vernaculi, ac indigenæ sunt. *ib.*

Venti frigidi sunt inter occasum solis æstiuum, & orientem æstiuum. *ibid.*

Ad ventos frigidos quæ ciuitates sunt, ab Austro & calidis ventis protectę sunt. *ibid.*

In ventorum mutationibus, sacro morbo corripi, maximè verò Austrinis homines solent. *lib. de sacro morbo.*

Venti omnium fortissimi Aquilonares, & Austrini. *eo. lib.*

Ventorum Aquilo, & Auster inter se tum statione, tum viribus contrarissimi. *eod. lib.*

Ventus Aquilo aërem compingit, turbatum ac nebulosum excernit, & illustriorem, ac pellucidum facit. *eod. lib. de sacro morbo.*

Ventorum omnium Aquilo saluberrimus. *eod. lib.*

Ventus Auster Aquiloni contraria operatur. *eod. lib.*

Ventus Auster aërem compactum liquat, ac fundit. *eodem lib.*

Ventus Auster dissolutionem & eliquationem operatur in mari, fontibus, fluminibus, puteis, & terrę nascentibus, in quibus humor inest. Hæc enim omnia ventum hunc sentiūt, & ex splendidis tenebrosa fiunt, & ex frigidis calida, & ex siccis humida, *lib. de sacro morbo.*

Auster ventus quęcunque in domibus vasa iuxta terram sunt, vino aut alio liquore plena, in aliam quandam formam & speciem demutat. *eod. lib.*

Auster ventus Solem & Lunam, ac sydera multò hebetiora, quàm ex natura reddit. *ibid.*

Ex ventorum mutationibus & alterationibus transmutari & alterari corpora nostra. *ibid.*

Ab Austro solui, ac humectari cerebrum, & venas laxiores reddi. *ibid.*

Ab aquilonibus flatibus, quod sanissimum est, in cerebro compingi, quod verò morbosissimum, ac humidissimum excerni. *eod. lib.*

In

In ventorum mutationibus defluxus succedere. *Ibid.*

Austrini flatus auditum hebetantes, caliginosi, caput grauantes, pigri, dissoluentes. *lib.3.aph.5.*

Austrinæ constitutiones dissoluunt corpora, & humectant, auditum obtundunt, capita aggrauant, & vertigines faciunt, oculis atque corporibus difficilem motum præstant, & aluos humectant. *lib.3.aph.17.*

Aquiloniæ constitutiones corpora densant, contendunt, & bene mobilia, coloratiora, & melius audientia faciunt, & aluos exsiccant, oculos mordent, & si pectus dolor aliquis obsederit, dolorem augent. *lib.3.aph.17.*

Aquilonia præualente constitutione, tusses, fauces alui duræ, difficultates vrinæ, horrores, costarum dolores, & pectoris. Quando hæc tempestas præualuerit, talia in morbis expectare oportet. *lib.3.aph.5.*

GALENI.

VENTI sinuales, ac pelagij, hoc est, qui à sinubus maris, & vasto mari spirant, maximi interdum flant. *lib. 1. de sem. cap.4.*

Venti quicunque de fluminibus, aut paludibus, aut mari spirant, plurima eorum substantia, ex minima humoris mole euasi. *ibid.*

Venti terranei, id est, qui è terra flant, hoc idem præ se ferunt, qui in copiosiorem aerem resoluta terræ vligine spirare solent. *ibidem.*

Ventis vehementioribus mare occupantibus, propter ictum fortiorem spuma generatur in mari. *lib.2.aph.com.43. & lib.7.com.10.*

Ventorum magnæ mutationes, aut defectus pariût morbos *lib.3.aph.comm.1.*

Ventus Auster auditum hebetat, caliginem facit, caput grauat, pigros facit dissoluit. *lib.3.aph.com.5. & 17.*

Ventus Aquilo tusses facit, fauces, aluos duras, difficultates vrinæ, horrores, costarum dolores, & pectoris. *li.3.aphoris. com.5.*

Ventus Auster calidus, & humidus. *lib.3.aph.com.5.*

Venti ab Arcto refrigerant loca maritima, æstate in regionibus calidis. *lib.3.aph.com.14.*

Aquiloniæ constitutiones corpora densant, contendunt,

bene mobilia, coloratiora, & melius audientia faciunt. *lib. 3. aph. com. 17.*

Ventus Aquilo frigidus ac siccus est, & omnes corporis consumit superfluitates: tol ur autem adiicit ipsis instrumentis ex eo quod astringit, & in vnum cogit densando substantiam. *com. eodem*

Aquilone flante omnia meliora fiunt, & secundùm naturæ & animæ operationes. *com. eod.*

Ventus Aquilo facit omnes sensus bonos. *com. eod.*

Vento nullo flante, & Austro etiam flante fiunt genitalium putredines. *lib. 3. aph com. 21.*

Ventus, seu spiritus flatuosus in intestinorum inuolucris interceptus tormina facit. *lib. 4. aph. com. 11.*

De locorum salubrium delectu.

CAP. V.

Lib. de aere, aquis & locis. & lib. 2. de dietis.

HIppocrates medicorum scientissimus, omnem locorũ notionem situ, ventis, aqua, terráque, seu soli qualitatẽ comprehendi sapientissimè demonstrauit, quod ex his omnibus de regionis salubritate, pestiletíve natura, atque morbosa censere arte valeamus. Quamobrem cùm solo, ac cœlo, nobis in omni vita perpetuo atque necessario vtendum sit, vt sine quorum præsidio ne momento quidem vitam ducere possimus, magna profecto salubritate loci, quem incolimus, cura, magnáque in deligendo cautio cuique esse debet, qui modò vitæ proferendæ, ac bene salubritérque degendæ, valetudinisque firmandæ sit studiosus. Quod intuens Aristoteles in vrbium situ describendo, salubritatem omnium primùm spectandam esse, merito censuit. Habendam enim esse valetudinis incolarum rationem, in primis ducendum idem statuit. Ea autem vel eiusdem testimonio situ loci commodo, & qualitate cœli, & aquarum salubrium vsu, atque ventorum constat, plurimúmque iuuatur. Quæ omnia paucissimis verbis Portius Cato, Romanorum longè doctiss. cõplexus esse mihi est visus: In bona regione (inquit) bene nitere omnia oportebit, & vti eò cùm introeas, circunspicias vti bonũ cœlum habeat, ne calamitosum siet. Solo bono sua virtute valeat. Si poteris, sub radice montis siet, in meridiem spectet, loco salubri. Mira breuitate Cato saluberrimũ vitæ sitũ expressit.

Lib. 5. Politicorum cap. 11.

pressit. Nitor.n.regionis,& cœli clementiam,& soli bonitatē ostēdit:quæ duo si adfuerint,necessarium quidem est,vt eo in terræ tractu,bene salubriterque viuatur. Cœlo enim, & solo feliciter viuitur,si cœlum clemens,solum nitidum fuerit.& amœnum. Quem Catonis locum Varro cumulatiùs explicans, ita de locorum salubrium delectu disseruit. *Dandum operam,* (inquit) *vt potissimum sub radicibus montis syluestris villam ponas,ita vt contra ventos, qui saluberrimi in agro flabunt posita sit:* li.1.de Re *ad exortus,æquinoctiales aptissima quòd æstate habeat vmbram,* Rustica.ca *hyeme solem. Sin cogare secundum flumen ædificare, curandum ne* pit.15. *aduersum Eurum ponas. Hyeme enim fiet vehemēter frigida,& æstate non salubris. Aduertendum etiam si qua erunt loca palustria, & propter easdem causas,& quòd aresc.unt,& quòd in iis crescunt animalia quædam minuta,quæ non possunt oculi consequi, & per aera intus in corpus,per os,& nares perueniunt,atque efficiunt difficiles morbos. Scrofa autor grauissimus vitandum censet, ne in eas partes spectet villa,ex quibus ventus grauior afflare soleat,nēve in conualli caua. & vt potius in sublimi loco ædifices,qui quod perflatur (si quod est,quod aduersarium inferatur) faciliùs discutitur. Præterea qui locus ab Sole toto die illustratur,salubrior est:quòd & bestiolæ,si quæ propè nascuntur,& inferuntur aut efflantur, aut ariditudine citò pereunt,& si quid in aëre vitiosum inest,Solis vi promptè dissipatur,ac euanescit.* Hæc optima vrbium construendarū situs ratio,vt inquam,quæ ciuitas saluberrima sit futura,eam ad exortus æquinoctiales positam esse,eósque ventos spectare qui inde spirent, sit omnino necesse, vt etiam vicina palus, stantésque aquæ,atque lacustres prorsus vitentur,vt in sublimi magis quàm in demisso,& cauo statuas. Hic enim vrbis situs,cùm ob ventorum salubrium afflatum,tum ob aëris puritatem,omnium longè saluberrimus est statuendus. Vnde illud rectissimè Hip.dixisse est visus. Quæ ad orientem solem ciuitates sitæ sunt,eas esse salubriores his quæ ad septentrio *Lib.de aë-* nem conuersæ sunt,& his quæ ad calidos ventos, hoc est ad *re.aquis &* meridiem positæ sunt,quòd eæ calore nimio morbosæ, & æ- *locis.* stuosæ,illæ frigore immodico intemperatæ incolentibus & sint,& habeantur. Proinde saluberrimum esse earum ciuitatum situm:quæ ad orientem spectent,vt etiam conceptis verbis Arist.confirmauit. Qui vrbium situm. 7. Politicorum describens,cum salubritate cæteris anteponit, qui ad auroram *7.Politic.* vergat. Secundo loco qui ad Aquilonem,quòd quæ ciuitates *cap.11.*

ſecundùm boreã ſitæ ſũt ad hyberna ſeu ad hyemẽ perferẽdã ſint potiores. Sed quomodò hæc Ariſt. demonſtratio quadrare poſſit, planè non video. Vult enim ob id ſitas ad Aquilonẽ ciuitates ſalubriores eſſe, quòd eæ ſint contra hyemem munitiores, vt Ioachimus Perionius, vir alioqui in vertendo Ariſtotele felix, ſed in hoc fœdiſſimè lapſus interpretatur : vel vt Lodoicus Strebæus vertit, quòd hæc faciliùs frigus, & hyemẽ ſalubrem admittunt: aut vt Aretinus, quod ſint ad hyberna potiores: aut poſtremò vt Ioannes Geneſius Sepulueda Hiſpanus hunc locum expreſſit, quod hæ quæ ad Aquilonem vergunt magis commodis auris refrigerentur. Quarum verſionũ nulla profectò mihi aut Ariſt. germanum ſenſum, aut veram rei de qua eo loco tractatur naturam, exprimere ſatis videtur. Quæ ne temerè dixiſſe, aut tantis alioqui viris calumniãdi ſtudio inſcitiæ notam inuſſiſſe videri queam, totam Ariſt. ſeriem appingere hîc non pigebit, duo hæc vt oſtendam, neq; rei ipſi congruere eam, quæ ab Ariſt. adfertur demonſtrationem, neque interpretes ſatis Ariſt. quem interpretantur verba expreſſiſſe. Series porro Ariſtotelis Græca hæc eſt: τὴν δὲ πόλιν, ὅτι μὲν κοινὴν εἶναι τῆς ἠπείρου τε καὶ τῆς θαλάσσης, καὶ τῆς χώρας ἁπάσης ὁμοίως, ἐκ τῶν ἐνδεχομένων, εἴρηται πρότερον. αὐτῆς δὲ πρὸς αὐτὴν εἶναι τὴν θέσιν εὔχεσθαι δεῖ κατατυγχάνειν, πρὸς τέτ̓ταρα βλέποντας. πρῶτον μὲν, ὡς ἀναγκαῖον πρὸς ὑγίειαν, αἵτε γὰρ πρὸς ἕω τὴν ἔγκλισιν ἔχουσαι, καὶ πρὸς τὰ πνεύματα τὰ πνέοντα ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς, ὑγιεινότεραι. δεύτερον δὲ, κατὰ βορέαν εὐχειμέριοι γὰρ αὗται μᾶλλον. Ea ego ſic vertenda cenſeo, *Vrbem continenti, marique, omnique agro pariter (quoad eius fieri poteſt) cõmunẽ eſſe oportere ſuprà demõſtratum eſt. Situm verò ipſius ad ipſam relatum ad quatuor ſpectãtes optare debemus. Primum ad ſalubritatem, rem vtique neceſſariam. Quæ enim in auroram inclinant vrbes, & ad eos ventos qui ab oriente ſpirant, ſalubriores ſunt.* Proximè verò ab his ſalubriores habẽdæ, quæ in Aquilonẽ vergũt, hæ nãque ad hyemẽ ſalubriter degẽdã meliores (ſic enim vocẽ illã εὐχειμέριοι, vertẽdã iure cẽſeo) nã quod Sepulueda cõuertit, hæ nãq; magis cõmodis auris refrigerantur, nullo pacto ei voci reſpondet

det εὐχειμέριοι, quæ propriè bene se ad hyemẽ habere atque commodè significat. Ineptior porrò Perionij versio est, cùm ait, hæ nanque (quæ scilicet ad Aquilonem inclinant) contra hyemem sunt munitiores.

Quomodo enim quæso contra hyemem munitæ esse vrbes illæ possunt, quæ Aquilonaribus flatibus expositæ, & obuersæ ingentia sentiunt frigora? Vtpote Aquilonem spectantes, nec ad domandam hyemis sæuitiam munimine aliquo contectæ? hæ enim solùm vrbes quæ vel ad Auroram, vel ad meridiem inclinant, contra hyemẽ munitiores esse solent, quod ab Aquilone auersæ sint, vt suprà ex Varro docuimus. Quare minimè hac in parte Aristot. mentem assequutum fuisse Perionium iure statuẽdum est. Non enim ea Arist. certè mẽs fuit, esse ciuitates ad Aquilonem vergentes, contra hyemem munitiores, sed tantùm salubriores. Si enim tales probè essent contra hyemẽ munitæ, non tot hypocaustis, & æstuariis in Germania, & Pannonia, & omni Scythico tractu, non tam sub pellibus hyemandum illis esset. Sed nunc omissis interpretum versionibus, Aristotelis paulò penitus sensa excutiamus. Vult ille inclinantes in Auroram vrbes omnium in primis saluberrimas esse, quòd (vt Varro tradit) hæ æstate vmbram, hyeme solem habeant: atque hæc omnia vt sunt, sic sanè verissima haberi debent. Secundum salubritatis locum hæ sibi vendicant, quæ ad Aquilonem spectant, ventum vtique saluberrimum, & hoc quoque verissimum. Sed huius rei causam Aristoteles reddere volens, ob id salubres esse ad Aquilonem vergentes affirmauit, quòd hæ sunt ad hyemem aptiores, commodiores, aut meliores: sic enim vocem εὐχειμέριοι interpretandam significantiùs, & propriè magis censeo. Non enim profectò salubritatis harum ciuitatum, quæ Aquiloni expositæ sunt, iustã reddidisse causam Aristoteles mihi videtur. Salubres quidem huiusmodi esse vrbes verissimum est, sed non ea ratione, quòd ad hyemem cõmodiores sint: sunt enim ad hyemẽ degendam incommodæ valdè, ob ingentem frigoris vim. Eas enim tãtùm vrbes ad hyemem commodas, rerum rusticarum, ac medici etiam autores omnes censent, quę vel ad auroram, vel meridiem spectent: calidiores enim hæ sunt, & aduersus frigorum vim munitiores. Mitiores enim hyemes in Italia, & Gallia Narbonensi, quàm in Germania, & Pannonia experimur.

Loci Aristotelis explicatio.

Quamobrem non ob id erunt salubriores Aquilonares vrbes, quod sint ad hyemem cõmodiores, vt voluisse conceptis verbis Arist. est visus, sed ob id profecto quod vento omnium saluberrimo Aquiloni expositę sint. Cuius sane proprium id est, vt putredinem omnem arceat, excrementa siccet, ac minuat, calidum natiuum vegetet, corpora robustiora, firmiora, coloratiora, & meliùs audientia, & ad motus promptiora efficiat: internásque naturæ actiones, sanguificationem, concoctionem, nutritionem, & id genus reliquas caloris natiui intrò reuocatione & collectione, vegetiores reddat. Ob hæc sanè salubriores merito dici debent, quæ Aquilonibus expositæ ciuitates sint, non ea quam attulit Aristoteles ratione. Nisi vna hac tantum via Aristotelem ab oscitantię nota vindicare velimus, voluisse ipsum ciuitates ad Boream positas, salubriores quidem habere hyemes ob Aquilonis venti saluberrimi flatum, qui aërem siccet, putredinem inhibeat, excrementa minuat, reliquáque quæ modo diximus commoda adferat, vnde salubriora reddi incolentium sit necesse, atque ob id, verbum εὐχειμέριοι non ad hyemis rigorem commodius perferendum referri debet, cùm certum sit his in ciuitatibus incõmodius hyemes transigi, sed ad salubritatem corporum, vt sensus sit, ob id Aquilonias ciuitates salubriores esse, quod saluberrimæ illis sint hyemes, ob Aquilonis venti saluberrimi flatum. Oportere autem hyemes salubres magnos, & longos habere Aquilonares ventos, in hæc verba expressit Galenus cum Hippocratis locum. 1. de vulg. morbis explicans, Parui venti Aquilonij. Paruos (ait Galenus) ventos fuisse hyeme dicit Hippocrates, quod si in natura sua hyems constitisset, omnino fuissent magni. Atque iis hoc duplici nomine accidit, vti & nunc parui videantur fuisse, cùm sua ipsorum magnitudine, tum temporis prolixitate. Spirarunt enim diebus paucis Aquilonij, atque hi non vehementes, cùm habere hyems magnum Aquilonem, & longo soleat tempore. Ex hoc Galeni loco illud perspectissimum est, hyemem, quę in natura sua constare debeat, Aquilones magnos, & diuturnos habere debere: quales cùm habeant ciuitates ad Septentriones vergentes, meritò salubriores ad hyemem Aristoteles esse dixit. Cùm enim tempora natiuas suas constitutiones seruauerint, nullum relinqui vulgaribus morbis, & pestilentibus locum, sed salubriter degere corpora

Excusatur Aristoteles & interpretatur.

Com. 1. ad pri. de pop morb. Sup. tex. Parui venti Aquilonij.

ra prodidit Galenus.Inuenimus viam qua explicari commo- dè abstrusus hic Aristotelis locus posset, ipséque Aristoteles ab inscitię nota vindicari. Qua in rè prolixior esse de industria volui, quod in hunc diem mihi de hoc loco quieta mēs non fuerat, etsi de eo olim Lutetię cum Hadriano Turnebo viro omnibus artibus, ac disciplinis ornato, atque excellenti, & quem vnum hodie Gallia nostra ob summam bonarum literarum, ac disciplinarum omnium cognitionem, & admiratur, & colit, & quàm cupidissimè egissem, longáque disputatione locum mihi expendi, explicaríque postulassem. Atque rursum de integro cùm hęc scriberemus, ab Ioanne Odfredo viro optimo & Medico doctissimo, ac Græci sermonis scientissimo loci huius explicationem peterem, déque vertendo hoc Aristotelis loco consilium caperem, vt est homo in omni disciplinarum omnium curriculo optimè instructus, & in Gręcę lingue cognitione, cum ipsis etiam Atticis conferendus, ad salubritatem esse isthęc omnia referenda non minus verè, quàm doctè est arbitratus. Quam ego sententiā & maximè probaui, & Galeni assertionibus muniendam in animū induxi. Sed iam ad institutum, de locorum delectu, sermonem reuertamur. Qui in locis calidis degunt, & meridiem spectant, à ventorum Aquilonarium flatu tuti sunt, aquis subsalsis, & crassioribus vtuntur, debiliores illic esse incolas, & ad edendum, & bibendum minimè appositos, Hippocrates rectissimè existimauit. Morbis à fluxione tentari eius tractus homines solent, & diuturnis magis, quàm acutis infestari, alui profluuiis, & torminibus, febribus lenibus, sed diuturnis, & hybernis magis, quàm acutis, & æstiuis, si immodicè calida regio fuerit, qualis Lybia, & Æthiopia vtraque, tum valde imbecilles inibi gigni homines, caloris natiui resolutione, & breuis ęui, pusillanimes, colore nigerrimos, & exustos, capillo vibrato, intorto ac crispo, est omnino necesse: sed corpora hi habent leuia, & ad motus proniora. Qui septentrionem incolunt, frigidis & salutaribus ventis difflantur, ab austro protecti sunt, aquas duras, & frigidas hi, sed dulces tamē habent. Vegeto corpore, & robusto eius regionis homines sunt, calore natiuo plurimo pollētes, audaces, fortes, animosi, colorę albi, carnosi, succulenti, præsertim si frigiditati regionis adiuncta sit humiditas. Tales Britannos, Germanos, & Gallos (præsertim Belgas) esse scimus. Edaces autē tales na-

Com. 1. ad pri. de po. morb. sup. textu, In Thaso.

Lib. de Aere, aquis & locis.

vbi suprà. turas esse Hippocrates affirmauit. Sed cur non perinde bibaces? Moribus hi sunt magis feri, quàm mansueti, vt idem ait, longioris item vitæ, ob virium robur, & naturæ eorum fortitudinem: sanguinis ex naribus profusione, lippitudine, acutis febribus, pleuritide, viri tentari solent, vti mulieres pleræque sterilitate ob aquarum duritiam, & frigiditatem. Qui vero humida loca incolunt, leues cute, articulis laxi & dissoluti, decora tamen facie, vt Auicenna tradit, esse vt plurimum solēt. Diuturnis hi morbis corripiuntur, & morbos à defluxione sæpe incurrunt, vti contra degentium siccis in locis corpora, duriora, sicca, vegetiora, & bene mobilia, excrementísque vacua sunt, minúsque putredinosis affectibus obnoxia. Qui vero editis, & montosis locis degunt, sani, validi vegeti, laborum patientissimi, atque viuaces, minimè morbosi, & ad quiduis obeundum parati, & sunt & habentur. Quales verò hi sunt, qui demissis in locis, & cauis vitam agunt, præsertim si ab ortu aut Aquilone obsiti montibus, saluberrimis perflari ventis nequeant, facilè ex ipso situ diiudicari potest. Necessarium.n. est, quod non perflentur, morbosos illic homines esse, morbosúmque eiusmodi situm. Quæ enim non difflantur breui putredinem contrahunt. At verò qui duram, & asperam, saxisque & rupibus aut syluis refertam regionem incolunt, vt duri, solidi, & ad labores expediti, corporibusque sicci sunt, & vigiles, sic sanè morib᷉. & animo agrestes, indomiti, elati, subdoli, morosi, solertes, & acutos, manúque promptos, & ad prælia fortes experimur. Maris porro incolæ temperiem mitiorē his habent, vincente tamen calore. Sunt enim maritima loca (vt etiam Aristoteles tradit) mediterraneis calidiora. Deterrimo loco sunt, qui palustria, cœnosa, & multo nidore referta loca incolunt. Paludes enim omnes, atque stātes aquæ, aut pigro lapsu repentes æstate, vaporatis hyeme frigidis nebulis caligant, quæ nisi vi maiore inspirantium ventorum salubrium submouentur, pecudibus, hominibúsque conferunt pestem, quod grauioris halitus is terræ tractus soleat esse, & caloribus noxium virus eructet: & infestis aculeis armata animalcula gignat, in nos densissimis examinibus inuolent. Tū etiam palus omnis, natrices, anguillas, serpentes, bufones, ranas, & id genus pestes creare plurimum solet, quæ hyberna per æstatem destitutæ vligine, siccatis æstu paludibus, cœno & fermentata colluuie venenatæ, aërem inficiant: vnde cæci

Fen. 2. primi doc. c. 11.

sæpe

sæpe,& pestilentes morbi nascantur, qui miseris mortalibus necem,medicis negotium faciant. Quo situ positam Arelatam ciuitatem præclaram cùm videam, non possum, pro ea qua vrbem complector charitate, non vehementissimè animo commoueri, dolentérque ferre tantam noxam,tantámque cladem non raro ciuibus paludis tantæ venenato halitu inferri,cum nō magno sanè negotio, nec operosa manu posset hæc Arelatensis plusquam Acherontia palus tota siccari, & cultu, ac diligentia adeo ferax, & fructuosa pinguis gleba (quæ multa palustribus aquis,& vligine contecta latet) fieri, vt non Arabiæ fœlicis, non Ægypti diuites campos, non Cãpaniç,aut Trinacriç feracissimos agros essemus desideraturi, adeo frumento.pabulo,pratis,salictis, nitentibus hortis, posset tota hæc vrbis pars (quæ male feriata palude horret) nitescere,& magno cū ciuium fructu,ac voluptate ornari. Sed spero,DEI clementia,ac bonitate, ciuiúmque cura huic rei prospectum iam iri.In eam enim curam ciues intendere animum,meo in primis, multorúmque aliorum hortatu ceperunt,quorum conatus prosperè illis, feliciterque euenire & cupio,& opto.Ego quidem certè quantum quidem viribus,animo,& quantum etiam salutari cura,& ingenio adniti potero,salutaribus consiliis Rempublicam iuuare,illius commoda arte mea promouere, atque firmare nunquam desinam, voluntati modò huic meæ benignus adsit DEVS cogitationum mearum omnium,& actionum inspector,& moderator. Illud modò expendendum quod superest, vt se habeant qui ad ortum occasúmve degunt, cùm de aliis dictum abundè iã sit.Qui ad auroram, & exortus æquinoctiales habitant, omnium saluberrimi viuunt:moderatior enim est illis, vt Hipp. ait,caliditas, atque frigiditas.Aquas insuper hi splendidas,odoratas,molles,& amabiles,vt idem tradit,habere dicuntur, quod Sol emergens illas castiget.Hominum illic formæ boni coloris,& magis floridæ visuntur, quòd intus optimis humoribus præditi sint. Succorum enim corporis efflorescens foris color,certissima nota est,vt Galenus 1.aphoris.cômen.2. censet.Clara voce,& sonora, ob partium ad vocem necessariarum probam structurã illic homines sunt:quadrato,&moderato corpore ob regionis temperiem.Quę cùm veri maximè similis sit,& caliditatis, ac frigiditatis moderatione temperata, optimæ naturæ homines eam proferre consequens

Li. de aere, aquis & locis.

quidem est: ac proinde quæ in eo terræ tractu nascuntur, sata, fructus, plantę, animalia, gemmæ, mineralia primum bonitatis, præ cæteris, vel Hippocratis testimonio tenere credűtur. Pauci omnino morbi, hique vt plurimum salubres illic vigent: quo fit vt longa salubritate longęui illic homines fiãt. Perhibetur enim in Taprobana insula (quam hodie Samotram neoterici vocant) quòd medio in æquatore ad exortű posita sit, annosos valdè, eosque vegetos, & cruda viridique senecta præditos homines cerni, qui centesimum supra trigesimum superent annum: nec nisi naturæ lege deficere natiui tandem caloris extinctu. Fœcundissimæ illic fœminæ, virentia omnia, ac salutaria, planeque beata, vt dubitandum nő sit temperatissimam eam habendam regionem, quæ sub æquatore ad exortum pręsertim sita sit. Qua de re cùm abundè sit à nobis, cap. 10. de temperamentis dictum, in eum locű reiiciendum est quicquid in pręsens dicendum fuerat. Ad occasum porro vergentes morbosissimi sunt, quod quæ ciuitates occasum spectant, à ventis saluberrimis qui ab oriẽte spirant auersæ, & calidis ventis expositæ sint. Aquas hæc regio crassas, minimè splendidas habet: quod Sol aërem in eo terræ tractu quàm tardissimè illustret: vnde crassiores manere aquas necessarium est. Æstate vero, mane quidem aurę frigidæ spirant, & ros cadit, Sol vero homines percoquit vnde decolores, & morbosos ipsos fieri par est. Aëre impuro, crasso & pleno vtuntur, quod à Sole modicè illustretur, nec à ventis aquilonaribus diffletur. Quamobrem raucosos, & graui voce illic incolas esse consentaneum videtur, & fluxionum morbis, atque à putredine natis obnoxios. Cęterùm qui in huiusmodi vitiosis terræ tractibus degunt, nempe palustribus, cœnosis mineralibus, suffocatis, atque conclusis, de aëre corrigendo, & in melius commutando soliciti esse maximè debent, vt omni cura aërem tenuem, odoratum, difflatum & perspirabilem reddant. Id fiet si patentes ad Orientem, Aquilonemve fenestras habuerint, ventosque inde spirantes admiserint, Solémque plurimum exceperint, multoque in cubiculis accenso igne, ex odoratis lignis constructo, vti iunipero, lauro, vite, libanotide, cedro, quercu, & huiusmodi, aërem tetro nidore affectum purgare nitantur. Eo. n. consilio Hippocrates pestis olim sæuitiam in omni Græcia domuit. Ad hæc sparsis per stratum solum odoratis plantis, ac floribus hyeme calidis

Vbi supra.

ęsta-

æstate frigidis aërem salubrem reddemus, vti si ęstate rosas, violas, iasmeni flores, santalos, myrtum, rosaceam aquam ex aceto miscẽtes, ędes cõstrauerimus, vel contoneorum, aut pomorũ odoratorũ aceruos reposuerimus: Hyeme ex sampsucho, saluia, melissophillo, citrij folijs & corticibus, cariophillis, styrace, ladano, laserpitio Indico (quod vulgo beniuinum vocant) moscho, & ambare, suffitus parabimus. Hisce enim pręsidiis aeris noxã retundi, & pro noxio salutarẽ reddi, medicis assertionibus, & experientię fide est comprobatum.

De locorum delectu, Hippocratis, & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

SITVM vrbium circunspicere debet medicus, quomodò scilicet ad ventos, & Solis exortus iaceant. *Lib. de aere, aquis, & locis.*

Ad sptentrionem sitę vrbis, & ad austrum vergentis, neque eius quę ad solem orientem, & quę eundem occidentẽ spectat, ęquales vires sunt. *Eodem lib.*

Ciuitatum aquę quomodo habeant, medico spectandũ, num palustribus vtantur, & crassis, mollibus aut duris, an ex sublimi loco prolabentibus & scaturientibus ex petris, siue salsis & crudis. *Eod. lib.*

Ciuitatum & terra quoque ipsa consideranda medico, nudane sit, & aquis carens, aut densa, & aquosa, & an concaua sit, & ęstuosa, vel alta, & frigida. *Eodem lib.*

Hominum dięta in ciuitatibus à medico perquirenda, qua maximè incolę capiantur: an bibuli sint, & lurcones, & ocio dediti, aut exercitiis variis vtentes, & tolerantes laborũ, ciborúmque plus appetentes, quàm poculorum. *Eodem lib.*

Ciuitas quæ ad ventos sita est calidos, eos inquàm qui inter brumalem Solis exortum itidemque occasum perflãt, huic hi venti sũnt peculiares, & ab aquilonaribus est protecta. *Eodem lib.*

Ciuitatis ad calidos ventos expositę aquę subsalsę sunt, ęstate quidem calidę, hyeme frigidę. *Lib. de aere, aquis & locis.*

Vrbes benè sitę ad solem, & ad ventos, & bonis aquis quę vtuntur, minus mutationibus afficiuntur. *Eodem lib.*

Vrbes quæ palustribus, & lacustribus aquis vtuntur neque bene sitæ sunt, ad solem, & ventos, mutationibus magis afficiuntur. *Eodem lib.*

In ciuitatibus malè positis, & quæ palustribus aquis vtuntur, mulieres morbosæ sunt, & morbis à fluxione obnoxiæ. Pueris conuulsiones accidunt, & anhelationes, viris dysenteriæ, alui profluuia, & febres leues, & hæmorrhoides. *Eodem lib.*

Ciuitates ad ventos frigidos expositæ, inter occasum solis æstiuum, & orientem æstiuum, his venti frigidi vernaculi sunt, & ab austro sunt protectæ. *Eodem lib.*

Ciuitatum huiusmodi aquæ duræ, & frigidæ dulcescunt, homines vegetos & calidos habet is tractus, capita sana & dura habentes, morbis acutis tenentur, edaces sunt & non multum bibaces, longæ vitæ & moribus feri. *Eod. lib.*

Ciuitates ad orientem solé expositæ, salubriores his quæ ad septentrionem, & his quæ ad calidos ventos sitæ sunt. *eod. lib.*

Ciuitatum ad orientem spectantium moderata est caliditas, & frigiditas: aquas splendidas, odoratas, molles & amabiles habent. Hominum formæ boni coloris sunt, & clara voce homines prædıti, ad iram & intelligentiam Septentrionalibus præstantiores, & quæ in his nascuntur omnia meliora, morbi pauci in his fiunt, & debiles. *Eod. lib.*

Quæ vrbes ad occasus sitæ sunt, à ventis ab oriente spirãtibus protectæ sunt, & ventis calidis afflantur, & morbosissimæ sunt, neque aquas splendidas, habent, & decolores illic sunt homines, & infirmi, atque à sole excocti, raucosi, & graui voce, propter aërem qui illic impurus plerunque, & morbosus est. *Eod. lib.*

Terram, & locum mutare in longis morbis commodissimum. *Lib. 6. epidemiorum.*

GALENI.

LOCI cognitio, ad vulgarium morborum cognitionem ac disciplinam magnopere interest. *Com. 1. ad primum de vulg. morb. Hipp. super textu, in Thaso.*

Ad loca non morbi tantùm, sed etiam ætates afficiuntur. *Com. 3. ad lib. 3. aphor.*

In locis calidioribus calidi morbi magis generantur, & minus

minus sunt periculosi. *Lib.3.aph.comment.3.*

In frigidis regionibus ætates calidiores magis sanæ sunt, & in aliis proportionabiliter. *Lib.3.aphor.com.3.*

Loca similia naturis, aut morbis lædunt, dissimilia benè afficiunt. *Lib.& com.eodem.*

In locis terræ habitabilis, factis temperatis, audire oportet omnes, de quibus scripsit Hipp. constitutiones. *Lib.3.aphor. com.14.*

Loca Thraciæ, quæ à mari distant, in frigiditate atque humiditate excedunt. *Lib.& com.eod.*

Loca ad Aegyptum, & Libyam attinentia calida sunt & sicca, exceptis & hic illis, quæ mari adiacent locis. *Eodem lib.& comment.*

In locis frigidis quales sint circa Thraciam, & Pontum regiones, quoniam loca mari adiacentia humilia sunt, ob hanc causam calidiores habent temperaturas. *Eod.lib.& com.*

In locis calidis quales Aegyptus, & Libya, quoniam æstate à ventis ab Arcto flantibus refrigerantur, idcircò minus sũt calida iis quæ mediterranea recesserunt *eod.lib.& com.*

Zona exquisitam habens temperiem, ac media orbis terrarum est, quæ per Gnidum & Coon, & quęcunque loca, non multum ab his recesserunt, vel ad Aquilonem, vel ad Austrũ. *eodem lib.& com.*

Loca morbos indicant, & regiones. *Lib.1.aphor.com.12.*

Locus calidus & siccus, tertianam facit. *Li. 4.aphor.com.59.*

Regioni calidæ, morbi calidi, frigidæ frigidi, humidæ humidi, siccæ sicci magis congruunt. *Lib.2.aphor.com.34.*

Regio in victu præscribendo consideranda. *Lib.7.meth.*

Regio ad curationem morborum, & euacuationis modũ non parum interest. *Lib.8.meth.*

De cibo, & omni alimentorum ratione, & quid in corpore præstet.

CAP. VI.

CVm omnis animantium natura infirmis principiis edita, dissolutioni, & inanitioni, tandémque interitui obnoxia sit, perpetuoque effluxu melior, ac tenuior substantiæ nostræ pars dissipetur, inque non visibilem aërem transpiratu discedat, ac subinde minui omnem nostram substantiam, virésque deficere omnes sentiamus, defectioni huic sagax, prouidáque natura alimoniam, ceu præsens quoddam inanitioni remediũ

dedit, vt quod continuo effluxu dissolutum à nobis esset, id alimentorum ope, atque pręsidio (ne citò deficeret animans) resarciri, instaurarique, quod manitione perierat, commodè posset. Equidem si nihil efflueret, neque euacuaretur, sed semper maneret habitus animalium idem, nulla sane esset, vt pluribus in locis tradit Galenus, alimentorum aut vtilitas, aut necessitas, nullus quoque senij, vel mortis timor. Nunc vero, cùm & perpetuo substantiæ nostræ fluore imminui vires, & partium inde inanitionem fieri cernamus, ob hanc sane effluxionem animantium vitæ inimicissimam, nutriri indigent animalium corpora. Itaque cum sine ciborum ope, viuere neq; in secũda, neq; in aduersa valetudine possimus, vt 1. de ali. fac. affirmauit Gale. de omni alimentorum ratione differere hoc capite visum est, id indicantes, alimentum quid sit, & quo à medicamento differat, tum ex quibus omnis generis alimẽta sumãtur, præceptaque inde sumendi cibi salutaria trademus: postremo quid in nobis alimenta præstent, hoc est, vt alimentorum ope fructum sentiamus, nutritioque in nobis fiat. Quibus compendio absolutis, coronidem capiti imponemus. Nutrimentum id dicitur Galeno, quod augere nostri corporis substantiam potest, quodque nutrit. Ex omni enim rerum genere, ea quæ totis ipsorum alteratis substantiis, & à calore nostro victis, in familiarem animanti qualitatem, atque substantiam demutari possunt, alimenta iure dicuntur: id nominis sor ita, quod ea quam corpori præstant subsidiaria se sustẽtandi, atque fouendi facultate, corporis nostri substantiam augeant, atque conseruent. Eo autem à medicamento alimenta discriminantur, quod medicamentũ id sit quodcunque alterare corporis nostri substantiam, neque in eum conuerti, quatenus tale est, potest, vt 1. de simpl. facult. Galenus. Alimentum porrò, triplex in vniuersum Hippocratis esse voluit, id inquam quod iam actu nutrit, quod veluti nutrimentũ est, & quod nutrimentum futurum est. Nutrimentum verè Hippocrates id appellauit, quod iam assimilatum corpori, illius substantiam auget: quod verò tale breui futurum est, quale illud quod iam assimilatũ est, id nempe quod iam appositum & agglutinatum, nondũ tamen assimilatũ, velut nutrimentum appellauit: futurum vero nutrimentũ, id omne quod vel in venis, vel in ventriculo contentum, vbi concoctionem adeptum fuerit, nutrire tandem possit, vt primo de

Vide Gal. Lib. de dissol. contin. ad prin. & li. de tabe & 1. apho. com. 15 & 1. de fanitu & 16. de vsu par. cap. vlt.

Lib. 1. de simp. fac. c. 1. & 1 de fac. nã. c. 11

Cap. 1. Lib. de alimento.

de facul.naturali.capit.11.hunc Hippocratis locum explicans notat Galenus.Quin & ex alimentis quædam sunt,quæ alēdi tantum corporis,non etiam alterandi potestatem habent, quæ eadem corpus eius,qui sumpsit in qualitate non immutant,& hæc alimenti proprie nuncupati rationem subeunt, alia non solùm corpus alere,sed & alendo alterare, ad vnā quampiā qualitatē possunt, corpus aut calefacientia,aut refrigerantia,humectantia,aut exsiccantia.Zingiber enim & piper,& cętera aromata,& alunt,& calefaciunt: refrigerant & humectant,lactuca,intybi, & olerum pleraque exsiccāt salsa & acria edulia.Atque hęc omnia alimenta medicamentosa iure dicuntur,alimenta quidem quatenus augere nostri corporis substantiam familiarirare sua possunt, medicamentosa quatenus alterare instar medicamentorū queunt.Quamobrem ea tantùm quæ in genere ciborū medij erunt temperamenti,nullaque vincenti qualitate prędita,quā alterare possint:ea inquam solū alimenta dicentur, non medicamenta: quę eadem ventrē nec cohibent,nec soluunt,stomacho nec robur,nec imbecillitatem inferunt,sicuti nec sudores, vrināve aut proritant,aut coercent,nec aliam quamuis qualitatē calidam,frigidā,humidam aut siccam in animantis corpore inducunt,sed quale animantis corpus,quod nutritur assumpserunt,tale planè conseruant.Sed paucissima sunt id genus cibaria, vt ait Galenus.Ex quibus verò alimenta sumantur, *1.de ali.fa* quo tertio loco dicendū proposuimus,iam explicemus.Quęcunque alimoniam corpori præstant, & transsumi in corporis substātiam possunt,ea ex vno quatuor generū, quę modo dicemus,ortū habēt.Aut enim ex terrę nascentibus, aut ex animalibus,aut animalium partibus,aut tandem ex iis quę ab animantibus prodeunt,nec illorum partes sunt, desumūtur. Ad priorem ordinem referenda sunt quęcunque terra omnium altrix,gremio suo fota continet, & alit, concoctáque tandem ad hominum salutem profert,vti radices,surculi,turiones,fructus,folia,semina,& quę terra spontè, vt superuacua proiicit,tubera,ac fungos.His enim omnibus ali animātium corpora perquàm commodè possunt,vt Gal.lib.de alimen.facul.& de boni & mali succi cibis. & ex Pœnis Isaac Israëlita libris diætarum amplissime docent. Secundi ordinis alimenta ab animantibus petita in tria omnino genera diducuntur.Quadrupedum,volatilium,& natatilium.Piscibus

enim,omnino alitibus,& gressilibus animantibus alimur,eorúmque partibus tum externis,tum etiã internis. Postremi ordinis ea sunt,quæ cum partes animantium non sint ,ab animantibus tamen deriuantur,& prodeunt:quo in genere oua,lac,sanguis,serum,& quæ ex lacte caseorum genera fiunt reponi merito debent.Hæc nobis tot,& tanta vitæ , & valetudinis præsidia , e summo beneficentiæ suæ thesauro largitus est præpotens DEVS, vt collabentis, & fluxæ substantiæ nostræ modum foueret,& vitam,quam naturæ vitio momentaneam,caducam,fluxam,& in singula momenta casurã habemus,proferre alimẽtorum ope possemus. Quid hoc tãto beneficio,tantáque clementia,ac prouidentia maius, admirabilius, diuinius excogitari potest?Sed ipse est qui dat escã omni carni,& pullis coruorũ inuocãtibus eum.Ipse est qui implet omne animal benedictione,& quo manum aperiente bonis omnia satiantur.Sed iam denuo sermonem repetẽtes,præcepta salubria cibi sumendi depromamus. Hæc enim optima fuerit alimoniæ ratio,si alimentis ad vitæ,& salubritatis modũ vsi fuerimus.In id enim alimẽta sumimus,vt eorũ præsidio incolumiter vitam trãsigere valeamus.Itaq; qui sanitati studet,ciborum delectus curã vel præcipuã habere debet:quod pro varia ciborũ natura non solũ animãtiũ corpora,atque adeò hominũ in primis,sed & animi,meliores deterioresve fiant,& amplissimè Plato cũ 2.tũ præcipue 6 de leg. & Galen.lib. Quòd animi mores corporis tẽperaturam sequantur,docent.In eo vero maximè ciborum delectus consistit,vt non modo bonitatis ciborum (quod quidẽ & ipsum tamen præcipuũ est)rationem habeamus , sed & ordinis tẽporis,quantitatis,qualitatis ,horæ,delectationis ,consuetudinis,præparationis modi,& ætatis,vt pro horum omniũ rationе congruè cibum ,eúmque quàm fieri poterit optimũ deligamus.Porro bonus is cibus iure censetur,qui & optimi succi est,& concoctu facilis,& minimè excrementosus.Cuius sanè generis ex cerealibus est panis è mundissimo tritico probè subactus,modico sale,atque fermento respersus,molliter in clibano studioséque coctus,adhæc ptisanæ cremor,& Orizæ.E quadrupedum genere animantiũ suilla caro , ad bonos gignendos humores aptissima à Galeno censetur , quàm(si modò probè in ventriculo concoquatur)& probatissimum esse cibum,& probatissimos item gignere succos , conceptis ver-

Psal.135. 146.& 144.

Lib.de boni & maliti succi cibis.

ac densissimam producunt,& sanguinem crassefaciunt,& pro ratione ingestorum secedunt.*eod.lib.*

Cibus vbi prçter naturam copiosior ingestus fuerit,morbum facit.*lib.1.aph.17.*

Ciborum qui aceruatim, & velociter nutriunt, veloces egestiones fiunt.*lib.2.aph.18.*

Parum deterior cibus,aut potus, verùm iucundior, melioribus quidem,sed iniucundioribus prçferendus est. *Lib. 2. aph.38.*

Ciborum in ventriculo mora noxia est. *Lib.4.de morbis.*

Alimentum est id,quod hoc nutrit.*lib.de alim.*

Alimentum triplex est, id quod hoc nutrit, & quod velut nutrimentũ est,& quod nutrimentũ futurum est. *eod.lib.*

Alimentum,& alimenti species,vnum,& multę. Vnum quidem quatenus vnum genus est : species vero humiditate, ac siccitate finitur,& in his forma, aç quantitas est,& ad quędam,& ad tot.*lib de alimento.*

Alimentum auget, corroborat, incarnat, & assimilat. *Eod.lib.*

Alimenti facultas peruenit ad ossa, & ad omnes partes, & in neruum, & in venam, & in arteriam, & in musculum,& cęteras partes.*Eodem lib.*

Alimentum non alimentum,si nutrire non potest. Nomen est alimentum,non opus:& res est alimentum,non nomen. *Eod.lib.*

Alimẽtum in pilos,& in vngues, & in extremam superficiem,intrinsecus peruenit.*Eod.lib.*

Alimenti & humidi, & sicci principium,os, gula, venter, *Eod.lib.*

Alimenti spiritus principium,nares, os,guttur, pulmo,& reliqua respiratio *Eod.lib.*

Alimentum primordiale,& antiquius per abdomen vmbilicus. *Eod.li.*

Alimenti redundantia,sunt lac,& sanguis. *Ibidem.*

Alimenti potentia melior,quàm moles. *Eodem. lib.*

Alimenti moles melior,quàm potentia.*Ibid.*

Alimentum humidum faciliùs transmutatur, quàm siccum.*Ibid.*

Alimentum siccum faciliùs transmutatur, quàm humidum.*Ibid.*

Alimentum quod ęgrè alteratur, ęgrè consumitur. *Ibid.*

Alimētum quod facilè apponitur, facilè cōsumitur. *Ibid.*

Alimento solido vtantur, qui tardiore appositione opus habent, quicunque velociore, humido: quicunque adhuc velociori indigent, per olfactum. *Eod. lib. de alim.*

Alimentum ossis, medulla. *Ibid.*

Alimenti vehiculum, humiditas est. *Ibid.*

Pulmonis alimentum quale. *Eod. lib.*

Alimenti pueri in ventre matris, & extra, ratio exposita longa serie. *lib. de nat. pueri.*

Ab alimento irrigata singula membra augmentum capiunt. *lib. de carnibus.*

Alimenta interdum transmouent cùm fortiora sunt, quàm vt superari queant *lib. de locis in homine.*

Alimenta à corpore superantur, & corpus à cibis ęqualibus ęqualiter nutritur. *lib. de locis in homine.*

Quum id quod offertur, transmutatur, necesse est, & id cui offertur transmutare. *eod. lib.*

Cibos offeramus ea copia, quantum corpus cui offeruntur superare valeat. *eod. lib.*

Alimentum oblatum vbi corpus superauerit, tum nutritur corpus, vbi vero hanc occasionem transmiserit, cōtrarium fit, nam attenuatur, & gracilescit. *Eod. lib.*

Alimentorum inuentū medicina est. *lib. de vet. medicina.*

Alimenta, sanitatem, atque augmentum, medicina inuenit. *lib. de vet. medicina.*

MVLTA prętereà ad hoc institutum pertinentia, libris de ratione victus in acutis, libro de salubri diæta, & libris de morbis, & in aphorismis reperies, quæ nos breuitati studentes omisimus, ne in immensum sermo produceretur. Quis enim omnia quasi in cumulum congesta apponere, breuitati studens, queat? Nos tamen potiora ex Hippocratis variis locis delegimus, quibus beneuolus lector sibi satisfacere queat, & locos ad manum habere quàm plurimos possit, quibus de vnaquaq; re copiosè & dilucidè cū opus erit, differere valeat.

GALENI.

CIBO quicquid siccioris substantiæ effluxit, restituimus, potione quicquid humidioris. *lib. de sani. tu.*

Cibi, potionis, respirationis, & arteriarum motus ope, iustū

iustum substantiæ nostræ, quæ effluit, seruare modum valemus. *Lib.1.de san.tuen.*

Cibis omnibus vnus est introitus per os. *Lib.1.de facul. natur cap.10.*

Cibus, & potus causæ sunt necessariæ nos alterantes. *In arte medicinali.cap.85.*

ad Cibos omnes discernendos, sensus, gustus, & olfactus, mentem nostram satis instruunt. *Libro de attenuante victus ratione.*

Cibus debet similis esse nutrito. *lib 1.de element.*

Ciborum non vna est animantibus omnibus species. Siquidem pro sua quæque familiari substantia simul & affectione, tum delectantur, tum iuuantur à cibis. *lib.1.de simpl. facult.cap.10.*

Cibaria animalibus inculpatam temperiẽ seruantibus, suis naturis similia conueniunt. Iis verò quę prauam temperiem, aut ab initio sunt sortita, aut pòst acquisiuerunt, non similium sibiipsis esus, sed contrariorum est vtilis. *lib.3.de aliment.facul.cap.vlt.*

Ad cibos accedimus non planè secundum naturam affecti. Solum enim corpus eorũ qui cibum desiderant, inanitũ sit oportet, si exacti futuri sint familiaris ipsorum qualitatis cognitores. *lib 4.de simpl.facu.cap.10.*

Cibi hominibus aliàs alij videntur iucundiores, quod duplex sit genere iucundum, alterum quod impleat quod euacuatum est, eiusmodi est nutrimentũ: alterum quod medeatur ei, quod alteratum est. Euenit vtique cibis, vbi non modo vacuatis exhibentur corporibus, sed etiam qualitate aliqua mutatis, vt duobus nominibus delectent, vt cibi scilicet, & vt medicinæ, vt medicamenta quidẽ refrigerando, calfaciendo, humectando, vel exsiccando: vt nutrimenta vero, sola ea quæ cognata sunt, & familiaria totis nutriendorum substantiis. *lib.4.de simp.facul.cap.10*

Cibarijs dulcibus qui naturaliter se habent, delectantur soli autem extra naturalem statum constituti amaris, acerbis, acidisque cibariis delectantur. *Com.5.in sextum de popul. morb.Hip.super.text.lingua lotium significat.*

Cibi substãtia alendo corpori accommodata voluptate indicatur. *lib. de aliment.facul.cap.de mulso.*

Cibus durior, ac crassiorum partium, & vt sic dicam, ter-

restris magis, alimentum corpori præstant copiosius, quàm humidior ac mollior. *eod. lib. & cap.*

Cibaria pinguia, & lenta statim vt sumpta fuerint, celeriter implent, & appetentiam euertunt. *eodem lib. & cap.*

ex Cibis vtilitatem quæ ex ipsis prouenit, non voluptatem spectamus. *lib. 2. de aliment. facul. cap. de apio.*

Cibi insuauitas quibusdam in causa est, cur ipsum non conficiant. *eod lib. & cap.*

Cibos concoctu difficiles nonnulli faciliùs coquunt, ac meliùs: hi scilicet quibus est calor natura acris, & mordax. *li. de aliment. facul. cap. 1.*

Cibos consuetos faciliùs homines ferunt, insuetos difficiliùs. *Com. 2. ad librum de ratione victus acutorum, text. Multa his germana.*

Cibi insueti explorandi sunt coctione, & elixatione, seu etiam madefactione in aqua, nanque ex seminibus, aut omnino ex fructibus intumescunt, veteréinque prorsus amittũt siccitatem, duritiémque, molliorá que & humidiora redduntur, præstantiora, quæ vero minimè tument, pristinámque duritiam retinent, deteriora. *lib. de boni & mali succi cibis.*

Cibos putrescendo coqui in nobis visum quibusdam est. *lib. 2. de natu. fac. cap. 8.*

Cibi in vniuersum omnes non solùm à corporibus nostris patiuntur, sed etiam agunt. *lib. 3. de temper.*

Cibus in ventriculo concoctus continens carnis materia non est, sed prius fit sanguis oportet. *li. 3. de temper. ad princ.*

Cibi reliquias ex omnibus corporis partibus purgare vna est ex maximis, ac præcipuis naturæ curis. *li. 9. de vsu partium ad princ.*

Cibos in ventre concoctos ad salubritatem conuerti. *lib. de facul. nat. cap. 7.*

Cibi fastidium aut ex pituita adiacente oritur (ideóque exsiccare illam ex vsu est) aut à bile supernatãte, & tum purgandus stomachus, aut naturæ impotentia & functio appetitoria reddenda. In introductorio, seu medico. Ciborum appetitricis facultatis emortuæ signum maximum, si parata hęc, quæ se desiderare dicunt ęgri, vt gustarunt, culpent, nec etiam edant, com. 2. ad tertium de vulgaribus morbis. Hippocratis super textu, Euryanactis filiam virginem.

Ci-

Cibos nihil prorsus appetere in morbis, extremam indicat extinctionem naturalis virtutis, qua cibos appetimus. *Ibid.*

Cibi qui cuique tempori conueniant *Lib.1.de aliment.facult.cap de lente.*

ex Cibis qui subducuntur, posteriores quidē sumendos, qui tarde permeant: omniū autem primos, qui celeriter quidem peruadunt. *Lib.2.de aliment.facul.cap.de sycaminis.*

Cibus par um cōueniente ordine, aut intempestiue sumptus concoctionem vitiat. *lib.3.de sympt.causa.3.*

Ciborum inconueniens ordo est, cū fructus primo, dein alia emollientia, vt oleum ex garo sumuntur. *eod.lib.& cap.*

Ciborum intēpestiuitas est, si manè antequā prior descēderit, vel paulo ante exercitationem prandeatur. *Ibid.*

ex Cibis calidioribus & biliosis fumosæ accidunt corruptelæ, ex frigidioribus, magisque pituitosis acidæ. *eod.lib.& cap.*

Ciborum exhibendorū artis maximū (ait Hipp.) particulare cibi porrigendi tempus nosse. *Com.in quartum de ratione victus in acutis, super text. Eius medicinæ partis.*

Cibo opportuno eligendo reficiendis, ad duo spectandū esse. Vnum ipsius cibi naturam, alterum vires suas proprias, insitasque. *Lib.7.meth.cap.6.*

Ciborū varietatē, præsertim vbi variis constent facultatibus nocentissimam esse. *com.ad primum de rat. victus ac. super textu, Ptisana igitur.*

Cibandi vnum esse cōmunem scopum, tum in sanis, tum in ægris facultatis vitalis custodiam. *Com. ad prin. de ratione victus acut. super textu, Postea si dolor quispiam.*

Cibi exhibendi idoneum tempus magna ex parte morbus ostendit. *com.ad pri.de rat.vic.acu.super text.Tempus antē.*

Cibandi in morbis quibusque idonea tempora quæ. *eod. com.*

Ciborum corruptelæ tres primę, ac veluti generalissimę differentiæ. Vna fit per proprios ventriculi morbos, altera à vitiosis humoribus in ventriculo accumulatis, tertia ab alimentorum qualitate inducitur. *Lib 1.de locis affectis.*

Cibis iisdem sumptis diuersi interdū sequuntur in ventre affectus. *Lib.1.de alim.facul.*

Vrbes quæ palustribus, & lacustribus aquis vtuntur neque bene sitæ sunt, ad solem, & ventos, mutationibus magis afficiuntur. *Eodem lib.*

In ciuitatibus malè positis, & quæ palustribus aquis vtuntur, mulieres morbosæ sunt, & morbis à fluxione obnoxiæ. Pueris conuulsiones accidunt, & anhelationes, viris dysenteriæ, alui profluuia, & febres leues, & hæmorrhoides. *Eodem lib.*

Ciuitates ad ventos frigidos expositæ, inter occasum solis æstiuum, & orientem æstiuum, his venti frigidi vernaculi sunt, & ab austro sunt protectæ. *Eodem Lib.*

Ciuitatum huiusmodi aquæ duræ, & frigidæ dulcescunt, homines vegetos & calidos habet is tractus, capita sana & dura habentes, morbis acutis tenentur, edaces sunt & non multum bibaces, longæ vitæ & moribus feri. *Eod. lib.*

Ciuitates ad orientem solē expositæ, salubriores his quæ ad septentrionem, & his quæ ad calidos ventos sitæ sunt. *eod. lib.*

Ciuitatum ad orientem spectantium moderata est caliditas, & frigiditas: aquas splendidas, odoratas, molles & amabiles habent. Hominum formæ boni coloris sunt, & clara voce homines præditi, ad iram & intelligentiam Septentrionalibus præstantiores, & quæ in his nascuntur omnia meliora, morbi pauci in his fiunt, & debiles. *Eod. lib.*

Quæ vrbes ad occasus sitæ sunt, à ventis ab oriente spirātibus protectæ sunt, & ventis calidis afflantur, & morbosissimæ sunt, neque aquas splendidas, habent, & decolores illic sunt homines, & infirmi, atque à sole excocti, raucosi, & graui voce, propter aerem qui illic impurus plerunque, & morbosus est. *Eod. lib.*

Terram, & locum mutare in longis morbis commodissimum. *Lib. 6. epidemiorum.*

GALENI.

LOCI cognitio, ad vulgarium morborum cognitionem ac disciplinam magnopere interest. *Com. 1. ad primum de vulg. morb. Hipp. super textu, in Thaso.*

Ad loca non morbi tantùm, sed etiam ætates afficiuntur. *Com. 3. ad lib. 3. aphor.*

In locis calidioribus calidi morbi magis generantur, & minus

minus sunt periculosi. *Lib.3.aph.comment.3.*

In frigidis regionibus ætates calidiores magis sanæ sunt, & in aliis proportionabiliter. *Lib.3.aphor.com.3.*

Loca similia naturis, aut morbis lædunt, dissimilia benè afficiunt. *Lib.& com.eodem.*

In locis terræ habitabilis, factis temperatis, audire oportet omnes, de quibus scripsit Hipp. constitutiones. *Lib.3.aphor. com.14.*

Loca Thraciæ, quæ à mari distant, in frigiditate, atque humiditate excedunt. *Lib.& com.eod.*

Loca ad Aegyptum, & Libyam attinentia calida sunt & sicca, exceptis & hic illis, quæ mari adiacent locis. *Eodem lib.& comment.*

In locis frigidis quales sint circa Thraciam, & Pontum regiones, quoniam loca mari adiacentia humilia sunt, ob hanc causam calidiores habent temperaturas. *Eod.lib.& com.*

In locis calidis quales Aegyptus, & Libya, quoniam æstate à ventis ab Arcto flantibus refrigerantur, idcircò minus sūt calida iis quæ mediterranea recesserunt. *eod.lib.& com.*

Zona exquisitam habens temperiem, ac media orbis terrarum est, quæ per Gnidum & Coon, & quęcunque loca, non multum ab his recesserunt, vel ad Aquilonem, vel ad Austrū. *eodem lib.& com.*

Loca morbos indicant, & regiones. *Lib.1.aphor.com.12.*

Locus calidus & siccus, tertianam facit. *Li. 4.aphor.com.59.*

Regioni calidæ, morbi calidi, frigidæ frigidi, humidæ humidi, siccæ sicci magis congruunt. *Lib.2.aphor.com.34.*

Regio in victu præscribendo consideranda. *Lib.7.meth.*

Regio ad curationem morborum, & euacuationis modū non parum interest. *Lib.8.meth.*

De cibo, & omni alimentorum ratione, & quid in corpore præstet.

CAP. VI.

CVm omnis animantium natura infirmis principiis edita, dissolutioni, & inanitioni, tandemque interitui obnoxia sit, perpetuoque effluxu melior, ac tenuior substantiæ nostræ pars dissipetur, inque non visibilem aërem transpiratu discedat, ac subinde minui omnem nostram substantiam, virésque deficere omnes sentiamus, defectioni huic sagax, prouidáque natura alimoniam, ceu præsens quoddam inanitioni remediū

dedit, vt quod continuo effluxu dissolutum à nobis esset, id alimentorum ope, atque præsidio (ne citò deficeret animans) resarciri, instaurarique, quod inanitione perierat, commodè posset. Equidem si nihil efflueret, neque euacuaretur, sed semper maneret habitus animalium idem, nulla sanè esset, vt pluribus in locis tradit Galenus, alimentorum aut vtilitas, aut necessitas, nullus quoque senij, vel mortis timor. Nunc vero, cùm & perpetuo substantiæ nostræ fluore imminui vires, & partium inde inanitionem fieri cernamus, ob hanc sanè effluxionem animantium vitæ inimicissimam, nutriri indigent animalium corpora. Itaque cùm sine ciborum ope, viuere neq; in secũda, neq; in aduersa valetudine possimus, vt 1. de ali. fac. affirmauit Gale. de omni alimentorum ratione differere hoc capite visum est, id iudicantes, alimentum quid sit, & quo à medicamento differat, tum ex quibus omnis generis alimẽta sumãtur, præceptaque inde sumendi cibi salutaria tradeemus: postremo quid in nobis alimenta præstent, hoc est, vt alimentorum ope fructum sentiamus, nutritioque in nobis fiat. Quibus compendio absolutis, coronidem capiti imponemus. Nutrimentum id dicitur Galeno, quod augere nostri corporis substantiam potest, quodque nutrit. Ex omni enim rerum genere, ea quæ totis ipsorum alteratis substantiis, & à calore nostro victis, in familiarem animanti qualitatem, atque substantiam demutari possunt, alimenta iure dicuntur: id nominis sor ita, quod ea quam corpori præstant subsidiaria se sustẽtandi, atque fouendi facultate, corporis nostri substantiam augeant, atque conseruent. Eo autem à medicamento alimenta discriminantur, quod medicamentũ id sit quodcunque alterare corporis nostri substantiam, neque in eum conuerti, quatenus tale est, potest, vt 1. de simpl. facult. Galelenus. Alimentum porrò, triplex in vniuersum Hippocratis esse voluit, id inquam quod iam actu nutrit, quod veluti nutrimentũ est, & quod nutrimentum futurum est. Nutrimentum verè Hippocrates id appellauit, quod iam assimilatum corpori, illius substantiam auget: quod verò tale breui futurum est, quale illud quod iam assimilatũ est, id nempe quod iam appositum & agglutinatum, nondũ tamen assimilatũ, velut nutrimentum appellauit: futurum verò nutrimentũ, id omne quod vel in venis, vel in ventriculo contentum, vbi concoctionem adeptum fuerit, nutrire tandem possit, vt primo de

vide Gal. Lib. de diss. sol. cont in. ad prin & li. de tabe & 1. apho. com. 15 & 2. de ... tu & 16 de vsu par. cap. vlt.

Lib. 1. de simp. fac. c. 1. & 1 de fac. na. c. 11

Cap. 1. Lib. de alimento.

de facul.naturali.capit.11.hunc Hippocratis locum explicans notat Galenus. Quin & ex alimentis quędam sunt, quæ alẽdi tantum corporis, non etiam alterandi potestatem habent, quæ eadem corpus eius, qui sumpsit in qualitate non immutant, & hæc alimenti propriè nuncupati rationem subeunt, alia non solum corpus alere, sed & alendo alterare, ad vnã quampiã qualitatẽ possunt, corpus aut calefacientia, aut refrigerantia, humectantia, aut exsiccantia. Zingiber enim & piper, & cętera aromata, & alunt, & calefaciunt: refrigerant & humectant, lactuca, intybi, & olerum pleraque exsiccãt salsa & acria edulia. Atque hęc omnia alimenta medicamentosa iure dicuntur, alimenta quidem quatenus augere nostri corporis substantiam familiaritate sua possunt, medicamentosa quatenus alterare instar medicamentorũ queunt. Quamobrem ea tantum quæ in genere ciborũ medij erunt temperamenti, nullaque vincenti qualitate prędita, qua alterare possint: ea inquam solũ alimenta dicentur, non medicamenta: quę eadem ventrẽ nec cohibent, nec soluunt, stomacho nec robur, nec imbecillitatem inferunt, sicuti nec sudores, vrinãve aut proritant, aut coercent, nec aliam quamuis qualitatẽ calidam, frigidã, humidam aut siccam in animantis corpore inducunt, sed quale animantis corpus, quod nutritur assũmpserunt, tale planè conseruant. Sed paucissima sunt id genus cibaria, vt ait Galenus. Ex quibus verò alimenta sumantur, *1.de ali.fa* quo tertio loco dicendũ proposuimus, iam explicemus. Quęcunque alimoniam corpori præstant, & transsumi in corporis substãtiam possunt, ea ex vno quatuor generũ, quę modo dicemus, ortũ habẽt. Aut enim ex terrę nascentibus, aut ex animalibus, aut animalium partibus, aut tandem ex iis quę ab animantibus prodeunt, nec illorum partes sunt, desumũtur. Ad priorem ordinem referenda sunt quęcunque terra omnium altrix, gremio suo fota continet, & alit, concoctáque tandem ad hominum salutem profert, vti radices, surculi, turiones, fructus, folia, semina, & quę terra spontè, vt superuacua proiicit, tubera, ac fungos. His enim omnibus ali animãtium corpora perquàm commodè possunt, vt Gal.lib.de alimen.facul.& de boni & mali succi cibis. & ex Pœnis Isaac Israëlita libris diætarum amplissime docent. Secundi ordinis alimenta ab animantibus petita in tria omnino genera diducuntur. Quadrupedum, volatilium, & natatilium. Piscibus

ac densissimam producunt,& sanguinem crassefaciunt,& pro ratione ingestorum secedunt.*eod.lib.*

Cibus vbi pręter naturam copiosior ingestus fuerit,morbum facit.*Lib.1.aph.17.*

Ciborum qui aceruatim, & velociter nutriunt, veloces egestiones fiunt.*lib.2.aph.18.*

Parum deterior cibus,aut potus, verùm iucundior, melioribus quidem,sed iniucundioribus pręferendus est. *Lib. 2. aph.38.*

Ciborum in ventriculo mora noxia est. *Lib.4.de morbis.*

Alimentum est id,quod hoc nutrit.*lib.de alim.*

Alimentum triplex est, id quod hoc nutrit, & quod velut nutrimentū est,& quod nutrimentū futurum est. *eod.lib.*

Alimentum,& alimenti species,vnum,& multę. Vnum quidem quatenus vnum genus est: species vero humiditate, ac siccitate finitur,& in his forma, ac quantitas est,& ad quędam,& ad tot.*lib de alimento.*

Alimentum auget, corroborat, incarnat, & assimilat. *Eod.lib.*

Alimenti facultas peruenit ad ossa, & ad omnes partes, & in neruum, & in venam, & in arteriam, & in musculum,& cęteras partes.*Eodem lib.*

Alimentum non alimentum,si nutrire non potest. Nomen est alimentum,non opus:& res est alimentum,non nomen. *Eod.lib.*

Alimētum in pilos,& in vngues, & in extremam superficiem,intrinsecus peruenit.*Eod.lib.*

Alimenti & humidi, & sicci principium,os, gula, venter, *Eod.lib.*

Alimenti spiritus principium,nares, os,guttur, pulmo,& reliqua respiratio *Eod.lib.*

Alimentum primordiale,& antiquius per abdomen vmbilicus. *Eod.li.*

Alimenti redundantia,sunt lac,& sanguis.*Ibidem.*

Alimenti potentia melior,quàm moles. *Eodem. lib.*

Alimenti moles melior, quàm potentia.*Ibid.*

Alimentum humidum faciliùs transmutatur, quàm siccum.*Ibid.*

Alimentum siccum faciliùs transmutatur, quàm humidum.*Ibid.*

iustum substantiæ nostræ, quæ effluit, seruare modum valemus. *Lib.1.de san.tuen.*

Cibis omnibus vnus est introitus per os. *Lib.1.de facul. natur cap.10.*

Cibus,& potus causæ sunt necessariæ nos alterantes. *In arte medicinali.cap.85.*

ad Cibos omnes discernendos, sensus, gustus, & olfactus, mentem nostram satis instruunt. *Libro de attenuante victus ratione.*

Cibus debet similis esse nutrito. *lib 1.de element.*

Ciborum non vna est animantibus omnibus species. Siquidem pro sua quæque familiari substantia simul & affectione, tum delectantur, tum iuuantur à cibis. *lib.1.de simpl. facult.cap.10.*

Cibaria animalibus inculpatam temperiẽ seruantibus, suis naturis similia conueniunt. Iis verò quę prauam temperiem, aut ab initio sunt sortita, aut pòst acquisiuerunt, non similium sibiipsis esus, sed contrariorum est vtilis. *lib.3.de aliment.facul.cap.vlt.*

Ad cibos accedimus non planè secundum naturam affecti. Solum enim corpus eorũ, qui cibum desiderant, inanitũ sit oportet, si exacti futuri sint familiaris ipsorum qualitatis cognitores. *lib. 4.de simpl.facul.cap.10.*

Cibi hominibus aliàs alij videntur iucundiores, quòd duplex sit genere iucundum, alterum quod impleat quod euacuatum est, eiusmodi est nutrimentũ: alterum quod medeatur ei, quod alteratum est. Fuerit vtique cibis, vbi non modo vacuatis exhibentur corporibus, sed etiam qualitate aliqua mutatis, vt duobus nominibus delectent, vt cibi scilicet, & vt medicinæ, vt medicamenta quidẽ refrigerando, calfaciendo, humectando, vel exsiccando: vt nutrimenta vèro, sola ea quæ cognata sunt, & familiaria totis nutriendorum substantiis. *lib.4.de simp.facul.cap.10*

Cibarijs dulcibus qui naturaliter se habent, delectantur soli autem extra naturalem statum constituti amaris, acerbis, acidisque cibariis delectantur. *Com.5.in sextum de popul. morb.Hip.super.text.lingua lotium significat.*

Cibi substãtia alendo corpori accommodata voluptate indicatur. *lib.de aliment.facul.cap.de mulso.*

Cibus durior, ac crassiorum partium, & vt sic dicam, ter-

restris magis, alimentum corpori præstant copiosius, quàm humidior ac mollior. *eod. lib. & cap.*

Cibaria pinguia, & lenta statim vt sumpta fuerint, celeriter implent, & appetentiam euertunt. *eodem lib. & cap.*

ex Cibis vtilitatem quæ ex ipsis prouenit, non voluptatem spectamus. *lib. 2. de aliment. facul. cap. de apio.*

Cibi insuauitas quibusdam in causa est, cur ipsum non conficiant. *eod lib. & cap.*

Cibos concoctu difficiles nonnulli faciliùs coquunt, ac meliùs: hi scilicet quibus est calor natura acris, & mordax. *li. de aliment. facul. cap. 1.*

Cibos consuetos faciliùs homines ferunt, insuetos difficiliùs. *Com. 2. ad librum de ratione victus acutorum, text. Multa his germana.*

Cibi insueti explorandi sunt coctione, & elixatione, seu etiam madefactione in aqua, nanque ex seminibus, aut omnino ex fructibus intumescunt, veteremque prorsus amittūt siccitatem, duritiemque, molliorâque & humidiora redduntur, præstantiora, quæ vero minime tument, pristinámque duritiam retinent, deteriora. *lib. de boni & mali succi cibis.*

Cibos putrescendo coqui in nobis visum quibusdam est. *lib. 2. de natu. fac. cap. 8.*

Cibi in vniuersum omnes non solùm à corporibus nostris patiuntur, sed etiam agunt. *lib. 3. de temper.*

Cibus in ventriculo concoctus continens carnis materia non est, sed prius fit sanguis oportet. *li. 3. de temper. ad princ.*

Cibi reliquias ex omnibus corporis partibus purgare vna est ex maximis, ac præcipuis naturæ curis. *li. 9. de vsu partium ad princ.*

Cibos in ventre concoctos ad salubritatem conuerti. *lib. de facul. nat. cap. 7.*

Cibi fastidium aut ex pituita adiacente oritur (ideóque exsiccare illam ex vsu est) aut à bile supernatāte, & tum purgandus stomachus, aut naturæ impotentia & functio appetitoria reddenda. In introductorio, seu medico. Ciborum appetitricis facultatis emortuæ signum maximum, si parata hęc, quæ se desiderare dicunt ęgri, vt gustarunt, culpent, nec etiam edant, com. 2. ad tertium de vulgaribus morbis. Hippocratis super textu, Euryanactis filiam virginem.

Ci-

Cibos nihil prorsus appetere in morbis, extremam indicat extinctionem naturalis virtutis, qua cibos appetimus. *Ibid.*

Cibi qui cuique tempori conueniant *Lib.1.de aliment.facult.cap.de lente.*

ex Cibis qui subducuntur, posteriores quidē sumendos, qui tarde permeant: omniū autem primos, qui celeriter quidem peruadunt. *Lib.2.de aliment.facul.cap.de sycaminis.*

Cibus parum cōueniente ordine, aut intempestiue sumptus concoctionem vitiat. *lib.3.de sympt.causa.1.*

Ciborum inconueniens ordo est, cū fructus primo, dein alia emollientia, vt oleum ex garo sumuntur. *eod.lib.& cap.*

Ciborum intēpestiuitas est, si manè antequā prior descēderit, vel paulò ante exercitationem prandeatur. *Ibid.*

ex Cibis calidioribus & biliosis fumosæ accidunt corruptelæ, ex frigidioribus, magisque pituitosis acidæ. *eod.lib.& cap.*

Ciborum exhibendorū artis maximū (ait Hipp.) particulare cibi porrigendi tempus nosse. *Com.in quartum de ratione victus in acutis, super.text. Eius medicinæ partis.*

Cibo opportuno eligendo reficiendis, ad duo spectandū esse. Vnum ipsius cibi naturam, alterum vires suas proprias, insitasque. *Lib.7.meth.cap.6.*

Ciborū varietatē, præsertim vbi variis constent facultatibus nocentissimam esse. *com.ad primum de rat.victus ac.super textu, Ptisana igitur.*

Cibandi vnum esse cōmunem scopum, tum in sanis, tum in ægris facultatis vitalis custodiam. *Com.ad prin.de ratione victus acut.super textu, Postea si dolor quispiam.*

Cibi exhibendi idoneum tempus magna ex parte morbus ostendit. *com.ad pri.de rat.vic.acu.super text. Tempus antē.*

Cibandi in morbis quibusque idonea tempora quæ. *eod. com.*

Ciborum corruptelæ tres primæ, ac veluti generalissimę differentiæ. Vna fit per proprios ventriculi morbos, altera à vitiosis humoribus in ventriculo accumulatis, tertia ab alimentorum qualitate inducitur. *Lib.1.de locis affectis.*

Cibis iisdem sumptis diuersi interdū sequuntur in ventre affectus. *Lib.1.de alim.facul.*

Ciborum fastidium in febribus grauibus, appetitum amissum significans emorientis vitalis facultatis signum est. *Com. 1. in tertium de vulg. morb. super text. Perpetuò à cibo abhorrebat.*

Ciborum in ventriculo corruptorum mora, & varij corruptionis modi. *lib. 1. de locis affectis, & lib. vltimo de sympt. cau. cap. 1.*

Ciborum corruptio vbi in ventre contigerit, præcepta salubria vomitus, alui deiectio per hyerã, & boni succi ciborum esus. *Lib. 5 de san. tuen.*

Cibi obstructes senibus cauendi & eorum enumeratio. *Lib. d. sani tuen. & eorum remedia. Eod. loco.*

Cibi quibus in ventriculo ob prauos succos corrumpuntur, testacea alimentum commodum præbent. *li. 3. de alim. facul. cap. de animalibus, quibus testa pro cute est.*

Cibi abstinentia biliosis naturis aduersissima, & quæ in illis symptomata pariat. *Lib. 8. meth. medendi cap. 2.*

Ciborum exigui nutrimenti plurimi, & boni expositio. *eod. lib. & cap.*

Cibi probati succi ex frumentaceis, carnibus, & piscibus qui sunt. *lib. de boni & mali succi cibis.*

Cibi molles, & friabiles ad sanitatem maximè conducunt. *Lib. 3. de alim. facul. cap. de piscibus molli carne præditis.*

Ciborum salubriũ natura, absque corporum natura cognita inutilis est. *Lib. de boni, & mali succi cibis.*

Cibos mediocriter condire vtile est, ne insuaues fiant. *lib. 2. de alim. facul. cap. de apio.*

Cibi difficulter corruptiles qui. *lib. 1. de loc. affec.*

Cibi potionisve penuria siccum habitum parit. *Lib. 5. de san. tu.*

Cibos malè præparatos, viscerum concoctiones emendare non possunt, & qui cibi malè præparati intelligantur. *lib. 4. de san. tuen. ad finem.*

Cibi sale conditi, quam corpori alimoniam præstant, & qui ad salsuram idonei magis. *Lib. 3 de alim. facul. cap. de cibis sale conditis.*

Cibaria dura salsum succum generant. *lib. 3. de alim. fac. c. de piscibus duræ carnis.*

Cibus durior, ac crassiorum partium, & terrestris magis, alimentum corpori præstat copiosius, quàm humidior, ac mol-

mollior. *lib.3.de alim.facul.cap.de mullo.*

Ciborum omnium natura ſpeciatim,& qui eorum boni, qui mali ſucci ſint,qui concoctu faciles aut difficiles,qui craſſi,duri,molles, mucoſi, lenti,graues plurimi,aut imbecilli alimenti ſint. *vide lib.de boni & mali ſucci cibis, & tres Galeni de alim.facul.*

Cibis vitioſi ſucci penitus abſtinendum, præterquam æſtate cùm languentium corporum ſiccitati, & calori ſuccurrendum eſt. *lib.de boni & mali ſucci cibis.*

Cibis craſſi ac lenti ſucci vti poteſt quiſquis exercitatione multa vti, ſomno ad ſatietatem poteſt, & vitam habet à forenſibus negotiis liberam. *lib.de boni & mali ſucci cibis.*

Ciborum quæ craſſi ſucci ſunt, continuus vſus vitandus, *lib.de boni & mali ſucci cibis.*

Cibi craſſi ſucci, corporis perſpirationem difficilem reddunt,& in iocinore,ac renibus obſtructiones faciunt. *Ibid.*

Cibi glutinoſi ac craſſi, ob putredinem febrium ſunt cauſæ. *lib.1.de diff.feb.cap.3.* Acres verò ob caliditatem. *Ibid.*

Cibus idem & medicamenti & alimenti vſum præſtat, vt lactuca,& portulaca: antequàm enim concoquantur, medicamentoſa ſunt,& refrigerant:concocta verò vtrumque præſtant. *lib.3.de temper.*

Ciborum medicamentoſorum tum frigidorum,tum calidorum enumeratio. *lib.3.de temp.*

Cibi omnes medicamentoſam qualitatem habentes, ea per artem depoſita parum alunt. *Lib.2.de alim.fac.cap.de fructu myrti.*

Cibo ſi abſtineant homines,præſertim bilioſi,& ſani bilem euomunt. *lib.6.aph.com.50.*

Cibi faſtidium in morbis diuturnis, ipſum per ſe prauũ eſt ſignum:nam in iis qui à talibus morbis ſunt euaſuri, contrarius affectus ſolet accidere,vehemens ſcilicet ciborum appetentia. *lib.7.aph.com.6.*

Cibus non dandus eſt cùm iam acceſſiones adſunt, vel cùm haud ita multo poſt affuturæ acceſſiones ſunt. *lib.1.aph. com.11.*

Cibum quomodò offerri oporteat nunquid ſemel, aut ſæpius interdiu, aut noctu conſiderandum eſt, & ab ætate, tempore, & conſuetudine ſumere indicationes. *Lib. 1. aph. com.17.*

Cibus quonam pacto offerri debeat, sanis ægris, plenis, vacuis, fortibus, debilibus, & quo tempore. *Lib. & com. eodem*

Cibum labores antecedant. *lib. 6. aph. com. 16.*

Cibus præter naturam plus ingestus morbum facit. *lib. 2. aph. com. 17.*

Cibus si non benè impleat conceptaculi mensuram, lædit, si eum (etsi exiguum) ventriculus non concoxerit. *lib. 2. aph. com. 17.*

plus Cibi quàm naturæ, modo conueniat, repletio nominatur. *Ibid.*

Cibum excedentem, præter naturam esse Hippocrates docet. *lib. 2. aph. com. 17.*

Cibus ad concoctionem idoneus in sanguinem transit, *Ibid.*

Cibus qui morbum facturus sit, non paruo aliquo excedere mediocritatem exquisitam oportet. *Com. eod.*

Cibum si quis plus consueto assumpserit, æquali autem aliis, aut etiam minore vtatur exercitio, mox aggrauato corpore, cum tumore, & rubore venæ implentur, febrisque de plenitudine sequitur. *Com. eod.*

Quod cibus assumptus exsiccetur, contingit vt modicè se habente hepate secundum temperaturam, vel paulo plus modico calidiore. *lib. 2. aph. com. 20.*

Cibi cùm plus assumimus quàm hepar indigeat, parciùs eum distribuitur. *lib. 2. aph. com. 20.*

Cibus paulo deterior modò suauior, melior est insuauibus. *lib. 2. aph. com. 38.*

Cibo multo corpora humectantur. *lib. 4. aph. com. 11.*

Cibus non simpliciter plenior est aptus natura humectare, sed quicunque nullam habet fortem qualitatem. *Com. eodem.*

Cibus qui aut acerbam, acrem, salsam, aut amaram habet qualitatem, non simpliciter cibus, sed medicinalis cibus dicendus. *Com. eod.*

Cibus simpliciter ex sua natura, non ex accidenti solidas animalis partes humectat. *Com. eodem.*

Cibum qui non accipit, & per somnum dormiens sudat, euacuatione indiget. *lib. 4. aphor. com. 41.*

ob Ciborum immoderantiam, sudoris multitudo prouenit. *Com. eod.*

Cibus

verbis idē asseuerauit. Hanc sequitur hœdina, mox vitulina, è gallinaceorum genere capi, pulli cohortales, & iuuenculæ gallinæ: ex auium genere, phasiani, perdices, attagenes, colūbi tenelli, merulæ, turdi, turtures, quarū ea est insita à natura vis, vt ingenio conferant, vel Auerrois sententia, vti & gallinarum, vt cerebrum iuuent, ingenióque prosint, ita asserente Auicenna: tum & passerculi libero in aëre, dumetis, ac mōtibus victum quæritantes, optimi à Galeno cibi esse censentur. Perinde atque ex piscibus saxatiles, pelagicos, & littorales idem valdè probat, gobios inquam, buglossos, asellos, barbatulos, mullos, etsi hi duriore sint carne prędici quàm vel aselli, capitones, & lupi: etsi iidem tamen efficaciùs nutriunt, & mali succi nihil prorsus in se habent, vt Galenus lib. de boni & mali succi cibis docet. Ex animalium partibus, mammillę, testes, & alę probitate alimenti primas tenent. Iecuscula, si ab laudatis auiculis, aut animantibus sumantur improbanda non sunt. Ex his verò quę ab animalibus proueniunt, oua, & lac principatum tenent: hoc quidem inter cibaria omnia optimi succi esse omnium iudicio medicorum Gal. asseuerat, modo à probo sit animante desumptum, inter quę caprinū ille pręfert, recens mulctum, & melle aut aqua, saléve modico (ne in ventre cogatur) respersum. Nos hac ętate mellis loco saccharum immiscemus. Ex fructibus pręstantissimi vuę & ficus, hæ quidē probè maturę, illę vero & pensiles, & maturę: sic enim quicquid in ipsis flatuosum est pulchre abiicitur, & omni tū penitus vitio carent. Vinum autē (vt sequenti capite dicemus) omnium & citissimè, & optimè nutrit, éstq; naturę valde amicum, si modo generosum ipsum sit, leue, odorum, suaue, tenue, & colore aut fuluum, aut subrutilum, tēperatè & modicè sumptum, probeque pro ratione ętatis, regionis, & temporis aqua dilutū. Diximus de ciborum in bonitate pręstantia, atque delectu quantum locorum communium tractatio exposcere videbatur. Nunc de ordine sumendi cibi, tempore, mensura, & aliis dicamus. Ordo hic esse debet, vt quę leuia sunt & aluum subducentia, prius: posteriùs verò, quę plenius alunt, ingerantur, nec dura mollibus, nec adstringentia subducentiubs, nec crassiora tenuibus, nec concoctu grauia facilibus premittantur.

Tempus porro sumendi cibi id peropportunū est, cùm inanitis partibus, fame & appetentia vrgeri nos percipimus, la-

trantémque stomachum sentimus. Indidit enim animantibus sagax prouidáque natura motus quosdam, quibus ad alimẽta sumenda excitemur, ac proinde ventriculo insignes neruos eadem inseruit, vt abundantiori, præ cæteris partibus sensu præditus esset, ac penuriæ sensum animantibus exhiberet, vt eo percepto ad impletionem, ciborum pręsidio moueremur. Est enim naturę omnibus animalis partibus desideriũ quoddam, atque appetentia insita conuenientis sumendi, vt 3. de facultat. natur. tradit Galenus. Atque appetentia hæc in causa est, cur alimento destitutæ partes à sese mutuo conueniens exigant nutrimentum, vt externæ à sibi vicinis, hę rursus à propinquioribus, alimentum, quęque ad se trahant, vt quod inanitione defecerat, eo attractu reponatur, tandiúque is perseuerat motus, quoad venæ ad ventriculum protensę, consecutione quadam inanitionem & ipsę sentiant, suctione nimirum sublato à vicinioribus partibus familiari quod in eis suberat alimento. Tandémque ipsis à ventriculo sugentibus, animans ab ea ipsa facultate appetitrice, qua penuriam sentit stomachus, ad impletionem excitatur: cuius sanè impletionis cupiditas, appetentia Galeno nuncupatur. Atque sensus eorum quę desunt, cùm familiari alimento priuamur, penurię sensus vocatur, à quo appetentia (vt vult Galenus) ortum habet, dum venę ex ipso ventriculo penuria affectę trahunt veluti mulgentes, sugentésque. Quam suctionem ventriculus non ferens, huius molesti sensus remedium, cibũ exquirit. Suctionis autem molestus hic sensus, fames est: quæ cùm vrget, mox sumendus cibus, nec differendum quo minus famelico animanti is protinus suggeratur. Tolerare nanque famem ventriculum prauis implet humoribus, vt Auicenna tradit. Quod si cibi ingestione famem pręuenimus, vt lurcones, & ventres pigri, ac comedones facere solent, mox cruditas malorum omnium seminarium, obstructiones, atq; putredines oriuntur. Quantitas porro ea cibi sumatur, quæ grauitatem ventriculo non inferat. Vbi enim cibus præter naturam, hoc est, plus æquo ingestus est, morbum facit, vt scripsit Hippocrates. Nunquam enim ad satietatem, sæpe infra illam cibum sumpsisse profuit. Sic enim melior fit concoctio, & excrementorum minùs gignitur. Hinc celebris illa Hippocratis sententia dimanauit, ἄσκησις ὑγιείης, ἀκο-

Gal. lib. 4 de sympt. caus.

Gal. vbi suprà.

Fē. 3. primi doc. 2. cap. 7.

2. apho. 7.

εἰ κορὴν τροφῆς, ἀοχνὴν πόνων. Sanitatis (inquit) studium est, non satiari cibis, & ad labores impigrum esse. Quod si aut deprauato more, aut ciborũ illectamentis, quis se plusculum inuitarit, satagat inedia longa, somno, quiete, vomitu, aut lenta in posterum diem deambulatione, tantam ciborem molem deponere, & cruditati hac via mederi. Vnde est illud Celsi: Qui bene concoxit, manè tuto surget, qui minus, quiescere debet, ac neque se labori, aut exercitationi credere. Quod idem octauo methodi expressit aliis verbis Galenus. Hoc incommodum vitabimus, si neque varia eadem mensa edulia, nec variè apparata, nec culinæ artibus gulam irritantia sumantur: sed simplici ac vnico cibo ad necessitatẽ, non ad satietatem, contenti fuerimus. Quod doctissimus ille Dissarius medicus & philosophus idem præstantissimus, apud Macrobium sapientissimè admonebat, & Socrates suadere solitus erat, illos cibos, potúve vitandos, qui vltra sitim famemve sedandam appetentiam producerent. Sit itaque (vt Horatius, & Martialis monent) conuictus facilis, & sine arte mensa. Nam cum diuersorum ciborum diuersa sit natura, efficitur, vt alij aliis celerius, tardiúsve conficiantur. Quod cum accidit, miram ingenerant in ventriculo cruditatem, ac proinde ciborum varietate in eadem mensa, copia, ac productione in longas moras nihil nocentius homini ad salutem esse, omnibus ex æquo medicis visum est. Hic tantum de victu sanorum agimus, de eo qui ægris debetur, posteà suo loco tractaturi, cum de morbis agemus. Sequitur ciborũ qualitas, quæ pro varia assumentium natura, temperamento, cõsuetudine, tempore, & ætate est spectanda. Biliosis & siccis refrigerantia, & humectantia conueniunt. Pituitosis calfacẽtia & exsiccantia. Melancholicis quæ calfaciunt & humectãt. Sanguineis refrigentia & siccantia conueniunt. Contrarij enim corporum habitus, ad contrarium victum bene, similes ad similem malè se habent, vt Galenus 3. aphorismor. comment. eiusdem numeri testatur. Pro varia etiam assumentium consuetudine, ciborum alia, atque alia qualitas deligenda. Est enim cõsuetudo adscititia quædam (vt vult Galenus) natura. Sic & tempus ciborum qualitatem pro sui ratione immutat. Alia enim vere, æstate, atque autumno alia: diuersa ab his in hyeme edulia conueniunt, vt capit. 21. huius tractationis abunde docuimus. Nec minus ætas ad ciborum quali-

Lib. 6. Epid. part. 4. aphor. 20.

Lib. 1. c. 2.

Lib. 7. Saturn. c. 4.

Li. 8. met. de 2. o e moru mu- scul.

tatem pro cuiusque natura mutandum indicat. Non enim eadem pueris adolescentibus, consistentibus, & senibus cibaria congruunt. Delicatiora pueris, adultis valentiora, senibus vtiliora, & labentis naturæ ceu fomenta quędam infirmitatem iuuantia magis ex vsu sunt. Hora porro sumendi cibi congrua est, cùm prioris cibi onere alleuati, ventriculóque exonerato confecisse nos priorem cibum percipimus, faméq; ad expetendum cibum commouemur. Ea enim certissima indigentiæ nota est, & absolutæ concoctionis, prius ingesti cibi certissimum signum. Nec verò vnquam ventriculo graues cibum sumere debemus: cruditatem nempe id, obstructionem, atque putredinem, & febrem sępenumero creat. Quod si contingat, vel somno vel leui deambulatione, & cibi dilatione (vt paulo anteà diximus) medeamur. Lenis enim illa corporis commotio cibum descendere facit: ob id eam rectè Auicenna cõsuluit. Sed nihil oportunius, quàm si probè exercitati ad cibum accedamus. Vnde est illud Hippocratis, πόνοι σιτίων ἡγείσθωσαν, hoc est, labores cibos præcedant. Quantum enim commodi matutina corporis exercitatio (alui prius, & vesicæ excrementis depulsis) non solùm ad cibum oportunè sumẽdum, sed & ad valetudinem firmandam, robúrque partibus addendum adferat, locupletissimus testis est Gal. Nec verò eadem semper hora, ceu cõmuni meta ad sumendum cibum vti debemus, sed modò tẽporiùs, modò seriùs illum sumere, prout & ventriculi, & occasionis, & instantis temporis ratio postulant. Tempori ùs enim per æstatem, & frigidiore diei hora, seriùs per hyemem cibo sumendo incumbere oportet, ne in æstate calor nos opprimat, & appetẽtiam deiiciat, hyeme calor adiuuet. Delectationis etiam non minima habenda cura vel Hippocratis testimonio, qui paulo deteriorem cibum, modò iucundus sit, & gratus, bono & iniucundo omnino pręferendum censet. Suauiorem enim cibum meliùs ventriculus complectitur, atque adeò rectiùs conficit: vnde est illud Auicennæ, Quod sapit, nutrit. Quæ causa est, cur malos plerique cibos & suauiter sumant, & facilè concoquant. Familiaritate enim quadam, eius qui assumitur cibi, cum sumentis natura id accidit: quę tantùm potest, vt excussa omni cibi malitia, atque adeò superata, facilè in aliti substantiam transeat. Vnde fit vt bubulam alius, cochleas, neruosas animalium partes, & dis-

Fl. 3. pri. doc. 2. c. 7.

Lib. 6. Epid.

Lib. 3. de san. tuen.

& difficillima quæque ad concoquendum, nullo tamen negotio conficiant,vel consuetudine & longo vsu,vel familiaritate,& iucunditate saporis illecti. Quanta vero sit consuetudinis in ciborum delectu habenda ratio, abundè Hippocrates commen.de rat. victus acutorum longa serie,tum aphor. secunda sectione docet. Cui subscribit Galenus, cùm in vtriusque partis commentariis, tum octauo meth.cùm ait naturas consuetis semper gaudere:ac proinde si quis vni,aut alteri ciborum generi assueuit, haud temerè mutandam consuetudinem in diuersum censet.Periculosum enim id est,præsertim si læsio nulla sequatur. Nec vero si quis aut semel, aut bis in die,aut plura,aut pauciora sumere consueuerit,detrahendum illi de consuetudine quicquam erit. Condonandum enim consuetudini rectè Hippocrates affirmauit. At vbi noxam inde sentimus, sensim in melius transferenda consuetudo ea est. Quod enim paulatim fit,tutum est, præsertim cùm ab altero in alterum trāsitus fit:quod verò repētè,atque immodicè,periculosum, vt 2.aph. Hip. demonstrauit. Superest vt de præparationis modo dicatur.Ea porrò ad appetentiam excitandam,& rectè conficiendum cibum non in minimis ducenda est,cùm vnus idémque cibus alium, atq; alium præparationis modum sortitus, aut bonus, aut malus censeri possit. Oua (vt rem exemplo deducam) si tremula,& mollia sint,optima esse ab omnibus perhibentur: eadē ipsa fricta,indurata,aut alioqui in testaceis vasis frictellarum more incocta,& praua esse, & nidorosa Galenus, & Isaac rectè existimarunt. Itaque cùm varij præparationis ciborum modi sint,operosa culinæ arte instructi, exlixatio, assatio,frictura,esitium,pastilli,crustæ,farcimina,pulmentaria,placentæ,succidia,gelu in patina,piperata,& quæ cibaria alba dicūtur,pultes,iuscula,obsonia, intinctus, patinæ, moreta, tortę, offellæ, frictellæ. Ex omnibus modis salubriores elixatio & assatio habentur. Elixa enim & facilius concoquuntur, & salubrius præstant corpori alimentum. Assa maius robur inducunt,si modò rectè conficiantur. Vtra vero aliis humidiora sint,assáne,an elixa,haud parua quæstio est,aliis aliud sentientibus. Ego quidem (vt breui rem totam excutiam) assa humiditate interna, ac propria humidiora esse iure arbitror, quod à crusta foris ab igne inducta, interna humiditas seruetur, eius quæ assatur carnis, si modò ea studiosè assetur. Contra elixę humiditas aliena maior est,

Apho.49. & 50.

1.apho.17.

Assa elixis an humidiora, an contrà.

quòd sint in aqua incocta, minor propria, quod exhalet à cõtinuo feruore, & dissipetur. Finem præparationi ciborum faciam, si id tantum addidero, quod à Galeno proditum est, munda esse debere omnia quę ad rem escariam pertinent, nitida, culta probè apparata, & suo ordine posita. Hæc enim ad appetentiam excitandam tum sanis, tum ægris plurimùm faciunt, vt idem met testatur. Itaque pro tempore anni paranda mensa, hyeme locis clausis, & calidis, æstate frigidis, & apertis. Vere in tricliniũ & mensam sternantur flores, hyeme suffitus odorati. Æstate pauimentũ frondibus odoriferis sternatur. Autumno odorati fructus à laquearibus pendeant. Albæ sint mappæ, candida mantilia, vasa tum potoria, tum escaria, pellucida, nitida & à situ detersa. Cultros habeat mẽsa minime hebetes, tersos, & acie prolixa & cote exacuta. Salino niteat benè instructa mensa. Lautities enim hęc, & nitor residentem etiam appetentiã exsuscitat & concoctioni prodest: quod auidius, & maiorẽ voluptate sic apparata sumantur. De ætate dictum iam suprà abundè à nobis est, qui cuiq; ætati cibi conueniant, vt alia adiicere opus non sit. Atque hæc de ciborum ad tuendam valetudinem vario apparatu tantisper dicta sint. Reliquum tractationis nunc absoluamus, quid alimenta in nobis præstent adferentes. Id porrò nobis in vniuersum alimenta conferunt, quòd nutriendo, nostri corporis substantiam augent, reficiunt, instaurant, locóque deperditi cedunt. Omne enim animal conueniente sibi nutrimento ali, sensuum fide experimur. Conueniens autem cuique alimentũ est, quicquid assimilari corpori quod nutritur, potest. Oportet igitur (vt ait Gal.) toti nutrientis substãtiæ cum tota nutriti natura communio aliqua, similitudóq; sit, qua facilè alimentũ in aliti substantiam transmutari, similéque fieri queat. Et ex his, quæ assumentis naturæ consentientia magis, similiaque sunt, minore negocio vt transmutẽtur, egent. Nutritio autem nihil prorsus aliud est, quàm facultatis altricis actio, qua nutrimentum corporis eius quod nutritur omni parti affigitur & assimilatur. Perficitur autem ea tribus omnino motionibus, appositione, adhæsione, assimilatione. Concoctum enim in ventriculo alimentum, & in chylum demutatũ, in hepar per mesaræas vocatas venas delabitur, illícque in sanguinem à iocinoris facultate transmutatur, demum venarum ope iterum alteratum, perfectiúsque con-

Com. 4. ad sextum de Pop. morb. sap. textu, Laborantibus gratia.

Lib. 3. de temp. & 7 de sanit. tuend.

Gal. 1. de fac. na. c. 8. 11. & 12.

Nutritionis modus

concoctum, mẽbris apponi incipit, appositũ hæret partibus, adhærens verò, & fortiter agglutinatum tandẽ assimilatur, hoc est, partibus simile omnino euadit, alimenti substantia in mẽbrorum substantiam deformata. Rectè igitur scholæ hos tres nutritionis motus, appositionem, agglutinationem & assimilationẽ vocant. Eos porro ad nutritionẽ necessarios indicat 1. de facult. nat. Gal. ex quorundam morborũ euentu, qui ab errore motionũ harum prou eniunt. Sic quidem in vitiligine illa, quam Græci λευκὴν vocant, apponitur quidẽ parti alimentum, & adiungitur etiam, verùm non assimilatur. In ἀνασάρκα verò hydropedis specie, apponitur quidem parti nutrimentum, verùm non adhæret, neque agglutinatur: vnde in vastum tumorem, & mollem partes attolluntur agglutinationis defectu, vti disseminationis, & appositionis culpa tabes prouenit, hoc est viuentis corporis ex siccitate (vt lib de tabe vult Gal.) consũptio. Atque hactenus nobis de omni alimentorum tractatione, quatenus locorũ communium ratio postulat, dixisse sufficiat. *Cap. 11.*

De cibo, & omni alimentorum ratione, Hippocratis & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

CIBVS famem sedat. *lib. de flatibus.*

Cùm quis plures cibos ingerit in corpus, quàm ipsum ferre possit, neque laborem aliquem ciborum multitudini parẽ adiungit, mala diæta huiusmodi est. *Eod. lib.*

Cibos varios, & dissimiles inter se simul assumere, ad prauam victus rationem pertinet. Seditionem enim mouent, quæ sunt inæqualia, aliquáque citius, alia difficilius concoquuntur. *Eod. lib. de flatibus.*

Cum ciborum multorum ingestione, necesse est spiritũ multum ingredi. *Eod. lib.*

Cibos si corpus eodem die egereret, non sufficienter humore vti posset, sed essent homines, tenues, & debiles. *Lib. 4. de morbis.*

Cibi ac potus cùm maneant, quandiu permanent, corpus fruitur illis, sensim de ventriculo trahens, & impletur. *Lib. 4. de morbis.*

Cibi si maneant in ventriculo, ampliore tempore quàm

Cibus non vnum habet in omnibus coctionis præfinitũ tempus. *lib.5.aph.com.5.*

Cibus prægnanti si non detur, destruitur fœtus, in febre: si detur, augetur febris. *lib.5.aph.com.30.*

Cibos amplecti, ac se circustringendo certo tempore retinere, & rursus ad inferiora demittere, ventriculi proprium est. *li 6.aphoris. com.1.*

Cibus densandi vim habens, leuitatis intestiniorum ab erosione remedium est. *lib.6.aph.com.1.*

Cibum bene concoquens, si medioeri exercitio vtatur, superfluitatibus vacat. *lib.6.aph.com.28.*

Cibum si quis ex morbo assumens non corroboratur, hic pluri vtitur cibo. *lib.2.aph.com 8. & lib.7.com.63.*

Cibum robur quidem in sanis efficere, nocere autem ægris. *lib.7.aph.63.*

Cibationis, seu victus rationis tria sunt capita, quantitas cibi, qualitas, & vsus modus. *lib.51.aph.com.19.*

Cibandi exacta ratio in morbis inordinatis haberi non potest. *lib. & com. eodem.*

Ob ciborum inopiam qui ad extremam esuritionem perueniunt, famescere illos dicimus. *lib.1.aph.comm.16.*

Cibo qui reficiendi non sunt, neque illo die aliquem laborem miungere oportet. *Com eod.*

Cibaria salsa deiectionem faciũt, & aperiunt obstructiones. *lib.3.de alim.fac.*

Cibati bene aliqui nihil proficiunt, quod totius corporis vitio cum partiũ appetentiũ vigore laborent. *li 2. aph.com.21.*

Cibaria, & intemperantia victus adeo Galeni tempore aucta erant, nihil vt eis addi posse videretur, ob id infinitam fuisse podagricorum multitudinem. *lib.6.aph com.28.*

Cibi qualitas in affectibus præter naturam à contrariis sumitur in his qui secundùm naturam habent, à similibus. *lib.1.aph.com.16.* (*com. 18.*

Cibi multi hyeme dari possunt æstate pauci. *lib 1.aphor.*

Cibi [illegible]coctu difficiles etsi pauciores, concoctu facilibus tardiùs co[illegible]oquuntur. *lib.2 aphor.com.17.*

Cibos ægrotis dare paulò deteriores, quos cum voluptate sumant, non modo vt ipsis gratificemur, sed etiam quia vtiliùs illis existit. Quæcunque enim cum voluptate assumuntur, ista ventriculus amplexatur, & magis concoquit. *lib. 2, aphor.com.38.*

Cibi consueti inconsuetis minus nocent, *lib.2.aph.50.*

Cibi naturam quandam aduentitiam efficiunt in ventriculo, & in aliis partibus. Nam, etsi maximè obtineantur, & transmutentur à corpore, ipsum tamen quodammodo pro sui natura disponunt. *lib.2.aph.com 50.*

Cibi naturæ similes pariunt morbos, contrarij soluunt. *lib.3.aph com.3.*

Cibi appetentiæ defectus, si morsus in ventriculo, sitis, & fastidium sentiatur, bilim amaram subesse significat. *li 4.aph. com.2.*

A cibo abstinentia, idem significat quod inappetentia. *lib.4.aph.com.17.*

Cibi bene concoqui, neque in sanguinem transmutari, neque distribui per corpus possunt, natiuo calore debilitato. *lib.4.aph.c.m 17.*

Qui cibis crassioribus vtuntur, in capillitium morbum renum incidere solent. *lib.4.aphor.com.76.*

Cibi virtus est esse bene alterabilem. *lib.5.aph com.26.*

Cibis plenam esse mulierem, & quiete affectam, facit ad torminum generationem. *lib.3.aph.com.41.*

Ciborum fieri in ventriculo mutationem secundùm cõsistentiam, colorem, odorem, & alias qualitates. *lib. 6. aphor. comm.1.*

Cibi omnino nullum habentes coctionis initium, acidos ructus facere non possunt. *lib.6.aph.com.1.*

Cibi non quia omnino incocti permaneant, ideò citò deiiciuntur sed quia citò deiiciuntur, idcirco nullam habent coctionem. *lib.6.aph.com.1.*

Cibum fastidientes, hoc est inappetentes fiunt homines, quando os ventriculi afficitur propter malos humores. *lib.6. aph.com 3.*

Cibis vtuntur pluribus, in quibus tubercula, vel in articulis dolores fiunt. *Hipp.lib.4.aph.45.*

Sine cibo possunt perdurare animalia in latibulis degẽtia. *lib 1 aph.com.15.*

Ciborum particularium commoda tempora docent accessiones. *lib.1.aph.com.19.*

Cibo qui replentur vt venter extendatur, læsionem nõ sentiunt, si natura fortis extiterit, vt cibos concoquant. *lib. 2. aph.com.17.*

Cibos

Cibos si antequam assumamus, vinum potauerimus, in his qui vel inedia, aut fluxu alui, aut sanguinis fluore famem patiuntur, conuulsionibus atque delyriis cōfestim capiuntur. *Lib.2.aph.commen.21.*

Cibo plurimo vsus est, qui dormiens sine manifesta causa sudat, ideo subtrahendi cibi. *Lib.4.aphor.com.41.*

A cibo ad somnum conuersis impletur caput. *Lib.4. aph. com.67.*

Cibi alteratio in ore, non est coctio, quod perfectè cibus non transformatur. *Li. 3.de fac.nat. c.7.*

De cibatione porro, & omni victus ratione in morbis seruanda locos trademus communes, cùm de ægrotantium diæta ex professo tractabimus.

De potu cùm vini, tum aquæ, & horum delectu ac viribus.

CAP. VII.

VT cibo quicquid sicciorìs substantiæ effluxit, restituimus, sic potione quicquid humidioris periit, resarcimus. Ac proinde non solidiore tantùm cibo substantiæ fluorem instaurare opus habemus, sed & potione, humidam omnem, quæ periit substantiam, ceu salutari siccitatis præsidio alleuare. Vnde potionis animantibus est indita à natura necessitas atque vsus. Quemadmodum enim sagax, prouidáque natura ad cibum sumendum appetentia, & penuriæ sensu animantia excitauit (vt superiore capite abundè à nobis dictum est) sic ad potionem humidi desiderio, hoc est siti. Nihil enim aliud prorsus sitis est, quàm potionis desiderium seu appetentia: qua cum vrgeri nos sentimus, ad potum protinus excitamur. Id ipsum enim nobis, quod terræ nascentibus, atque satis euenit. Nam vt hæc, nisi humore foueantur, ac irrorentur, arescere ea est omnino necesse, atque marcore deficere: sic sanè quæ in nobis humida sunt, quæque natiui caloris perpetuò depascentis continua actione in dies siccantur, ac minuuntur, cito contabescerent, ni potione, ceu præsenti remedio humecta reficerentur. Atque hæc est potionis præcipua vtilitas, siccitatis ablatio, & humidæ in nobis substantiæ pereuntis, & collabentis instauratio, ac veluti renouatio quædam. Trademus itaque potionis, vt cibi fecimus, salutaria præcepta, ab aquę & vini delectu exorsi (hęc enim sunt ex omni liquidorum genere ad potandū saluberrima, &

Gal. 1. de san. tuen.

Sitis quid.

in communi omnium gentium vsu posita) demum ad congruum potionis tempus, mensuram, ordinem, modúmque progrediemur. Potionis autem is est in corpore vsus, vt quod nutri urum est, distribui ex ventre, atque deduci aliquando possit. Neque enim alimentum deduci ex ventre in reliquũ omne corpus, nisi ab humido aliquo fluxile, & permeabile effectum transumi facile in vasa, & deriuari facili motu posset. Hoc aqua (si quid Gal. creditur) corpori præstat, non.n. ex ea nutriri aliqua particula potest, sed tantùm quod in ventre alimenti assumptum est distribui, atque deduci. Quomodò enim in venas probè trãsumi posset chymus qui ex cibis genitus est, easque quæ sunt in hepate venas, angustas scilicet, & implexas permeare, nisi aliqua cibo tenuis, & aquosa humiditas tanquam vehiculum permisceretur? Ad quam sanè vtilitatem famulatur animalibus aqua, vt idemmet testatur Gal. de huius delectu primo loco, dein de vino dicemus. Aqua igitur, quæ communissima vniuersis hominibus, tam sanis quàm ægris est, & ad vitam maximè (vel Gale. testimonio) necessaria, gustu, visu, & olfactu iudicari debet. Siquidē gustu æstimanda sit, saporis omnis, & qualitatis eius, quæ linguæ iudicio discernitur expertem oportet esse. Visu autem synceram, & pellucidam, odoratu nullam præ se ferre odorabilem qualitatem debet. Ea igitur optima censeri iure debebit, quæ nec aciditatem, nec acrimoniam, aut salcedinem, aliámve vllam qualitatem referet, nec odore vllo qui nares feriat prædita fuerit, ac proinde quæ potui sit idonea, eam omnis alterius substantiæ mistione vacantem, & synceram esse, eámque temperie, & natura frigidam, atque humidam omnino esse oportet. Omnis enim aqua dulcis, atque potabilis (vt 1. de simpl. fac. probat Gale.) abundè refrigerat, & humectat. Cum itaque aquæ plures sint differentiæ, à loco vnde manant, à substantia, & illius qualitatibus sumptę, delectum ab optima faciemus. Ergo aquarum alia fontana, alia cœlo decidua, alia putealis, fluuialis quædam, alia lacustris, quædam è palude sumpta, glacialis, & niuosa alia. Omnium fontana optima. Hæc enim (vt 1. de san. tu. affirmat Gal.) aliis est omnib. præferenda, vt quæ nimirum, & gustu iucunda, & omnis qualitatis expers celeriter præcordia permeet. At non omnis fontana his dotibus prædita est. Quæ.n. è petrosis locis manans in Septentrionem fluit, Solemque auer

libr. 4. de vsu par. 5.

vbi suprà.

Libr. 1. de simpl. fac. cap. 4.

li. 1. de sim facul. c. 5.

auersum habet, ea quidem & tardè permeat, & ob frigiditatem ægrè concoquitur. Cuius verò ad orientem Solem cursus est, quæque terreno puro excolatur, indéque depurata meat, eadem & calescit & refrigeratur ocyssimè, & leuissima est, vt Hippoc. voluit, ac proinde omni ætati, atque naturæ vtilissima. Vt autem talis sit, è sublimibus locis, ac terrenis collibus fluere eam, atque ex profundissimis fontibus manare est omnino necesse. Hæ enim, vt ait Hippoc. & dulces sunt, hoc est, ad potandum suaues, & gratæ, & hyeme calidæ fiunt, æstate vero frigidæ. Eas igitur iure optimo laudat, quæ ad solis exortus, & præsertim æstiuos cursum habent, vt quæ leues sint, & concoctu ob id faciles. Secundum ab his locum tenet, quæ inter æstiuos Solis exortus, ac occasus emergunt: magis verò quæ orientem spectant. Tertio loco sunt quæ inter occasus æstiuos, ac hybernos scaturiunt. Pessimæ quę ad austrū, & quæ inter æstiuum ortum & occasum in meridiem vergūt. De pluuialibus autem aquis, & cœlo deciduis, censendum leuissimas quidem illas, & dulcissimas, tenuissimas easdem, atq; splendidissimas esse: quòd Sol id quod tenuissimum, ac leuissimum est in aqua, & terra educens, sursum rapiat, atque attollat. Optimas illas Hip. indicat, verùm opus habere, vt decoquantur, ac excolentur, vt quicquid crassum è nubibus deductum in ipsis relictum est, deiiciatur: alioqui enim & facilè putrescere ob tenuitatem, & odorem prauum habere (quòd ex plurimis sint congregatæ, atque permixtæ) & raucedinē, vocisque grauitatem bibentibus facere affirmauit. Præstiterit igitur ei qui sanitatis sit obseruantissimus, fontana, & libera, quàm pluuiali aqua vti, pręsertim si quis ob cachoxiā putredini sit obnoxius. Eam porrò aquam ex cœlo deciduis magis probat Hippocra. quæ ab æthere excreta est, aut cum tonitru. Eam enim temporariam vocat, vti procellosam, malam. Puteales aquæ fontanis, & pluuialibus longè deteriores habentur, præsertim si earum ductus aut minerales, aut limo cœnove obducti fuerint, huiusmodi enim putredinosę esse solent. Nec mirum id vitij putealibus vtplurimum inesse aquis, quod hæ non sua ipsorum virtute prodeant, sed aliena & manufacta, effossa terra, cuniculisq; peruiis factis per terreos anfractus meent. Quæ verò ductilibus tubis quasi vi coactæ decidunt, non etiam omnino probandæ: quòd à tubulis (si testacea ea sint) terrei aliquid corradentes crassiores euadere

lib.5.aph. 26.

li.de aere aq. & loc.

lib.de aer. aq. & loc.

lib.6.epid par. 4. aph.17.

solét, vel si plūbeis canalibus deducuntur, vim secū plumbi adferentes perniciosa corpori symptomata inferant, viscerū grauitatem, ac dysenteriam. vt recte Auicenna sensit. Vbi verò fontana, & pluuia desunt, puteali vtendum, sed cuius putei os orientem. si fieri possit, spectet, sitque aperto, & patenti cœlo exposita, non angustis locis conclusa, nec sordidò fundo obsita, sed leuiter petroso ac nitido, pleno gurgite fluens, pura & ipsa scateat, nullis sordibus, nullóque ingrato sapore, odoréve affecta, ac inquinata. Fluuiales aquas eas potissimum quæ è magnis fluminibus assumuntur, in quæ alia deferuntur, veluti & quæ ab stagnis sunt, in quæ omnis generis fluxiones decurrere solent, valdè vti morbosissimas Hippocrates damnat, quod inuectitiis aquis vnà congestis, atque commistis, varia natura consistentia ac viribus sint, ac proinde varij generis morbos creare suapte natura possint: calculum, renum affectus, coxendicum mala, lienis, & viscerum obstructiones. Nec omnino iniuria quod longissimo tractu per varia terreni genera decurrentes modo sabulum, limum, cœnúmque, modo salem, arenam, argillam, glaream deportēt, vnde præfati morbi excitari nullo negotio possint. Quibus igitur saluberrimi fontes desunt, & fluuiali aqua vti coguntur (veluti in Gallia Narbonensi Arelatensibus accidit, qui ob soli naturam fontibus destituti, Rhodani fluuij nobilissimi aqua vti coguntur) magna cautione, ac prouidentia vti debent, ne pro salubri vitiosam hauriant. At hi in aqua legenda, & in cisternas, vrceósque aquarios, quos in id paratos habent (vulgo Gerles vocant) reponenda nullo delectu, nulla recta ratione vtuntur. Aquam enim non è medio gurgite, plenóque fluminis alueo, sed è littore sumunt, cùm contra fieri ex vsu esset. Quæ enim pleno flumine fertur, ea ob motū, & solis splendorem tenuior, dulcior, & proinde etiam defæcatior, atque salubrior est. Quę ex littore, & ripa petitur, cœnosa, grauis, sordida, lutulenta, & tetrum spirans plerúmque est, atque ob id corpori insalubris, & vitiosa. Nec minus in reponenda aqua aberrant. Cisternas enim non satis mundas, & plerunque malè incrustatas, nec probato cęmento litas habent, vnde facilè situm, & putredinem contrahere aqua solet. Ob id saluberrimum ducerem, aquaria omnia vasa, in quibus aqua ad vsum asseruatur, è durissimo lapide, aut testa durissima, eáque intus incrustata fieri, mox muria (hoc est a-

li. de aere aq. et locis

qua salsa) inspergi, spongiísque detergi: quod rectè quidem faciunt, sed id omittunt, quod neque in vasorum fundis, aut arenam fluuiatilem, aut glaream crassiusculam indunt, neqꝫ motum aliquem aquę procurant, quo dimoueri, & agitari, ne situm aqua contrahat, possit. Pisciculos ego viuos ad motum excitandum iniciendos censerem, fundúmque vrceorum, & cisternarum multa glarea impleri, vt in eam decidens aqua depurari magis, attenuariqꝫ posset, & aqua dum immittitur sacco, seu colo lineo probè colari, sic enim purior effluet, & diutius salubris poterit asseruari. Hanc ego legendę, & condēdæ fluuialis aquæ rationem, in nostrorum Arelatensium gratiam (quorum ego saluti, & incolumitati omni meo studio, opera, arte, intimus animi sensibus prospicere iure debeo, ad publicam salutis omnium curam intentus) conscribere de industria volui, vt quando naturę soli inclementia optima aqua vt illis negatum est, arte huic tanto incommodo succurratur. Lacustris omnis, item & palustris, insaluberrimæ prorsúsque ceu pestilentes, & morbosæ cauendę. Quòd enim stagnariæ sint, & pigro lapsu repentes, ad hęc sordidę, crassę, turbatæ, cœnosę, impuræ, prauas ipsas & biliosas, vt vult Hipp. maleque olentes esse, atque ob id valdè morbosas, est omnino necesse, perinde atque glaciales & niuosas. Omnes enim hæ (vt idem affirmat Hippocrates) malæ sunt, atque ob id vitandæ. Hæc de aquarum natura, atqꝫ delectu. De vino modò dicendum: de quo plenam ingredi tractationem nunc est animus, vt qua nulla plenior, aut numerosior sit, si vinorum omnes differentias, naturas, facultates velimus persequi. Nos quantum ad locorum communium rationem pertinet, huc adferemus, ab eo exorsi, quod Plinius appositissimè dixisse visus est. Tardū esse dictu, id est maxima consideratione indigens, nouisse pluribúsne prosit, aut noceat vinū, cum ancipiti euentu potus auxilium sit, interdū venenū. Vinū autem, vt in genere dicatur, siccus est carnis eius fructus, qui in vite est, arte ab hominibus expressus, cuius tot sunt naturæ, & facultates, quot differentiæ, quas recensere immensum foret. Sumūtur. n. vt compendio dicatur, vinorū differentiæ ex loco, situ ad cœli plagas, ex terreni natura & soli, ex vite: ad hæc ex sui ipsius substantia, colore, odore, sapore. Vinorū substantiam antiqui in tria partiti sunt, crassum, tenue, mediū. Sapores itē in totidem differentias, nempe in dulce, austerū, mediū. Co-

lib. de aere, aquis & locis

lores in quatuor, albũ, fuluũ, sanguineũ, nigrum, fuluum albo vicinius, & sanguineũ nigro. A viribus multas prodiderunt antiqui differentias, vt generosum, molle, leue, pauciferũ, potẽs: illud Græci ὀλιγόφορον, hoc πολύφορον vocãt. Hippo. οἰνῶδες acutũ, aquosum, &c. Sed in vinorũ cõstituẽdis differẽtiis illud obseruandũ, quòd quemadmodũ media ab extremis, aut multũ, aut parũ distare ab inuicẽ queũnt, ita in eis pro status ratione, varia in colore, sapore, substantia discrimina orientur. Quamobrẽ vni tũ colores, tũ genera, tum sapores, à prædictis plures profectò erũt. Vinũ autem vt alimenti rationem subiens, probè celeritérque nutrit, humectat, calefacitque solidas partes, vires corporis omnes roborat, atque confirmat, succorum colorísque bonitatem facit, concoctionem distributionemque ciborum adiuuat, vrinam & sudores promouet, corporis habitum calefacit, & aduersus senectutis duritiam, & frigiditatem, summum remedium est. Sicut.n. igne ferrũ, ita vino corpora senum molliuntur, ac temperantur. Ad hæc somnum conciliat, spiritus & sanguinẽ fouet, bilis amaræ acrimoniam mitigat ac frangit, mentem exhilarat, placidos mores inducit, risum, & hilaritatem excitat, temperat humores, mœstitiam, mœrorémque pellit, fortes & audaces facit, natiuum calorem accendit, & conseruat, membris robur addit, fœminis fœcunditatem creat. Hæc in vniuersum vini commoda: quæ sic accipienda sunt, si in bibendo parcitas, modúsque adsit, non intẽperantia & ebrietas, alioqui quid vino pernitiosius? quid pestilentius? cum id immodicè sumptum vitam ac valetudinem perdat, paralysim stuporem, apoplexiam, neruorũ incontinentiã, furorẽ, rabiẽ, conuulsionem, vertiginem, arthritidem, cæcitatem, malũ habitũ, omnémq; frigidorũ morborũ colluuiem tandem inferat? & vt in summa dicatur, verissima sit homini pestis. Quã veritus Androcides sapientia clarus, Alexandri regis intẽperãtiam cohibens, sic ad illum scripsisse apud Pliniũ legimus, Vinũ potaturus Rex, memẽto te bibere sanguinẽ terræ. Nos vino ingurgitamus, & plenos calices vno impetu exhaurimus, vt iã bicõgios & tricõgios illos, Nouellũ Mediolanensem, & Ciceronem Marci filium amplius mirari non sit, cùm illi semel tãtùm ad immodicũ potũ sese in vita inuitarint, nos per omnẽ vitã, p singula etiã (proh dolor) diei momẽta ac noctis, vix dũ lectũ egressi ingẽtia vasa corripim⁹, & plenè infũdim⁹,

Vini vt alimenti potestas.

li. 14. nat. hist. cap. 5.

vt ad perdenda vina quosdam genitos esse rectissimè Plinius affirmarit. Hinc pallor, & genæ pendulæ, oculorum vlcera, tremulæ manus, & (quæ sit pœna præsens) furiales somni, & inquies nocturna, fœtidi ex ore halitus, ac ferè rerum omnium obliuio, morsque memoriæ: quo quid infœlicius? Vino itaque ceu salutari vitæ sustentandæ præsidio, non vt veneno vtamur. Porro vt vinorum multæ differentiæ, sic & variæ eius in corpore facultates, atque effectiones. Ex his enim quæ aquosa tenuíque substantia sunt, vt vrina mouent, sic paucissimi existunt nutrimenti. Crassa vero non leuiter quidē nutriunt, præsertim quæ cum crassitie dulcedinem etiam nacta sunt. Vina rubra simul & crassa, sanguini generando sunt accōmodatissima, vt quæ minima egeant alteratione, vt sanguis fiant. His autem minus alunt quæ alba sunt simul ac crassa, & acerba: omniū autem minimum nutriunt, quæ calore quidē alba: consistentia autem tenuia, & penè aquæ similia. Dulcia verò conficiuntur in ventriculo, ac distribuuntur facilius quàm austera, vt quæ facultate sint calidiora. Crassa, admodū nigra, & acerba, & tardius perficiuntur, ac distribuuntur, crassúmque ac vitiosum sanguinē gignunt, & atræ bili procreandæ idonea habentur. Ab ætate etiam differentiæ quædam sumuntur, atque vires. Noua enim quæ sunt, nec musteā adhuc dulcedinem exuerunt, nec cōmodè permeant, & ægrè distribuuntur, excrementosa sunt, & fluctuationes in corpore creant, nec sanguini generando, aut nutritioni sunt idonea. *li. 14. nat. hist. c. 22.*

Vinum annosum neruis & sensibus officit, & caput tentat, plurimoque vapore implet, corpúsque immodicè calefacit: vt Gal. 7. meth. & lib. de boni & mali succi cibis, & 4. itē de comp. medic. secundùm genera sententia est. Cui igitur crassus humor per venas redundat, tenuis substantiæ vinum: cui frigidus, generosum, acutum, ac vetus ex vsu est. Qui verò indigent refectione, & attenuati sunt, vt dulce vinum potent, suadendi sunt, ac tum præcipuè, si nullum in iocinore, liene, ac renibus vitium, obstructio nulla sit. Ad bonos autem humores gignendos, odorum, suaue, & fuluum seu vermiculum, (quod vulgò *claretum* vocant) præstantius est: sicuti generosū, nisi quod caput tentat. Ac proinde Arelatense vinum vt cæteris Galliæ vinis saporis iucunditate est anteponendum, id præsertim quod ex lapidoso eius loci agro prouenit) sic sanè caloris potentia caput tentat, multísque & calidis vaporibus im-

plet. Illud autem in vniuersum in vini potu attendendum, vt ex vinis mitiora quæ sunt, & minimè ferientia caput, ea corpori salubriora esse intelligamus, vti contra nocentiora, quæ generosa, acuta, potentia, vaporosa, præsertim si modus absit, neque ætatis, aut temporis anni vlla ratio habeatur. Non enim omni ætati, naturæ, atque tempori, eadẽ vini aut natura, aut qualitas, aut modus congruit. Si quidem pueris, & adolescentibus vini vsus, vel Platonis & Galeni testimonio nocentissimus. Haustum enim vinum, & humectat nimium, & calefacit corpus, tum caput halitu replet. Neque corpori modo, verùm etiam animo damnum vel maximum vini vsu accedit, vt 1. de san. tu Galenus. Quamobrem nedum pueris dandum minimè vinum, sed ne adultis quidem, nisi modicè sumptum existimandum est vtile esse, quod videlicet & ad iram & libidinem præcipites faciat, & partem animi rationalem, hebetem, turbidámque reddat. Senibus maximè idoneum est, vt paulò anteà diximus. Itaque si pueris adolescentibúsve præbendum vinum sit, tenue, aquosum, multáque aqua dilutum dari oportet: senibus generosum & potens. Sic calidis naturis (quod Hipp. ait) aquæ quàm vini potio cõmodior, atque salubrior, ἐν θερμῶ φύσει ψύξις, ποτὸν ὕδωρ, ἐλινύειν. Quod est in calida natura refrigeratio, aquæ potio, quies. Frigidis porro meri potus congruit. Temporũ item ratio alium atque alium vini vsũ præscribit, atque suadet. Hyeme (quod ait Polybius) tum meracius, tum parcius potandum, generosiúmque vinum. Contrà æstate dilutius, copiosiúsque bibendum, sed tenue & aquosum, ac minimè potens. Quamobrem non possum nostrorum Arelatensium ciuium, & Gallorum fermè omnium morem non improbare, qui hyeme imbecillioribus vinis, & minimè generosis, æstate potentissimis, & caput tentantibus in potu vtantur, contra quàm fieri oporteret, vel ipsa temporis anni conditione suadente. Æstiuo enim tempore ad æstum sedandũ, vino opus est quam tenuissimo, aquoso, & paucifero (quod Græci ὀλιγοφόρον vocant) hyeme ob frigoris vehementiá, generoso & potenti, quod vinum Hippocrates οἰνώδες, id est vinosum, vocandum censuit. Diximus de aquarum & vini delectu, & viribus. Præcepta nunc salubria tradamus. Inter quę præ-

Plat. lib. 2. de legibus. Gal lib. 1. de sanit. tu.

Lib. 6. Epide. par. 4. aph. 13.

lib. de salubri diæta.

præcipuũ illud haberi debet vt ad necessitatẽ, nõ ad voluptatẽ, aut intemperantia potum seu vini, seu aquæ sumamus: parcitas adsit & modus, intẽperantia omnis vitetur (nec si sanitatem tueri velimus) Græco more ad potum nos inuitemus, id est, ne grandibus meracísque poculis viscera distendamus: hoc nanque est Græco more bibere. Ob id Eubulus sub persona Dionysij manebat (referente in lectionibus antiquis Cœlio Rhodigino) sanitati primũ dicari cratera, secundum amori & voluptati, somno autẽ tertiũ. Quartus vero, inquit, iam noster non est, sed iniuriæ. Asclepiades (citante eodẽ) calicem primũ ad sitim pertinere dictitabat, secundũ ad voluptatẽ, tertium ad ebrietatem, quartum ad insaniam. Quid si hodie potatores nostros, & vini gurgites vidisset Asclepiades esset dicturus? Iã verò vt inter edendum bibere ad cibi commixtionem, & cõmodam delationem, atque distributionem oportet, sic vel ieiuno bibere, vel à cibo dum concoctio cibi perficitur minime decet: vtrumque enim nocentissimum. Nam à cibo potasse concoctionẽ euertit, flatúsque multos generat, & cruditates. Ieiuno autem ventre vinũ sũpsisse, neruos capútque lædit, & multorũ malorum seminariũ existit. Nec rursus post fructuũ esum, malorúmve ciborũ ingerẽdus potus, præsertim multus & generosi vini: efficit.n. vt præcipiti lapsu vitiosus succus in vasa permeet & incoctus putredinẽ & malum morẽ recipiat. Si tamen fructus horarij sint humidi, & putredini obnoxij, vt cærasa, mora, persica, melones, & huiusmodi, aut nihil prorsus bibendum, aut exiguum meri potentis. Sic enim Isaac in diætis particularibus à persicorum esu vinũ vetus & odoratum bibendum iussit, sed modicum tamen. Ego vero si à cibo malo (fructibus præsertim) bibendum sit, aqua quàm vino vti salubrius duxerim, ne & vini potu feruor, & ebullitio accedat: præcóxque cibi in viscera transitus, (est enim vinũ penetrator summus, vt nostri dicũt) & putredo, obstructio, cruditas aut corruptela sequantur, quod facere vinum haustum solet. A qua vero frigiditate sua, & feruorem, & putredinem inhibet. Præstiterit tamen ad celerem fructuũ subductionem, post illorum esum iusculum optimæ carnis calidum sumpsisse, vt faciliùs mali succi cibus labatur, & paucam contrahat in ventriculo moram. Dormituris porro, & à cæna (nisi valida admodum sitis vrgeat) nocentissimus potus, ob id rectè illud dicebat Hip. Qui noctu bibere appe-

Lib. 15. lectionũ antiquarũ c. 6. pri. editionis, & lib. 28. secunda editionis.

Particula 2. c. de persicis.

5.aph.27. tunt his admodũ sitientibus, si superdormierint, bonum. Sónus enim sitim eá (quæ falsa, atque mendosa vt plurimũ est) sedare solet. Potio itẽ aut vini, aut aquæ, si frigida sint, & mox ab exercitio, aut balneo sequantur, exitialis esse solet. Vnde est illud Celsi: A labore sudanti aduersissima frigidæ potio: & Lib.1.c.3. illud Dioscoridis, aqua frigida abundè pota aut meracũ vinũ lib.6.c.33 liberalius epotum præsertim à balneo, aut cursu, aut vehe- ex Ruell. menti exercitatione strangulatus, & dolores infert. In quibus (subdit) sanguinis missio protinus, & vacuatio, imminentia soluunt pericula. Nec minus regionis natura varias bibédi leges præscribit. In frigida regione liberaliùs vinũ potandũ (quod probè facere Germani, & Belgæ norũt) in calida parcius sumendũ. Sic & consuetudo, multo enim potui assueti faciliùs pleniores haustus tolerant, vt insueti minus, iuxta il- lib.2.aph. lud Hipp. Quæ ex longo tempore consueta sunt, etsi deterio 50. ra sunt, insuetis minus molestare solent. Qui imbecillũ cerebrũ habent, vinum non tolerant. Signũ enim fortitudinis cerebri, ac bonitatis eius (inquit Auic.) est à vini generosi vapo- Fē.1.tertii ribus non lędi, vinique potentiam sustinere. Quod si quis vi- tr.4.1.c.10. ni immodico haustu temulentus fiat, consilium fuerit vomitũ ciere, inediam, somnúmque imperare, & succum malorũ punicorũ, vel oxicratũ potandum dare, aut caulium succum. His enim remedijs ebrietas sanari solet, vel omnium autorũ testimonio. Num verò calidum vinum sit & humidũ, nũ cali- An vinũ dum & siccũ, de quo nostri valde digladiari solent, facilis est calidũ & ex Gal. lib.1. & 5. de san. tu. assertione discussio. Calidũ enim humidum, & humidũ vinum esse, vt alimenti rationem subiens, conce- an calidũ ptis verbis affirmat. Ob id enim pueris vinum aufert, quod & siccum. corpus immodicè calefaciat, atque humectet, veritus (id quod res est) ne vini potu puerorũ habitus (qui calidus est, & humidus) in excessum eius generis euadat. Sic rursus quinto de san. tu. senibus cõsulit, quòd vino frigidus & siccus senum habitus temperetur, vino nimirũ & calefaciente & humectante solidas corporis partes. Quin & humidæ in vino partes siccas multò interuallo vincunt, & calor in eo frigiditatem longè superat, vt sensuum fides ostendit, effectionesque eæ, quę à vino proueniunt. Calidius enim ex eo redditur corpus, & iis qui plenius se inuitarint, calor & rubor faciem, capútque occupant, vaporibus vtique calidis, & fumosis sursum latis, caliditatis à vino excitatę certissimum signum. Idipsum Auic. aper-

pertissimè fen. tertij canonis prima, cap. de melancholia cõfirmat, inquiens, vt complexio frigiditatis, & siccitatis contraria est spiritui, debilitans ipsum, sic complexio caliditatis & humiditatis (vt complexio vini) est cõueniens, & confortãs. An non apertissimè vinum calidum & humidum temperamento esse, hac serie prodidit Auicenna? etsi vinorum quædã genera calfacere exsiccaréque meritò possunt, vt generosa, & vetusta. Potentia etiam vinum calidum, & siccum (vt medicamentum est) dici potest. Vlcera enim siccat, vnde est illud Hipp. Vlcera quæcunque vino, non aqua madefacere oportet. Tumores etiam frigidos in membris discutit, & famem caninam vocatam, torexis id est, vini potio soluit, vt vult idẽ Hipp & confirmat Gal. Sed ij effectus potius caliditati vini exsiccare potenti, quàm siccitati propriæ adscribendi sunt. Est enim profectò vinum natura calidum & humidum, vt ex Galeno & Auicenna probauimus, non calidum & siccum. Quod si quis mihi Galen. octauo de simpl. medic. facul obiiciat, dicentem vinum calidum esse, eiúsque caliditati proportione siccitatem respondere. Dicendum non aliam ob caussam id asseuerasse Galenũ, quàm quoniam vinũ pro portione caliditatis quam obtinet, itidem desiccet, vt quantò calidius fuerit, tanto magis profectò exsiccabit, ac proinde Auerrous in sua quarti Meteororum libri paraphrasi siccitatem à calido, primo & per se produci ait. Quæ cùm ita sint, quomodo quis vinum siccitatem in nobis per se efficere, & non ratione caloris existimabit? Erit itaque vinum natura calidum & humidum censendum, non calidũ & siccum, nisi id illi vt medicamento adscribere quã mera cum admotum exsiccare vlcera potest, aut caninam appetentiam à frigidis, & acidis succis prouenientem sanare. Sed isthæc profectò omnia caliditate potius innata sua, quàm siccitate facere potest. Reliquum est vt de factitiis vinis, atque arte paratis pauca dicamus, præsertim de eo quod ex cerealibus seu frumentaceis conficitur, quod Zithum Gal. vocat. Factitij vini innumerabilia penè esse genera ad medicinæ potius, quàm ad vitæ vsum, Plinius rectè prodidit, & Dioscorides ante eum monumentis testatum reliquit. E quorum genere sunt, quæcunq; medica arte parata, alienam habent cum vino admixtam vniuscuiusque simplicis, aut fructus, aut herbæ substantiam. Vnde nomina illa manarunt, vinum Scilliticum, è scylla pa-

lib. de vlceribus.

lib. 2. aph. 21. & com eodem.

Plin. li. 14. nat. hist. c. 16.

Dioscorid. Lib. 5.

ratum, Tethalassomenon, id est marina aqua constans. Cydonites, Absinthites, Hyssopites, Oenâthinum, Rhoites, Rhodites, Melomeli, Hydromelon, Omphacomeli, Aromatites, Nectarites, & cætera penè infinita, quæ magis ad varios corporis affectus leuandos, quàm ad quotidianum vsum à medicis sunt excogitata. Inter ea vero quæ factitia sunt primas olim tenuit in Ægypto ex hordeo confectus potus. Ægyptij (inquit Herodotus) vino vtuntur facto ex hordeo: desunt enim in ea regione vites. Et Strabo de Ægypto tractans li. 17. ceruisia, inquit, quanquam propriè apud illos fiat, tamen cõmunis est, & apud quemque diuerso modo conficitur. Nec occidentalibus populis iidem desunt potus. Belgarum enim bona pars, vino destituta, frugibus sibi vinum parat. Ex hordeo nãque cũ lupo salictario, quem lupullum nominãt, (vulgus Gallorum *du hobelon*) aqua multa feruefactis, & despumatis, vehementérque agitatis potum conficiunt vini loco. Vites enim in tota Neustria, & Picardia desunt. Potũ hunc vulgo *Bieram* vel *Ceruoise* vocant. Fiunt item & ex fructuum succis expressis apud ipsos varij potus, ex pyris præsertim, & pomis. Hoc vulgus Normanorum, *du Cydre*, vocat, vti alterũ *du peré*, quod ex pyris confectum sit. Ob id Plinius hominũ in vinis parandis, ebrietatéque accersenda industriam admiratus, hæc protulit. *Est & occidentis populis sua ebrietas, fruge madida. Pluribúsque modis per Gallias, Hispaniásque nominibus aliis, sed ratione eadem. Hispaniæ iam & vetustatem ferre ea genera docuerunt. Ægyptus quoque* (subdit idem) *è fruge sibi potus similes excogitauit.* Nullaque in parte mundi cessat ebrietas. Meros quippe hauriunt tales succos, nec diluendo vt vina mitigãt. Vina porro huiusmodi è cerealib. facta valde Diosc. atq; Galenus damnant, vti flatuosa, praui succi, & ex putredine genita. Vnde partim acrem & calidũ potestate fieri eius generis potũ, partim frigidum, aqueum, & acidum volunt: hæc enim Galeni verba sunt. Dioscorid. vero vrinas eo impelli, sed renes neruósque affici, cerebri membranas tentari, Elephãtiasim contrahi malósque succos eo potu gigni asseuerat. Ex hordeo (vt idem ait) duo sunt potionum huiusmodi genera alterum quod Zythum nuncupatur, alterum quod Curmi (φουρμι vulgò Græcè vocãt) & à poëtis quãdoque Pelusiacꝰ potꝰ. Madescũt aqua fruges donec resoluãtur, multa aqua efferuescũt & cõtinuò ad validũ ignẽ agitantur, adiecto

Libr. 2. in Euterpe.

li. 14. nat. hist. ca. 22.

lib. 2. cap. 311. & 312.

Lib. 6. de simpl. fac. cap. de zytho.

lib. 2. cap. 311.

lupo

lupo salictario:excoctus liquor refrigeratus in dolia in id parata cōiicitur,& vsui ad quotid. vsum (vbi vini penuria est asserua-tur. Multus eius in Germania,Britannia,Neustria,& Belgica Gallia vsus.Curmi Hermol.Barbarus id esse arbitratur,quod Ceruisiam in Gallia vocant,etsi id sub dubitandi nota affirmet.Aristoteles(eodem tradente Hermolao) pinum vocat, quod ex hordeo fit vinum.Quanquam vero prisci ita potus hos omnes damnarint,vt perniciosos esse dixerint.Nos tamē sensuum fide experimur,nullos aut corpore robustiores,aut valetudine salubriores , meliúsque habitos , quàm eos qui Ceruisia, Zytho,aut Curmi vocato,qui item vino apire (id est vinum è piris confectum, quod vulgò *du peré* vocant)qui item pomorum succo pro vino vtuntur.Britannorum enim, Belgarum,Germanorum,atque Pannonum corpora valetudinem,firmitatem,colorem,& proceritatem,cæteraque ad bonum corporis habitū pertinentia si spectes,inuenias profecto nullis hominum cedere seu salubritate regionis,quam incolunt(ad Septentrionem enim siti sunt)seu etiam potionis huius viribus.Neque enim fieri posset , si tam damnosa, atque insalubris hæc hordeacea potio esset , quā illam prisci autores faciunt,quin ex illius assiduo potu , non in grauem valetudinem,qui eo vtuntur inciderent , contra quàm fieri videmus:cùm nulli sint præ his,aut forma,colore aspectúque pulchriores , nulli valetudine firmiores,aut corporis habitu salubriores.Quod & Manardus doctissimus annotauit,& in hanc sententiam aduersus Dioscoridem,& Galenum volens, sciensque descendit.Cui ego vel ipsa experientiæ fide inductus , manus vltro dare cogor.Atque hic capitis finis esto.

lib.2. Corolarii ad Dios. c.31

lib.epist. me.c.epis. 2.& li.17. epis.5.

De aqua,& vini potu, Hippocratis,& Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

AQVARVM facultas medico probè tenenda. *lib.de aere,aquis,& locis.*

De aquis,quæ morbosæ sunt , quæ saluberrimæ, & quæ mala ab aqua fieri,& quæ bona ab ea proueniant scire debet medicus.*lib.de aere,aquis,& locis.*

Aquæ plurimam partem conferunt ad sanitatem. *lib.de aere,aquis,& locis.*

Aquæ palustres,statariæ,& lacustres,necesse est æstate esse calidas,crassas,& olentes,prauas ,ac biliosas: hyeme glacia-

tas,frigidas,& turbatas.*eod.lib.*

Aquæ palustres,bibentibus splenes,ventres duros, hydropes,dyssenterias,& infinita alia mala pariunt.*ibid.*

Aquæ fontanæ è petris scaturientes duræ sunt.*eod lib.*

Aquæ optimę sunt, quę è sublimibus locis,ac terreis collibus fluunt *eod.lib.*

Aquę quarum fluxus ad solis exortus ęstiuos erumpunt, omnium maximè laudandę:odoratę enim sunt,& leues.*ibid.*

Aquę quę ad austrum,& quę inter ęstiuum ortū,& occasum ,pessimę. *Ibid.*

Aquę ad boreales partes fluentes,meliores. *Ibib.*

Aquę dulcissimæ,leuissimę , ac splendissimæ ventres duros habentibus idoneę.*eodem.lib.*

Aquę quęcunque optimę coctu sunt,ac facillimę liquescunt,eas par est & ventrem maximè exoluere , ac eliquare. *eod.lib.*

Aquę pluuiales leuissimæ,& dulcissimę,& tenuissimę, ac splendissimę sunt.*eod lib.*

Aquę pluuię,etsi optimę sunt,opus tamen habēt vt decoquantur, ac excolentur. *Ibid.*

Aquę pluuiales ex omnibus aquis citissimè putrescunt. *Ibid.*

Aqua pluuialis odorem malum habet,eò quod ex plurimis congregata est,ac permixta,vt citissime putrescat.*ibid.*

Aqua pluialis quod in ea turbidum est in sublime eleuata,id excernitur,ac decedit,fitque aër& nebula Quòd verò tenuissimum est , ac leuissimum in ipsa, hoc relinquitur, ac dulcescit,dum à sole coquitur.*eod.lib.*

Aqua pluuia qua ratione optima. *Ibid.*

Aquæ ex niue,ac glacię fientes omnes malæ sunt.*eod.lib.*

Aquæ ex magnis fluminibus,aut stagno haustę , calculū, renum affectus,coxendicum dolores,& hernias pariunt.*eod. lib.*

Aquas omnigenas qui bibunt,& de magnis fluminibus aut stagno,in quod fluxiones multæ deueniunt,prædicta mala incurrunt. *Ibid.*

Aquę quę à niue,& glacie eliquantur , pessimę ad omnes res.*lib.de aere,aquis,& locis.*

Aqua de farina crassa in ipsa macerata.*lib.7.de pop.morb.*

Aqua

Aqua exhibenda est ægris potabilis,& pura.*lib.de medico.*

Aquæ & fontes,& maritimæ aquæ ęstate frigidiores,hyeme calidiores. Et causam vide ibi esse densitatem terræ, & collectionem spiritus in terra hyeme:æstate raritatem, & leuitatem.*lib.de nat.pueri.*

Aqua in terra non consistit,sed semper in decliue procedit.*ibid.*

Aqua in aëre cohærens & continua,nebula est. *eod.lib.*

Aqua calida attenuat,ac mollit: frigida prodest populis rubicundis.*lib.de humidorum liquidorumue vsu.*

Aqua calida ampliùs ea vtentibus, has læsiones inducit, carnium effœminationem, neruorum debilitatem, mentis stuporem,sanguinis eruptiones,animi deliquia: frigida verò cõuulsiones, tensiones,nigrores,rigores febriles. Mediocritas extra noxam est.*lib.de humorum vsu.* & *5.aphor.aph.16* & 17.

Aqua frigida neruis inimica,ossibus,dentibus, cerebro,& ab hoc ortis:calida verò amica.*lib.de humidorum vsu.*& *5.aph. aph.18.*

Ab aqua calida voluptates & illecebræ: à frigida verò dolores & auersationes.*lib.de humidorum vsu.*

Aqua marina pruriginosis, & qui ab acribus humoribus vellicantur,prodest:verùm ad vlcera,& ambusta, ac desquamata,contraria.*lib de humidorum vsu.*

Aqua frigida vlceribus mordax,cutem obdurat, dolorosa,non suppurari facit,liuefacit,nigrefacit,rigores febriles facit,conuulsiones,antè & retro distensiones,*eod.lib* & *5 aph. 20.*

Aquæ frigidæ multa effusio in iuuene bene carnoso media æstate caloris reuocationem facit. Calor autem hæc soluit.*eod.lib.* & *5 aph.21.*

Aqua calida suppuratoria est, cutem mollit, attenuat, dolorem eximit,rigores,conuulsiones, ac retro distensiones lenit,capitis grauitatem soluit,conducit ossium fracturis denudatis.*ibid.* & *5.aphor.22.*

Aqua frigida in acutis datur potui, nec aliud ab ea præsidium petendum.*lib.3.de rat.vict.acut.*

Aquæ mulsę vires & nocumenta.*lib.3.de rat.vict.acut.*

Aqua frigida vacuo ventriculo ingesta, vt longè pessima; & summè biliosa redditur,ita vires maxime prosternit. *lib.3. de rat.vict.acut.* & *vide ibi reliqua aquæ frigidæ nocumenta, à textu 42.ad 45.*

Aqua commoda vbi caput dolet,& mens percellitur.*lib. de morb.mult.*

Aquam non olfacimus,quòd humidior cerebro sit: cerebrum enim acida & fumosa percipit.*Lib. de carnibus.*

Aqua putrefacta crassior fit *lib.de carnibus.*

Ab aqua spiritus omnes.*lib.de nat.pueri.*

Aquarum vsus pro sanis is est,vt qui sanus est, ac valet, is nullum discrimen faciat,sed semper eam quæ præsens est,bibat.*lib.de aere,aquis & locis.*

Aquis bonis vtuntur ciuitates bene sitæ ad solē, & ad ventos.*lib.de aere,aquis & locis.*

Aquæ cum tonitru æstate è cœlo demissæ,tempestiuæ,& bonæ:procellosæ verò malæ *lib.6.epid.*

De vino eiusdem Hippocratis loci.

VINVM meracum multum, potum hominem aliquo modo debilem reddit.*lib.de vet.medicina.*

Vinum medicum optimæ aquæ ferre possunt: *lib. de aere,aquis & locis.*

vini dulcis,albi,vinosi,fului,nigri,& austeri, vires prodite ab Hipp.*lib.3.de rat.vic.acut.à numero primo vsque ad* 10.

vini odor ægrotos lædit.*lib.de decen.orn.*

vinum dulce ad diuturna vulnera commodum.*lib.de humidorum vsu.*

vinum album,austerum,& nigrum, ad vlcera commodum.*eod.lib.*

vino tantùm vlcera vniuersa madefacere oportet.*lib.de vlceribus.*

vinum diffusum ac perfrigeratum, & excolatum tenuius fit ac debilius.*lib.de morb.seu de affectionibus.*

vinoso & vomenti non sedandus vomitus. *lib. de loc. in homine.*

vini potu sanantur,qui à medicamento ægrotant. *Eodem libro.*

vini potio oculorum dolores sanat.*lib.6.aphor.31. & lib. 7.aphor.48.*

vini potio,famem soluit.*lib.2.aphor.21.*

Vini Cedrini,Coi,Prannij, Æthiopici, Tedacæi, meminit

hit in variis locis Hippocrates, *nempe libris de mulierum morbis, & libris de internis affectionibus.*

De potu loci.

GALENI.

POTIONE quicquid humidioris substantiæ effluxit restituimus. *lib.1. de sani. tu.*

Potionem in pulmonem deferri Plato est arbitratus. *lib. 8. de placit. Hipp. & Plat.*

Potus exilis quępiam pars in pulmonem percolatur. *lib. 2. de simpl. fac. cap. 17. & 8. de plac.*

Potionis exiguum quiddam in asperam arteriam defertur. *lib. 7. de vsu part. cap. 17.*

Potus nonnunquam per nares reiicitur in angina affectis, aut ob gulæ strictionem meatum, aut resolutionē gulę. *cō. 2. in tertiū de po. mor. Hip. super textu, Illum quæ angina laborabat.*

Potionis appetentia, vitiata, diminuta, immodica, eorumque causę, *lib. 1. de sympt. caus. c. 7.*

Potus quàm cibus facilius concoquitur, & distribuitur. *lib. 2. aphor. com. 11.*

Potus multus neruis nocet, ac cerebro. *com. 3. in tertium de popu. morb. Hipp. super textu, Adolescens Mælib.*

Potu frigido egent, qui ęstu, & calore fatigati sunt, & qui assiduis occupationibus impediuntur: aut qui belli & viarum laboribus distinentur. *lib. de boni & mali succi cibis.*

Potus consuetus insueto minus molestus. *Lib. 2. aphor. com. 50.*

Potus naturam aduentitiam facit in ventriculo. *Ibidem.*

Potus multus his dandus qui habent ventrem siccum: contrà exiguus his qui habent humidum. *Lib. 4. aphor. com. vltimo.*

Potus valde sitentibus dandus est. *lib. 5. aphor. com. 27.*

Potus an debeat dari sitientibus, quando, & quomodo. *com. eod.*

Potiones medicamenti, seu medicationes consueuit Hippocrates propriè nominare eas tantùm, quę cum purgantibus fiunt medicamentis. *li. aphor. com. 25.*

Potus alui profluuiū inducere potest. *Lib. 6. apho. com. 16.*

Potiones vulnera intrinseca sanant, vti medicamēta exter-

na vulnera apposita sanare solent. *lib. 6. aph. com. 18.*

Galeni de aqua loci.

AQVA, media est inter tenuium, ac crassarũ partium corpora, aërem & terram. *lib. 4 de simpl. facul. cap. 2.*

Aqua, ignis qualitatem exactè accipere non potest, sicut aër, ac terra: ac proinde neque flamma, neque pruna fieri *lib. 4. de simpl fac. c. 2.*

Aquam synceram, omnis qualitatis expertem, sicuti nullum aliorum elementorum non est inuenire. *lib. 1. de elem. & lib. de ptisana.*

Aqua probatissima tum substantia, tum gustu, tum odore, tum colore discernitur *Lib. de ptisana.*

Aqua vsui accommoda, neque dulcis, neque salsa, neque acida, neque acris, nec grauiter olens, nec putris, nec cœnosa, sed prorsus simplex, pellucida, pura, ac veluti exquisitè colata esse debet. *lib. de ptisana. & lib. 1. de simpl. facul. cap. 5.*

Aqua omnis potabilis perspicuo frigefacit. *lib. 1. de simpl. facul. cap. 6.*

Aqua omnis potabilis humectat, & eius rei demõstratio. *lib. 1. de simpl. facul. cap. 7.*

Aquæ propria natura frigida est, & humida. *lib. 1. de simpl. facul. cap. 8.*

Aqua & communissima omnibus hominibus est, tum sanis, tum ægris, & ad vitam maximè necessaria. *lib. 1. de simpl. facul. cap. 4.*

Aquam qui iudicant ex potu, etsi certissimo vtantur iudicio, non tamen perfectè sic de ea iudicãdum, sed si cito calescat, & refrigeratur, si ventrem non grauat, si cito permeat, si leuis, si neque turbida, neque cœnosa, neque in gustu absurdam aliquam qualitatem præ se ferat, & bene alterabilis sit. *lib. 5. aphor. com 26.*

Aquæ calidæ, & frigidæ effectus expositi in hecticorum curatione, quod frigidior aqua frigus corpori infirmo insinuet, calidior cogat, constringat, densétque meatus. *Lib. 7. meth. cap 7.*

Aqua in eo quod calida aut frigida est, contraria in corpore facere nata est. *lib. 3. de comp. medi. secundum genera.*

Aqua quæ tum frigida est, tum humida propriè aqua nomi-

nominatur: ipsamque frigidam, & humidam natura esse, & priscorum consensus, & experientia ipsa confirmat. *lib. de ptisana.*

Aqua frigida sensus similitudine mordax dicitur, cùm in cutem vlceratam incidit: quod vlcerata quę sunt, rariora sint, & ob id aqua eorum substantiam peruadere possit, & in profunda subintrare. *lib. 5. aphor. com. 20.*

Aquæ frigidæ occursus, & perfusio, aut vincit natiuum calorem, aut colligit. Vincit quidem, cùm calor debilis fuerit, colligit autem cùm fortis, ipsum difflari prohibens. *lib. 5. aphor. com. 21*

Aqua frigida distentionem ex accidenti, non sua vi frigida sanat, caloris scilicet reuocatione. *com. eodem.*

Aqua frigida lotis hominibus contingit, si debile habuerint corpus refrigerari, & offendi: si verò robustum, innatum calorem ad interiora refugere, & seipsum colligere. *lib. 1. aph. com. 15.*

Aqua frigida cutem facit duriorem. *lib. 5. aphor. com. 20.*

Aqua gelida, caliditati, siccitatique corporis succurritur. *lib. de bonis & malis succi cibis.*

ex Aqua dulci, & calida quæ euaporant optima sunt, & vaporosa. *lib 1. aphor. com 14.*

Aqua nihil humidius. *lib. 1 de simpl. facul. cap. 32.*

Aqua neque epota, neque extrinsecus occursans natura apta est solidas corporis partes humectare. *Lib 4. aphor. com. 13.*

Aqua ex sese frigida est facultate: sed si extraneam qualitatem adepta sit, nempe caliditatem, composita iam quodammodo est, igneæ essentiæ partem aliquam nacta, aut certè ipsam qualitatem. *lib. 1. de simpl. facul. cap. 4.*

Aqua frigida inflammationes, quæ ad rubrum tendunt, sanat, quia influxum cohibet. *lib. 5. aphor. com. 25.*

Aqua frigida dolorem soluit, torporem inferens, mediocrem sensum hebetando. *com. eod.*

Aquæ calidę fomentum quando nihil influit in oculos, securrissimum est. *lib. 6. aph. com. 31.*

Aquæ sponte calidæ, capiti calido inimicissimæ. *Lib. 6. de sani. tu.*

Aqua aduentitium calorem adepta excalfacit & humectat quibus est admota: verùm haud similiter ambo præstare potest. *Lib. 1. de simpl. facul. cap. 8.*

Aquę calidæ balneum,oculorum dolores sanat, vbi humores acres in oculos influere solent, non tamen corpus est plenum *lib.6.aph.com.31.*

Aqua calida multa capiti superinfusa omnes febres sanat,exceptis iis quæ ex bile factæ sunt.*lib.7.aphor.com.43.*

Aqua calida si quis vinum diluat ac bibat, comedátque aliquid acutum vt piper,in singultum incidit. *Lib.6. aphor. com.39.*

Aqua tenuium est partium, nec vnquam nos ex sua natura excalfacit.*lib.1.de simpl facul.cap.15.*

Aqua quæ celeriter incalescit,& refrigeratur, semper leuissima est.*lib.1.de simpl.facul.cap.18.& 5.aphor.com.26.*

Aqua ea leuior,quæ ventrē non grauat, & quæ cito permeat:huic contraria grauis.*lib.5.aphor com.26.*

Aqua neque incidendi vim habetvt acetum, neque calida est,vt mel.*lib.3.de rat.vict.acut.com.42.*

Aqua tardè meat, difficulter conficitur, & ægrè descendit, quanquam alioqui & optuma sit, & culpa omni vacet. *com.eod.*

Aqua vel limosa,vel malè olens,vel salsa,vel alterius cuiuspiam qualitatis medicamentosæ particeps,non simpliciter est aqua.*com.eodem.*

Aqua optima purissima est,& omni aliena qualitate destituta: hæc tamen etsi optima,multo tamen tempore in vētriculo manet,fluctuationes plurimùm parit,& in biliosо vētriculo corrumpitur,nec facilè distribuitur, nec vrinam mouere,neque sputum educere nata est, neque per totum corpus molitur transpirationes,nec sitim sedat. *lib.3.de rati. vic. acut.com.42.*

ab Aquæ frigiditate omnia eius nocumenta pendēt. Sūt autem ea,quod in præcordiis diutissimè moratur, fluctuationes excitat,in flatum mutatur, & corrumpitur, & ventriculi exoluit robur, sic vt deterius concoquat, sed nec digerendo per corpus alimento aliquid magnopere conducit. *lib.7.met. med.cap.6.*

Aquæ vitiatæ potio nonnullis capitis dolorem infert, nam & ipsa corrumpitur,& naturale robur exoluit.*lib.de bonis & malis succi cibis.*

Aqua si cū vino bibatur efficacius sitim extinguit, quàm si sola.*lib.1.de simpl.fac.cap.31.*

Aquæ

Aquæ noxas vinum admistum tollit. *Vide longa serie.lib. 7.meth.med.cap.6.*

Aquæ admistum vini exiguum, ad distributionem aquã excitat,& in id miscemus,vt duntaxat aquæ tollamus syncceritatem,non autem aquam vinum faciamus. *lib.3. de rat.vic, acut.com* 42.

Aquæ ad vinum mistionis alia est symmetria, cùm ad voluptatem datur,alia cùm ad opem ferendam.*com.eodem.*

in Aquæ & vini mistione, in sanis aquam gustatu ipso vinum eu..ncere non oportet.*com.eod.*

in Aquæ & vini mistione in ægris, ita agendum,vt modica sit vini repræsentatio.*com.eod.*

Aqua in principiis accessionum pota, lædit. *com.eodem.*

Aqua æqualiter vino æquali mixta,hoc est æqua portione cum vino temperata,pellit,& euacuat ex materia infestãte quicquid cesserit vini motui cum impetu lati, reliquum temperat.*lib.7.aphor.com.57.*

Aqua vino admixta ob id sitim extinguit, quòd vinum ipsum ad distributionem promoueat.*lib.1.de simpl.facul.cap.31.*

Aqua illam quæ facta est ex vino caliditatem restinguere potest.*lib 5.aphor.com.27.*

Aquæ virtus est,esse bene alterabilem,sicut & cibi. *lib. 5. aphor.com.26.*

Aqua celerrimè in habitum soluitur, atque expeditè digeritur.*lib.1.de simpl.fac.cap.15.*

Aqua dulcis sitienti remedio est.*lib.1.de simpl.facul.c.7.*

Aquæ dulcis poculum,& lauacrum,aqua inter cutem laborantibus aduersissimum : salsarum verò, nitrosarum, sulphurearum,perutile.*eod.lib.& cap.*

Aqua ἄποιος est,id est,omnis qualitatis, quæ gustu deprehenditur,expers.*lib.4.de simpl.fac.cap.4.& lib.1.de aliment.facul.cap.de amylo.*

Aqua salsa grauior cæteris.*lib.4.de simpl.facul.cap.20.*

Aquæ saliendę pro salsugine conficienda modus, & ratio explorata, si ouum inmissum in eam videatur natare,neque sidat.*lib.4.de simp.facul.cap.10.*

Aqua marina carnes siccat,& incorruptas seruat:reliquæ omnes potabiles promptę corrumpunt, ac putres faciunt. *Lib.2.de fac.nat.cap.9.*

Aqua marina ob id fluuiatili grauior, quòd illi insit salis

ſubſtantia, quæ terrea grauiſque eſt. *lib.4. de ſimpl. facul. ca. 20.*

Aquam grauem vocamus, quę ventrem grauat, & quę nō citò permeat, *lib.5. aph. com.26.*

Aqua leuiſſima Hippo. non pondere iudicatur, ſed quæ tenuium ſit partium, nec grauatim cōtrariam admittat qualitatem. *lib. de ptiſana*

Aqua igni aduerſiſſima, vt quæ qualitatem frigidam, ac humidam nacta ſit. *li.1. de ſimp. facul. cap 18.*

Aquæ ſponte naſcentes, αὐτοφυεῖς Græcis dicuntur. *eodem lib. & cap.*

Aquæ aluminoſæ vlceribus conducunt. *lib.1. de ſimpl. facul. cap.7.*

Aqua lacus Palęſtini, ob id amara, quod ſalſa cùm ſit, & in caua calidáque regione contenta ſit, à ſole torretur. Quicquid enim ſalſum pluſculum excalfeceris, amarum euadet, *lib.4. de ſimpl facul. cap.20.*

Aquarum dulcium balnea, ac vires. *lib.3. de ſani. tu. & lib. 7. & 10. meth. m. den.*

Aqua Nili limoſa, & compoſita eſt. *lib. 1. de ſimpl. facult. cap.4.*

Aqua pluuia, ea optima eſt, quæ ab æthere, aut cum tonitru excreta eſt, eademque temporaria eſt. *Com.4. in ſextum de popul. morb. ſuper textu, Aquarum arte carentium.*

Aquam elixam ægrotis dabat Galenus. *Com.4. in ſextum de popul. morb. ſuper textu, Aquis elixa.* & vide ibi varios aquæ refrigerandæ modos, ex niue circumpoſita, vel vaſe in puteū, amnémve immiſſo: & rurſus de optima aqua quænam ſit.

Aqua fontana recenti vtendum, ſi eius copia ſit: ſin minus, reliquarum dulcium. *lib.1. de ſani. tu.*

Aqua optima omnis qualitatis eſſe expers debet. *lib.1. de ſanit. tu.*

Aquæ quæ ex ſtagnis hauriuntur, craſſæ, turbidæ, cœnoſæ, malè olentes cauendæ. *Ibid.*

Aqua probatiſſima, tum ſubſtantia, tum guſtu, tum odore, tum colore diſcernitur. *lib. de ptiſana.*

de Aquis experientia iudicium faciendum. *li.1. de ſan. tu.*

Aquæ è fonte ad orientem ſolem ſpectante manantes, ſaluberrimæ, ad Septentrionem quæ fluunt è petris, concoctu difficillimæ, tardíque tranſitus ſunt. *lib.1. de ſanit. tu.*

Aqua

Aqua syncera, pellucida, pura tenuium est partium, concoctu, ac distributu facilis, præcordia subitò trahit, & facile alteratur. *Lib. de ptisana.*

Aqua voraces facit. *Com. 4 in sextum de pop. morb. Hip.*

Aqua optima, atque aere optimo perpetuò vtendum. *Lib. 1. de sanit. tu.*

Aqua fontis vtendū iis, qui minimè exercentur per æstatis ardores. *Lib. de boni & mali succi cibis.*

Aquæ potus iis qui natura, aut ętate calido admodum sunt temperamento, vini potu longe accommodatior. *eod. lib.*

Aquæ fontium hyeme tepidæ apparent ad tactum quòd tum frigidiores simus. *lib. 3. de simpl. facul. cap. 8.*

Aquam mulsam si dederis mulieri, & dormiens post potū alui tormina sentit, concepit: si non, minimè. *lib. 5. aph. com. 41.*

Aqua mulsa cùm easdem habeat commoditates, quas ptisana tamen biliosis naturis, vt illa non conuenit, quod nec sitim restinguat, & in bilem facilè vertatur. *lib. 8. meth. med. cap. 2.*

Aqueam qualitatem quæ cibaria habent, ea succis acribus, acidis, salsis, vel austeris misceri postulant, si modo in cibum suauia sunt futura. *lib. 2. de aliment facul. cap. de cucurbita.*

Aquæ potio, & refrigeratio, quies, in calidis naturis conuenit. Citatum ex Hppocrate à Galeno *lib. 8. meth. meden.*

Aquæ temperatę qualitas laxat, ac dilatat corpus. *lib. 6. meth. meden.*

Aquę vsum ad neruos vulneratos, semper fugies. *lib. 7. meth. meden.*

Aquæ fontanæ temperies, & frigoris quod ferit, & tepòris qui resoluit, est in medio. *lib. 10. meth. meden.*

De vino Galeni loci.

VINVM ex secundo est ordine excalfacientiū, sed quod admodum vetus ex tertio, sicut mustum ex primo. *lib. 8. de simpl. facul. cap. proprio.*

Vini quatuor partes sunt, habet enim vinum in se recrementum crassarum partium, quod deorsum fertur, & fęx consistit. Aliud vero secundum, quod florem nuncupant, quod dum vinum feruet, supernatat, sed postea ad fæces subsidit: tertium aqueum, quod toti vino permistum est, hoc prima-

riò potissimúmque feruet : quartum pręter hæc est ipsum reuera vinum.*lib.4.de simpl facul.cap.3.& lib.4.de vsu part.ca.3.*

Vini floris, ac fęcis eius, ad vtramque bilem comparatio. *lib.2.de facult.nat.cap.9.*

Vini reponendi, seruandique in vinariis cellis modus à priscis seruatus, explicatur longa serie à Galeno *lib.1.de antidotis.*

ad Vina seruanda optimus inter initia locus frigidus est. aut calidus. Tepidus enim locus vina acida facilè reddit. *eodē lib.*

Vinum natura frigidius ac infirmum à calore externo corumpitur, & acescit, quòd res quęlibet in propria seruetur calore proprio, corrumpatur autem immoderatione extrinseca, nempe caloris, humidi, aut frigoris abundantia. *lib.4.de simpl.facul.cap.13.& 14.*

Vinorum alterationis naturalis, quę temporis spatio fit, modus à Galeno longa serie expositus.*lib.4.de simpl facul.cap. 11.*

Vinorum alterationis non naturalis modus item expositus.*lib.de simpl.facul cap.12.*

Vina aquosa, & tenuia celerrimè omnium inueterantur, *lib.1.de antidotis.*

Vina citò inueterari, est ante tempus, antiqui vini conditiones assumere.*eod.li.*

Vini antiqui conditiones sunt acrimonia, & amaritudo. *Ibidem.*

Vina aquosa appellant colore alba, corpore tenuia, atque vt diluantur non multę aquę indiga.*lib.1.de antidotis.*

Vinum firmissimum, & validum theriacę imponi debet. *eod.lib.*

Vinorum Italię differentiæ multę, atque naturę explicatę.*eodem.lib.*

Vina pręvetustate amara siccant immodicè. *lib.7.meth. meden.cap.7.*

Vina nouella, neque deductionem nutrimenti in corpus adiuuant, nec vrinas promouent, sed diu in vētre fluctuātia permanent.*lib.de sani.tuend.lib.de boni & mali succi cibis. lib.7.met.meden.*

Vinum nouum pituitam generat.*com.1.ad lib.de nat.hū.*
ju-

Super texta, Ineunte hyeme.

Vina aut nimis vetusta, aut nimis recentia vitanda, quòd illa pręter modum calfaciant, hęc & difficilis sint concoctionis, nec vrinas moueant, nec sanguinis generationi sint idonea, & suspensa in ventre maneant, & facile coacescant. *lib. de boni & mali succi cibis.*

Vina plurimum inter se differunt, reliqua non sic. *eodem lib.*

Vina & poculenta, atque esculenta non omnia vnicuique simpliciter sunt idonea, sed distingui ad vtententium naturas, aptarique debent. *eod. lib. de boni, mali succi cibis.*

Vinum ex eorum esse numero, quę nostrum corpus alunt, omnes fatentur. *lib. 3. de alimen. facul. cap. proprio.*

Vini, vt medicamenti vires explicauit Gal. *in 3. com. ad lib. de rat. vic. acut. & 7. meth. & lib. 5. de sani. tu.* Vt alimenti vero *lib. 3. de alim. facul. cap. proprio.*

Vinorum rubra ac crassa sanguini generando sunt accõmodatissima. *eod. lib. & cap.*

post Vina rubra in alendo sunt nigra, crassáque & dulcia. *Ibidem.*

Vina alba, crassa, & acerba minus sua natura alunt. *ibid.*

Vina alba & consistentia tenuia, aquęque similia omniũ minimum nutriunt. *eod. lib. & cętera.*

Vina dulcia conficiuntur facilius in ventriculo, atque distribuuntur, quàm austera. *eod. lib. & cap.*

Vina crassa vt corpori alendo tenuioribus sunt pręstantiora, ita ad vrinam ciendam sunt deteriora. *Ibidem.*

Vinorum singulorum differentię, naturæ nomina nutrimenta, ac vires. *lib. de boni & mali succi cibis, longissima serie.*

Vinorum tam Italię, quàm Gręcię enumeratio, naturę, discrimina, & vires. *lib. 12. meth. meden. longissima serie. & lib. 4. de comp. medicam. secundum genera. & lib de attenuante victus ratione.*

Vinum ipsum non semper animal calefacit. *lib. 3. de temper.*

Vinum vbi plus bibitur, quàm vt vinci possit, tantum abest, vt animal calefaciat, vt etiam frigidiora vitia gignat. *lib. 3. de temper.*

Vinum immodicè sumptum, apoplexiam, comata, ner-

uorum resolutiones,& comitiales parit. *Idem.*

Vina tenuia vrinas promouent. *lib.12.meth meden.cap.5. & lib.de vinis.& lib.de attenuante victu,& lib.3.de alim.facul. cap.de vino.*

Vina dulcia austeris sunt calidiora. *lib.3.de alim.facul.cap. proprio.*

Vinis austeris ad cohibendas alui fluxiones vtimur. *lib.de boni & mali succi cibis.*

Vina crassa,dulciáque aluum deiiciunt. *lib.de boni & mali succi cibis.*

Vina olygophora,dicta ob id sunt,quòd modicum aquę ferant,& candore,atque tenuitate dignoscuntur. *eod.lib. & 7. meth.med.cap.6.*

Vinum οἰνῶδες,id est,vinosum,apud Hippocratem. *eod.lib.& cap.*

Vinum modicè dilutum, somnū inducit , meracius sumptum,vigilias. *lib.2.de loc.aff.ca.vltimo.*

Vina probatissimi succi sunt,Falernū,& Tmolites. *lib. de boni & mali succi cibis.* Nos id trāsferre possumus ad nostratia Gallica vina,inter quę Belnense vocatū(vulgò *vin de Beaune*)& Aurelianense:& ex Gallia Narbonensi vinum Arelatense,& castri noui ponè Auenionem.& ex Allobrogibus,siue Delphinatu,vinum Valentinū,& Turnoniū,celeberrima omniū,& probatissima à medicis habentur.

Vina in antidotis conficiendis eligenda sunt firma & generosa,quale est Falernum. *libr.1.de antidotis.*

Vinorum iuxta regiones in quibus proueniunt differētię,tū ex substantia,& eorū natura , & colore. *lib.1. de antidotis.lib.5.de sani.tuend.& lib.de boni,& mali succi cibis.*

Vinū nigrum,crassum,&austerum,sanguinis crassi,ac nigrioris materia est. *lib.de atra bile,& lib.3.de loc.aff.*

Vinum substantia tenue,& colore fuluum,aut album,& ad succi bonitatem , & ad concoctionem facit, & crassos,ac crudos succos temperat. *lib.4.de sanit.tuend.*

Vinorum differentię secundum propriam ipsorum naturam,è sex his generibus petendę sunt,colore,sapore,consistentia,odore,virtute,& tempore , seu ętate .Vini in colorē differentię,album,nigrum,rubrum,fuluum,& flauum.In sapore dulce,austerum,medium & acre seu generosum.In cōsistē-

ſiſtentia, aquoſum, tenue, valde craſſum, & medium. In odore aliud odoratum, aliud minimè, aliud malum odorem habens. In virtute, aliud quidem potens, aliud imbecillum, aliud medium. Ex tempore quædam vetuſta, quædam recentia, quædam inter hæc media.. *Com. ad lib. 3. de rat. vict. acut. ſtatim ab initio.*

Vinum potens, & celeriter corpus calefacit, & caput ferit, *Comment. in lib. 3. de rat. vict. acut. ad initium.*

Vinum imbecillum contrario agit modo. *Eodem comment.*

Vinum potens, vinoſum appellatur, imbecillum aquoſũ *Com. eod.*

Huc pertinent quæcunque Gal. commentario illo in 3. lib. de ra. vict. acut. Hippocratis de vinis longiſſima commẽtatione prodidit.

Vinum album nullum potenter calefacit. *Com. eodem.*

Vinum aquoſum febrientibus idoneum. *Com. eodem.*

Vinum pueri ad annum ætatis duodeuigeſimum prorſus ne guſtent, ex Platonis lib. legum ſecundo præceptis, ne ignem igni ſuperindant in corpus. *Lib. Quòd animi mores corporis temperaturam ſequantur.*

Vinum Plato prohibebat militib. in caſtris iudicibus ac gubernatoribus, & magiſtratibus, & ſeruis, & viris, ac mulieribus, liberis operam daturis. *eodem lib.*

Vinum Plato vt inimicum cenſet vitandum, quod ſi ſemel intra corpus iuuaſit, & gubernatorem vetat, quo minùs nauis clauos, vt conuenit, verſet, & milites in acie ſobrij ſint. Iudices quoque cùm exercẽda iuſtitia eſt, errare facit, & præſides omnes malè moderari, nihilque ſanum iubere. *eod. lib. Quòd animi mores, &c.*

Vinum liberalius hauſtum malũ, modicè bonum. Nam eo ſi commodè vtaris, & concoctioni, & digeſtioni, & ſanguinis generationi, & nutritioni confert abundè. *eodem. lib.*

Vino animus noſter, & mitior ſimul, & fidentior redditur. *eodem lib.*

Vinum citius quàm aqua diſtribuitur, præſertim album, purum, tenue. *lib. 3. de facul. nat. ad finem.*

Vinum tum roborat, tum nutrit celerrimè, quòd vt aſſimiletur mutationem deſiderat minimam. *lib. 3. de temper.*

Vino proprium, ac ſuum eſt mutationis celeritas. *lib. 3. de temper.*

Vinum Deus contra senij austeritatem, salutarem medicinam hominibus donauit, quo scilicet reiuuenescerem us, animique molestias obliuio deleret, ac mollis è duro factus animi habitus, vt ferrum igni impositum tractabilior esset. *Lib. Quòd anim mores corporis, &c.*

Vinum totum corpus, ac præcipuè caput, calidis vaporibus implens, tum motus immoderatiores efficit in partibus animæ cæteris, tum consilia præcipitat rationalis partis. *eod. lib.*

Vino vtendũ omnibus est, quibus refici corpus est opus nisi febricitent. *lib. 7. meth. meden. cap. 6.*

Vinum frigidis ac siccis naturis vtilissimũ. *lib. 5. de sani. tu.*

Vinum calidis naturis incommodum, sed non omnibus, at iis tantum qui extremè sunt calidi: iis autem qui plurimo natiuo calore pollent, vsui est. *lib. 5 de sani. tu.*

Vinum antiquum calidis naturis inimicum: album verò & tenue idoneum. *lib. 6. de sani. tu.*

Vinum dulce biliosis minimè idoneum. *com. ad lib. 3. de rat. vict. acut.*

Vinum pueris alienissimum, senibus aptissimum. *lib. 5. de sani. tu.*

Vinũ calidioris naturæ senibus conuenit. *lib. 5. de sani. tu.*

Vina composita senibus parabat Galenus ad calculum, arthritidémque vitandam. *lib. 5. de sanit. tuend.*

Vinum præfrigeratum vsui est his, qui magnis occupationibus impediti laboribus implicantur, & calidæ sunt naturæ, idque æstiuo tempore, caloris & siccitatis emendandæ causa. *lib. de bon. & mali succi cibis.*

Vinum in castris leges Carthaginensium gustare vetabant. *lib. Quòd animi mores corporis, &c.*

Vinum tenue, & aquosum in diariis febribus dabat Gal. *Lib. 8. meth. med. cap. 2.*

Vinum non in diariis modò febribus, sed in acutis dedisse Hippocratem, ex iis quæ de victus ratione acutorum prodidit, constat. *lib. 8. meth. med. cap. 2.*

Vinorum omnis generis commoda, & noxæ in acutis ex Hippocrate à Galeno repetita. *lib. 9. de plac. Hipp. & Plat.*

Vinum generosum, calidum & potens dandum iis, qui refrigerati sunt, aut qui ex stomachi, aut ex cordis dolore animi deliquium patiuntur. *lib. 3. de med. fac. cap. 20.*

Vinum

Vinum dandum sit nec ne febrientibus, & in morbis acutis non nisi distinctione præmissa, respondendum, quod quibusdam conueniat, aliis minimè. *lib.9.de plac.Hip.& Plat.*

Vinum semicrudos concoquit humores, si quid aliud, vrinas sudorésque promouet, & lassitudini vlcerosæ prodest. *li. 4.de sanit.tu.*

Vina crassa celerrimè nutriunt. *lib.2.aphor.com.11.& eod. lib.com.18.*

Vina aquosa (sic autem nominant alba & tenuia) sicut aquæ similem formam habent, ita etiam vim, quare vrinam cient, & minimè nutriunt. *Com.eod.*

Vinũ celerrimè, & vniuersim maximè alit. *lib.2.aph.c8.18.*

Vina aquosa celerrimè per vrinas excernuntur. *Ibidem*, & vide ibi de vinis albis, nigris, & fuscis, quale præbeant corpori alimentum.

Vinum austerum adstringit. *lib.2.aph.com.*

Vini potionem θώρηξιν nominare solet Hippocrates, *lib.2 aph com.21.*

Vinum si quis ante cibos potauerit, qui sit euacuatus, aut alui fluxu, aut sanguinis reiectione, aut alia quapiam euacuatione, conuulsionibus atque deliriis cõfestim corripitur, *Com.eod.*

Vinis crassioribus fæx subsidet. *lib.4. aphor.com. 21.*

Vinum calidam habet temperaturam. *lib.5.aph.com.5.*

Vinum neruos replere solet. Substantiæ enim suę copia affert conuulsionem: rursus autem qualitate, sanat eam quã fecit dispositionem, neruos calefaciendo, atque exsiccando. *Lib.5.aph.com.3.*

Vinum promptè subintrat omnia, nisi sit crassum. *Ibid.*

Vini poti noxa Græcis dicitur Κραιπάλη à καρήνονα, quod significat caput, & πάλλεσθαι concuti. *Com.eod.*

Vinum non habet tempus coctionis præfinitum, sicut nec cibus, sed secundùm naturam vini, & potatoris, tardius, aut citius conficitur. *Com.eod.*

Vini meracioris potus sitim facit. *lib.5.aph.com.27.*

ex vini minima potione sitis noctu eueniens, somno iuuatur. *com.eod.*

Vinorum fæci, humorem melancholicum assimilat Gal.

lib.6.aph.com.n.

Vina multa fortia, epota, podagras pariunt, præsertim ante cibos sumpta *lib.6.aphorism.com.28.*

Vini potio diffundere sanguinem, atque euacuare potest, & sui motus vehementia obstructiones aperire. *lib.6. aph..com.31.*

Vini potio tũ oculorũ dolores sanat cùm sine plethorica corporis dispositione, sanguinis copia crassioris in oculorum venulis continetur. *lib.6.aph.com.31.*

Vinum si quis biberit aqua calida dilutum in singultum incidet. *lib.6.aph.com.39.*

Neque vinum, neque balneum, tolerat plethorica dispositio. *lib.7.aph.com.47.*

Vino pro remedio extinctionum vtebatur Asclepiades post totius corporis purgationem. *com.eod.*

Vinum æquale, æquali mixtum soluit anxietudinem, & horrorem. *lib.7.aph.com.57.*

Vinum calefacit totum corpus, & citò mouetur ad omnes partes, cum hoc quòd omnes humores optimos reddit. *lib.7.aph.com.57.*

Vinum vult Hippocrates æquale, ęquali aquę temperari ad soluẽdam anxietudinem, & horrorem: vt aqua quidem pellat, & euacuet ex materia infestante quicquid cesserit vini motui cum impetu lati, reliquum temperet. *lib. 6.aph. com.57.*

De somno, eiúsque effectionibus. CAP. VIII.

Somnum animantibus ad quietem viriúmque collapsarum instaurationem datum esse (quod summæ cuiusdã Dei prouidentiæ est) confiteri omninò oportet. Equidẽ cùm diurnis, assiduisque laboribus, atque motionibus defatigata animalium corpora (multa nanque fit partium nostri corporis substantiæ per labores dissolutio) virium resolutionem sentiant, admirabili Dei prouidentia factum est, vt somno, seu salutari laborum remedio lassitudini, ac virium dissolutioni sibi consulant. Ob id rectissimè somnum Galenus, animalis facultatis quietem esse quandam existimauit. Quiescit enim per somnum animalis facultas, naturalis verò validius tum suo munere fungi videtur. Nec minùs apposité definitionum medicinalium author somnum definiuisse est

lib. 1. de sym. caus. cap.8.

est visus, animæ remissionem secundùm naturam esse affirmans, à finibus ad principatum. Seu etiam quietem vacationémque ab Animalibus actionibus Aristoteles somnum esse dixit, sensus ipsius immobilitatem quandam, & quasi nodum ac vinculum: affectio enim quædam est sensoriæ particulæ. Sic se profectò res habet, vt in somno animalis facultas sensuum effectrix, ac procreatrix, munere suo in sensuum functionibus edendis, aut omnino nihil, aut parum certè fungatur. Vnde merito vinculo quodam veluti impediti tum sensus esse dicuntur, quominus in proprias motiones ferri possint. Ac proinde rectissimè immobilitatem sensuum quandā, & impotentiam somnum esse Aristoteles verissimè affirmauit. Neque enim visus colores, nec sonos auditus, nec odores olfactus, nec sapores gustatus, nec qualitates tangibiles tactus toto eo tempore quo somno sopiti, atque grauati iacemus discernere queunt: vt haud immeritò vincti tū esse sensus omnes, & ad obeundas functiones impotentes iure dicantur. Nunc de somni generatione, & productricibus causis cōpendio agamus. Fit somnus in nobis ex benigna quadam vtilique cibi exhalatione sursum lata, cerebrum imbuente, ac aggrauante. Equidē cum animātis cuiusque calidum in sublime natura feratur, efficitur vt accepto ad virium refectionem alimento, vnâ cum calore, & cibi quoque exhalationē sursum ferri sit omnino necesse. At quod in sublime attollitur, id quadātenus attolli, & aliquousque impelli, deinde regredi, ac refluere instar Euripi oportet, ac proinde cibi exhalatio caloris virtute in cerebrum, lata vbi eo loci subuecta est, mox reciprocat, ac descendit: consistens autem in cerebro, caput aggrauat, & addormiscere facit. Cùm verò iam descendit, & reciprocando calorem in intima repulit, tum somno sepultum iacet, dormitque animal, natiui caloris fuga, & multa cibi exhalatione vinctis quasi vinculo quodam sensibus: hócque dormire dicimus. Non enim omnis sentiendi impotentia, vt rectè Arist. dixit, somnus est: sed ea solùm quam diuaporatio committit alimenti. Quæ causa est, cur somnus maximè post cibum fieri soleat. Tunc enim copiosus humor & corpulentus sursum commeat, atque in cerebrum rapitur, qui consistens, & caput plenitate degrauans, somnum inducit. Erit itaque cerebri oppletio, ac vaporis sursum lati refrigeratio (vt Arist. atque Galeno video placuisse) somni illatiua

lib. de somno & vigilia cap. 1.

Lib. de somno cap. 3.

Cap. 3.

illud Homeri à Galeno citatum: ἐπὴν λύσαιτο φάγοι τε εὕδοι μὲν μαλακῶς. ἡ γὰρ δίκη ἐςὶ γερόντων. Vt lauit sumpsitque cibum, det membra sopori. Nanque hæc senibus iusta. Hæc in vniuersum somni commoda, si tempestiuus, ac moderatus accedat. Ex quibus videre est, quâti sit probè dormiuisse, cui valetudinis est cura. Parum profectò videri potest optimis cibis vesci, ni bona eorum concoctio, atque distributio fiat: quæ cùm somni adiumento commodè ambo perficiantur, consequens est, vt in naturæ operibus obeundis non postremæ partes somno sint tribuendæ. At vti somnus temperatus & tempestiuus hæc commoda parit, sic intempestiuus, aut nimius incommoda multa. Vnde est illud Hippocratis: Somnus & vigilia si modum excesserint, malum. Nam qui immodicus est, membra omnia laxat, excrementa detinet, colorem habitúmque corporis deteriorem reddit, caput grauat, multóque vapore implet, calorem natiuum hebetiorem, partes omneis ad motum pigriores facit: & quid non malorum somni intempestiuitas creat? Vt qua & crudi succi concoqui prohibeantur, & viscera grauiora reddantur, vt rectè Gal. meth. medend. lib 12. affirmauit. Quamobrem appositissimè illud idem autor dixisse videtur, somnũ esse mortis fratrem, quandamque veluti ad interitum viam. Nam vbi absolutè succi per somnũ confecti sunt, si in somno maneat homo, immoderatus erit vtique talis somnus, ac veluti mortis frater. Equidem si alimenti elaborationem excipias (quæ communis somno cum viuentibus adest) cætera mortem referunt: non videre, non audire, nihil intelligere, vel cogitare, vel sentire, ac breuiter proiectum esse. Vt rectissimè illud à Nasone dictum sit,

Stulte quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago?

Cùm itaque tam multa nobis à somno immodico, & intempestiuo damna accedant, curare id omnes debemus, ne somno sepulti bonam vitæ partem perdamus. Demosthenémq; imitetur, qui opificum sedulitatem, & antelucanos labores vigilia tempestiua præueniebat. Tandiu enim profectò viuimus quandiu vigilamus. Vt autem somni salubris ratio constet: plurima in eo obseruanda erunt. Tempus, mensura, seu duratio, decubitus, insomnia, & acceptorum copia vel defectus. Aptissimum somno tempus nocturnum est, quòd per

Libr. 5. de san. tuend.

Li. 2. aph. 2.

Lib. 3. de pulsuum cau.

alta silentia noctis commodius, prolixiúsque dormiamus, & ab eius frigiditate facilius innatus calor intrò trudatur, ac ab extimis partibus in intimas reuocetur: qua reuocatione mox concitatur animalibus somnus, qui quæ enumerauimus antea commoda præstat, vti diurnus maxima detrimenta adfert: Cap. 11. quod est ab Hipp. 2. præsagiorum lib. in hæc verba notatum. Interdiu, inquit, vigilandum, noctu dormiendum est. Si contrà commutetur, pessimum est. Ob id autem potissimùm diurnum somnum nostri damnant, quòd cerebrum humore nimio, vaporibúsq; plurimis imbuat, quos vigilia potius absumi oporteret, tum quod id tempus, quo interdiu somno indulgemus breuissimum cùm sit, concoctioni explendæ minus sufficiat. Ideóque resurgẽtes à diurno somno ob interruptam ante tempus concoctionem, & acidum eructant, & flatibus distenduntur, & capitis grauitatem atque dolorem sentiunt, & tumentibus plerunque oculis, decolorésque apparent. At si defatigationis, ac lassitudinis à labore contractæ sensus aliquis adsit, aut inquieta & insomnis nox præcesserit, aut æstus immodicus vires debilitarit, tum somno etiam diurno tantisper indulgendum erit. Vnde est illud Celsi: Meridiari longis diebus ante cibum, sin minus post cibum conuenit. Mensura porro ea somni sit atque duratio, vt probè confecisse nos, robustiorésque inde effectos intelligamus. Quæ mensura etsi non eadem in omnibus est, sed pro natiui caloris, in quóque aut copia aut penuria, & temperamenti bonitate aut infelicitate sic & ipsa varietur: tamen commune id ferè omnibus esse solet, vt septem ad summũ horarum spatio, & rectè conficiant, & somno commodè indulsisse sibi videantur. Quod etiam ex vrina, & ructibus, & ventriculi habitu deprehendere sanè possumus. Vbi enim experrectis vrina aquæ speciem præfert, minùs concoxisse significat, & crudum in venis consistere succum demonstrat. Vti si rufa & colorata probè fuerit, absolutam esse per somnum concoctionem indicat. Ex ventriculi habitu commodum fuisse somnum deprehendimus, si leuem cum à somno: non onustum & graue, non flatibus, & murmurillis distentum nec cibum acceptum ructibus referẽtem senserimus. Si enim aut acidi aut nidorosi prodeant ructus, cruditatem testantur, vt docet lib. apho. Cõmen. 1. 6. Gal. Decubitus formam esse in somno obseruandam, primus omnium Hipp. prodidit. Cubantem enim oportet in la-

tus

rus dextrum,aut sinistrum decumbere, manus,ceruicem,ac crura paulum reducta habere,& omne corpus molliter positum.Ita enim(subdit)plærique bene valentium cubant. Auic.mox à somni initio in latus dextrum cubandum postea vero in sinistrum reuoluendum censet.Qui & in ventrem inclinari ad probam concoctionem facit,vt idem affirmat.Verùm hæc decubitus forma,quæ ab Auic. præscribitur,stomacho valentibus confert:iis autem qui concoctricem ventriculi facultatem infirmam habent,non sic. Quin in sinistrum latus prius declinasse,vtilius est,hepate nimirum ventriculũ eo situ complectente, vt idem etiam Auic.loco alio tradit. Concoctionem enim,decubitus in sinistrum latus magis adiuuat,vti distributionem cibi,decubitus super dextrum latus. Supinum vero cubare pessimum, defluxiones enim iis decubitus creat.In somnis etiam in somno attendenda sunt,vt diuinius Hipp.cum lib.de insomniis,tum 6.Epid.scripsit & eiusdem argumenti lib. confirmauit.Gal.Explicantur enim sæpe nobis ex insomniis corporum affectus,vt fusissimè præcitatis locis docuerunt Hipp.& Galen. Vnde illud rectè ab Hipp.dictum est:Quæ per somniũ accidunt, necnon ipsa insomnia expendenda. Ad effectuum enim deprehensionem,& aduentantium præcautionem,haud minimum conferũt, Quod quales intus lateant succi noxam illaturi,ex insomniis prænoscamus,Vt si quis per somnũ qui sibi in aqua præfocari videatur,aut in ea difficulter natare,humorum pituitosorum copiam,& partium internarum coangustationem significat: vti si quis in cœno & luto volutari,& spectra atque terrifica videat,atram bilem redundare.Pugnas vero,rixas,clamores, incendia,si quis per somnum videre se putet,bilis feruorem, vti si lumina accensas faces,& rubra ac splendore micantia, sanguinem in vasis copiosiorem contineri demonstrat. Nec vanam esse insomniorum rationem cùm Hippocrates abundè docet curationem, adhibens iis quæ per somnium sunt demonstrata,vacuatisvtique humoribus ea somnia parientibus,aut alioqui corpore per quietem,exercitationem,balnea,vomitum,& congruam victus rationem ad symmetriam reuocato,tum quæ multa ab insomniis euenisse,historiarum fide agnouimus,declarant:vti Artemidorus lib.1.de somniorum interpretatione,cap.5.& Albertus magnus,atque etiam noster Galenus monumentis suis testantur.Hinc enim cùm

Lib.1 præsagiorũ c.5. seu nu.6.

Fen.3.primi doc.2. cap.9.

Fẽ.13.tertii tract.3 cap.5.

Lib.6.Epid. Part. 8.aph.

Somniorũ significationes.

cuidam causatio secundum septum transuersum esset oborta, per quietem sibi oblatam speciem scribit, quæ commoneret liberatum iri hominem, si sanguinem mitteret ex vena quæ inter pollicem visitur, atque indicem: fecisse quod præcipiebatur, ac mox sanitati restitutum. Non ergo inanis erit, quæ ex insomniis de curando corpore ratio sumetur. Hæc de præceptis salubribus in somno obseruandis, idque per secundam valetudinem. Nam cùm aduersa valetudine premimur, alia sunt quæ cauere, alia quæ obseruare in somno debemus. qui nisi commodè ægris accedat, magnam sanè parit noxam. Siquidem iis qui internarum partium inflammatione laborant, interdicendus per initia somnus est, quòd vt Hipp. testatur, sanguis per somnum in interiora reuocatus inflammationem plurimum augeat. Cauendum item ne ægri accessionum initio dormiant. Exagitatur enim intus contentus humor, nec foras protrudi commodè potest. Vnde longiores & grauiores reddi accessiones, si quis per initia dormiat, dum rigor inuadit, experientiæ fide compertum habemus. Quin & illud in ægris expendendum, vt se à somno habeant, meliúsne an deterius: si quidem in quo morbo somnus laborem præstat, malum id est, penéque lethale, vt Hip. ait: si vero contulerit, salubre. Atque de somno tantisper dicta sufficiant.

Lib. 6. epid. part. 5. aph. 29

2. aph. 1.

De somno, Hippocratis & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

SOMNO interdum homines sanari à morbis. *Lib. de arte.*

Quod ad somnos attinet quemadmodum secundum naturam consuetum nobis est, interdiu vigilare oportet, noctu dormire. *Lib. 2. prædictionum cap. 2.*

Somnus à tertia diei hora deterrimus est *eod. lib. & cap.*

Pessimum est si neque interdiu, neque noctu dormiat, æger: dolor enim ac labor significatur.. *Lib. 2. prædict. cap. 2.*

Somnus in quo morbo laborem facit, mortale: si verò somnus prosit, non lethale. *Lib. 2. aph. 1.*

Somnus vbi delirium sedat, bonum. *Lib. 2. aph. 2.*

Somnus & vigilia vtraque si modum excesserint, malum *Lib. 2. aph. 3.*

ex Somnis in febribus timores, aut conuulsiones, malum *lib. 4 aph. 67.*

Somnium Hipp. In epist. ad Philopœmenem.

Somnia quædam esse diuina. *Lib. de insomniis.*

in Somnis quisquis ea quæ obueniunt rectè coniectat, is magnam habere vim ad omnia ipsa reperiet. *lib. de insomniis.*

in Somno anima vigilat, & cum quidem corpori inseruit in multas partes distributa, nō sui iuris est, sed partem aliquam singulis corporis partibus, siue sensibus distribuit, auditui, visui, tactui, gressui, actioni, ac omni corporis facultati. Ipsa autem animæ cogitatio sui iuris non est. *lib. de insomniis.*

Cùm in somno corpus quiescit, anima in motu est, & corporis partes perreptans, domum suam gubernat, & omnes corporis actiones ipsa perficit. Nam corpus dormiens non sentit, ipsa verò vigilans cognoscit, visibilia, videt, & audibilia audit, vadit, tangit, tristatur, animaduertit. *eod. de insomniis lib.*

in Somno, anima omnia & corporis, & animæ munia obit. *Eod. lib.*

Somnia venerea qui habent propterea semen per somnum effundunt, quum humidum in corpore diffusum, & calfactum fuerit. *Lib. de genitura.*

Insomnia quæ per somnū apparent, de diurnis actionibus, & reddit quomodò facta sunt, ea quæ seria iusta in re, per diem facta sunt: aut de quibus consilium initum est, hæc homini bona sunt, sanitatem enim significant. Propterea quod anima in diurnis consiliis perseuerat, neque repletione neque euacuatione, neque aliqua alia forinsecus allapsa re, victa. *Lib. de insomniis.*

GALENI.

SOMNVS est quies, & vacatio ab animalibus actionibus, vel animæ delatio secundum naturam à finibus ad principatum *lib. definiti medicinalium.*

Somnus fit propter frigiditatem & humiditatem primæ sentientis partis, id est, cerebri, cùm scilicet ex humidi vtilis copia grauatur corpus. *Com. 2. in 1. Prorrhetici. super text. Sopor an vbique malus.*

Somnus animali superuenit capite repleto. *li. 1. de sympt. cauf. cap. vlt.*

Somnus diuturnior prodest his qui minùs concoxerunt, & postridie cibos eructant. *Com. ad lib. de salubri diæta.*

Somnum nouem horarum in longissimis noctibus concedit Gal *lib. 6. de san. tu.*

Somnus humectare, & effluuia cohibere solet, immodicus vero segnitiem corporis, & capitis grauitatem facit. *Com. vltim. ad secundum de rat. vic. acut.*

Somnus ab exercitationibus profundior fit, & à nutrimento accepto, quod multa virium per labores dissolutio facta sit, & cerebrum labore multo fatigatum quiete, ac refectione egeat: ob id altius dormitur. A nutrimento vero profundior fit somnus, quòd caput multo humore impleatur, *lib. 1. de sympt. cau. cap. vlt.*

in Somnis cerebrum quiescit, in vigiliis exercetur. *eod. li. & cap.*

in Somno aut omnino feriantur sensus, aut obscurè, & debiliter agunt. *Lib. 1. de sympt. cau. cap. vlt.*

Somnus profundus, aut non profundus ex quantitate influentis virtutis contingit. Cùm tantò minus eius influere sit credibile, quanto somnus est profundior. *eod. lib. & cap.*

in Somno virtus animalis quiescit, naturalis potentius agit, quod postquàm dormitum est, vires recipit. *eod. lib. & c.*

in Somno nutrimentum non in ventriculo modo, sed in vniuersa animalis mole cõcoquitur. *Ibid.*

Somnum animali cerebrum inducit, vbi requiescere plusculum ab actione vult. *eod. lib. & cap.*

in Somno factæ imaginationes, & visa ob id statim excidunt, quòd pars animæ imaginatiua, obscuras & superficiarias impressiones rerum non conseruat, quales contingunt per somnos. Quamobrem obscurè in somnis agente anima obscuræ etiam imaginationes fiunt, ideòque neque stabiles. *lib. 2. de motu muscul.*

Somnus vberior, nec crudos succos digerit, & viscera grauiora reddit, *lib. 11. meth. med. cap. 3.*

Somnus & vigilia, causæ sunt nos perpetuò alterantes. *In arte medic. cap. 85.*

Somnus semper humectat, refrigerat, aut calefacit, non semper. *Com. 4. in 6. de pop. morb. super text. Somnus stabilis.*

Somnus multus lædere potest. *Com. 2. in primum Prorrhetici, super text. cuius initium, Fauces.*

per Somnum calor in interiora corporis mergitur. *com. 4. in 6. de vulg. morb. super tex. Somnus in frigore.*

Somnus visceribus conducit, exercitatio articulis & Carnibus. *com. 5. in 6. de pop. morb. super text. Labor articulis.*

Som-

Somnũ inducunt lactucæ,& balnea dulcium & calidarũ aquarum,& vinum modicè dilutum,& medicamenta refrigerantia *lib.2.de loc.aff.c.vlt.& 5.de simpl.fac.c.19.*

Somnus,seu magis sopor,per accessionũ initia contingit, vehementer refrigerato cerebro, quòd frigus adeo increscat per accessionum initia, vt non rarò saporem queat inducere. *lib.2.de loc.aff.c.vlt.*

Somnus qui febricitanti à visceris,phlegmone accidit, intempestiuus est. *Comm.4.ad 6.de pop.morb.super text. Somnus stabilis.*

è Somno signa bona,aut mala in acut.morb. descripta. *com.2.ad prognostica.Hippoc.cap.2.text.11.& 12.*

è Somno quidam surgentes ambulant dormientes. *com.1.ad 1.Prorhet.super text.5.* Cur autem à dormientibus isthæc vigilantium opera exercentur,nẽpè incedere, arma capere, loqui,& huiusmodi causam require *lib.2.de motu musc.à Gal.* & hoc problema abundè ego explicaui in commentariis meis ad lib.de morb,& sympt. *lib.4.c.8.pag.239.vsque ad 241.*

Somnia manifesta fiunt à siccitate, vti melancholicis,& ieiunis,& sicco habitu præditis. *Com.1.ad 1.Prorrhetici,text.5.*

ex Insomniis est corporis dispositionem coniecturis quibusdam deprehendere. *lib.de præsag.ex insom.*

per Insomniũ incendia videre,bilim flauam : fumũ verò videre,caliginem,tenebras,atrabile grauari:imbres somniare,frigidam abundare humiditatem:si quis niuem, glaciem, grandinem somniat,pituitosum humorem redundare significat. *eod.lib.*

Somnia alia ex corporis dispositione, alia ex iis quæ agimus emergunt. *Lib.de insomn.*

Somniare in stercore,aut cœno volutari,fœtidos,ac putres in corpore redundare humores significat. *lib.de insomn.*

Somnia in phreniticis conspicua apparent. *Com.1.in 1. Prorrhet.text.5.*

Somnifera dicuntur,quæ duntaxat humectant. Quæ verò perfrigerant,nec somnum,nec indolentiam afferre rectè dicuntur:sed pro somno coma,& caron:pro indolẽtia ob perfrigerationis excessum,vel prorsus insensibilitatem, vel certè sensum diminutum *lib.1.de sympt.cau.capit.vltim.*

Somniferorũ morborũ,vt cari,lethargi:& cæterorũ curatio admotis capiti remediis perficitur,nõ cordi,quod Aristot. sententiam arguit. *eod.lib.& cap.*

ex Somno quæ fi lęsio duplex est, altera communis, quę in principiis fit accessionum, altera propria, vt in quibusdam morbis, quando in aliquo alio tempore somnus nocet. *lib.2. aphor.com.1.*

Dormientibus in principiis accessionum, casus illis protenduntur, & vix febres ad consistentiam perueniunt. *Com.eod.*

Somnus morbo iam consistente adhibitus, manifestam affert vtilitatem, pręsertim verò vbi morbo declinante adhibetur. *lib.2.aph 71.*

ex Somno lęsiones contrarię sunt vtilitatibus, quòd videlicet febres ex ipsis non dissoluuntur, sed etiam excitātur: & quod dolores intenduntur, & fluxiones multiplicantur, & crescunt inflammationes. *Com.eod.*

Somnum, & vigiliam fieri secundùm natiui caloris motiones, Hip. docuit *Com.eod.* Docuit autem id Hip. lib.6. Epid. illo text. Vigilans extrinsecus calidior: dormiens contrario modo se habet.

Somnus vbi delirium sedat, vbi dolorem, vbi febrem, vbi inflammationem, bonum. *libro 2.aph.com 2.*

Somnus grauis nondum nominatur, nisi difficilem habuerit expergefactionem. *lib.2.apho.com.13.*

Somnus longus nominatur, quando solum tempore excesserit modum naturę conuenientem, & nondum habuerit difficilem expergefactionem. *lib.& com.eod.*

Somnus fit refrigerato primo sensitiuo, hoc est cerebro. *Com.eod.*

Somnum, quidam medicinę professorem semper bonum, & vt signum, & vt causam existimauerint. *Lib.2.aph. com.3.*

Somnus inest pueris pro maiori parte: vigilię verò haudquaquam ipsis assuetę sunt. *lib.3.aph.com 24.*

per Somnum infantibus pauores adsunt, iis pręsertim qui sunt natura edaciores, quando loca ad ventriculum pertinētia sensu quidem vigeant, sed imbecillia existant, cibus verò corrumpitur. *lib.3.aph.com.24.*

Somni abundantia, pueris maximè secundùm naturam inest. *com.eod.*

per Somnos, terribiles fieri imaginationes, non in puerulis solùm, sed etiam in ætate perfectis obseruauit Galenus quan-

quando multi, & vitiosi humores grauant, & mordent ventriculum, presertim ipsius os. *com. eod.*

Somnolenti fiunt senes, cùm superfluitates pituitosę in ipsis aggregantur. *lib. 1. aph. com. 31.*

Somnum à curis impediri, ex eiusdem aphorismi commentario, elici potest, dicente Galeno, Senes ob id vigilare, quòd senectus plena curarum sit. *Com. eod.*

ex Somno sudor multus factus sine manifesta occasione, corpus plurimo vti cibo significat: vel si cibum non accipienti fiat, euacuatione indigere significat *libl. 4. aph. com. 41.*

Somni profundi signum sunt pituitę. *libr. 4. aph. com. 2.*

ex Somnis in febrib. vehementibus conuulsiones, vel timores, malum. *lib. 4. aph. com. 67.*

ex Somnis in morbis exitialibus, & timores, & labores, & conuulsiones factas, vidit sępe Galenus. *com. eod.*

in Somnis, quando ad cerebrum humor infestus peruenerit, timores labores, ac conuulsiones fiunt. *com. eod.*

ad Somnum à cibo conuersis impletur caput *com. eod.*

Somni in plethoricis dispositionib. caput replentes, aggrauant cerebrum. *com. eod.*

Somnos vtiles, semper concoctiones inducunt. *com eod.*

Somni semper in morbis nocerent, quatenus ad profundum, & viscera materia fluit, nisi coctionis ratione plus afferrent vtilitatis, quàm sit damnum, quod ex motu ad interiora consequitur. *lib. 4. aph. com. 67.*

Somnus lędens ęgrotantem, mortalis est. *com. eod.*

Somnus aliquis est, qui delirium non sedat, sed excitat. *Ibid.*

in Somnis magis euaporant humores. *Ibid.*

Somnus sitienti superueniens, bonus est. Coquitur enim per somnum, & subdescendit id quod sitim facit. *Lib. 5. aph. com. 27.*

Somnus confert ad naturę opera. *li. 1. aph. com. 15.*

Somnus, & vigilia, vtraque modum excedentia malum. *lib. 2. aph. com. 3, & lib. 7. com. 68.*

De vigilia. CAP. IX.

PAuca sunt omnino ea, quę de vigilia dici conuenit. Ea enim cùm somno contraria sit, contrariorum autem contrarię sint effectiones, ex his quę de somno precced.

cap. dicta sunt, quid vigilię in corporibus pręstare possint, elicere facilè fuerit. Quod ante quàm explicem, ipsa vigiliarũ notio, nobis ex ipsius definitione promenda erit. Vigiliam itaque definitionũ medicinaliũ autor, expansioné animę, seu extensionem à principio ad corporis partes omnes esse vult, & rectè quidem. Nam cùm per somnum anima à finibus, & corporis partibus ad principium sese colligat, sitque somnus ea animę remissio à functionibus animalibus, cõsequens profectò est, vt sit vigilia, animę intensio quędam, atque intentus vigor ad munia obeunda. Quod cùm sine ipsius ad partes singulas applicatione fieri nequeat, rectissimè dictum videtur, vigiliam, extensionem, seu regressum quendam animæ esse, à principio, hoc est cerebro, ad corporis partes omnes.

lib. de som. & vig. c. vlt. Quod tum contingit (vt Arist. testatur) cùm absoluta per somnum concoctio fuerit, & calor, qui ambientis frigoris opera, ex amplo in arctum coierat, euicit: tùmque expergiscitur animal, hoc est, ad munia obeunda, animę impulsu citatur, hoc enim expergisci est. Sed vt de somno diximus, moderatum commoda multa adferre, immoderatum vero contra-

li. 2. aph. 3 rium efficere, sic & de vigilia dicendum. Ea enim si modum excesserit magnam infert corpori noxam, vt ait Hipp. ac proinde magnoperè cauendam nemini non exploratissimum esse puto. Vigiliæ enim si immodicę, aut intẽpestiuę fuerint, vires corporis labefactant, ac perdunt, cruditates pariunt, cerebri, & sensuum functiones debilitant, naturales eneruant potentias, palorem, maciem, prauumq; omnino habitum producũt, corpora resoluunt, & siccant: denique menti plurimum nocẽt & alienationem sæpe, ac morté adferunt. Fiũt autem immodicæ vigiliæ, aut propter calorem primæ sensi-

Li. 2. aph. com. 3. tiuæ partis, nempe cerebri, vel ex humoris biliosi abundantia, vt Gal. affirmat. Ex iis portò quæ maximè digerunt, euacuant, & siccant, vigiliæ sunt. Exsiccat vniuersum corporis ha-

li. 2. meth. med. bitum vigilia, ita astruente Gal. Quamobrem nihil mirum si à vigiliis graciles, atque aridos reddi homines videamus, vt lib. 3. de san. tu. scriptum est. Digeritur enim immodicè quicquid humidum est, id depascente vigilia, vt in qua natiui caloris, & spirituum magna fiat dissolutio. Intenti igitur in id esse omnes debemus, quib. valetudinis cura cordi sit, ne nos vigiliis cõficiam⁹, néve aut studiorũ amore, aut rei agẽdæ nimia cupiditate plus ęquo nimiũ vigilantes, vnà cũ vigilia vitã perdam⁹.

Quod

Quod haud rarò opum congerẽdarum studiosi, aut discip linarum voratores & helluones facere solent: id minimè cogitãtes, ne quod lubentes faciunt, diutius efficere non possint.

De vigilia, Hippocratis & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

VIGILIA si modum excesserit, malum. *lib. 2. aph. 3.*

Vigilia sanat aliquando morbos. *lib. de arte.*

in Vigilia conuulsio, vel desipientia, malum. *lib. 7. aph. 18.*

Vigilandum interdiu, noctu dormiendum est. *Lib. 2. predict. cap. 2. noua versionis, vel textu 11. veteris.*

Vigilare, & noctu, & interdiu pessimum: dolor enim, ac labor ab eo indicio significatur. *libro 2 prædictionum. cap. 2.*

GALENI.

VIGILIA est extensio animę à principio ad corporis partes omnes, atque particulas. *in defunt. medic.*

Vigilia fit propter tum siccitatem, tum caliditatem primę sentiẽtis partis, id est, cerebri. *Com. 2. ad 1. Prorrhe. tex. 29.*

Vigilię ex iis sunt, quę maximè euacuant, & exsiccant. *lib. 7. aph. com. 18 & lib. 7. meth. med.*

in Vigiliis longis, biliosior redditur sanguis. *lib. 7. aphor. com. 18.*

à Vigiliis graciles, & magis aridi homines redduntur. *lib. 3. de san. tuen.*

Vigiliarũ symptoma, in ardentibus febribus semper exitiosum. *com. 2. in 1. de vul. mor. super text. At cùm febres ardẽtes.*

Vigilandum in principiis accessionum. *lib. 2. aphorism. commen. 1.*

Vigilans est calidior extrinsecè, dormiens intrinsecè *com. eod.*

Vigilia, & somnus fiunt secundùm innati caloris motiones. *com. eod.*

Vigiliam modum excedentem malum esse, & signum & causam, nonnulli medicorum existimarunt. *lib. 2. aph. com. 3.*

Vigilię fiunt quidem propter calorem primę sensitiuę partis, sed vel ex sola intemperatura, vel ex humoris biliosi abundantia. *ibid.*

Vigilia, vt nonnulli censent, nulla est moderata, sed hoc nomen solem immoderantiam significare. *lib. 2. aph. com. 3.*

quæque vel commodi, vel incommodi afferat trademus. Demũ præcepta in exercitationib. seruanda proferemus, quibus commodè valetudo seruari, non labefactari possit. Sed priùs quantum exercitatio ad valetudinem bonam momenti habeat, ex variis Gal. locis explicandum nobis videtur, vt ad eã obeũdam Gal. admonitione illecti alacres accedamus. Is lib. 2 de san. tuend. tanti exercitationem fecisse est visus, vt ab ea in sanitatis tuendæ cautione inchoandum conceptis verbis expresserit. Sanitatis tutela (inquit) à labore est auspicanda. Et paulò post: A laboribus ordiendum. Lib. verò de boni, & mali succi cibis: Ad sanitatem tuendam (ait) maximum quidem malum est, omnimoda corporis quies, perinde atque maximum bonum est, motio moderata, hoc est, si corpora moderate exerceantur. Et rursus eod. libr. de semetipso, historiam instituti à se victus recensens, in quem vnum quempiã è sodalib. hortatu suo pertraxerat, ad hunc modum de exercitiis commodis disserit. *Curam* (inquit) *ambo adhibuimus, vt exerceremur, cruditatésque omninò vitaremus, ob idque ad hanc vsque diem, multos iam annos incolumes viximus. Quod multis ante Gal. annis Arist. in proble. expresserat, dum illud inquirit, Cur cibum minuere, laborem autem augere salubre sit. An* (inquit) *quia causam ægrotandi, excrementorum habet nimietas: quæ tunc certè exultat, cùm aut cibus superest, aut labor deest?* Ego verò tãti esse in omni vitæ cursu exercitationem moderatam existimo, vt primas omnino illi partes in vita, valetudinéque seruãda iure attribui debere censeam: vt ex illius commodis, quæ paulò post recensebimus, manifestum omninò fiet. Est itaq; exercitatio (autore Gal.) is corporis motus, qui & vehementior est, & anhelitum alterare potest. Neque enim motus omnis exercitatio dici meretur, nec planè motus, & exercitatio eadem esse Galeno sunt visa, sed eum tãtùm motũ exercitationis nomine idem dignatur, qui concitatione sua & vehementia, anhelitus rationem, & naturam immutare quadamtenus possit: quando in quibus nulla per corporis motus fit anhelitus mutatio, hos minimè exerceri dicimus: nec eos motus exercitij nomine dignamur. Quod si quis magis, celeriùs, crebriùsve ex motu respirare cogatur, huic certè (vt Gal. docet) tantus motus exercitatio fuerit. Atque huiusmodi corporis motio communiter exercitatio Gal. vocari solet. Exercitationũ porro, multiplices sunt differentiæ, quas

1. prob. sec. Probl. 47.

libro 2. de san. tu.

vbi suprà.

atque priora illa postulant. Sed quid corycos sit, quid follis, & altêres paulo nobis penitius explicandum, quod abstrusiora sint, quàm vt quiuis facilè ea intelligat. Κορυκὸς Græcis & Κορυκὸν καὶ τὸ κορύκιον, pro sacculo aut pera, vel id genus instrumento ad ludendum apto, eóque (vt quidam volunt) in sphæræ formam circinata rotunditate efficto vsurpatur, vt Aristophanes in Holcadibus (referente in lectionibus antiquis Cœlio Rhodigino) accepit. Fuchsius idem cum folle esse, & pro eodem accipi debere contendit, in suis ad Galeni libros de sanit. tu. annotationibus. Quod quantùm ea in re à Galeni mente, atque adeo à veritate ipsa aberret, mox ex eiusdem Gal. locis aliquot, & Phauorini quoque, atque Hesichij testimonio planum faciam. Si quidem Galenus perpetuo corycum à folle, quoties amborum mẽtio incidit, discriminat. Sic enim lib. 2. de sanitate tuenda. lib. II. c. 6. li. 2. annotationum.

εἴδη δὲ γυμνασίων, ὀνομάζω πάλην, παγκράτιον, καὶ πυγμὴν, καὶ δρόμον, ὅσα τ' ἄλλα τοιαῦτα. τινὰ μὲν, αὐτὸ τοῦτο γυμνάσια μόνον ὑπάρχοντα· τινὰ δ' οὐ γυμνάσια μόνον, ἀλλὰ καὶ ἔργα. γυμνάσια μὲν αὐτά δὴ ταῦτα τὰ εἰρημένα, καὶ προσέτι τὸ πιτυλίζειν, τὸ ἐκπλετρίζειν, τὸ σκιομαχεῖν, τὸ ἀκροχειρίζεσθαι, τὸ ἅλλεσθαι, τὸ δισκοβολεῖν καὶ διὰ κωρύκου, καὶ διὰ σφαίρας, ἢ μικρᾶς, ἢ μεγάλης, καὶ δι' ἁλτήρων ἐκπονῆσαι τὸ σῶμα. Quod est, *Exercitationum species voco luctam, pancration, pugilatum, cursum, & alia id genus: quorum quædam exercitationes tãtùm sunt: alia non exercitationes solùm, sed etiam opera. Exercitationes sunt tum hæc ipsa, modò dicta: tum præter hæc summis pedibus ingredi tẽsis in sublime manibus, tum in plethro prorsum, retrorsúmque currere, vmbratili armorum pugna exerceri, summis manibus concertare: præterea discum iactare, tum coryco, tum pila vel parua, vel magna, vel per alteres corpus fatigare.* Hoc loco ꝑfectò corycũ Gal. à pila lusoria apertè discriminat. Apertiùs verò dum celerum exercitationum catalogum eodem ipso lib. recenset, iis verbis: καταβαίνειν δ' ἐ καιρὸς ἐπὶ τὰ ταχέα, χωρὶς εὐτονίας, καὶ βίας. δρόμοι δ' εἰσὶ ταῦτα, καὶ σκιαμαχίαι, καὶ ἀκροχειρισμοί, καὶ τὸ διὰ τοῦ κωρύκου τε καὶ τῆς σμικρᾶς σφαίρας γυμνάσιον, ὅταν ἐκ διαστάσεων τε καὶ

διαθεόντων γίγνεται. *Reliquum est*, inquit, *vt de iis dicamus, quæ celeritate, citráque robur, & vim perficiuntur: cuiusmodi sunt cursus, & vmbratilis pugna, & cùm duo summis manibus certant* (id enim ἀκροχειρισμὸν vocant) tum quæ per corycum, & paruam pilam fit exercitatio, vtique cùm à distantibus, & discurrentibus administratur. Annon conceptis explicatísque verbis coryci exercitationem, ab ea ea quæ pila parua perficitur, distinguit Gal. cùm duas faciat & coryci, & pilæ lusoriæ exercitationes? Corycum itaque à folle diuersum esse, ex præcitatis Gal. locis apparet, qui corycum à pila, tum magna, tum parua distinxit, cùm sit follis pilæ genus: corycon verò (vt Hesychius, & Phauorinus suis in dictionariis apertè testantur) non pilæ genus sit, sed vter, vel sacculus, aut pera ex pelle, corióve confecta. Hesichij verba hæc sunt: Κορυκός, θηλάκιον ἢ πήρα, id est, corycus est vter, aut pera, θυλάκιον enim idem autor alibi vtrem esse interpretatur, inquit autem θυλάκιον, ἀσκὸς δερματίνος, id est, vter ex pelle, vel coriaceus, quod & Phauorinus confirmauit. θυλάκιον δ' ἐστὶ δερματίον σακκίον, ἢ βαλάντιον, quod sonat, Thylacion est sacculus coriaceus, vel marsupium. Si igitur corycos instrumētū est quoddam instar peræ, aut marsupij, vtrísve conformatum, constat profectò corycum follem non esse, cùm follis sphericus sit, vter, aut marsupium oblonga. Est autem follis pilæ id genus vento inflatę, quam vulgus nostrum (*Paume de vent*) appellat, & à Plauto pugillatorius follis dictus est, quòd pugno non palma excutiatur. Vnde est illud scitum Plauti, *Extemplò herclè ego te follem pugillatorium faciam, & pendentem cursabo pugnis periurissime.* Et illud Martialis, in apophoretis,

Ite procul iuuenes, mitis mihi conuenit ætas,
Folle decet pueros ludere, folle senes.

Si quid verò coniectura de coryco assequi datur, existimo vētosum vtrem distentum, ex pelle confectum fuisse, quem ludentes in sublime proiicerent, & à distantibus, & vltrò citróque discurrentibus variè iactatus, atque mutuis ictibus percussus, diu in sublimi staret, donec falso discurrētium appulsu in terram decideret, instar eius lusus, quem vulgo Itali (*il giocho del balone*) vocant. Sed de ea re, præter coniecturam ni-

nihil certi habeo quod adferam, probatorum autorum testimoniis assertum. Doctiores meliora excogitare, ac prodere in lucem poterunt. Atque hęc de coryco & folle. De altere illud ex Phauorino constat, moles quasdam fuisse vel plumbeas, vel alterius generis, quas manibus saltantes gestarent, vt maiore nixu corpus in longiora spatia saltu proiicerent. Sed iam ad institutum redeamus, ostendentes quęnam exercitia, quas corporis partes magis minúsve exerceant. Cursus & saltus crura potissimum exercent, robustioráque reddunt, vti armorum tractatio brachia, & supernas partes. Equitatio lúbos, ceruicem, crura maximè fatigat. Remigatio vniuersum corpus, sed brachia, & crura magis, ac dorsum, vti & fossio. Incessus & cócitata ambulatio crura potissimum. Clara lectio, cantus, pulmones, faucésque commodè exercent: vti oculos, scriptio & lectio. Sed ex omnibus exercitationum generibus, nihil ęquè vniuersas corporis partes, atque pilę palmarię lusus fatigat, magísve prodest, si opportunè & suo tempore, adhibitoque modo suscipiatur: vti Galenus lib. ad id dicato, qui de exercitio paruę pilæ inscriptus est, plenissimè docuit. Is enim lusus crura, brachia, ceruicem, caput, oculos, dorsum, lumbos, & (vt in summa dicatur) omne ex æquo corpus cómodè exercet, & animum voluptate mira afficit, vegetúmq; & alacrem reddit: & (vt Gal. ait) ad sanitatem plurimum cófert, & hominis temperiem in suo statu conseruat, nec nimiá corpulentiam, nec exilitatem immodicam adferens. Quę omnia facit, caloris natiui in nobis incensione, qua & excrementa a membris omnia facile dispellútur, & mutuo attritu firmitatem ac robur membra acquirunt. Hoc itaque exercitij genus, ceu ad sanitatem seruandam acommodatissimum, cęteris haud paulo plurimum pręfert Galenus, ob eas quas modo attulimus rationes. Nec minus commoda ambulatio mediocris per amœna, & virentia loca, placido & sereno cœlo suscepta, censeri debet, vt quę nimirum, & probè vniuersum corpus exerceat, & appetentiam excitet, & calorem natiuum exsuscitet, & membra roboret, & colorem blandum ac suauem reddat, excrementisque corpus exoneret. Quam ego ab omnibus, qui liberam vitam agunt, & suæ ipsorum valetudini consulunt, non in postremis hadendam censeo. Qua autem ratione incessu huiusmodi exercere corpus conueniat mox in pręceptis salubribus (ad quę tractanda stylum iam

Alteres quid sint.

conuertimus) dicemus. Sunt autem hæc in exercitationibus potissimum obseruanda. Primum omnium, quoniam exercitatio omnis commodè suscepta, soluere & eiicere excrementa potest, aut eadem in habitum corporis deducere, id omni studio curandum, ne corpus excrementis refertum habentes, exercitationi nos credamus. Id fiet, si haud prius laborare cœperimus, quàm & hesterno cibo probè confecto, & alui vesicæque excrementis eductis. Quippe cum digestioné in corpus exercitatio plurimùm adiuuet, cauendum id magnopere, ne cùm ea administratur, aut crudi incoctique cibi in ventriculo copia, aut succorum in vasis non rectè elaboratorum multitudo subsit. Metus enim est, ne priusquam probè concocta sint, quæ cruda manserunt, in habitum corporis ab exercitationis vi, & potestate deducantur. Quo nihil nocentius accidere corpori potest. Id igitur erit ad exercitationem inchoandam commodissimum tempus, si & ea quæ in ventre, & in vasis subsunt probè elaborata, atque concocta fuerint, vt iam denuò cibandi tempus instat. Quod iis verbis pulchrè ab Hipp. expressum est, πόνοι σιτίων ἡγείσθωσαν. Id est, Labores cibos præcedant, & Galenus lib. 2. de sanit. tuend. διότι δὲ ἐκκαθαίρει τὺς πόρυς, καὶ κενοῖ τὰ περιττώματα, κάλλιον αὐτὸ πρὸ τῶν σιτίων ἀναλαμβάνεσθαι. *Quoniam* (inquit) *& exiguos meatus expurgat, & excremẽta expellit, vtilius est ante cibos exercitationem adhiberi, idque ratione sane optima. Nam si à cibo corpus labore exagites, crudis omninò implebis humoribus.* Vt idem met Galenus lib. de boni & mali succi cibis confirmauit, inquiens: ὥσπερ γὰρ ἀγαθὸν μέγιστόν ἐστιν εἰς ὑγείαν τὸ πρὸ τῶν σιτίων προγυμνάσιον, οὕτω βλαβερώτατον ἅπασα κίνησις ἐπὶ σιτίοις, ἀναδίδοται γὰρ ἐκ τῆς κοιλίας ἡ τροφὴ πρὶν πεφθῆναι. Quod est, *Quemadmodum maximum bonum ad sanitatis tuitiam est, ante cibum exerceri: ita perniciosissima res est omnis post cibum motio.* Distribuitur enim tum cibus ex ventre antequam concoquatur. Concoxisse autem nos, atque ad laborem subeundum probè apparatos esse, vrinæ à somno redditæ color indicabit. Siquidem quæ diluta est, & aquæ speciem referens, crudum in venis subesse succum, nec satis elaboratum indicat, túmque quiescendum. Vnde

In exercitationibus obseruanda.

Lib. 6. Epid. part. 4 aph. vlt.

Vnde est illud Celsi, *Qui bene concoxit, manè tutò surget*: qui minimè, in lecto quiescere debet, nec labori se, aut fatigationi credere: si verò rufa, & biliosa vrina manè appareat, coctũ esse huiusmodi succum demonstrat, túmque exerceri conuenit, excretis prius (vt anteà dictum est) vesicæ aluique excrementis, ne ea spiritus, motionísque impetu impulsa, meatus corporis obstruant, aut solidæ partes excrementis onustę, noxam ab ipsis percipiant, aut conuulsæ, aut ruptæ, aut immodice distentæ. Ac proinde exonerare prius excrementis internas partes conuenit. & sensim lento motu corpus calefacere, partesque præmollire, & exiguos meatus laxare, quod commode frictione matutina leui, & moderata perfici poterit. Cui rei pauci omnino manuum in fricando circumactus sufficerint, qui nullo compressu sint graues, sed leues, & qui citra compressum corpus calefaciant. Cęterùm id quoque in exercitationibus spectandum, non omnes omnibus conuenire, sed alias aliis. Gracilibus & attenuatis mitiora, atque remissiora; fortibus & robustis validiora, ac robustiora conueniunt exercitia. Sic & temporis conditio attendenda. In æstate enim remissior & leuior, atque in vmbra: in hyeme concitatior, diuturnior, atque in sole exercitatio congruit. Omnis autem exercitationis finis is esse debet, corporis melior habitus, & lassitudinis aduentantis vestigium perceptum. Ac proinde tandiu exercendum, dum corpus intumescat, & color in facie floridus appareat, ac sudor cum calido vapore manans cernatur. Quæ cum adfuerint inhibenda tum primũ exercitatio est, atque quiescendum. Quæ enim vltra hunc terminum prorogatur, corpus tum gracilius, tum aridius reddit, bonique succi nonnihil etiam adimit, vnde infirmius reddi corpus est omnino necesse. Itaque cum contrahi paulò cœperit corporis aucta ab exercitio moles, protinus cessandum. Tum etiam, vbi coloris floridi gratia euanuerit, aut si motuum alacritas & vigor sese remiserint, illico à motu temperandum: quando si iis apparentibus exerceri pergas, corpus & nimium exhauries, & frigidius reddes, lassitudinemque qua vires deiiciantur, contrahes. Atque hic exercitationis finis esto, corporis bona constitutio, & excrementorum inanitio. Quoniam verò tanti ad sanitatis tutelam momenti exercitationem esse diximus, nihil vt quicquam præferri illi merito possit, quæ corpori commoda adferat, ex Gal. potis-

simum adferemus: qui secundo de tuenda valetudine lib. de exercitationis commodis ad hunc modum scripsit. *Quoniam* (inquit) *vehementior motus exercitatio est, necesse quidem est, tria hæc ab ipsa perfici in corpore exercitando: membrorum duritiem ex mutuo ipsorum attritu genuini caloris augmentum, & spiritus citatiorem motum: sequi verò hæc reliqua omnia priuatim cõmoda, quæ corpus exercitijs accepta refert: vtiq; ex mẽbrorũ duritia, tum vt minus labore afficiatur, tum ad labores robur: ex calore tum deducẽdorum in corpus validum attractum, tum immutationẽ magis expeditam, tum nutritionem magis felicem, tum vt singula corporis partes sint (vt ita dicam) perfusa. Cuius affectus beneficio, & solida mollescere, & humida tenuari, & exiguos corporeæ molis meatus laxiores fieri accidit. At ex spiritus valentiore impetu, & purgari hos omnes meatus necesse est, & excrementa expelli.* Quæ item omnia commoda Paulus lib.1.cap.16. ex Gal. recensuit.

Quies autem, quæ exercitationi contraria est, si immodica fuerit, corpus frigidius reddit, excremẽta dissolui prohibet, genuinũ calorẽ penè præfocat atq; extinguit, & vt infelicius cõcoctiones, nutritio, distributióque cibi procedat, efficit, torpidúmque corpus, & ad labores obeũdos ineptum facit. Qui itaque valere cupit, commodè se exerceat quietẽ nimiam, & socordiã, quantum maximè fieri poterit, fugiat, cibis non satietur, & impigrum se ad labores præstet: sic enim sanitatis tuendæ præcepta impleuerit.

De motu, & quiete, Hippocratis, & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

AMBVLANDVM hyeme velociter est, æstate autem leniter. *lib. de salubri dieta.*

Carnosos ambulare citius oportet, graciles verò tardius. *eod. lib.*

Pingues, & qui graciles fieri volunt, omnes labores ieiuni facere debent, & cibos assumere anhelantes adhuc ex fatigatione. *eod. lib.*

Quicunque graciles sunt, & pingues fieri volunt, ieiunos nullum laborem subire oportet. *eod. lib.*

Exercitiis qui vtuntur, hyeme currere, ac luctari debent: æstate vero luctari quidem parum, currere autem minimè, sed multum deambulare ad ventum, & frigus. *eod. lib.*

Labores detrahendi sunt his, quos sitis corripuerit. *eo. l.*

Labores cibos præcedant. *lib. 6. epid. part. 4. aph. vlt.*

Labor, cibus, potus, somnus, venus, omnia mediocria. *lib.*

6. Epid. part. 6. aph. 5.

Quibus ex exercitiis, siue ex aliquo alio labore dolores fiunt ex visceribus, his quiescere conducit, cibis abstinentes. *eod. lib.*

In omni corporis motu, vbi laborare cœperit, quies statim lassitudinem aufert. *lib. 2. aph. 48.*

Qui consueti solitos labores ferre, etsi fuerint imbecilles & senes, non consuetis fortibus, atque iuuenibus faciliùs ferunt. *lib. 2. aph. 49.*

Vbi fames laborandum non est. *lib. 2. aph. 16.*

In exercitationibus extenuationis signum, sudor guttatim manans, qui tanquam è riuulis egreditur, aut compressio post tumorem. *Lib. 6. Epid. part. 3. aph. 5.*

Plurimum atque repente mouere corpus, periculosum. Quoniam omne nimis est naturæ inimicum, sed quod paulatim fit, tutum est. *lib. 2. aph. 51.*

Omnis subita mutatio, si modum excesserit, noxam inducit. *Lib. 2. de rat. vic. acut. textu 55. ad fin.*

GALENI.

EXERCITIVM est vehemens motus. *Lib. 2. aph. cõ. 16. & lib. 2. de sanit. tu.*

Exercitatio ea dicitur, quum quis ex motu aliquo celerius, aut crebrius respirare cogitur. *Lib. 2. de sanit. tu.*

Exercitatio communiter dicta ea est, in qua anhelitus fit mutatio. *eod. lib.*

Exercitatio proprià loco denominatur, quē γυμνάσιον Græci appellant. Is locus est in publica aliqua vrbis regione extructus, in quo vngendi, fricandi, luctaturi, discum iacturi, aut tale quippiã facturi confluunt. *Eod. li.*

Exercitatio non quiuis motus est, sed tantùm si quis vehementior fuerit. *eod. lib.*

Terminus vehemētiæ motus esto, anhelitus alteratio. *Ib.*

Labor cibum præcedat, ex Hippocrate citatum. *Lib. 2. de sanit. tu.*

Labor, cibus, potus, somnus, Venus, omnia mediocria sunto. *eod. lib.*

Exercitatio, labor, motus, ita se habent, vt motus res diuersa ab iis sit, labor, & exercitatio. *Ibid. lib. 2 de sanit. tu.*

Exercitij qualitates sunt, seu differentiæ, velocitas, tardi-

tásque, mouendi vehementia, & leuitas, robustum & imbecillum exercitium. *ibid.*

Exercitia tantùm sunt, lucta, pácration, pugilatus, cursus, exercitia & opera simul, fodere, arare, remigare, vites putare, gestare onus, naues fabricare, domos extruere, venari, piscari. *lib.2. de san.tu.* Atque hæc eadé sunt exercitationũ genera.

Exercitationũ tria prima notantur genera vtique quot motionum differentiæ, quippe aut à nobis ipsis mouemur, aut ab aliis, aut medicamento *lib.1. de sanit.tu.*

Motus qui ab altero præstatur, nauigando, equitando, vehendo, aut in cunis lectulis, vlnisque obitur. *Lib.1. de sanit.tu.*

Exercitia quæ cum periculo fiunt, sunt celeres cursus, rupto interdum vase, voces magnæ ac vehementes affatim emissæ, equitatus, saltus, discus, palæstra, & huiusmodi alia multa. Sine periculo autem fit, paruæ pilę exercitatio, præter cætera quæ in ea sunt bona. Vniuersum enim corpus probè exercet. *lib. de exercitio paruæ sphæra.*

Exercitium paruæ pilæ molle est, & leue, si leniter eo vtâre. *lib de exercitio paruæ pilæ.*

Exercitium paruæ pilæ quiete indigentibus vtilissimum atque ad imbecillas vires reuocandas valentissimum, senique ac puero conducentissimum. *eod.lib.*

Exercitatio quousque pro singulo quoque vsu intendenda, aut remittenda sit, scribere impossibile est. *eod.lib.*

Exercitationis cuiusque quantitas, vt explicetur fieri nõ potest. *eod.lib.*

Exercitia ad bonam valetudinem conferre & cibos antecedere debere, ab antiquis præstantissimis tum philosophis, tum medicis traditum est. *lib. de exercitio paruæ pilæ.*

Exercitatio quæ ex parua pila habetur, reliquas omnes excellit. *eod.lib.*

Exercitationum omniũ ea conducentissima, quæ non modò corpus fatigare, verum etiam animam oblectare possit. *eod.lib.*

Multi præ sola lætitia morbos euaserunt, multi etiam præ mœrore ægrotauerunt. *eodem lib.*

Exercitatio quæ parua pila fit, & facilis est, & minimo apparatu indiget. *eod.lib.*

Exercitatio paruæ pilæ, omnes corporis partes æqualiter mouet. *eod.lib.*

Cursum, & quæcunque exercitia extenuant corpus, non

probat Galenus,artemque omnem modicè tractandam esse. Quod si quid mensura caruerit, illud pulchrum non esse confitetur. *Gal. Lib. de exercitio parua pila.*

Exercitium id potissimè commendauerim(inquit Galenus) quod bonam corporis valetudinem, ac partium concinnitatem, atque animi virtutem præstare possit, quale illud est, quod in parua pila consistit. *eod. lib.*

Exercitium paruæ pilæ, neque crassitiem vllam immodicam, neque gracilitatem adfert. *Lib. de exercitio parua pila.*

Exercitum εὔτονον siue robustum, quod violenter sine velocitate exercetur, *lib. 2. de san. tu.*

Exercitium vehemens est, quod violenter, & cum celeritate fit, & σφοδρὸν vocatur. *eod. lib.*

Exerceri senes conuenit non acutis exercitationibus, & præuegetis, sed potius tardis, & mollibus. *lib 6. de sanit. tu.*

Exercitationes acutæ extenuat, lětæ corpus implent. *eo. l.*

Exercitationis differentiæ, ab iis quæ extrinsecus posita sunt, quod aut sub dio exercitatio fit, aut sub tecto, aut in mista vmbra. *lib. 2. de sanit tu.*

Exercitationum differentias pro anni temporibus, *vide lib de salubri diæta Polyb.*

Exercitationum alia lumbos, alia brachia, cruráve, alia spinam totam, aut pulmonem tantum, aut thoracē tantum, magis exercent. *lib. 2. de san. tu.*

Exercitatione partium inferiorum, quæ circa thoracem sunt partes iuuantur: superiorum quæ circa vesicam & renes: mediæ ambabus. *lib. 5. de sanit tu.*

Exercitatio imbecillium partium nō senibus conuenit, cæteris conuenit. *lib 5 de sanit. tu.*

Nec exercitium vehemens, nec quietem, ex toto senes postulant. *lib. 5. de sanit. tu.*

Exercitatio senibus conueniens, frictio cum oleo manè administrata, post hanc inambulatio, gestatióque citra lassitudinem. *eod. lib. 5.*

Quæ exercentur particulæ, fortiores, & solidiores fiunt *lib. de assuetudinib. & lib. 2. aph. com. 49.*

Exercitia infantibus idonea in lectulis, cunis, vel vlnis dimoueri: pueris vero tertium, aut quartum annum agentibus, vehiculo aut nauigio modicè agitari. Septennes equitare assuescant. *lib. 1. de sanit. tu.*

Exercitari quibus expedit, hos ante cibum exerceri o-

portet. Neque enim omnes exercitandi sunt. *lib.5.de sanit.tu.*

Exercendum plus est calidis & humidis, propter corporis humiditatem. *lib.5.de sanit.tu.*

Exercitationes non omnibus prodesse, Hipp. testatur in Epidemiis, calidas naturas quiescere iubens. *lib.5.de sanit.tu.*

Exercitationes caput replentes non tolerant qui vertigine, ophthalmia, aurium dolore tentantur: aut quibus fluxio in columnellam, gingiuas, dentes, & reliquas circa collum & caput partes, incumbit, *lib.5.de san.tu.*

Exercitationibus solitis dimissis, cruenta dysenteria accidit. *Com.2.ad lib.de na.hu.sup.tex.Qui extra febrem, & super tex. Qui sic habent.*

Exercitationis omnis commune est, quod animali ipsi ex ea caloris augmentum excitatur. *lib.2 de sanit.tu.*

Exercitationes saluberrimę sunt, & veri comparatę, quod inter tempora saluberrimum est. *lib.3.aph.com.20.*

Si impurgatus laboraueris, vlcera accidēt. *Li.3.aph.cō.20.*

Exercitatio excrementa soluere potest, tum per sudoris meatus eiicere. *lib.1.de sanit.tu.*

Exercitationibus firmitas quædam membris accedit, & naturalis calor accenditur, & ex partium inter se attritu duritia quædam, indolentiáque comparatur. *lib.1.de san.tu.*

Exercitiis modicis tum corporis, tum animi custoditur intra sanitatis fines natiuus calor. *lib.1.de san.tu.*

Ocium desides, decoloratos, atque ex nutriendi defectu graciles reddit. *Ibidem.*

ab Exercitiis animæ vniuersæ, illius virtutes augentur, & robur accipiunt. *lib de assuetud.*

motiones plures corpora extenuant. *lib.2.aph.com.28.*

Exercitatio in vitiosis corporibus, malos humores ad cutem trahit. *lib.3.aph.com.20.*

motus de genere est Euacuantium superflua corporis. *lib.4.aph.com.2.*

Exercitia sanis cum inedia præcipienda non sunt. *Lib.2.aph.com.16.*

Exercitia natura apta sunt exsiccare. *lib.4.aph.com.13.*

quies (quod ocium est, & ab Exercitatione vacatio) seruat humiditatem, & corpora humectat. *eod. li. & com.eod.*

Exercitia collectas singulis diebus superfluitates expurgare possunt. *lib.3.aph.com.15.*

Exercita-

Exercitatio supplet vicem purgationis humorũ, qui sunt in profundo corporis. *lib.3. aphor. com 20*

Exercitatio podagram fieri prohibet *lib 6. aph. com. 28.*

Exercitatio interdum soluit comitialem, *lib. 5. aph. com. 7.*

Exercitatorum bonus habitus, qui ad vltimũ bonitatis peruenit, periculosus. *lib. 1. aph commen. 3.*

Exercitatio ordienda expulsis prius vesicæ, & alui excrementis, ne quid eorum in habitum corporis rapiatur, correptum caloris vi qui per exercitationẽ accẽditur. *lib. 2. de sa. tu.*

in Exercitationibus, ciborũ tum qualitas, tum quantitas aliquid momenti adfert. *lib. 3. de sani tu.*

Exercitium id potissimum commendãdum est, quod bonam corporis valetudinem, ac partium concinnitatem, vnáque animi virtutem præstare possit, quale illud est, quod in parua pila consistit. *lib. de exercitio paruæ pilæ.*

Exercitium illud non modicum præstat vsum, quod corpus, atq; animum pro sua vtriusque virtute iuuare possit. *eodem. lib.*

Exercitationem ante ciborum assumptionem, vtilius est adhiberi. *lib. 2. de san. tu.*

ab Exercitatione tria hæc potissimùm commoda proueniunt membrorum ex attritu durities, caloris augmentum, & spiritus citatior motus: ad quæ & nutritio, & reliquę naturæ actiones feliciùs obeuntur. *lib. 2 de. sanit. tu.*

Exerceri corpora moderatè, ad sanitatem tuendam mirum in modum prodest: at contrà quies, & ocium diuturnum maximo nocumento est. *lib. de boni & mali succi cibis.*

Exercitatio vt ante cibum bonæ valetudini maximũ adfert commodum, sic qualitcunq; sumpto cibo motus noxius admodum est. *lib. de boni & mali succi cibis.*

Exercitatio ante cibum succos crassos concoquit. *eod. lib.*

Exercitandi non sunt qui famescunt. *lib. 2. aphor. com. 16.*

Exercentibus se à cibo, & caput vaporibus impletur, & nonnullis in iocinore ponderis, aut distensionis sensus percipitur. *lib. 6. de san. tu.*

Exercitationes à cibo vehemẽtes, in causa sunt cur multis sint viscera oppilata. *com. ad li. de salubri diæta Polybi, super textu, Crassi.*

Exercitia post veneris vsum prępăratoria tantùn conueniunt, vehementia autem nocent *lib. 3. de sani. tu.*

Exercitia si hominem pituita redundantẽ, vel bili flaua,

aut atra, aut sanguine inuenerint, ipsi apoplexiam, vel epilepsiam vel ruptionem vasis in pulmone incurret, quæ morbos insanabiles creare poterunt. *lib. 2. aph. com. 20.*

Exercitatio consueta minus nocet insueta *lib. 2. aph. com. 50.*

Exercitationis terminus, & de frictione ante exercitationem. *lib. 2. de san. tu. ad fin.*

Exercitatio post vigilias, aut tristitiam, ea esse debet, quę apotherapia dicitur. *lib. 3. de san tu.*

vehemētię Exercitationis terminus esto, anhelitus alteratio. *lib. 2. de san. tu.*

De quiete, Galeni loci.

QVIESCERE corpus tum dicimus, cùm ab iis sub quibus ante fuit, in nullo est immutatum. *lib. 1. de nat. facul. ad princ.*

Quietem calidis naturis suadet Hippocrates. *lib. 6. epidemi. & Gal. lib 5. de san. tu.*

Quies conseruat in eodem statu. *lib. 4. aph com. 14.*

Quies est lassitudinis remedium. *lib. 2. aph. com 48.*

Quies laboris remedium. *Ibidem.*

Quies humectat corpora. *lib. 4. aph com. 13.*

Quies est otium, & ab exercitatione vacatio. *eodem com.*

Quies vomitum sistit, motus facit. *lib. 4. aphor. com. 15.*

Quiete opus est, si quid sanari debeat *lib. 6. aph. com. 6.*

Quies est opposita motui. *Com. 3. in lib. 6. epidemi. cap. 33.*

Quies purgationes sistit. *lib. 4. aph. com. 15.*

Quietem, his qui pulmonum vlceribus tenentur, imperabat Galenus. *lib. 5. meth. medi.*

Quiete ac perpetuo silentio tenendi sunt, qui vlceribus pulmonis laborant. *lib. 5. meth. med.*

De frictione. CAP. XI.

CONgruere maximè videtur, vt eam quæ de exercitiis est tractationem (de qua superiore cap. egimus) ea, quæ de frictione est consequatur, cùm vtramque Gal. lib. 2. de san. tu. coniunxerit. Quem nos imitati, de frictione hoc capite agemus, ipsa rerum consecutione inducti, id ostendentes, quidnā variæ frictionum differentiæ in corpore operentur, & quænam quibus corporibus adhibendæ. Præterea quid præparatoria frictio commodi adferat, & quatenus perfici debeat.

Non-

Nonnulla item de apotherapia vocata, omniúmque (vt in summa dicatur) frictionum effectiones, ac modos trademus. Frictionum autem, vt multas esse differentia, sic & commoda multa Galenus, quo supra memorauimus loco, asseruit. Id vero frictionis cuiusuis generis omnis commune opus est, calfacere. Accenditur enim frictione natiuus corporis calor. Ij etiam frictionis in vniuersum effectus esse deprehenduntur, vt rara denset, mollia induret, dura emolliat, & densa laxet, atque remittat. Quamquam non eadem frictio præstare hæc omnia possit, sed pro sui tum quantitate, tum qualitate, modo densare rara, modo mollia indurare interdum dura mollire, aut densa remittere potest. Sunt itaque frictionum differentiæ eæ præcipuè, quæ ex qualitate, ac quantitate illius desumuntur. Qualitatis sint propriæ differentiæ dura, mollis, mediocris: quantitatis, pauca, multa, mediocris. Ea verò quæ qualitatis sunt, si tribus aliis, quæ à quantitate ducuntur differentiis iunxeris, nouem omnino coniugationes efficies, ad hunc modum ordinatas

Qualitas	Dura	Pauca	Quantitas.
		Multa	
		Mediocris	
	Mollis	Pauca	
		Multa	
		Mediocris	
	Mediocris	Pauca	
		Multa	
		Mediocris	

Omnium verò appositissimè, vestutissimus Hippocrates frictionũ differẽtias, lib. de medici officina, quem Κατ' ἰητρεῖον inscripsit, expressisse est visus, inquiens, Ἀνάτριψις δύναται λῦσαι, δῆσαι, σαρκῶσαι. μινυθῆσαι ἡ σκληρὴ δῆσαι, ἡ μαλακὴ λῦσαι, ἡ πολλὴ, μινυθῆσαι, ἡ μετρίη, παχῦναι: *Frictio* (ait) *potest soluere, ligare, carne implere, minuere : dura, ligare ; mollis soluere ; multa, minuere ; mediocris seu moderata ; crassefacere.* Quatuor hæ ab Hippocrate proditæ differentiæ ex quadruplici omnis frictionis tum facultate, tum vsu oriuntur.

Sunt autem frictionum diuersarum hæ potissimum virtutes, soluendi, ligandi, carnem augendi, minuendi. Itaque dura frictio his conuenit corporibus, quæ supra modum soluta sunt, contra mollis his quæ constricta. Multa his quæ obesa nimiũ sunt, vt eorum obesitas carnisque multitudo minuatur, quæ vero modice se habent corpora, atque in qualitatum excessu moderata sunt, ea nec molliter, nec duriter, sed quoad eius fieri maximè potest, vtroque declinato extremo sunt infricanda. Frictionis porro hic esse modus debet, autore Galeno, vt primis manuum ductibus, atque adeo primo contractatu blandius, inde sensim paulò fortius fricemus, eatenus aucta semper ad valentius frictione, vt premere leuiter, ac citra læsionem carnem videatur. In id enim corpora fricamus, nõ vt validè corpora induremus, sed vt ad exercitationis munus paratiora, promptioráque sint robúrque partibus, caloris accessu acquiratur. In præparatoria enim ad exercitia obeunda frictione (quæ hùc spectat, vt corpora molliat) mollis duri æque mediam qualitatem vigere oportet. At vbi extenuare, & emaciare corpora studemus, & multam, & qualitate mediocrem adhibere conueniet. Sin reficere, tum qualitatis, tũ quantitatis ratione, mediocrem. Hæc enim, vel Hippocratis testimonio, mediocris in omnibus esse debet. His enim, qui carnis augendę causâ fricantur, talis adhibenda frictio est, quę finiri tum debet, cum corpus & intumuit, & ad summum eius peruenit. Si n. fricare diutius pergas, non modo carnẽ non augebis, sed plane minues. Sunt enim robur & tumor cùm in carne apparuerint, mediæ frictionis nota, vti multæ de tumescentia carnis: Frictio enim primùm quidem attollit, postea contrahit, ac contractam ex ipsâ auctiorem molem deponit. Atque hic est eorum, qui carnis augendæ causâ fricantur modus. Qui vero in id tantùm fricationes adhibent, vt ad exercitationes præparentur, his minimè id tempus opperiendum dum caro ad summum intumeat, quando his satis est (quod præparatoriæ frictionis meta, finísque est) si ex frictione solidæ partes molliantur, humida soluantur, corporis meatus laxentur. Tum enim rectè ad labores obeundos pręparata fuerint corpora, cum ex frictione, & partium mollities, & excrementorum solutio insensilis, & meatuum exiguorum laxitas accesserint. Sed de præparatoria frictione hæc sufficiant. Pauca modo de apotherapia subnectamus. Eã por-

lib. 2 de sani. tu.

lib. de medici offecinæ

poraò Gal frictionem, apotherapiam dici vult, quæ exercitato iam corpori admoueatur, Græci ἀποθεραπευτικὴν Latini recuratoriam appellare solent. Hæc cum plusculo oleo administrari solebat, vt simul & pinguetudine humectaret, & solidas partes emolliret, & quę in exiguis corporis meatibus cõtinerentur digereret. Omnis quippe exercitationis probè peractæ postrema pars apotherapia dicebatur, duplici, vt ait Gal. consilio suscepta, vt & excrementa solueret, & vt à lassitudine tutum redderet corpus: ac veluti à labore delassatum reficeret, ac recrearet, qui præcipuus erat apotherapiæ effectus. Verum nunc non tantam curandi corporis, vt olim veteres, curam impẽdimus. Frictionum enim hac ętate ferè ratio omnis periit, vt qui nec præparatoria frictione ante exercitia, nec apotherapia postea vtamur. Nec mognopere tamen, vt ingenuè dicam, his egemus, præparatoria inquã & apotherapia frictionibus, vt quæ magis athletis, quã in his qui tuendæ valetudinis causa exercentur conueniant. Illis enim ob immodicos, quos instituti gratia obeunt lobores, vtraque opus est, nobis qui tantum valetudini non robori, & viribus augendis studemus, frictionibus illis opus non est, vt quibus nec immodicos labores adire vtile sit, nec à laboribus immodicis lassitudinem sentire, vt ad eam leuandam apotherapia, ceu salutari præsidio egeamus. Sed de frictione iam satis.

li.2.de san.tuend.

De frictione, Hippocratis, & Galeni loci

HIPPOCRATIS.

FRICTIO potest soluere, ligare, carne implere, minuere. *lib. de medici officina, siue chirurgiæ officina.*

Frictio dura ligat, mollis soluit, multa minuit, mediocris seu moderata crassefacit. *Ibid.*

GALENI.

De frictionum differẽtiis, atque virtutibus locus Hippocratis ex libro de medici officina, à Galeno aduersus Theonem expositus *lib.2.de sani.tu.*

Frictionum differentias, durum, molle, multũ, mediocre assignans Hippocrates duas alias cuique oppositioni medias innuit. *eod. lib.*

Frictionis differentiæ quinque enumeratæ, iuxta varium manuum iniectum, & circumactum, ex dimensionum positione, nempè recta, transuersa, obliqua, subrecta, subtransuersa. *lib.2.de san.tu.*

Frictionum coniugationes nouem, è coniugatione simplicium fiunt, frictionum qualitatibus ad quantitatis differentias collatis. *eod. lib.*

Frictio qualis cuique conueniat, nempe si dura ligandi, mollis soluendi vim habet, quæ supra modum soluta corpora sunt, duriter fricare: contra quæ constricta sunt, molliter: quæ modicè se habent nec molliter nec duriter, sed vtroque declinato extremo. *lib. 2. de san. tu.*

Frictionis quæ cum pinguedine adhibetur duplex scopus est, nempe vt vel lassitudinis affectum sanet priusquam inauctus febrem accendat, vel imbecillam distributionis vim excitat. *lib. 5. de san. tu.*

Frictione ex oleo adhibita, multos qui alimenti distributionis penuria laborabant, sanauit *Gal. Ibidem.*

Frictio vitale robur excitat, modicè calfacit, tum efficit, vt & distributio nutrimēti sit facilior, & nutritio promptior. *eod. lib. 5. de san. tu.*

Frictior cum inedia fieri non debet, etiam in ægris. *lib. 2. aph. com. 16.*

Frictione crebra, exiguáque vtendum, vbi imbecilles vires sunt: vbi validæ, rara multáque. *lib. 5 de san. tu.*

Frictionum alia præparatoria, alia apotherapia. *lib. 2. de san. tu.*

Frictio præparatoria, modicè calfaciendo tenues meatus recludit, & simul excrementa, quæ caro continet, fluxilia reddit, & solidas emollit partes. *lib. 2. de san. tu.*

Frictio apotherapeutica dicta seu recuratoria, ex oleo administrata humectat & solidas emollit partes, & quæ in habitus meatibus continentur euaporat. *eodem lib.*

Frictio præparatoria in benè temperato homine mollis primùm, mox exercitationem aggressuro dura fieri debet. *li. 2. de san. tu.*

Frictiones partibus infirmis, quo tempore laborant, admoueri non conuenit. *lib. 5. de san. tu.*

Frictio matutina simul concoquit crudum succum, simul corpoream molem animantis nutrit. *lib. 4. de san. tu.*

Fricandi conualescentes manè post deiectionem. *lib. 7. meth. meden.*

Frictio vespertina iis vtilis est, quos vel lassitudo valida premit, vel siccitas malè habet, vel atrophia macerat. *lib. 3. de san. tu.*

Frictio carnis augendæ causa suscepta, tum finienda est, cùm corpus ad summum ferè tumorem peruenit. *lib.2.de san.tu.*

Frictionis effectus sunt, quod & rara densat, & mollia durat, dura mollit, & densa laxat. *lib.2.de san.tu.*

Frictionis omnis commune opus calefacere. *eodem lib.*

Frictiones sunt inter euacuantia corpus annumerandæ. *lib.1.aph.com.17.*

Frictio cùm & vitale robur excitet, & modicè calfaciat, efficit & vt distributio nutrimenti sit facilior, & nutritio promptior. *lib.5. de san.tu.*

Frictionis mediocris opus est, carnis incrementum. *lib.2.de san.tu.*

Frictio mollis, quæ tensa sunt remittit, & quæ inter vehementius laborandum fatigata sunt, emollit. *lib.3.de san.tu.*

Frictiones duræ, tum fugiendæ, cùm simul & excrementa digeri, & quæ tensa sunt molliri conuenit. *lib.3.de san.tu.*

Frictio ex oleo non finit exhalare attractum à frictione in partes sanguinem, vt quod emplastici medicamenti vim habeat. *lib.6.de san.tu.*

vt Fricandi qui graciles obesi fieri volunt. Ad ruborem enim vsque fricari debent. *lib.6.de san.tu.*

De plenitate, & inanitione. CAP. XII.

PLenitatis nomen vt veteribus frequens, sic eius vis ac ratio haud satis perspecta fuisse videtur. Nonnulli enim eo tanquam ad aliud relationem habente vtuntur, nec absoluto sermone de plenitate asserere quicquam audent: quòd certis finibus (vt huius opinionis assertores arbitrantur) comprehendi ea non possit. Quod enim huic multum est, (inquiunt) hoc interim illi minus erit. Alij quidem & ij paucissimi, plenitatem paucitatémque ex facultate æstimanda censent, vt id multum esse dicatur, quod à facultate vinci, superaríque nequeat, id paucum quod facilè superetur. Quidā rursus ad solas vasorum capacitates plenitatem, inanitionémque spectare contendunt. Vt haud immeritò existimandum sit parum consentanea priscos de plenitate dixisse. Nos verò ex Galeni sensis firmiora dogmata adferentes, plenitudo quid sit, ac quotuplex primùm trademus: plenum propriè quid dicatur secundo loco, plenitatis vtriusque (eius inquam

quæ ad vires, & quæ ad vasa dicitur) signa tertio proferemus loco. Demum vero de inanitione, eiusque differentiis omnibus, quantum locorum communium tractatio postulat, differemus. Plenitudinem porro Gal. id esse vult, humorum in animantis vniuerso corpore abundantiam cùm æqualiter succi inter se adaucti fuerint. Id quod Græci πλῆθος πληθώραν vocant: nos nostro more plenitatem, & succorum redundantiam rectè dixerimus, idque ratione certè optima. Nam vbi eousque adaucti corporis succi sunt, vt & vasa impleant, & naturæ negotium faciant, an non redũdare & iustum naturæ modum excedere iure dicuntur? quẽ sanè corporis habitum, & plenitudinem, & plethoram vocare iure debemus: prout alterum illum in quo vnus quispiam succorum dominatur, non omnes æqualiter humorum vitium: Græci κακοχυμίαν appellare solent: quod tum fit, cùm vel bilis, vel pituita, vel atra bilis, vel serosus humor seorsim in corporis habitu redundauerit. Itaque illud constat, omnium humorum abundantiam iure plenitatem, seu plethoram dici: vnius tantùm humoris exuperantiam, cacochymiá. Iam verò abundantia hęc, quàm Græci πλεονεξίαν appellant, duplex esse deprehenditur, altera qualitatis, quãtitatis altera est. Qualitatis ea fuerit, cùm vna quæpiam qualitatem elementarium absque substantiæ cuiuspiam affluxu, nimietate sua noxam fecerit: vt cùm immodicus calor, immodicum frigus, humiditas aut siccitas, nudæ noxam intulerint: similaria enim interdum corpora solis qualitatibus alterari, interdum vero substantia quadam iam dictis qualitatibus prædita à Galeno libr. de morb. differen. c. 5. proditum est. Atque hæc cùm accidunt ad qualitatem omnino sunt referenda. Quantitatis abundantia seu plenitas, duabus omninò discriminatur differentiis, vt altera cibi sit, humorum altera. Cibi redundantiam, satietatem communi appellatione nuncupare solemus, humorum vero, non satietatem, sed plenitudinem potius. Vtramque redundantiam tã cibi, quàm humorum commodè πλησμονὴν Græci nuncupare in more habent: nec tantum vni ciborum satietati (vt perperam Fuchsius, vir alioqui doctissimus arbitratur) accommodare. Equidem cùm πλησμονὴ vox, satietatem

li. 3. meth. med. & li. de Plen.

tatem propriè significet, vti aphorismo illo secundæ sectionis Hippocratis, ὐ πλησμονή, ὐ λιμὸς, ὐδ᾽ ἄλλο ὐδὲν ἀγαθὸν, ὅτι ἂν μᾶλλον τῆς φύσιος ῆ. Hoc est, non satietas, non fames, neque aliud quicquam quod naturæ modum excedat, bonum. Rectissime ibi πλησμονὴ, ciborum satietatem significat, id quod indicat quæ sequitur vox, ὐ λιμὸς, confert enim eo aphorismo Hippocrates contraria hæc, atque adeo extrema, satietatem & famem, quorum neutrum (vtpote naturæ contrarium) bonum esse affirmat. Verùm aliis in locis, voce ea πλησμονὴ, non pro satietate, sed potius pro humorum in vasis, aut secundum virtutem plenitudine, Hippocratem vsum fuisse constat. Quod fecit aph vigesimo secundo sectionis secundæ, cum inquit, Ἀπὸ πλησμονῆς ὁκόσα ἂν νοσήματα γένηται, κένωσις ἰῆται, καὶ ὁκόσα ὑπὸ κενώσιος, πλησμονὴ, καὶ τῶν ἄλλων ὑπεναντίωσις, Quod est, *Quicunque à plenitudine morbi fiunt, vacuatione curantur: & qui ab inanitione plenitudine sanantur, cæterorúmque contraria sunt remedia.* Hoc loco profectò πλησμονὴ vox, non pro satietate (vt malè Fuchsius interpretatur) sed magis pro plenitudine humorũ sumitur. Quod indicat Hippocrates eo in aph. verbis expressa sententia. Vult enim morborum per contrarium curandorum generalem, vt in eius partis commentario testatur Gal. tradere methodum. Cúmque plenitudini euacuatio contraria & fit, & habeatur, nimirum si morbos à plenitudine factos euacuatio sanet, & ab euacuatione prognatos, plenitudo, & refectio. Nec verò ea Hippocratis eo loci mens fuit, de satietate loqui, vt intellexerit morbos tantum à satietate factos, euacuatione sanari. Nam satietas cibi plenitatis in genere vna differentia. Voluit autem eo aphorismo Hippocrates, non vnius tantùm plenitudinis differentiæ comminisci, curandique rationem tradere, sed ex æquo omnium plenitudinis differentiarum, atque adeo generis in vniuersum, vt apertè in commentario docet Galenus. Adde quod si de satietate intellexisset Hippocrates, falsi crimine culpandus veniret: cùm nõ satietas vacuatione ad sui curationem opus habeat, sed plerunque vel longa quies, vel prolixior somnus, aut inedia absque vllo sensibili vacuationis genere, mederi illi pos-

Lib. cõpen uii medici ne cap. 20

sint, vt pluribus in locis testantur Galenus, & Celsus. Non ergo de satietate tantùm locutus fuisse eo in loco Hippocr. videtur, sed congruentius profectò de plenitudine cui euacuatio tanquam opportunum auxilium debetur. Quare ineptè, ac perperàm Fuchsius Leonicenum, & Plantium doctissimos atque fidelissimos Hippocratis interpretes calumniatur, ac carpit, quòd pro satietate, plenitudinem conuerterint. Rectissime profectò ij, ac congruentissimè, & ad Hipp. atque Gal. mentem ita verterunt. Quicunque à plenitudine morbi fiunt, euacuatio sanat. Non rectè verò Fuchsius sic interpretans, Quicunque morbi ex satietate fiunt, euacuatione sanantur. Propius Hippocratis mentem attendere hoc loco ac penitius contemplari Fuchsius debebat. Quod si fecisset, vocem πλησμονῆς eo in aph. non pro satietate, sed pro plenitudine accepisset. Nec verò ita falli debebat, vt si apho. 4. secũdæ sectionis ea vox satietaté sonabat, id perpetuò in omnibus aliis locis sonaret, ac præsertim in hoc aphorismo, in quo non de satietate ex professo loqui, sed magis de plenitudine omni recta methodo curanda mens Hippocr. fuit, vt & adductis paulò ante à me rationibus, & Galeni commentario ad illum aphoris. & demum Leoniceni & Plantij doctissimorum interpretum versionibus, probasse me abundè puto. Sed vt est in prouerbio, Bonus quãdoque dormitat Homerus. Nunc verò ad institutum redeuntes, plenitudinis differentias enarrare aggrediamur. Duas igitur plenitudinis notiones, & habitus Galenus facit: alteram vt ad vires, & facultatem sustinentem eam, alteram quasi ad locum continentem. Hanc plenitudinem quoad vasa: alteram illam, plenitudinem ad virtutem nuncupare scholæ solent. Plenitudo quæ ad vasa ea esse censetur in qua ob immodicam sanguinis & humorum copiam vasa plurimùm distenduntur. Illa ad virtutem dicitur, in qua etsi tanta non subsit humorum redundantia, vt vasa distendere queat: tanta tamen subest, quæ facultatem aggrauare, & subinde eius actionibus noxam inferre, si diutius ipsa perstiterit, possit. Ambarum porrò plenitudinem proprias peculiaresque notas, cùm lib. de plenitudine, & de sanguinis missione, tum lib. 4. de san. tu. expressit. Gal. Scientificæ (inquit) plenitudinis notæ sunt, tensio, grauitas, venarum tumor, pigritia, calor, pulsuum motio, cunctis videlicet accessoriis moribus separatis. Nonnullæ ab his de-

Il. 7. meth. & libr. de const. artis medic. & com. ad li. de salub. diæta Polybi. Celsi. li. 1. cap. 2.

li. de plen. & de san. miss. et cõ. 2. ad li. de nat. hu.

li. de Ple. ad finem.

declinant, veluti excrementorum fluere consuetorum [cohi]bitio, deses, otiosáque vita, plenior victus. Vbi nanque vniuersa hæc conuenerint, & in vno quopiam deprehensa fuerint, plenitudinis signa dant: præsertim verò si ex consuetudine plethoricis affectibus quispiam corripi in vsu habuerit. Locorum etiam, temporúmque ratio in plenitudinis notis, (vel autore Gale.) est referenda. Quoniam hyeme & vere, temperatis regionibus ob id ciborum copiam, somnósque longiores, plenitudine amplius infestari homines solent: calidis & siccis anni temporibus, ac locis, minus. Sic densiore corporis habitu præditi, plenitudini magis, quàm qui rariore sunt, obnoxij euadunt: quod densitate meatuum diflari minus corporis succi queunt. Ob id morbos à plenitate facilè incurrunt: Huiusmodi nanque homines, qui succorum redũdantia saburrati sunt, plenos vocare solemus: quòd multa sunt humorum copia onusti. Plenum nanque id Galeno dicitur, cùm eius quod internam capedinem habet, capedo omnis vno, vel pluribus corporibus occupatur, vti vacuum, si præter aerem contineat nihil. Si vero cuiusque redundantis in corpore humoris notas cognoscere velis, hæ fuerint, quæ ex colore foras efflorescente potissimum desumuntur. Color nanque (vt testatur Galenus) succorum intus latentium certissima nota est. Rubicundus in facie color apparet sanguine redundante. Rubicundus siquidem sanguinis color est: subpallidus vero flauæ bilis: albescit supra naturalem habitum pituitæ quemadmodũ nigrescit atrę bilis. Cùm verò hæc redundauerint, & sanguinẽ simul cum his supra iustũ naturæ modum inauctum esse oportet. Vnius nanque humoris tantũ exuperantia, vt in arquato morbo, pallidæ bilis, vel in leucophlegmatia pituitæ, non plenitudo, aut plethorica dispositio huiusmodi censeri debet, autore Galeno, sed vitiosus humor magis: quam Græci κακοχυμίαν vocãt. Vitiosi enim succi redundantiam Galenus à plenitudinis albo remouet in hæc verba:

li. de ple. *lib. 3. de dif. pulsuũ.* *Com. 2. li. 1. aph. & 4. de san. tu.* *li. de plen.* *li. de ple.*

Μόνη εἴποτε πλεονάσειεν ἡ ὠχρά, καὶ ξανθὴ προσαγορευομένη χολὴ, καθάπερ ἐν ἰκτερικοῖς, οὐκ ἔτι πλῆθος, οὐδ᾽ ἡ πληθωρικὴ διάθεσις, ἀλλὰ κακοχυμία τὸ τοιοῦτον πάθημα ἐστιν. κατὰ δὲ ταῦτα καὶ ἐπὶ τῆς μελαίνης χο-

λῆς καὶ τοῦ φλέγματος· ὅταν δὲ, ὡς εἴρηται πρόσθεν, ἢ βάρος, ἢ ὄγκος ὑπὲρ τὸ κατὰ φύσιν ἢ πληρωθικὴ μὲν, ἢ τοιαύτη διάθεσις εἴρηται.

Quod est, *si sola pallida bilis, quam & flauam nominant, aliquando superauerit, vt in Regio morbo laborantibus, non adhuc plenitudo, neque plethorica dispositio: sed cacochymia huiusmodi affectus est. Hoc pacto in atra bile & pituita dicendum. Vbi verò (vt antea dictum est) vel grauitas, vel tumor, supra naturam sit, plethorica quidem talis dispositio dicetur.* Ex quibus euidentissimum illud relinquitur, vnius tantum humoris redundantiam (si vnum tantum sanguinem excipias, in quo confusi inesse solent reliqui omnes humores, & qui inauctus plenitudinem facere solet) non esse plenitudinis nomine æstimandam: quod non omnes æquabiliter succi inter se adaucti sint: quod ad plenitudinẽ seu plethora necessariũ esse Gal. 13. meth. med. affirmauit, inquiens. ὅταν μὲν ὁμοτίμως ἀλλήλοις αὐξηθῶσιν οἱ χυμοὶ, πλῆθος τοῦτο καὶ πληθώραν ὀνομάζουσι. Cùm, inquit, ęquabiliter inter se succi adaucti sunt, id & plenitudinem & plethoram vocant. Quæ à me in id de industria allata sunt, vt quorundam errorem euerterem, qui cacochymiam plenitudinis esse speciem arbitrantur. Cùm sit plenitudo, ita definiente Galeno, humorum in vniuerso corpore abundantia. Quod tamen haudquaquam ita intelligendum est, vt adauctos esse æqua proportione humores ad plenitudinẽ inferendam oporteat, vt vnus alium copia, & proportione non vincat. Nam neque id intellexit Galenus, cùm ait æquabiliter auctos succos plenitudinem esse, & idipsum quoque raro admodum accidere soleat: sed quod increuisse omnes necesse sit, vt plethorica dispositio. Proinde nihil obstat quominus plenitudo dici mereatur, si illorum vnus proportione reliquos superauerit: modo omnes in vasis supra iustum naturæ modum, pro sui quisque ratione adaucti sint: & id sanè ὁμοτίμως dictio, in definitione plethoræ, lib. 13. meth. meden. apposita, hoc est, æquabiliter, significare videtur. Nostram hanc sententiam confirmant ea, quę de hac ipsa re à Galeno, lib. de ple-

plenitudine tradita sunt. πλεονεξία δέ ἐστι (inquit) τὸ πλῆθος τῶν καθ' ὅλον τὸ σῶμα τῶ ζώου χυμῶν. οὔτ' οἰδούντων κατὰ μέρος ὀγκῶν, οὔτε κακοχυμίας ἀκούειν χρὴ ποθοῦν ἐν τῷ λόγῳ, τὰς δὲ τὰς ἰδέας, ἀλλ' ὅταν ἤτοι κατὰ τὴν ἀρχαίαν ἀναλογίαν αὐξηθῶσιν ἅπαντες, ἢ τινὰ βραχεῖαν ὑπεροχὴν ὁ ἐ αὐτῶν εἷς λάβοι. τὸ μὲν οὖν αἷμα παμπόλλην ὑπεροχὴν δύναται λαβεῖν, ἐν ταῖς πληθωρικοῖς διαθέσεσι, τῶν δὲ ἄλλων χυμῶν οὐδείς. Quod est, *Plenitudo est humorum in animantis vniuerso corpore redundantia. Neque igitur particularium tumorum, neque vitiosi succi species in hoc sermone audire desiderandum est: sed cum vniuersi iuxta pristinam proportionem increuerint, vel exiguum quendam excessum, vnus inter eos ceperit. Itaque sanguis in plethoricis statibus vehementer potest præcellere, aliorum humorum nullus.* Hactenus Galeni verba, bona sumus fide interpretati, ex quibus apertissimum relinquitur, extra plenitudinis aleam, & particulares tumores qui variis in partibus accidunt, & vitiosi succi redundantiam, reiiciendã esse. At hæc de plenitudine satis. De inanitione pauca dicamus. Inanitionem porro Gal. de Hip. sententia, vasorum euacuationem vult esse. quoniam in omnibus euacuationibus (vt idem ait) contingit vasa inaniri, quorum euacuatio, vt nõ vno nec simplici modo fit, sic sane multiplices esse inanitionis modos contingit. Inaniunt siquidem sanguinis missio, purgatio, clisteres, cucurbitulæ, vomitus, inedia, sudor, balneum, vrinæ proritatio, mensium, & hæmorrhoidum prouocatio, sputum, concubitus, & insensilis, quæ per omne corpus fit, transpiratio. Hæc enim vniuersa inanire dicuntur, quod per hæc vasa ea, quæ premebantur vel plethora, vel succorum vitio, euacuentur. De quibus omnibus suis in locis tractabimus. Atque hic finis esto.

lib. 1. aph. com. 2.

De plenitate & inanitione, Hippocratis & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

Ex plenitate multa mala ab his diuersa, quę ex inanitione fiunt. *lib. de vet. med.*

Inanitionis, seu vacuationis multa mala nō minùs iis, quę ex repletione fiunt, grauia sunt. *eod lib.*

Plenitatis indices sunt, & signa, mucus, & saliua, seu sputum. *lib. 3. de diæta.*

Plenitudo, seu repletio paulatim collecta in morbum adducit, cùm cibi superant labores. *lib. 3. de diæta.*

Plenitatis varia mala. *eod. lib.*

Plenitatis varię curationes. *lib. de vet. med. & lib de morb. qui extra. & lib. 2. aph. 17.*

Plenitas tum fit, cùm humoris corpori plus accedit, vnúsque alios superat. *lib. 4. de morb.*

Plenitatis notę sunt, suppurationes, abscessúsve, siue tumores locorum, redundantiam enim hæc significant. *lib. 6. de pop. morb.*

Plenitas nimia patet, cum venę translucent *lib. 6. de pop. morb. ex Caluo*, quanquam aliter Cornarius verterit.

Plenitatis superfluę signum est, si carnes gustu salsę videantur. *lib. 6. de pop. morb.*

Plenitatis pręceptio ea est, vt bonum habitum soluere confestim aggrediamur, quod habitus, qui ad summum bonitatis attingūt periculosi sint, ob id bonum habitum statim soluere expedit, vt corpus, &c. *lib. 1. aph. 3.*

Qui natura admodum crassi sunt, citius intereunt quàm qui graciles. *lib. 3. aph 44.*

Plurimùm, atq; repentè repleri periculosum *lib. 2. aph. 51.*

Ex repletione quicunq; morbi fiunt, euacuatio sanat. *lib. 7. aph. 22.*

Plenitatis signa sunt, quod nonnullis corpus dolet: quibusdam quęuis pars. *lib. de diæta.*

Plenitatis humorum signum, sudor multus ex somno factus, absq; manifesta ocasione. *lib. 4 aph. com. 41. & lib. 7. aph. 62.*

Impleri potu, quàm cibis facilius. *lib. 2. aph. 11.*

GALENI.

PLENITVDO est humorū in animātis corpore abundantia. *lib. de plenit.*

Plenum id dicimus esse, cùm eius capedo ab alio corpore vno, vel pluribus occupatur: cùm nihil præter aërem cõtinet, vacuum. *lib. 3. de puls. diff.*

Plenitudo duplex quo ad vasa, & quo ad virtutem. *Com. 2. ad libr. de nat. hum. super textu, Quos repletio parit morbos. & lib. de Plenit. & lib. 10. meth. med. de sang. missione aduersus Erasistrateos.*

Plenitudo vt ad vires tum inficit humores, tum in mẽbra imbecilliora fluxionem immittit: Plenitudo vt ad infusionem & ora vasorum recludit, & ea dirumpit. *Com. 2. ad lib. de nat. hum. super textu, Quos repletio parit morbos.*

Plenitudinis vtriusque noxæ. *Com. eod. & lib. de sang. miss. aduersus Erasistrateos.*

Plenitudinis affectus quibus discutiatur modis, ex Erasistrato *lib. de sang. miss. aduersus Erasistrateos.*

Plenitudini curandæ adhibenda distinctio, iuxta morborum in quos ex eaincidere solent varietatẽ, vt præcipit Gal. *lib. de sang. miss. aduersus Eristrateos.*

Plenitudinis quò ad virtutem signa, item quò ad vasa. *lib. de sang. miss. cap. 4. & 6.*

Plenitudo quo ad vasa semper venæ sectionem indicat, cacochymia non perpetuo, vti nec degrauans multitudo. *lib. de sang. miss. cap. 6.*

Plenitudo morbos parit. *lib. 2. aph. com. 22.*

Plenitudinis morbis qui subiiciuntur, per venæ sectionẽ curari debent: pharmaco autem qui ex corruptione. *Lib. 6. aph. com. 47.*

Ex plenitudine dispositionum, commune auxilium est venæ sectio. *com. eod.*

Plethora est vbi æquabiliter succi adaucti sunt. *Lib. 13. meth. cap. 6. & lib. de plenit.*

Plethora Erasistrato, est humorum redundantia. *lib. 2. de comp. medic. secundùm loc.*

Plethora is tantùm æstimatur affectus, qui ad vasa est. *lib. de plenit.*

Plethorici vitij signa robur in facie, in oculis dolor, in capite grauitas. *com. 3. ad libr. de pop. morb. super text. Virginem quandam Larissæ.*

Plethoræ signa non rectè è tumore corporis sumi. *lib. de (plenit.*

In plethoricis dispositionibus, sanguis amplissimum excessum adipisci potest, aliorum humorum nullus potest. *Lib.*

de plenit.

Plethora fit in deside vita, & minimè laboriosa. *Lib. 2. de morb. caus. cap. 3.*

Plethora curatur sanguinis missione, exercitatione, balneo, frictione, & digerentibus medicamentis. *lib. 11. meth. med.*

Plethorici casus, tubercula, & dolores articulorum, repletis accidunt *lib. 2. aph. com. 45.*

in Plethoricis dispositionibus somnus aggrauat cerebrũ. *lib. 4. aph. com. 67.*

Inanitio vasorum, Hippocrati nominari euacuatio solet, quoniam in omnibus euacuationibus contingit vasa inaniri. *lib. 1. aph com. 2.*

Inanitio singultum & conuulsionem facit. *Lib. 6. aph. Com. 39.*

Inanitio conuulsionem facit insanabilem. *Lib. 5. aph. com. 1. & 4.*

De concubitu seu re Venerea. CAP. XIII.

Animantibus cunctis ingenitum à natura esse, sui conseruandi, ac propagandi desiderium, quo se ab interitu, sobolis procreatione vendicent, ipsa sensuum fide exploratũ, perspectúmque habemus. Qua igitur arte in specierum propaganda serie vsa esse natura videtur, vt semper pro eo animali, quod corrũpitur (incorruptile nanque fieri non potuit quod ex arteris, venis, neruis, carne fragili, & vtique caduca materia coalitum esset) nouum aliud in eius vicem animal substitueretur? Cõcipiendi organa, seminisque genitalis proferendi omnibus animantibus natura dedit, ipsisque genitalibus partibus mirificam quãdam procreãdi virtutem: quæ ne irrita euaderet, ineffabilem quandam animantibus ingenerauit concumbendi appetitum. Cui & ipsi delectationis, voluptatisque insignis illecebras copulauit, vt blando hoc naturæ sensu stimulata, accensáque animantia, in venerem prona, generis propagandi causa ferrentur: atque ob id vt nullũ animalis genus deficeret, & quod in singularibus perfici naturæ lege non potuit, id in specie seruaretur. Communem coniunctionis appetitum animalibus, ex æquo omnibus indidit, quam maris & fœminæ coniunctionem, concubitum, atque congressum recte vocamus. De quo nobis hoc capite futura est tractatio, id de eo indicantes, ecquis nam sit illius

finis

finis, cui ætati, temperamento, atque naturæ conueniat voluptas ea, quæ in eo tanta percipitur, vnde nascatur: quæ salubris congrediendi ratio: postremo cur mas & fœmina alter alterius coniunctionem desideret: quibus absolutis finem faciemus. Congrediuntur autem in id animalia, vt genus quodque suum prolis successione, proferant: & semen quo se grauari sentiunt, in naturæ solum (muliebres inquam locos) ad fœcunditatem, & generis propagationem magna cum voluptate ceu immortalitatis seminarium eiaculentur. Hic certè concubitus fructus est, hic finis, generis propagatio, & perpetua sobolis procreatione collabentis naturæ renouatio quędam, qua subsistere rerum species queant. Quæ cum ita se habeant, mirari subit quid Epicuro summo philosopho in mentem venerit, dum venereorum nullum esse vsum salubrem (id de eo asserente Galeno) astruere ausus est. Quod haud sine aliqua ratione tantum philosophum effecisse, credi meritò potest: moderatione enim animi, corporearúmq; voluptatum (veneris præsertim) contemptu ad id asserendũ inductum fuisse, existimare consentaneum est. Fuit enim Epicurus (vt de eo Diog. Laertius tradit) vir immensa bonitate, pietate, beneficentia, mansuetudine, Deorum, patrię, & amicorum eximius cultor, ac planè is, qui omnes virtutis numeros teneret: adeò erat in victu temperãs, in omni vita modestus, honesti, atque decori rigidus obseruator (& quod ad animi dotes, rerúmque magnarum cognitione in pertinet) nemini cuiquam cedens: vt haud immerito Senec. grauissimus autor ex illius ditissimo penu, sententiis acute grauitérque dictis, epistolas ad Lucilium suum exornarit, vt nulla pene sit epist. quam non Epicuri sententia quapia claudat. Sed quorsum tanta de Epicuro? Illud vt ostendam, nullum ob id veneris in sanitate vsum statuisse, quod existimaret veneris etiam moderato vsu, & corporis & animi vires labefactari, imbecilliorésque reddi, Pythagoræ (vt puto) dogmatis memor, qui cum rogatus esset, ecquando congrediendum cum fœmina foret, Cùm voles (inquit) te ipso fieri debilior, vt de eo Laertius. Hac itaque (arbitror) ratione inductus Epicurus nullum veneri in sanitate locum constituit. At verò moderatæ veneris salutarem quandoque esse vsum, & ad procreationem necessarium, & suadet ratio, & docet in arte medicinali Gal. Equidem salutaris haberi tum venus rectè potest,

In ar. medicinali.

Lib. 10. de vita philosophorum.

Caussa... cõmaligne ... [illegible]

Gal.in ar te medicinali. interuallo repetita tam longo,vt exolutio virium , inanitásque non sentiatur , & ipse qui vtitur seipso leuior esse, faciliúsque respirare videatur , alleuatus scilicet eo, quo veluti sarcina premebatur,genitalis seminis copia. Nam cùm semẽ in vasis seminariis, atque testibus redundat, id omnino vel commodè,atque in tempore excerni, vel in alienam quandã degenerare naturam, tetrámque asciscere qualitatem oportet , à qua grauissima sępenumerò corpori accidentia inuehuntur,vt in iis mulieribus, quæ hystericis premuntur symptomatis,vterique,à semine retento, strangulatu afficiuntur, experiri licet, pręsertim si & florenti ętate, & optimo corporis habitu,temperamento calido & humido præditæ, pleniore fuerint victu vsæ. *In Timeo.* In huiusmodi enim (vt 6. de loc.aff. affirmat Gal. & prius asseruit Plato) nisi congressu semen excernatur,lethalia planè, & admiranda symptomata oriũtur:spirandi difficultas,alienatio,conuulsio, varia corporis ac mentis iactatio,grauitas corporis, oscitationes, pandiculationes,suspiria,gemitus: quòd his semen retentum, haud secus atque alia superuacanea naturę onera corpus degrauet, pigrúmque reddat, & functionibus obeundis ineptum. Refrigerat verò tam vehementer interdum retentum præter naturam semen,vniuersa,vt fermè respiratio pereat, vt pręcitato de loc. aff. lib. testatur Gal. Si igitur hoc onere leuetur corpus,nulla tum prorsus grauitate premetur , sed seipso leuior esse factus homo videbitur, faciliúsque spirabit. Hoc itaque commodi moderata venus adfert , vt leuitatem cor- *lib.1.ca.1.* pori inferat, & meliorem illi habitum conciliet. Vnde illud rectissimè Celsus dixisse est visus,Raram venerem corpus excitare.Ergo saluberrima tum venus iure censebitur , si eatenus exerceatur, quatenus vires corporis non lędat, & alacritatem quandam qui commodè vtitur sentiat. Nec enim vnus atque idem in omnibus exercendę veneris modus statui potest, quãdo non omnes paribus temporum interuallis,venere sine corporis incommodo vti possunt. Ætate enim florentibus , iisque calido & humido temperamento prędictis, succulentis,& optimo corporis habitu constantibus, innoxia venus est : vt qui & semine copioso , & robore virium abundẽt ob id citra noxam plus cęteris indulgere veneri possunt, vti senes, attenuati, imbecilles, & qui frigido & sicco temperamento sunt , minùs tutò ea vti possunt , vt quibus (autore Galen.)

Galen.) sit inimicissima venus. Ac proinde modestis hominibus solemne est, venere non ad voluptatem, sed ad necessitatem, nempè prolis susceptionem, aut superflui excernendi alleuationem vti: in id pręcipuè, vt id detrimenti vitent, quod ab semine retento accidere corpori solet. Quę docta Galeni 6. de loc. aff. sententia est Si enim voluptate (esca malorum) ad congressum non ductu naturę impellamur, futurum profectò est, vt non corporis modò, sed & animi vires frangantur penè omnes, prorsúsque vna cum vita pereant. Frequens. n. venus habitum corporis soluit, senectutem accelerat, canos maturat, neruorum incontinentiam, podagras, arthritides, tremores, sensuum hebetudinem, mentis torporem, malum corporis habitum, succorum cruditatem, ac virium corporis omnium, functionúmque ab his manantium infirmitatem facit: non ob id solum, quod voluptate multa veneris motus acrius intendatur (quę vna res magnam, atque mirificam solet virium imbecillitatem, autore Galeno, creare) sed quod à crebro concubitu multa fiat natiui spiritus, atque caloris dissolutio: ita vt ab eo plurimùm vniuersum corpus refrigeretur, infirmúmque tandem, ac languidum efficiatur. Hinc illud Democriti, venerem ob id omnifariam damnantis (testante Plin.) quod homo alius ex homine exiliret, veneris raritas (inquit) vtilior. & Celsus, frequens concubitus soluit, rarus excitat. Quid plura? Cum semen, quod plurimum ex crebro concubitu excernitur, & natiui caloris, & vitalis spiritus plurimum contineat, efficitur, vt repentinam virium defectionem, vitęque tandem periculum adferat: quòd non solum quicquid seminis in testibus elaboratum est, sed & in vasis seminariis, & reliquo corpore per modicam venerē excernatur, vt in qua testes, vbi primum per veneris impetum quod continent seminis excreuerint, a proximis venis nouā rursus seminis materiam attrahunt, atque rursus hę ab aliis sibi vicinis, atque illę rursus à proximioribus, tandiu continuato attractationis motu, donec ipsis solidis partibus (quarum robore, & firmitate regitur animal) nutrimentum auferatur. Vnde totum elanguescit, exoluitúrque corporis robur. Inde macies, pallórque corporis, articulorum dolores, virium omnimoda defectio, pulcherrima sanè efferatę libidinis pręmia. De Veneris incommodis diximus. De cupiditate ea qua ad venerem quasi ęstuantes accendimur, tum de vo-

Lib. 1. de semine.

lib. 28. natu. hist. c. 6

Lib. 2. c. 1.

luptate quæ mirifica in concubitu sentitur, vnde prodeat dicendum. Naturæ ductu excitari ad concubitum animalia, vnum est ex publicè tum Medicis omnibus, tum Philosophis concessum. Commune enim animantium omnium est (vt bellè Cic.tradit) coniunctionis appetitus, procreandi causa. Excitatur porrò in animantibus desiderium huiusmodi, humoris cuiuspiam genitalis, atque prolifici titillatu, qui ad sui excretionem in vasis & partibus genitalibus turgens, vehemẽter animal impellit, vnde ad concubitum ingens innascitur cupiditas animantibus ętate florẽtibus, & virtute validis. Nõ enim solummodo ex eo quod voluit Deus formator, plastes corporis nostri, aut vehementem veneris cõcupiscentiam innasci, aut vehementem delectationẽ copulari (ait Gal.) nest animalibus cõcupiscere, & delectari, sed ex materia & organis idoneis ad generandi munus præparatis. Continetur.n. in locellis muliebribus, atque in genitalibus virorum partibus, serosa quædam humiditas, acre quid & mordax habens, atque ad particularũ vsum & delectationem titillatu & motu suo excitare potens. Simile nanque in huiusmodi humoris redundantia, atque motu accididit, atq; iis euenire solet, quibus sub cute acris, & mordax constiterit succus: qui cùm acrimonia sua, & vellicatu pungat, atque ad scalptum stimulet, & scalpendi desiderium, & declinationẽ mot atq; pruritu excitat. Cùm igitur genitalis ille serosus humor, copia redundans (atque ob id euacuari egens) & natura acris ac pũgens, spiritúque multo calidóque turgẽs ad sui excretionẽ animal excitet, eo in motu & mira quędam innascitur ad concumbendum tentigo, & incredibilis quædam voluptas, ob iucundi humoris titillatum qui blando quodam sensu genitales partes afficiat. Eo fit, vt suauissima res (quod Arist. in problematis ait) cõcubitus sit, aut quod è toto corpore profluat semen, aut quia per eam partem se promit, in quam meatus omnes, venæque applicentur omnes & coëant, similisque in congressu, atque in prurigine fit voluptas, vt corpus gestiat vniuersum. Cùm autem & particula[illegible] multo cute sensiles magis à naturæ sint constitutę, delectemur autem plurimùm aceruata sub cute animalis acredine humorum, vbi scalptu, atq; attrectatu illam exagitamus, nihil sanè admirari oportet excitatæ in ipso cõcubitu delectationis vehemẽtiã, neque precedẽtis delectationẽ desiderij. Id.n. de industria machinatæ esse sapiẽtiss. animaliũ natura videtur, vt cõgressui sũma quędã

Lib.14. de vsu par. cap.9.

voluptas, blandúsque copularetur sensus, vt eius desiderio potiundi incitata animalia in venerem prona propagandi generis causa ferrentur. Voluptatis in concubitu perceptæ causas, pro ingenij nostri captu attulimus, exercendæ veneris salutaria modo præcepta tradamus, quibus citra noxam corporisque infirmitatem vti ea possimus. Qui concúbere salutariter, prolisque suscipiendæ gratia desiderat, hunc sano in primis valentique corpore ac florenti ætate per naturæ indulgentiam esse oportet. Est enim venus robustorum tantú ætatéque florentium propria, vt 2. de tuenda valetudine tradit Gal. Cibis vti quàm valentissimis, & qui succum optimú, cúmque copiosissimum generent: vt verno tempore plusquam cæteris anni temporibus venus exerceatur: vt vino, quod & valentissimum sit, & vires augere possit, qui concumbit vtatur: vt desinentibus mensibus, atque cessantibus non etiamnum fluentibus veneri operam det. Qui enim in mensium fluxu concubitus exercetur, exitialis & pestifer, tum ei qui commiscetur, tum fœtui, si fortè in menstruis posita muliere conceptus fiat, esse solet. Testatur Plin. si in defectu Lunæ Solisve congruat vis illa mensium, irremediabilem fieri. *li.28.nat. hist.cap.7.* Non segnius & in silente Luna concubitus factos, si menstruis teneatur mulier, exitiales esse, atque pestiferos. Hæc homini mala contingunt, fœtui illa, vt plerunque inualidus, impurus, morbosus, minimè vitalis, & sordidus, tetraque luc madens qui sic generatus est, prodeat oporteat. Fieri nanque minime potest, vt qui sanguine vitiato & excrementitio, atque polluto genitus est, (qualis menstruus qui fluit esse solet) non & ipse vitiosus, grauis, fœtidus, & vlceribus plenus nascatur. Vnde sæpe in genitis psoræ, lepræ, elephantiases, impetigines, alphi, cutis, & faciei tetræ decolorationes, & id genus vitia apparere solent. Illud præterea in congressu obseruandum, ne corpore, ventriculóque onustis: aut supramodú inanito corpore, veneri operam demus: ne corpore item aut nimis calefacto, aut refrigerato, aut commoto, & laboribus aut vigiliis fatigato, aut animi perturbationibus affecto, id munus exerceamus. Ex huiusmodi enim excessibus, aut plurimùm virtus exoluitur, aut cruditas plurima in vasis, & ventriculo generatur. Ac proinde tempus ad venere vtendum opportunum id fuerit, cùm, vt ait Gal. in excessum omnium mediocritate corpus fuerit constitutum: cùm scilicet neque *In ar'eme dicinali.c.*

supra modum plenum,neque vacuum extiterit.Quod si las-
ciuientis naturæ impetu aberrare ab hoc scopo contigerit,
melius sanè fuerit,calefacto magis, quàm refrigerato,pleno,
quàm vacuo,& humecto potius,quàm exsiccato corpore ,ve-
nere vtendum:minus enim sic noxæ contrahitur. Refrigeratis nan-
que,inanitis,& exiccatis corporibus nocentissima , & ad per-
Lib.1.c.1. nitiem ducens venus esse solet,vt 2.de san.tu.Gal . Eum por-
rò concubitum non inutilem esse Celsus iure existimat ,quẽ
corporis lãguor,neq; dolor sequitur.Idem interdiu peior est,
noctu tutior:ita tamen si neque illum cibus,neq; hunc cum
vigilia labor statim sequitur.Hæc autem de venere præcep-
lib.de su- ta nobis Hipp.dedit.*Vir*(inquit)*crapula distentus ne esto* (*ebrij*
perfœtatio- *enim semen, vt Arabs Auic.ait,non generat*) *nec vinum album*
ne mulierũ *potato,sed rubrum validissimum , meracissimumque : cibariáque*
quàm valentissima comedito,validus,sanúsque esto,cibísque qui ad
id negotium non faciant abstineto.Tẽpus verò(subdit)*ad concep-*
tionem idoneum est vernum Illud item summopere cauendum
li.4.prob. ne frequens nimis congressus fiat. Nam vt Arist.ait concum-
9. bere non oportet,nisi res turgente corpore vrgeat. Frequens
Fẽ.20.3.r nanque concubitus præter id quod corpus exoluit ,viresque
tu tra.1.c. debilitat,fœcunditati parum dexter habetur , vt docta est A-
13. uicennæ sententia.Nimio enim congressu prolificus ille spi-
ritus in semine contentus,prorsum euolat,vnde frigidius red
di omnino semen oportet,quod & ipsum sufficienter calidũ,
album,crassum,spiritúque,& vitali calore plenum esse opor
tet,si Arist.& Gal.fides habenda.Is porrò frequens intelligi
2. *de gen.* concubitus debet , qui ad naturam & vires vtentis refertur,
ani.ca. 2. cùm inquam vtenti languorem , imbecillitatémque attule-
li.1.& 2. rit.Solet enim is(vt doctissimè Paulus dixit) corpus ,rarius,
de semi. frigidius,imbecilliúsque reddere .Nec prius tamen congre-
Paul.lib. diendum(cùm vrgente seminis copia ad veneris vsum impel-
1.cap.37. limur)quàm aluo vesicáque exoneratis,sed maximè vesica,ea
enim intenta(quod Aristoteles tradit)parum probè concu-
lib.4.pro- bitus procedit.Quænam autem hora exercendæ veneri ac-
bl. probl. commodatior sit ,num à cibo,& ante somnum , vt Paulus &
20. Aetius voluerunt,num confecto iam cibo , & post somnum
vt Gal.haud sanè leuis quæstio fuerit.Habet enim quæque
Paul.li.1. pars validissimas quibus se tueatur rationes. Qui enim à ci-
cap.35. bo & ante somnum concumbendi vsum consulunt,vt Paulus,
Aetius li. & Aëtius , noxæ quam adferre concubitus solet , prospexisse
sunt

sunt visi. Minor nanque si quis à cibo & ante somnum concumbat, moxque se quieti, & somno det, virium resolutio sequitur, & si qua facta sit, somno ea facilè resarcitur, & mulier id temporis somnum capiens genitale illapsum semen fortius retinet. Quibus illi rationibus inducti, congredi à cibo & ante somnum salubrius esse dixerunt. Hipp. & Gal. (illa sentẽtia, labor, cibus, potio, somnus, venus, omnia mediocria) rectum concumbendi ordinem tradidisse sunt visi: vt labor quidem cibum, cibus potionem, potio somnum, somnus venerem præcedat. Ergo venus concocto iam cibo post somnũ exercenda, vt 2. de san. tu. Galenus. Ita mihi vero de tota re constituendum videtur, vt salutarius, commodiúsque haberi debeat, etiam si non ad satietatem ingestus sit cibus, à somno & post cibi confectionem, quàm ante somnum & à cibo veneri indulgere. Nam si duabus tribúsve à cibo horis quis concumbat, fieri nullo pacto potest, quin peruertatur eo motu, & valido agitatu in ventre concoctio. Quanquam enim insequens somnus, ac quies vires à congressu vt cunque delassatas reficiant: resarcire tamen cibi in ventriculo cruditatem à venere conceptam minimè possunt. Itaque ne & cruditatem, & lassitudinem intempestiua, & præpropera venus adferat, censeo non à cibo & ante somnum (quod plerique facere solent) congrediendum, sed vbi aliquantum prius somni accesserit, & leuiorem ventriculum senserint, quod ferè sub auroram fieri experimur. Tum enim securi concumbere possumus, si deinum quod reliquum est antelucani temporis, sõno iterum & quieti dederimus. Sic enim nec cruditas noxam adferet, nec lassitudo langorem. Hæc tuta atque salubris, & ad prolem generandam apta concumbendi ratio. Nunc vero quod postremo nobis dicendum est, Cur fœmina marem desideret, & alter alterius ope ad congressum, prolísque susceptionẽ indig ea explicemus. Generationis animaliũ principia marem ac fœminam esse, marem vt quod motus & generationis originem teneat, fœminam vt quod materiæ, summus philosophorum Aristoteles prodidit. Marem porro idem autor id animal vocat, quod in alio gignit, fœminam, quod in se ipso. Qamobrem cum quæ natura oriuntur animalia, ex semine genitali, ac sanguine menstruo consistant, generationisque suæ primordia ducant, hæc autem à mare fœmináque suppeditari sit necesse (in iis enim, atque ex his hæc seminis

Cur fœmina marem desideret.

li. 1. de ge. animal. c. & lib. 2. c. 1.

li. 1. de ge. ani. cap. 2.

genitalis,ac sanguinis menstrui secretio fit (ideo mas & fœmina principium conferunt generationis. Si quandò enim generatio fieri debet commisceantur, coeántque necesse est,vt ex ambobus sic iunctis ,ac copulatis vnum tandem animal fiat. Hoc sanè Arist.affirmauit,& sacer Moses in sacra

Genes.2. Geneseos historia,spiritu Dei afflatus testatur.Et erunt (inquit)duo in carne vna .Concurrunt enim profectò in procreatione fœtus mas & fœmina,quæ & ipsa adiutorium simile viri ab eodem Mose appellata est. Atque hæc præcipua causa,cur alter alterius opem in procreatione desideret,vt ex ambobus vnum quasi fiat vtriusque particeps.Maris item, ac fœminæ societate ob id opus est,quod cùm vtriusque dispar ac diuersa omninò facultas sit : neque ex alterutro solū omnis ad generandum necessaria potentia manare possit,efficitur,vt coniunctione maris ac fœminæ ad procreandum sit opus. Nec facultate solùm,sed & partibus corporis quibusdam,mas & fœmina discrepant.Alias enim partes mas ,& forma & situ discretas ad generandum , alias fœmina obtinet.Itaque cùm & facultate,& munere quodam,atque officio mas & fœmina distinguantur , ad omnem autem officij functionem,& materia,& effectiuo principio & instrumento opus sit , ob id sanè necesse est in procreationis munere marem ac fœminam conuenire,vt alter materiam,& instrumēta ad generationis munus idonea , alter effectiuum principium subministret.Ad procreationem enim partes aliquas esse accommodatas,easque inter se diuersas necesse est , quibus mas à fœmina differat.Nam etsi de toto animali (quod

li.1. de gene.ani.c.2. Arist.tradit)mas & fœmina dicitur , tamen non quauis sui parte,potentiáque idem mas,aut fœmina est,sed certa quadam virtute & parte. Sunt verò partes huiusmodi in fœmina,vuluæ,& vteri,vasa seminaria:in mare autem testes ,& coles,seminis conceptacula. Quæ sanè separata,atque discreta cum generandi munus explere nequeant,coniungi ea oportet ob eam,quæ ex copula sequitur,vtilitatem.Maris itaque ac fœminæ coniunctione,ad procreationem necessariò est opus.Vnde Empedocl.(citante Arist.)illud appositissimè dixisse est visus maris,ac fœminę,quasi symbolum esse,totum

li. 1.de ge. anim.c.18. verò à neutro proficisci,nec ex vtroque eadem secedere : ob id alterum,alterius coitum,ac copulam desiderare,quod materiam fœmina:mas principium motus præbeat. Sic enim

con

continuò alterum agit, alterum patitur, agit mas, patitur fœmina. Sed omnium efficacissimā adfert Arist. rationem, qua de causa fœmina marem desideret, nec ex se ipsa generare possit: quod scilicet animal sensu à planta differat, nec fieri posse vt vel facies, vel manus, vel alia quæpiam pars sit, nisi anima sensualis insit, aut actu, aut potentia: & aut aliquatenus, aut simpliciter. Erit enim (subdit idem) vt mortuus, aut pars mortui. Cúmque mas semen genitale proiiciat, potentia animatum (vt Gal. affirmat, sensualisque animæ mas sit efficiens, vt conceptis verbis Arist. tradit) fieri sanè non potest, vt ex se ipsa fœmina animal generet, sed virum quocum congrediatur desideret, illiúsque societatem coniunctionémque concupiscat. Equidem cùm complexu, coitúque generatio procedat (id quod sine maris & fœminæ coniunctione perfici nullo prorsus pacto potest) necesse est ab vtroque materiam quandam emitti, & conferri, in qua illórum vis & potestas continetur: atque tanquam confluentibus principiorum & facultatum igniculis, tertium quippiam inde gignatur. Est autem materia ea, in qua principiorum, & facultatum generandi elucet potestas, vtriusque semen, maris inquàm & fœminæ, si Hipp. & & Galen. sensa sequimur, aut si Arist. menstruus sanguis, & viri genitale semen Causas attulimus omnes, cur ad procreandum, maris & fœminæ congressu sit opus: nec alterum sine altero generandi munus explere posse. Quod mas etsi gignendi principium habeat, locum tamen in quo conceptus formari, effingique potest minimè habet: fœmina vero etsi idonea ad conceptum continendum, & efformandum loca habet, principio tamen destituitur: quo fit vt neuter sine altero perfectum edere fœtum possit. Nunc vero coronidis loco (quod scitu fuerit sanè iucundissimum) id subnectamus, Cur ex nostro semine procreata, prolem id nostram appellare soleamus: non sic quæ vel ex excremento partéve aliqua prodierunt. Ea porrò quæsito huic accommoda ratio, ex Peripateticorum fontibus pleno gurgite scaturientibus consignari debet, quod si quales nos sumus, tale fuerit procreatum, nostrum id sit, eiusdémque nobiscum naturæ: sin diuersum, alienum non nostrum id esse. Itaque quoniam quod ex semine nostro prodiit id propriè nostrum & ex nostro est (nihil enim magis nostrum semine genitali, atque prolifico dici vsquam potest, vt in quo vis omnis no-

li.2.de ge. anim.c.4.

li. de sem.

vbi suprà immed.

Lib. de natura fœtus.

Gal. li. de sem. 1. & 2 li. 1. & 2. de ge. ani. c. 18 19. & 4. lib. 2.

Arist. 4. se. prob. pr. 14

stra, imago exemplar, & vitæ, atque animæ in alio renouatio sita sit) efficitur vt quod è nostro semine procreatum satúm que est, iure sanè optimo nostrûm & sit, & dicatur, vnde prolem id nostram iure meritóque nuncupamus. Quæ vero excrementa, aut putredines à nobis prodeunt, ea quidem non nostra, sed diuersa & aliena à nostra natura sunt: ob id profectò & mala & nocentia. Quod autem nocet, quodque viciosum est, id suum nullius est, nec quod alienum est, id suum cuiusque esse potest. Tubercula enim, papulas, manantia vlcera, & huiusmodi innumera alia, quæ à nobis prodeunt, quòd aliena sint, & præter naturam constent, ea tollimus atque excindimus, nec nostra prorsus sunt. Itaque ex rebus nostris, quod ex solo semine natum animans est, rectè quod ita prouenerit, prolem id esse nostram putandum est. Quæ vero ex viciato semine ortum ducunt, vel quæ corrupta in vtero sunt, quæque extra naturæ ordinem, ac legem prodeũt, vt quæ monstra appellamus, prolem id esse nostram haud quaquam dicere iure poterimus, quòd talia non sint quales ipsi sumus. Quod enim ex corrupto, aut alterato creatur semine, non sanè ex nostro, sed alieno creatur: quemadmodũ quod excrementis constiterit, vt quod ex stercore. Quod enim ex integro, & non corrupto semine progignitur, tale creari natura statuit, quale illud est de quo semen genitale prodierit. Quæ causa est, cur de equo equus, de asino asinus, de homine homo prodeat. In semine enim natura cuiusque animantis destinata manet, ob id integrum si seruetur, tale quid profert, quale fuerit id vnde deriuatum est semen. Corrupto autem semine, nihil tale enasci potest. Quamobrem ex eo prolem nostram oriri nunquam arbitrandum est. Hæc docta, & solidæ eruditionis plena Peripateticorum de re pro posita disquisitio, quam nos paulò pleniùs pro rei ipsius dignitate, tractare de industria, vt in naturæ seriis versaremur, pro ingenij nostri captu voluimus.

De concubitu, seu re venerea. Hip. & Gal. loci.

HIPPOCRATIS.

CONCVBITVRA cum viro mulier prolis causa, aut incipiẽtibus mensibus, aut desinentibus accedere ad virum debet,

bet, subtúsq; ex adstringentibus suffici. *Libr. de morb. muliebri.*

Vir si multum coeat, venæ ampliores redditæ venerem magis inducunt. *lib. de nat. puer.*

Coitus morbis à pituita cõmodus. *lib. 6. de pop. morb. sect. 5. aph. 24.*

in Coitu voluptas toti corpori accedit: quòd venæ & nerui ab omni corpore in pudendum vergunt, quibus dum aliquantulum teruntur, & calescunt, ac implentur, velut pruritus incidit, & ex hoc toti corpori voluptas, ac caliditas accedit. *lib. de genitura.*

in Coitu mulieribus, dum confricatur, ac teritur pudendum, & vteri mouentur, velut pruritus in ipsos incidit, vnde voluptas, atque caliditas toti corpori accidit. *lib. de genit.*

in Coitu voluptas accedit vena caua ad genitalia descendente, genitura impleta *lib. de ossium natura.*

in Coitu, viri magis quàm mulieres delectãtur. *li. de genit.*

ab vno Coitu gemelli fiunt, vbi contigerit genituram findi, & in duos vteri sinus peruenire, & vteri genituram susceperint: & gnus alter ad alterum non hiauerit, nec dimiserit: segregata genitura in vtroque sinu, pelliculas induit, & viuificatur, eodem modo, quo vnus fœtus. *lib. de nat. pue.*

Coiturarum mulierum ad concipiendum variæ præparationes, ac meditationes. *li. de superfœtatione.*

A veneris vsu paucula re emissa, imbecilles ob id reddimur, quòd ab omni humido genitura viri proueniat, & id quod robustissimum est excernatur. *lib. de genitura.*

Galeni.

Venus paruus morbus comitialis est. *com. 1. ad 3. de pop. morb. super text. 3. eadem erant, recensens Pythionis historiam.*

Venus, vt vacuatione plenum fieri corpus non permittit: ita stomachum vehementer labefactat. *eod. com.*

Veneris abstinentia etsi corpus implet, ventriculum & corpus confirmat. *com. eod.*

Venere immodica vtentes imbecilliores reddi, quòd plurimum effluat natiui spiritus, & caloris. *lib. 1. de sem. ad fin.*

Veneris vsum nunquam prodesse scripsit Epicurus: & Democritus concubitum paruum quendam morbum comitialẽ esse. *comm. 1. ad 3. de pop. morb. in historia Pythionis.*

Venus innoxia his tantùm est, qui calidi humidíque sunt,

tū verò his,qui genitura naturaliter abundant.*lib.6.de san.tu.*

Venus aduersa his qui frigido siccóque temperamento sunt,& senibus.*libr.6.de san.tuen.& lib.item 2.*

Venus ætate florentium tantum est,vt quibus conueniat, reliquis ætatibus inimica. *lib.2.de san.tuen.*

à Venere omnino abstinere non debēt, qui corporis constitutione sunt inculpata. *lib.6.de san.tuen.*

Venere modestis hominibus vtendum, non ob copu latam illi voluptatem,sed vt noxam vitent, quę à retento semine nasci solet, *vt de Diogene* Cynico continentissimo homine probat Gal.*lib.6.de loc.aff.cap.5.*

Veneris ex humoris genitalis,& serosi,atque acris redundantia, titillatu ac motu prouenit.*lib 14.de.vsu par.cap.9.*

Concubitus suauissima res est, vel quod semen à toto secedat, vel quod per eam viam illi transitus sit, in quam meatus omnes,venæque copulentur omnes.*Arist.4.sect.pro.16.*

in Concubitu similis atque in prurigine fit voluptas,vt corpus gestiat vniuersum *eod.probl.*

Veneris vsus à prima ætate immodicus, libidinem auget, quòd vasa genitalia amplius patentia, maiorem ad se sanguinis copiam alliciat,vt inde coëundi cupiditas magis increscat. *lib.6.de loc.aff.cap.vlt.*

Coitu immoderatiùs vtentes, od id imbeciliores euadunt,quòd seroso genitalis humore, & spiritu fraudentur,ac destituantur, parte scilicet purissima, & accedat preterea voluptas,quę vel sola idonea est ad vitales vires dissoluendas. *lib.de sem.1.*

Venerem immoderatius exercentes, humorem in vasorum reuolutione serosum non habent, quòd testes semen inde trahentes ipsa exinaniant. *lib.1.de sem.*

Coitu exacerbātur podagrę, artuum dolores, renum vitia,comitiales,atræ biles.*com. 6.de pop.morb.super text. In cresc.morb.mistio.*

Concubitus interdum refrigerando prodest,solis illis subueniens, in quibus ob naturalem intemperiem fuliginosi halitus, fumidique redundant:qui si retēti fuerint, illis grauiter nocent. iidem & à Veneris vsu in tempore modiceque adhibito vtilitatem capiunt.*com.eod.*

Venere exsiccari omne corpus constat, sed non semper alui excremēta, sed tū tantùm vbi vires labefactatæ fuerint,&

membra

membra refrigerata. *Com.6.in 6.de pop.morb.super tex. Mistio qu. in ventre sunt durat.*

post Venerem exercitatio apotherapia dicta conuenit. *..b.3.de san.tuen.*

Veneris imaginatio tentiginem parit. *Lib.6.de loc. aff cap.vlt.*

Venus multa,& neruos & cerebrum lædit,& vires elidit, atque debilitat. *Com.3.ad 3.de pop.morb.super text. Adolescens Melib.*

Venus stomachum labefactat. *Com. 1.ad 3.de pop.morb.super text.Tertio eadem erant.*

Qui vel ob ætatem, vel alia quapiam ratione imbecilles concumbunt, in iis virium infirmitas superat. *Lib. 3. de san. tuend.*

Venereorum vsus podagras parit. *lib.6.aph.com.28.*

Coitus neruosam substantiam promptissimè offendit. *Com.eod.*

Venereorum vsus, ad podagræ generationem magnam vim habet. *lib.6.aph com.30.*

Venereorum vsum antequam attingat puer, podagra nō laborat. *lib.6.aph.30.*

Veneris vsus tum salubris habendus, si tanto interuallo exerceatur, vt dissolutionem non sentiat corpus, & scipso qui vtitur leuior factus, ac melius spirare videatur. *In arte medic.cap.68.*

Venus à pituita morbis, remedio est. *Com. 6. ad 6.de pop. morb.super text.Venus.*

Veneris vsus non cunctis à pituita laborantib. sed quibus vires firmæ sunt prodest. *Com.eod.*

à Venere qui imbecilli sunt, in extremam debilitatem redacti, magnopere læduntur. *Eod.com.*

Veneris vsu qui pituita laborant, & viribus excellunt, nō dissoluuntur, sed iuuantur, Venere pituitæ copiam resiccante. *Com.eod.*

Concubitus quemadmodum & vigilia exsiccat. *Com.eod.*

Concubitus, nonnullos protinus à iuuentute imbecilliores facit *lib.6.de loc.aff.cap.5.*

Veneris abstinentia nonnullis capitis grauitatem, ciborū fastidium, febres, appetentiæ, & concoctionis imbecillitatem parit. *lib.6.de locis aff.cap.5.*

Plurimum coeuntes, Plato arboribus immodicè fructiferis comparat. *lib. 6. de loc. af. c. 5.* & eod. loco vide varias historias eorum qui à Veneris vsu abstinentes, in grauia symptomata incurrerunt.

Venus quibusdam ventris inflationem facit, vt Damagoræ, & Archesilao. *Com. 3. ad 6. de pop. morb. super tex. Aliquibus cum venere vtuntur.*

Veneris è spuma maris ortæ fabulam recipit Arist. vt testatur Gal. *lib. 1. de sem. cap. 5.*

Venus corpus eorum calefacit, quorum vires sunt firmę; infirmos autem statim calefacit, postremò vero plurimùm refrigerat. *Com. 5. in lib. 6. de pop. morb. super text. Venus.*

Venere interdicendum nutricibus, quod ab ea citentur menses, & lac virosum efficiatur. *lib. 1. de san. tuen.*

Venus tametsi prohibeat plethoram, ob vacuationem quam facit, tamen stomachum non mediocriter labefactat: quem roborat abstinentia illius, etiam si plethorem conciliet. *Com. 1. in lib. 3. epid. cap. 4.*

De Animi accidentibus. CAP. XIIII.

ANimi accidentia vocare ea medici solent, quæ animum molestia implent, ac deprimunt, motúque suo auersum à recta ratione vexant, lacerant, stimulos admouent, ac prę angustia respirare hominem non sinunt. Ea Gręci πάθη, Latini perturbationes nominare in vsu habent, tum & ea quę & animum nimietate quadam exultantis lætitię complent. Sunt autem hęc accidentia, motus concitati animi rationi non obtemperantes, vt priscis Philosophis visum est. Siquidem Zenoni Critico Stoicorum principi, animi perturbatio (quod πάθος ille vocat) definitur auersa à recta ratione, contra naturam animi commotio. Nonnulli breuius, perturbationem animi, appetitum esse vehementiorem dixerunt. Sed vehementiorem eum volunt esse, qui longius discesserit à naturę constantia. Sed quę sunt perturbationes huiusmodi, quę animum molestia tanta afficere, corpúsque subinde alterare & ab naturali statu euertere possunt? Eę à Gal. in arte medicin. numerantur. *Liquet* (inquit) *ab ipsis cueri oportere, omnes animi immodicos affectus, videlicet iræ, tristitiæ, furoris, timoris, inuidiæ. Hæc enim* (subdit)

dit) *alterant, atque à naturali statu corpus auertunt.* Fusius multo quænam sint in vniuersum ea, quę animum à recta ratione transuersum agere solent, à Cic. 4. Tusc. quæst. explicantur. sunt autem hæc, æmulatio, obtrectatio, misericordia, angor, luctus, mœror, ærumna, dolor, lamentatio, solicitudo, molestia, afflictatio, desperatio, terror, timor, pauor, verecundia, formido, maleuolentia, metus, lætitia, gaudium, inuidentia, excandescentia, odium, inimicitia, discordia, desiderium, cupiditas: quorum omnium fons atque origo intemperantia ipsa est, & vt vult Gal. auiditas inexplebilis, libro de cognosc. & curand. animi morbis, vt qua nimirum sit à tota mente, etiam à recta ratione defectio, sic auersa à præscripto rationis, vt nullo modo appetitiones animi quæ rectæ, sedatæ, tranquillæque esse solent, nec regi nec contineri queant. Quemadmodum enim temperantia ipsa animi, hoc est placida illa quietaque constantia, in qua omnis animi sedatus motus, ipsaque adeo tranquillitas posita est, appetitiones omnes animi sedat, ac temperat, efficitque vt hæ rectæ rationi pareant, sic huic inimica temperantia omnem animi statum inflammat, conturbat, peruertit, incitat: vnde & metus, & angores, & malæ cupiditates, cæteræque perturbationes omnes, ceu è fonte gignuntur. Perinde atque in corpore, vbi corruptus sanguis est, aut pituita redundat, aut bilis, ægrotationes in eo sæuique morbi nascuntur, sic in animo, vbi se cupiditates, & appetitiones immodicè intruserint, prauarumque opinionũ conturbatio (omnes siquidem animi perturbationes vel ex duobus opinatis bonis Stoici censent) sanitate animum spoliant, morbisque perturbant: mœrore inquam, inuidentia, luctu, solicitudine, metu, & aliis paulo antè enumeratis. Sed vnde nam, aut qua ex animi parte isthæc oriri dicemus; cum sit illud præcipuum animi munus ratione bene vti? Rectissime illud Plato à Pythagora (vt arbitrari equidem iustum est) edoctus dixisse, lib. de repub. quarto, & nono videtur, animi duas esse partes, alteram quæ rationis particeps, mansueta & cupiditatum domina sit, alteram quæ ferina sit, & agrestis voluptatibus ac cupiditatibus quæ non necessariæ sint, inseruiens, in participe rationis parte nihil turbidum, molestumve, sed voluit esse placidam illam quietamque animi constantiam (quam Græci γαλήνην καὶ εὐδίαν, nos tranquillitatem rectè dicimus) collocauit. In ea verò quæ ratio-

nis expers est,& cupiditatibus mancipata, motus illos turbidos iræ,cupiditatis,inuidentiæ,mœroris, contrarios inimicósque rationis iure statuit. Oriuntur itaque perturbationes eæ omnes ex ferina illa animi parte, quæ vel voluptatib. emollita,vel mali opinione perterrita frangitur,eneruatur, totáque concidit,& rationi minime paret,vt rectè definiuisse perturbationem Gal.5. de Hipp. & Platonis decretis sit visus,inquiens, Perturbatio est animi motus irrationalis contra naturam. Atque eo fieri cernimus, vt omnis perturbationum ratio in opinione posita sit. Vnde ex opinati mali specie in metum,terrorem,angorem, luctum, ac desperationem animus incidit:ex boni alicuius concepta spe,gaudium,atque lætitiam animus concipit.Hanc porro animi partem,quæ perturbationib.obnoxia tota est, idem Plato in Phædro, allegoricè equo malo, ac refractario similem facit: perinde atq; illam alteram equo bono,ac perdomito. Quæ enim pars animi diuinis insidens,perfecta tota sublimis,atque alta incedit,nullis illa perturbationib.inquinatur, sed perpetuò constans, laborémque vecturæ minimè detrectans, seu domitus equus aurigæ,hoc est rationi, paret, illique per omnia obsequitur:eoque aduersa omnia,quæ obiici possunt,fortiter contemnit ac aspernatur,nec boni percepti fruitione,aut venturi spe exultat,aut instantis mali opinione terretur. Hinc heroum fortia facta,hinc voluptatum cótemptus,virtutúmque cultus, & amor, à quibus celebres illi, conspicuique mundo manarunt Scipiones,Metelli, Fabij, Aristides, Epaminondæ innumeríque alij famæ celebritate commendabiles. At demissa illa animi pars,quæ cupiditatibus,& opinionum prauitate impletur, tota fluctuat, concidit, deiicitur, nec modum firmitatémve vllam tenere nouit.Hinc eiulatus,lamentationes,lacrymæ,luctus in rebus tristibus,hinc in secundis exultationes,gesticulationes, effusa gaudia. Hac animi peruersitate imbuti permulti publicæ famæ, eiúsque sinistræ notam collegerunt,dum cupiditatibus indulgentes,& perturbationibus cæci,honesti, decorique metas transilierunt. Ab hoc fonte Caligulæ,Nerones,Sardanapali,Heliogabali,Catilinæ,Vatinij,Verres,similiúmque perditorum hominum infausta,atq; infelix in omne æuum fama manauit. Quorsum hæc? In id sanè,vt animi cultui toti instemus,hoc est,veritati fortiter incumbamus,quæ vna rectus est animi cultus,plenáque,qua a-

litur animus (vt Plato ait) Deorũ ambrosia: atque (vt quinto de placitis Hipp. & Plat. monet Gal.) verorum scientia animum instruere & effectuosas animi motiones, bonorum studiorum cõsuetudine frangere, ac retundere studeamus: vt efferatas voluptates, libidines, mœrores, muliebres luctus, atq; pauores animi constantia procul arceamus: nec tantum illis in nobis esse loci permittamus, vt auersos nos à recta ratione agant, corpúsque (quod facere vt Gal. testimonio perturbationes ex animi solent) perditum eant. Alteratur enim ab iis corpus, & ab ea, quæ secundum naturam est consistentia plurimum euertitur. Grauiores equidẽ esse, ac perniciosiores animi, quàm corporis morbos à plerisque non dilutæ famæ autoribus est receptum. Quod hac ratiocinatione Maximus Tirius philosophus Platonicus collegisse pulcherrimè est visus. Animus (inquit) preciosior est, quàm corpus: atque ideò bonum, quod à pretiosiori prouenit, est maius. Maiori autem bono maius opponitur malum: sed maius bonum animi est potius, quàm corporis sanitas: maius igitur malũ animi, quàm corporis est morbus: vnde fit vt cùm hæc in animum incidelerint, altásque in eo radices egerint, magnam inde noxam corpus contrahat. Quid enim in corpore vnaquæque perturbationum animi pariat (quod proximè dicturus sum, vel ipso susceptæ tractationis filo inductus) non ipsa modo experientia, plenaque sensuum fides, sed & omnis Philosophorum, ac Medicorum schola, omnis historicorum plenissima bonæ frugis lectio docet. Pathematum porro animi ad inferendam corpori noxam omnium propensissima, timor, mœstia, pauor, tum ira, effusúmque gaudium haberi solent. Nam cùm ad hæc repentinæ animi motiones, celeresque ac fortes natiui caloris alterationes (quibus sæpenumero imbecilla animula oppressa succumbat) consequantur, fit omnino vt dissolutis quæ in natiuo calore consistunt animæ viribus, iisdémve nimia refrigeratione extinctis, mors consequatur: vt haud immerito Gal. Ab ipsis cauere oportet animi affectibus, quod corpus alterent, & à naturali statu euertant, appositissimè dixisse sit visus. Sed quomodo horum vnumquodque noxam infert? Timor quidem, qui prorsus nihil est (Cic. & Gal. 4. de Hipp. & Plat. testibus) quàm metus mali appropinquantis, calorẽ natiuum spiritúmque ac sanguinem intrò trudendo, penéque intrusu illo, ac subitario motu conculcando, premẽ-

In arte medicinali. c. 85.

lib. sermonum sermone vlt.

In arte medicinali. c. 85.

lib. 4. Tusc. quæst.

Libr. 2. de sympt. cau cap. 5. do, ac suffocando. Per timorem nanque, spiritus, & sanguis intro, & ad scatebram suam (nempe cor) vt vult Galen reducuntur, contrahunturque: quo nimirum motu, atque contractione efficitur vt algeant partes extremæ, vt palleat viuidus in facie color, vt tremor incidat, vt aluus non rarò soluatur, vt interrumpatur vox, concidant vires, mors etiam interdum sequatur. Ob timorem namque, subitaria quosdam morte interiisse, vbi debilis suapte natura animula, sub valido pathemate oppressa, extinctionē perpessa est, Gal. constanter asseruit. *Libr. 2. de sympt. cau cap. 5.* Ad hunc itaque modum timor, sæuum animi pathema, periculum adfert. Pauor verò, hoc est, metus insignis, mentē de loco mouens, sicuti & terror, ad eundē ferè modū exanimant, refrigerando, caloris natiui repercussu ac subitario motu præfocando, vnde extingui natiuum calorem omnino necesse sit. Mœstitia verò, quæ angor est, & ægritudo premēs animi, cum lentior sit motus, vt in quo non confertim sese calor contrahat, sed paulatim, tantum periculum, atque timor, aut pauor inferre minimè potest. Corporis tamen habitum tabefacit, vigorem eneruat, spiritum vitalem dissoluit, langoréq; corpus diuturno fatigat. Vnde est illud sapientissimi Regis, spiritus tristis exsiccat ossa. Ira autē, cū cōfertissimus sit animi ad vindictam motus, feruórque sanguinis in corde, vt Arist. atque Gal. assertione constat, calorem natiuum exsuscitat, accendit, concitat, & ab intimis ad externa valido impetu mouet: vnde iratorum corpora rubicundiora fieri, cōcitatoria, calidiora, confidentia magis, & ad omne patrandum facinus prompta, ac expedita cernimus. Itaque ex iratis nemo quisquam mortem vnquam obiit, vtpotè quibus neque calor refrigeretur, aut extinguatur, neque pressu ad intima cōfugiens præfocetur, disseminato vtiq; per irā ad corporis externa calore. *Arist. 2. pr. sec. proble. 16. Gale. 2. de san. tu. 1. de dif. feb. & 2. de morb. cau.* Gaudium verò si moderatū sit, animū exhilarat, spiritum vitalem fouet, cor imprimis, omnémque corporis habitum recreat, atque confirmat, & (vt Salomō ait) ætatem floridam facit: quòd sit mira affectio quædam naturæ valde amica. *Prou. 17.* Equidem si placidè, ac moderatè, id est cùm ratione, animus præsens concipiat bonum, affectio ea gaudium dicitur: cum autē effusè & impetu quodā, tū ea lætitia gestiēs, vel immoderata dici debet. Nascitur autē gaudiū ex opinione boni præsentis, vti cupiditas sperati boni. Cùm. n. natura duce, omnes ea quæ bona nobis vidētur sequamur, fugiamusq;

cont a

contraria, efficitur, vt ad id adipiscendum, quod bonum videatur, genio ductuq; nostro, toto impetu feramur, idque adepti in eo côquiescamus, & obuenisse nobis plurimùm lętemur. Itaque cum ita mouetur animus, vt in bono esse aliquo sibi videatur, tû planè vel cupiditate fertur, si speratû sit bonum, vel lætitia exultat, si præsens. Partes enim perturbationum animi omnium Stoici ex duobus opinatis bonis nasci, & ex duobus opinatis malis censent: ita esse quatuor, Ex bonis cupiditatem, & lætitiam: ex malis metum, & ægritudinem oriri. Vt sit lætitia præsentium bonorum, cupiditas futurorû: prout metus impendentis mali, ægritudo præsentis. Quæ enim venientia metuuntur, eadem efficiunt ægritudinem instantia. At (vt ad gaudij explicandam naturam reuertamur) si immodicum, si repentinû, si præter spem atque expectationem gaudium contingat, immedicabilem sæpenumero corpori noxam, adeoque mortem præsentem incunctanter affert. Multos enim gaudio nimio derepentè concidisse, vitámque cum morte cô																														mutasse, præter Gal. luculentam assertionem, historiæ fide constat. Chilonem Lacedæmonium, sapiêtię commendatione nobilitatum, insignémque Philosophû, præ effuso, repentinoque gaudio expirasse, dum victorem in olympia filium conspexisset, Plin scribit. Ac præter hunc quidem, & Sophoclem, & Dionysium Siciliæ tyrannum, vtroque accepto Tragicæ victoriæ nuntio, lætitiæ exuperantia raptos. In eripiendo enim spiritu, idem gaudium effusum, ac repentinum, atque fulmen potest. Dissipat enim confertum, atq; exoluit vitale omne robur, & ob id enecat. Id quod in duabus illis Romanis olim mulieribus accidisse Valerius Maximus scribit. Nunciata enim clade, quæ ad lacum Trasimenum inciderat, altera mater sospiti filio ad ipsam portâ facta obuia, medio in complexu filij expirauit: altera tristi accepto, sed falso mortis filij nuntio, ad primum redeuntis conspectum, exanimata effuso gaudio concidit, vt quam dolor non extinxerat. lætitia consumpsit. Idipsum Marco Iuuentio consuli Tiberij Gracchi collegæ accidisse idem Valerius scribit, dum receptis literis decretas ei à senatu supplicationes, ob subactam Corsicam nunciantibus, eas intentè legeret, mox collapsus mortuus humi iacuit. Philemonem (idem ait) morum grauitate conspiciendum senem, vis risus immoderati abstulit, dum asellum, ficos in conspectu positas vorantem côspexisset, darique merum asello perurbanè di-

Li.7.nat. hist.ca.53.

Li.9.cap. 12.de mortibus non vulg.

Lib. noc. attic. ca. 15. xisset, crebro anhelitu cachinnorum ludicram rem prosecutus fauces intercluso spiritu degrauauit, protinúsque extinctus est. Polycratam nobilem fœminam e Naxo insula, cognito repentè insperato gaudio, animam expirasse, de Aristot. sententia Aulus Gel. refert: atque Philippidem nobilem poëtam, cùm in certamine poëtarum præter spem vicisset, & lætissimè gauderet, inter illud gaudium repétè mortuum fuisse. Quod & de Rhodio Diagora, idem Gellius testatur, cùm tres victores filios eodem Olympiæ die, atque coronatos vidisset, in oculis atque manibus filiorum animam efflauisse. Cùm itaque (vt plenè diximus) & metus & lætitia si immodica sint, mortem adferre queant, cauendum id prudēti homini erit, ne vel rebus aduersis ac tristibus animo cadat, seq; mœrori conficiendum det: vel secundis nimium lætetur, atque efferatur. Hoc Lyricus lepido carmine monuit poëta:

Horatius li. 2. carm. ode. 10.

Rebus angustis animosus, atque
Fortis appare: sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela.

li. 2. carm. ode. III.

Et alio loco:

Æquam memento rebus in arduis
Seruare mentem: non secus in bonis
Ab insolenti temperatam
Lætitia: moriture Delli.

1. sec. pro. prob 531. Nunc iam de pudore, ac verecundia dicamus, quod tractationi de animi pathematis nihil defuisse videri possit. Aristoteles verecundiam, timorem quendam esse rectissimè dixit, Pudor enim trepidatio quædam est. Plutarchus libro de vitiosa verecundia, dolorem statuit quendam esse in nobis efficientem, vt vultum demittamus: quod tum facimus, cùm nos errore deprehensos cognoscimus, vel cùm nostris diffisi viribus, magnum quid aggredi attentamus, vt cùm apud magistratum de rebus grauibus verba habituri sumus, Regémve adituri. In his enim arduis negotiis, & metu, & solicitudine, curáque premimur, vnde fit vt hæc obituri plena laboris munia modo palleamus, modò circunfuso calore erubescamus, vt plus minúsve nobis fidimus. Diffidentia enim metum pallorémque: fiducia audaciam, & animum, subindéque viuidum in ore calorem gignit. In hoc autem pathemate (vt Gal. docet) animalis facultas imprimis quidem ad interiora

mo

mouetur, sed rursus affatim ad exteriora redit, vnde rubor in facie conspicuus apparet, vti dũ se in interiora condit, pallor. Fit autem pathema huiusmodi ob molliciem, natiuúmque timorem, cùm quis præstantioris conspectum ferre nequit: ob id fugam meditatur, nec se conspici patitur, túmque pallor, & metus, ob natiui caloris ad intima lapsum, nascitur, sed citra refrigerationem, excitante nimirum, impellentéque ratione patibilem animæ partem, nempè eam quæ timet & verecundatur: mox redit, fertúrque foras calor, eo maximè motionis modo, quo calor reuocatur iis, qui in frigida se lauerunt Hæc pulchra Galeni de pudoris seu vercundiæ generatione sententia est Quam confirmasse Plutarchus grauissimus autor est ingennue visus. Verecundia porro vbi in adolescentibus insederit iuxta Arist. sensa, affectionem quandam probam, bonæque spei indolem demonstrantem præsagit, plenéque indicare videtur: vnde est illud Comici poëtæ, Erubuit, salua res est: & meritò quidem, cùm sit verecundia pudor quidam. ingenuitas ac quasi quidam ornatus vitæ, &, vt Cicero rectè ait, custos omnium virtutum, dedecus fugẽis laudémque maximè consequens. Pathema hoc inęquali motu calorem natiuum exagitat, modò intrò trudendo, modò foras pellendo, ideoque animalem facultatem variè efficit, vt paulo anteà ex Gal. probatum. Vnde fit, vt non minus ab hoc pathemate, quàm ab aliis periclitari hominem contingat. Diodorum enim quendam dialacticæ sapientię professorem, Plin. scribit pudore defecisse, quod lusoriam quęstionẽ ab Stilbone sibi propositam dissoluere protinus non potuisset. Idipsum de Homero poëta ingeniorum fonte. Valerius narrat, qui cùm quæstionem à piscatoribus positam dissoluere nequiuisset, dolore pudoréque absumptum decessisse. Quum igitur pathematum animi tanta sit in corpore euertendo potentia, tanta vis vt mortem vel repentinam adferre queant (vt exemplis præpositis demonstratum) à medico negligi minimè debent, sed in eo totus esse, omníque studio in id incumbere, vt in quo horum vestigia impressionem facere in corpus viderit, protinus corrigere ea satagat: iracundiã lenitate, mansuetudine, ac comitate demulceat: metum & formidinem abigere, animi firmitate, atque constãtia doceat: quæ mollicie animi metuuntur, metuenda tantopere non esse ęgris animis persuadet, docens vel malum non esse quod

Li. de vitiosa verecundia.

In particionibus.

Lib. 2. de sympt. cau cap. 5.

lib. 7. nat. hist. c. 53.

lib. 9. c. 12.

timetur:vel si malum sit,leue esse, & toleratu facilius q̃ ipse sibi æger persuaserit: verecundiã,qua quis formidine oppressus magna aggredi nõ audet,laude,ac cõmendatione generãdę rei confirmet, nec viri esse,aspectũ magnorũ formidare, quod pusilli animi semper habitũ est, sed contrà magnanimi esse,in magnis versari,grandia aggredi,& fortia, nec pudore recusandũ,quominus laudẽ ex egregiis factis consequamur: his remediis aduersus has animi pestes nos muniemus,eósq; quibus hæc insederint cõfirmabimus. In id etiã horũ pathematũ notio Medico necessaria est, vt de futuris morbis coniecturam facere possit. Si enim metus,& timor,atque mœstitia in quoquam diu perseuerent,ex eo (vt diuinus ait Hipp.) atra bilis significatur. Perpendendas autem esse has animi à Medico perturbationes, idem Hip. luculentissimè demonstrauit.dum expendendum in epidemiis ait, nunc ipse sua spontè ęger,sine instrumentis & causis tristetur, lętetur, timeat,confidat,speret, desperétque: ab iis enim magnam de salute,aut morte est coniecturam atque opinionem nanciscivt meritò dixisse illud idem autor sit visus,In quouis morbo mente constare,bonum esse:cõtrà verò se habere, malũ. Atque de omni animi perturbationum natura tantisper dixisse sit satis.

lib.6.aph. aph.23.
lib.6.epid ar.8.aph. p 29.

De Animi accidentibus, Hippocratis & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

INVIDERE alteri non potest medici ratiocinatio,imbecillis enim,si inuideat,apparuerit. *lib.præceptionum.*

Animi intemperantia circa cibos & potus,somnum, vigilias,aut ob amores quosdam,velut tesserarum, aut propter necessitates tolerantia laborum,& quorũ ordinata est,aut inordinata:hęc omnia à medico consideranda. *lib.de humoribus.*

ex Animę moribus industria,aut quęrens, aut meditans, aut videns,aut dicens,aut aliud quid,velut tristitię,iracundię: cupiditates,quę ex casu contingunt mutationes, has ex qualibus ad qualia considerare oportet *lib.de humoribus.*

Animi molestię,aut per oculos,aut per auditum, velut etiam corporum. *eod.lib.*

Timores, pudor,mœror, voluptas,ira,aliaq; huiusmodi, quo-

quomodo obediunt. Vnicuique autem pars corporis ad actionem pertinens, in his obedit *lib. de humorib.*

Excandescentia retrahit cor, & pulmonem in seipsa. *lib. 6. de pop. morb. sect. 5. aph. 9.*

Lætitia relaxat cor. *Eod. lib. & sect. aph. 10.*

Considerandū de mentis intelligētia, num æger sua sponte, sine instrumentis, & causis tristetur, lætetur, timeat, confidat, speret, desperétque, *lib. 6. de pop. morb. sect. 8. aph. 29. vel eorum qui in parua tab. continen. 19.*

Si timor, & mœstitia longo tempore habentes perseuerent, ex eo atra bilis significatur. *lib. 6. aph. 23.*

Desipientiæ cum risu factæ leuiores, hoc est, securiores: quę verò cum studio periculosiores. *lib. 6. aph. 53.*

GALENI.

ANIMI perturbationes quinque à veterib⁹ in vniuersum dictæ sunt, mœror, ira, excandescentia, cupiditas, metus. *lib. de cogn. curandísque anim. morb.*

Ex timore graui, & maxima voluptate, mori nonnullos contingit. Etenim quibus vitale robur infirmum est, animi verò affectiones ob imperitiam fortes, iis animæ essentia facilè dissolui potest. *lib. 5. de loc. af. c. 1.*

Ob mœstitiam aliqui perierunt, sed non illicò, vt qui timore, aut voluptate maxima. *eod. lib. & c.*

Vir magnanimus neque ob mœstitiam, neque ob aliam aliquam animi ægritudinem mœstitia fortiorem, vnquam succubuit: vtpotè cuius animę robur validum est, affectus verò adeò non vehementes. *lib. 5. de loc. af. c. 1.*

in Animi pathematis motus quidam est omnium primus, atque (vt ita dicam) maximè princeps, quo calor natiuus tum intrò, tum foràs defertur, ac vnà cum ipso & sanguinis, & spiritus, modò ad interna, & ad suam scaturiginem fertur, retrahitúrque: modò tendit ad externa, atque diffunditur. *lib. 5. de sympt. cau. c. 5.*

ex Animi pathematis ipsius motiones facilè deprehēduntur. *eod. lib. & c.*

Animi pathemata sunt timor, ira, mœstitia, gaudiū, verecundia. *eod. lib. & cap.*

Per timorē spirit⁹ ac sāguis intrò, & ad scatebrā suā reducūtur: quo fit, vt algeāt partes in superficie positę. *eod. lib. & c.*

Per iram distenduntur, & effunduntur, & calescunt sanguis & spiritus. *eod. lib. & c.*

In timentib. cordis & arteriarum pulsationes minimè apparent,in iratis maximè,& validissimè.*eo. lib. & c.*

Per verecundiam, animalis facultas in primis quidem ad interiora mouetur, sed rursus affatim redit ad exteriora.*ibid.*

Verecundia derepentè fit, animata facultate nihil mali perpessa. *eod.lib.& cap.*

Verecundia euenit ob mollitiem, natiuúmque timorem, cùm quis præstantioris congressum, & conuersationem ferre non potès, fugam parat.*lib.5.de sym.cau.c.5.*

Vt in timore cõfertim,ita in mœstitia paulatim fit motus. (*eod. lib. & c.*

Ob timorem nonnulli subitaria morte perierunt.*ibidem.*

Ex iratis nemo mortuus est, vtpote quibus neque calor refrigeratur, neque robur dissoluitur.*libr.5.de sym.cau.c.5.*

Prę gaudio nonnullli supra modum pusillanimes mortui sunt,haud aliter quàm timentes.*eod. lib. & c.*

Animi pathemata cùm mortem inferre possint,haud mirum videri debet, si animi deliquium inferant.*eod.lib. & cap.*

Animi morbus,partium ipsius inæquabilitas est,& sanitas contrà æqualitas, quemadmodum in corpore quoque.*li.5.de plac.Hip.& Plat.*

Insipientium animos cum perturbationibus vacant,sanis similes rectè Possidonius dixit.*lib.5.de Hippo.& Plat.decret.*

Animi perturbationum curatio in nonnullis facilis expeditáque est, quòd perturbationes has non admodum fortes, rationem verò neque imbecillam,neque hebetem natura habeant: contrà difficilis in his qui perturbationum motus ex corporeę constitutionis necessitate insitos magnos, & vehementes habent: rationem verò natura hebetem & infirmam. *lib.6.de plac.Hipp.& Plat.*

Animi passiones veluti mœrores, sunt dolores quidã solius animi, quorum qui sunt vehementiores occultant minores,siquidem non eadẽ ex re ortũ habeant: alioqui & illi seipsos coaugent.*lib.2.aph.com.46.*

Mœroris omnis,ac tristitiæ causa est insatiabilitas,seu auiditas inexplebilis.*li.2.de cogn.atque cur.animi morb.*

Cupiditates habent homines quæ neq; satiari, neque expleri possint.*eod.lib.*

Semper cõcupiscunt ij qui rerum præsentium inexplebiles sunt.*eod lib.*

Cupiditas bonorũ abiicenda,vt iucũdè,& sine molestia viuamus: quòd insatiabilitas vitium sit animi pessimum.*eod.lib.*

Eo quod adest contenti simus. *eod. lib.*

Tristitiæ motus quales. *lib. 5. de sympt. cau. c. 5.*

In timore fit caloris motus subitò: in tristitia paulatim. *eod. loco.*

A tristitia magis graciles, magísque aridi homines cernuntur. *lib. 2. de san. tu.*

Tristitiæ, seu mœrores, tum & timores in quibusdam febribus apparent, vt vult Hipp. *lib. epidem. tex. At cùm febres.*

Timores & mœstitiæ, magnoperè deustæ bilis flauæ, atque acris symptomata sunt *com. 2. ad lib. 1. epid super text. At cùm febres ardentes.*

Quæ ex tristitia fit febris, ex solo motu, non ex feruore generatur. Intellige autem de animi motu, *libr. 1. de dif. feb. c. 3.*

Post tristitiam, exercitatio apotherapia dicta, conuenit. *lib. 3. de san. tuen.*

Tristitiæ paruus, languidus, tardus & rarus est pulsus. *lib. 4. de caus. pul.*

Tristitia refrigerat, & calorem intrò cócitat. *lib. 4. de puls. cau.*

Ira feruor quidam est, existentis in corde caloris. *lib. de morb. cau. c. 2 & 1. de feb. dif. c. 3.*

Ira ob immoderatum motum, per totum nonnunquam diffunditur corpus, atque ita febrem accendit *eodem libro, & cap. de morb. caus.*

Iratis, & perturbatis, & pudore affectis naturalis calor augetur *lib. 2. de san. tuen.*

Iræ essentia est feruor caloris in corde. *lib. 2. de sa. tu.*

Iræ accessorium, est vltionis appetentia *ibid.*

Ira foras agit natiuum calorem, fundit & calefacit. *lib. 2. de sympt. cau. c. 5.*

Iræ altus est pulsus, magnus, vehemens, celer, creber. *li. 4. de puls. cau.*

Ira, temeritas, atque immanitas, atrabiliarij humoris passiones sunt *lib. 4. aph. com. 2.*

Irascentis impetum nihil ab insania & furore differre, ex iis quæ faciunt, intelligere licet *lib. de cogn. cur. animi morb.*

Irato nihil agendum, sed differendum quousque desierit ira. *lib. de cogn. cur. animi mor.*

Ira abortum facit, item & timor. *lib. 5. aph. com. 45. 53.*

Ira ob id febrem accendit, quod cùm sit feruor quidam,

ac vehemens motus potentiæ irascibilis in corde sitæ, cum eo contingit spiritus incalescere: nonnunquam vero & sanguinis substantium, indéque febricitare hominem est necesse. *lib.1.de dif.feb.c.3.*

ex Ira mori ob id neminem contingit, quòd nunquam calor natiuus refrigeretur, neque vitium robur dissoluatur. *lib.5.de sympt.cau.c.5.*

Ira, ægritudo, timor, libido, excandescentia, simul operationes & affectiones dicuntur, *li.6.de pla.Hip.& Plat.*

Irati magnanimi sunt, & humilium rerum contemptores: iracundi verò pusillanimes. *com.2.in 1.lib de popul morb. super text. Itaque extitit.*

Ira operatio est iracundiæ. *lib.6 de plac. Hip.& Plat.*

Iracunda pars animæ, temperatio cordis est. *lib. Quòd animi mores corp temp.sequan.c.4.*

ab Ira prorsus liberari simulac quis velit, non continuò potest: comprimere autem illius perturbationis intemperātiam, atque insolentiam potest, si intra seipsum continuerit, atque conculcabit iracundiam. *lib.de cogn.cur.animi morb.*

Galenus id sibi à pueritia imperauit, atque per omnem vitam obseruauit, ne irasceretur, néve quenquam seruorum manu verberaret. *eod.lib.*

Iracundiam cohibuisse satis non est, nisi cōcupiscentiam quoque cohibeamus. *eod. lib.*

Iracundia ratione coercenda. *eod. lib.*

Iracundiam & excandescentiam nonnunquam inducendam esse, innati caloris excitandi gratia, & sanguinis in vasa subter cuticulam colligendi, idque in perfrigeratis & decoloratis, ex sententia Hipp. in epid. iubet Gal. *lib.3.de dif. resp.*

Iracundia cùm biliosas naturas maximè accendat, acutas febres parit. *lib.6.de san. tuen.*

Iracundiæ sedem in corde Plato collocauit, quòd cor spirituosi & feruentis sanguinis fons sit. *lib. 6. de plac. Hipp. & Plat.*

Iracundiam in id nobis à natura datam, vt rationi opitularetur, Gal. censet, rationi opitulaturi tum cernitur, cùm ab aliquo vel intrinsecus, vel extrinsecus offendi se ac violari opinatur. Atque opinari se offendi, rationis est: opem adferre contra vim illatam, iracundiæ proprium est. *lib.5.de plac. Hip.& Plat. ad fin.*

Ira,

Irascendi,excandescendíque vis, aduersum libidinem, id est cupiditatem comparata.*lib.de cogn.cur.ani.mor.*

Iracundiæ dominium sæpenumero supra rationem tam validũ est,vt ipsa sola semper regnet,ducatúmque obtineat: id tum in barbaris plerísque,tum in pueris, qui natura iracũdiores sunt, & aggrestibus hominibus cernere licet. *Lib. 3. de plac.Hip.& Plat.*

In iracundiam sæpenumero ratio adeo liberum imperiũ exercet,vt nulla vnquam pugna oriatur, sed altera imperet, altera dicto audiens semper sit,vt in iis qui ad summum Philosophiæ apicem peruenerunt,cernere est, *lib.3. de plac. Hip. & Plat.*

Iracundia reliquas duas animi partes,rationem inquam, & libidinem, ceu concupiscentiam rapit secum, quandóque etiam contrà fit.*lib 6.de plac.Hip.& Plat.*

Iracundia perinde reliquas duas partes trahit, atque in bigis euenire solet: alter enim equus vehementiori impetu proruens alterum vnà cum toto curru, & rectore secum trahit:alter ob imbecillitatem trepidus sequitur,& ipse quoque auriga violenter fertur.*lib.6.de plac.Hip.& Plat.*

Iracundiam ratione potentiorem habêt Scythę,ac Galli pueri,& inerudití homines,*lib.3.de plac.Hip.& Plat.*

Iracundiæ rationem dominari conuenit, vt equitem equo,venatorem cani.Nã iustius est,& conuenientius,vt quod natura nobilius meliúsque est,dominetur: equius equo, cani venator.*lib.3.de plac.Hip.& Plat.*

Ira vehemens violentiùs excitata, non rarò rationem subigit.*Eod.lib.*

LIB. II. FINIS.



LOCORVM MEDICINAE COMMVNIVM FRANCISCO VALERIOLA MEDICO AVTORE,

LIBER TERTIVS.

De rebus præter naturam. CAP. I.



VM de omni humani corporis natura, facultatibus, & quibus hę modis suas quæque functiones edant, corpúsque conuenienter naturæ regant, ac moderentur, dum rectè valet: déque reliqua naturali contemplatione, quę totius artis quasi stabilimentum quoddam, atque solidum fundamentum est, dictum à nobis abundè sit: tum & de his rebus, quibus rectè atque congruè administratis, seruari hominis valetudo possit, aut perperam adhibitis, labefactari (quas & ipsas vulgato nomine, medici res non naturales vocare solent) consequens est, vt de his presso orationis filo tractemus, quæ naturalem hominis statum alterare, atque euertere posse dicuntur: cùm sit pręcipuum medici munus affectus eos omnes, qui corpori negotium facessunt, & perspectos habere, & probè cognitos curare, si quid Galeno fides habenda (hæc namque verè medica consideratio est) ac proinde hoc capite quęnam sint ea quæ præter naturam dicuntur expendemus. Res præter naturam quot sint, & id quoque trademus (triplici enim differentia contineri res omnes præter naturam medici affirmant, causarum, morborum, symptomatum) demum de horum vnoquoque sigillatim tractabimus, & in singulis (quantum locorum communium ratio postulabit exposcitque vsus) immorabor. Ergo (vt à primo dicendorũ exordiar) præ-

li.2, meth. med.

ter

ter naturam ea dici consueuerunt, quæ ex naturæ ordine, atque constitutione non sunt: sed contrà, naturalem corporis statum labefactare, alterare, ac perdere etiam possunt, functionibúsque incommodare. Quæ enim huius generis sunt, ob id præter naturam dici merentur, quod naturæ fines excesserint, quod non perinde atque ea, quæ secundum naturam sunt, corpus incolume functionibusque obeundis aptum efficiant, sed potius contra naturæ corporisque statum vim inferant, eiúsque vires atque functiones manifestè interturbent: atque id modò proximè, modo alterius interuentu. Proximè lædit morbus, vti alterius interiectu, morbifica causa. Operationum nanque sensibilis lęsio, terminus est eorum, quę pręter naturam dicuntur, vt rectè Gal. in art. med. affirmat, ac proinde virium functionúmq; manifestam offensionem expendens Medicus, ex hac, quæ præter naturam sint ęstimat. Quæcunque igitur functionib. incommodant, ea rectè præter naturam dici merentur, quasi præter naturæ ordinem, pręterque illius legem, ac constitutioné dicas. Est autem is naturæ ordo, ea inconcussa lex, ac constitutio, vt in bene valente corpore rectè omnia obeantur, nihil læsum, nihil impeditum sit, nihil infirmum: contrà, in eo qui præter naturam est statu, nihil ferè rectè fit, læsa, impedita, infirma omnia quæ sic affecta conspiciuntur, atque ob id iure contra, seu præter naturam talia dici debent (nihil enim refert siue cōtra naturam, seu præter naturam dixeris) vt mirari Fernelij, viri omnium calculis doctissimi, hac in parte sensa non satis queam, qui in priore suo de morborum differentiis libro, aliud esse contra naturam, aliud pręter naturam astruere, nouo dogmatis genere sit ausus. Atque id quod præter naturā est, tametsi ex naturæ præscripto non sit, illi tamen nullam vim inferre (hæc enim ipsissima autoris verba sunt, quæ ille cap. 2. prioris libri appinxit) quæ si vera sunt, fateri is profectò cogetur, vel morbum pręter naturam non esse, quòd vim naturæ inferat, vel morbum, si præter naturam sit (vtí esse illius definitio conuincit) vim naturæ non inferre, quum iuxta illius mentem, quæ pręter naturam sunt, nullam illi vim inferant: quorum vtrunque manifestè falsum esse, & à medica veritate abhorrens, ipsa morbi essentia atque ratio tota palam abundè facit. Nam & morbus præter naturam omnis est, & vim naturæ infert, vt ex sua ipsius notione, vel luce me-

ca. 18. nouæ versionis.

ridiana clarius constat. Nullam huiusmodi video ab Hippocrate, Galeno, Paulo, Auicenna, cæterísque artis proceribus fieri eius quod contra naturam est, & eius quod præter naturam, distinctionem: nec video Galenum morbum definiẽtem, aliter vnquam illius explicasse naturam, quàm per particulam hanc, παρὰ φύσιν, id est, præter naturam, non ἀντιφύσιν, id est, contra naturá, vt lib. 1. de morb. dif. & eo item qui de sympt. dif. inscribitur, atque lib. 1. de loc. af. & de san. tuen. cernere licet. Sic enim perpetuò morbum describit, ἡ μὲν δὴ νόσος εἴρηται, κατασκευή τις οὖσα παρὰ φύσιν, ὑφ᾽ ἧς ἐνέργεια βλάπτεται πρώτως. Quod est, *Morbus quidem dicitur constitutio quædam præter naturam, à qua actio primò vitiatur.* Quod si præter naturam esse (vt Fernel. conceptis verbis affirmat) id est, quòd cum ex præscripto naturę non sit, nullam tamen naturæ vim infert, profectò expungenda, prorsúsque explodenda erit Galeni de morbo tradita definitio, qui morbum constitutionem quandam præter naturam, actiones primò lædentem, hoc est naturæ vim inferentem esse voluit. Quicquid enim actionibus naturæ officit, id proculdubiò illi vim inferre iure dicendum est. Non enim lædi vsquam actiones possunt, non prius illis illata vi quapiam. Sed cùm verissima sit & omnium calculis atque consensu approbata Galeni de morbo definitio: noua autem, nec Galeni dogmati cõsentiens Fernelij de eo quod præter naturam, & contra naturam est distinctio, illam amplectamur, hanc reiiciamus, & ad inceptum de integro redeamus. Præter naturam itaque illa esse de Medicorum sententia diximus, quæ ex naturæ ordine, atque constitutione non sunt, sed naturalem potius statum alterare, actiones lædere, & naturæ vim inferre suapte natura possunt. Nunc quot ea sint, paulò pleniùs explicare ingrediamur. Tria esse huiusmodi ab omnibus est receptum. Ea sunt morbus, causa morbi, & symptoma. Isthęc namque & pręter naturam sunt omnia, & illi vim inferunt, functionibúsque plurimùm incommodat, naturæque ordinem peruertunt. Morbus affectus est actionem primò, & per se lædens, causa affectus morbum præcedẽs, & à quo mox affect⁹ is, qui morbus dicitur originẽ trahit: symptoma, affectus seu dispositio morbũ consequens. De iis omnibus sigillatim, proximis & sequentibus ordine capitibus

tra-

tractabimus, à morbi explicāda natura, ac differentiis exorsi.

De morbis in genere, atque eorum differentiis.

CAP. II.

VT ea partium corporis omnium naturalis constitutio, quę primum & per se functionum est opifex, sanitas Galeno dicitur: sic illius contrarium morbus, nempe infirma, ac vitiosa partium constitutio, quę primum ac per se functiones euertat, hęcque sola morbus censeri meritò debet. Vnde rectissimè sic describi morbus à Gal pluribus in locis videtur, vt sit constitutio pręter naturam, à qua primo actio vitiatur: ac proinde etiam vitiatę actionis causa, idque ratione sane optima. Nam cùm partium integritas, firmáque constitutio, functiones perficiens sanitas, huiúsque contrarium morbus, efficitur profectò vt ea constitutio quę vitiosa est, non integra neque firma, functiones corporis perturbet plurimum, atque euertat: vt ex diametro sanitati morbus aduersetur. Illa nanque firma est partium constitutio: hic, infirma & vitiosa. Illa functiones integritate sua perficit, hic vitiositate sua labefactat, corrumpit, & perdit. Constare autem sanitatē & morbum, in proba, aut improba partium corporis dispositione, axioma illud medicum à Galeno prolatum demonstrat: nempe, quod quiuis homo sanum se esse arbitratur cùm partium corporis adminiculo muniis ad vitam necessariis, citra noxam fungi potest: eam verò partem quę munus suum obire nequit ęgrotā esse. Ergo morbus erit affectus corpori pręter naturam insidens, illiúsque functiones primo & per se vitians. Rectè autem morbum affectum diximus, quòd sit morbus omnis de permanentium genere, in quo affectum omnem reponit Galenus. Quod enim Græci διάθεσιν, affectum nos merito, seu dispositionem appellamus, non adstricta illa pressáque significatione, quam Aristoteles vsurpauit, dispositionem ab habitu disiungens, sed ampla & fusa verbi potestatē, quę omnem corporis constitutionem complectatur, siue ea facilè, siue difficulter amoueri possit, siue in qualitate & temperamento, siue in substantia, siue structura, figura, numero, magnitudine, & positu sita sit, atque consistat. Gignitur porrò in corpore affectus omnis motu, mutationéque quadam ab efficientibus causis subiecto corpori vim pręter naturam inferentibus inducta. Efficientis nāque & productricis causę motio, dū corpori vim infert, id ef-

Libr. 1. de ani. tu. & 1. de morb. dif. & 1. de sympt. dif.

Vbi supra

immediatē

Libro 1. de morb. dif.

li. de sympt. dif. c. 1.

ficit vt obiectum mutationi corpus patiatur, hicque effectricis causae motus effectio dicitur Graecis ἐνέργεια. Motus vero corporis quod patitur, non affectus quidem, sed affectio & perpessio (quod Graeci πάθος, vel πάθημα vocant) dicitur. Vnde colligere promptum est, ex affectione seu perpessione, hoc est motu quo corpus alteratur, & à naturali statu decedit affectum proficisci, quem Graeci διάθεσιν nominare in vsu habent, quasi impressum affectionis vestigium dicas. Sed de his latiùs, cùm de symptomatis ex professo agemus, tractabimus. Nunc institutum persequentes, vbinam morbus omnis consistat expendamus. Morbum porrò omnem in corporis partiúmve eius substantia, ceu proprio subiecto consistere, quod sit viuentis affectus, molestiam noxámve inferens vnum est ex publicè confessis. Nam cùm, vel Hippocratis testimonio, tria sint in vniuersũ ex quibus constamus, continentia, contenta, & intus permeãtia, seu impetum facientia, necessarium quidem est, quicquid in nobis situm est, vel corporis partem esse, vel in ea certò cõtineri. Continentur autem in partibus, spiritus, sanguis, humores, & excrementa, Nec partes solùm continentes ipsaque contenta spectare tantùm oportet, sed & facultates, & functiones quae à partibus proficiscuntur. Itaque attendenda tria sunt haec, contenta, corporis partes, & functiones. Horum cuiusque à naturali statu recessus, constitutio est praeter naturam: in contentis enim morbifica omnis causa sita est, (humores nanque sunt, & excrementa, vel Hippocratis testimonio, quae morbum pariunt) in partibus vitium, morbus est, in functionibus symptoma. Partis vero appellatione vtrumque ipsius genus complectimur, similare & organicum. Contentorum enim, vt spirituum humorum, & superuacaneorum affectus, tametsi praeter naturam quandoque sint, morbi tamen appellatione haud quaquam dignamur, quòd in partium corporis substantia non inhaerescant, quod ad morbum requiri, ipsa morbi definitio declarat abunde: qua morbus, constitutio corporis praeter naturam, non humorũ, non spirituum, aut excrementorum esse dicitur. Vt eorum stupiditatem mirari satis non sit, qui humorem in membrana costas vestiente impactum, in pleuritide morbi esse partem quandam, ineptissimè astruant; atque itidem in reliquis

lib. de nat. hu. & lib. 1. de morb.

omnibus prȩter naturam tumoribus eum qui parti affectæ insidet humorem, morbi esse portionem affirmant: causam vtique contentiuam ab affectu discernere non valentes, sit humor is qui parti laboranti affixus est continens morbi causa, non morbus. Causa nanque morbifica omnis in humoribus & excrementis est, vti morbus in corporis partibus. Sed de his plura cùm de causis tractabimus. Iam verò ad morborum differentias omneis sermone explicandas stylum conuertamus. Hæ porrò omnes, vel à partibus quibus morbi insident, vel a qualitate morbis coniuncta, vel à tempore, & mora sumuntur. A partibus quidem prima, præcipuáque genera constituuntur, vt sunt alij similares, organici alij. Similares hi iurè dicuntur, qui parti similari insidentes illius temperiem euertunt: est enim temperies, si quid Galeno creditur, partium similarium essentia. Organici, qui instrumentariæ parti incumbentes, illius vel figuram, vel magnitudinem, vel numerum, vel structuram, & conformationem infringũt, ac labefactant. *Li.1.de vsu part.* Similaris autem partis duplex est rursus morbus, simplex inquam & compositus. Simplex, intemperies sola primarum quatuor elementarium qualitatum, calida, frigida, humida sicca. Compositus, intemperies omnes, quæ coniunctis qualitatibus consistere possunt, vt calida humida simul, calida & sicca, frigida & humida, frigida & sicca. Intemperies autem omnis, autore Galeno vel sine affluxu substantiæ vitiosæ est, vel cum affluxu eiusdem. *Lib.1.de morb.diff. cap.5.* Sine affluxu intelligantur intemperies nudæ, sola qualitatum alteratione noxam inferentes, de quibus iam diximus. Cum affluxu verò, cùm substantia quæpiam vitiosa iam dictis qualitatibus prædita, nempe sanguis, pituita, bilis vtraque, ad ipsa similaria corpora fluit. Vnde tumores præter naturam omnes in corpore excitantur, phlegmone, erysipelata, œdemata, scyrrhi, cancri, phymata, phygethla, strumȩ, elaphantiases, psorȩ, lepræ, vitiligines, & eius generis innumera alia. Prioris generis intemperiem, quȩ sine affluxu substantiæ est, scholȩ intemperiem immaterialem, veluti alteram illam materialem vocare solent: quòd illa nuda sit, nec vlli materiȩ coniuncta, hæc materiam, cui insideat, secum habeat comitem. Omnis itaque prȩter naturam intemperies, siue nuda ea sit, siue cum affluxu vitiosȩ substantiȩ, similaris partis morbus est. Ad partem organicam pertinent deprauata figura, indecens ma-

nitudo,numerus vitiatus ,constructio partium inepta , vn
varicæ,vari,valgi,plauci,luxatæ & prominẽtes,vel casu,vel
ctu vel vitio aliquo partes,figuræ vitiatæ morbi censentur
ti magnitudinis auctæ supra iustum naturæ modum part
eædémve minores effectę.Sic & indicentis numeri vitia s
cùm quid præter naturam adest,quod adesse non debet ,
sextus in manu digitus:vel deest quod adesse debet vt si vn
ę quinque in manu digitis desit .Conformationis seu cōstr
ctionis partium vitium est,indecens situs,& connexio part
pręter naturā,vt in enterocele,epiplocele, i. descēsu intesti
vel omenti in scrotum,in articulorum item tum luxation
tum pararthrosi,id est,commotione.Per huiusmodi enim
tia partium instrumentariarum situs deprauatur , vti conn
xus partium quando vicinæ partes inter se non bene con
tiunt,vt in vinculo linguæ,pudendi articulorum ligament
laxis,intẽtis,ruptis,breuiorib⁹,aut longiorib⁹effectis,ad qu
idem genus refertur,labiorum ,digitorum, palpebrarum ,
sedis coalescentia. Hi in vniuersum organicarum partiu
morbi sunt,qui & ipsi varias sub se complectuntur differe
tias,vt in figura deprauata,ex meatu,ex cauitate,leuitate a
asperitate permutatis , & de naturali statu decedentib
multæ nascuntur morborum differentiæ ,meatibus inquà
aut nimis patentibus & dilatis,vt dilatione pupillæ in ocul
& venarum in varicibus,arteriarum in aneursimate , aut ii
nimium adstrictis,obstructísve.Adstringuntur meatus , cù
vel ab externa quapiam causa(nempe frigorę , aut siccitat
angustiores euadunt:vel cum ab incidente intúsque conclu
materia quapiā obstruuntur,quasíque alienò succo, vel e
cremento quopiam infarcti angustiores redduntur : hicq
affectus obstructio vocatur , quæ autore Galeno vel à mul
vel à crasso,lento,& viscido humore fieri perpetuò solet , e
crementísve partem oppilantibus, Cauitatis affectus su
capacitas partium nimia , vel earundem immodica coarc
tio. Leuitatis cùm quæ aspera secundum naturam esse d
bent,leuia ,lubrica & fluxa euadunt , vt ventriculi vteriq
interiora,quę vt firmius illapsa continere,ac comprehende
possent,asperiuscula natura confirmauit.Sic asperitatis qu
que vitium est,cùm quod leue & planum esse secundùm
turam debet,inæquale & asperum efficitur: vt in aspera ar
teria,cùm defluxionę tentata raucitatē infert , cernere lic

De magnitudinis, numeri, constructionis differentiis iam diximus: vt expletæ iam morbi organici differentiæ omnes videri possint, quantum communium locorum, quos tractandos suscepimus, ratio postulat. Nunc verò ad morbi communis (quem continui solutionem vocant) differentias pertractandas stylum vertamus. Vt partium vnitas, tam similaribus quàm etiam organicis partibus conuenit, sic illius contrariũ continui solutio, morbus est vtrisque communis. Pro varia autem partium, quibus incumbit natura, ac ratione, varia quoque nomina sortitur. In carnosa parte vlcus, sicuti etiam vulnus (est enim vulnus autore Galeno, solutio quædam ex vulnerando in carnosa parte relicta) in osse fractura, in neruo conuulsio. in vasis & musculis ruptio, ex violento ictu, graui ve casu, vel alio quopiam valente motu excitata, in ligamento ἀποσπάσμα dicitur. Hæc in vniuersum solutæ continuitatis summa, primaque genera, quæ in varias, & ipsa diducuntur differentias. Nam quæ in molli, & carnosa parte accidunt, pro alio atque alio rei vulnerantis impetu, pro varia vulnerum figura & forma, pro telorum natura innumeras accipiunt & differentias, ac nomenclaturas, vt sit aliud altum, atque profundum, & ad interiora pertingens, aliud in superficie positum, cauum aliud, sinuosum, angustum, aliud planum, patens & latum. Sic & à figura, quædam rotũda, oblonga alia, serrata, retusa, & inæqualia, pro varia scilicet telorum vulnerantium forma. Quæ in osse eueniunt solutiones, multas quoque differentias sortiuntur. Quæ nanque leuis est & recta fissio, & rima nuncupatur, quæ alta, fractura. Nerui solutiones sunt punctura, incisio in transuersum, fissura in rectum, & contusio. Quæ non tantùm neruis, sed & carni accidere consueuit. Ad venas & arterias pertinent osculorum apertio, & dilatatio, incisio, & fissura. Aperiuntur vasorum oscula vel ἀναστομώσει, id est apertione, & dilatatione, quoties & vas imbecillum est, & copiosior sanguis ad os eius cum impetu fluit, vel διαπηδήσει, id est resudatione, rarefacta quidem vasis tunica, sanguine verò attenuato, vel tandem ἀναβρώσει, id est, erosione, acri quidem, & feruentissimo sanguine vasorum tunicas erodente, vnde manare sanguinem necessarium est. Reliquas continui so-

li.3.meth. meden.

lutiones, quæ complures extant, nondum propriis nominibus adnotatæ, volens sciénsque prætermitto, & ad pẽsum absoluendum reuertor. Morborum porrò qui partibus insident, duplex rursus à Galeno differentia assignatur, vt sit alter partis proprius, alter per consensum. Affectus hos Græci ἰδιοπάθειαν, καὶ συμπάθειαν vocãt. Affectũ propriũ vocat eum Galenus qui separata causa quæ ipsum intulit, permanere potest, ob idque & parti insidet, & eius est proprius. Affectũ per cõsensum eum, qui alterius partis vitio, parti cui inest impertiatur. Hunc Archigenes vmbram affectus vocare, in vsu habebat. Fit autẽ, cùm effectrix causa pertransiens non firmum in particula creauerit affectum, vt cùm vẽtriculi vitio caput afficitur, vel vteri malo ventriculus in consensum trahitur, aut cùm suffusioni similia oculis obuersantur, vitiosis in ore ventriculi contentis excrementis, vnde sursum vapores atollantur mali. Atque vnus hic est morbi per consensum modus, cùm quid vitiosum aliunde præter naturã in partem illabitur, noxam adferens. Alter cùm in quampiã partem facultas functionis opifex ferri prohibetur, vt cùm obstructa spina, partium motus, & sensus petit, resolutióque incidit: aut visoriis neruis obstructis, videndi actio adimitur. Est & tertius modus, quum materia ad agendum necessaria parti cui est necessaria, denegatur: vt cum obstructis pulmonibus, cordi non satis aëris subministratur, aut resolutis costarum musculis, perforatóve thorace, vox aut omnino perit, aut saltem supprimitur, quòd non satis spiritus cum efflatu ad laryngem mittatur: est autem spiritus cum efflatione emissus teste Galeno vocis materia. Hæ in vniuersum morbi per consensum dicti, differentiæ. Fit autem sępenumero, vt affectus per consensum in affectum proprium transeat, fiatque ex sympathia, idiopathia, cum pars quę diutius alterius partis vitio laborauit, diuturnitate affectus, & mora, affectum proprium contrahit: vt ex morbo subinde morbus nascatur, sítque nonnunquam affectus per consensum eius qui proprius est, causa. Differentias morborum eas, quæ à partibus sumuntur, diximus omnes: eas modò quæ à qualitatibus morbo coniunctis desumuntur, percurramus. Morbis porrò varię adiungũtur qualitates, quę plurimas in his differẽtias pariãt.

lib. de voce & 7. de vsu par. c. 5.

Vnde

Vnde nomenclaturæ illæ manarunt & species, extremi, acuti, mites, lethales, salubri, periculosi, periculo vacantes, occulti, manifesti, populares, dispersi, contagiosi, sine contagio, pestilentes, epidemici, endimij, seu regionales, noui & incogniti, & quæ à tempore differentiæ sumuntur, longi & breues, recentes, & inueterati. Horum omnium breui sermone rationẽ trademus. Extremos morbos (tradente Galeno) eos vocare Hippocrates solet, qui summi sunt, vltra quos non sunt alij. *lib.1. aph.* Summi autem hi vocantur, qui difficillimos & grauissimos *com.16.* habent casus, in quibus extrema adhiberi remedia, exquisitissimámque fieri curationem Hippocrates iussit. Acuti *lib.1.aph.* morbi magnitudine, & vigoris celeritate describuntur. Acuti *6.* morbi (inquit Galenus) magni sunt, & ad suum vigorem ce- *lib.2.aph.* lerrimè properant. Pauco enim tempore magnas faciunt per *com.23* mutationes. Horum non vna est, simpléxque ratio. Sunt.n. alij ex his acuti simpliciter (quos Hippocrates intra diem *lib.2.aph.* quartum decimum integrè iudicari pronunciauit) alij acuti *23.* non simpliciter, sed ex decidentia nominantur, nempè ij qui imperfectè iudicati processu dierum ad quadragesimum vsque diem iudicationem faciunt ægrúmque liberant, aut perdunt. Hos medicorum scholæ acutos conuersiuos nuncupare solent. Sunt & alij omninò extremi, & peracuti Hippocrati, atque Galeno dicti, qui statim, hoc est, vt interpretatur Galenus, circa primos quatuor dies, extremos habent labo- *lib.1. aph.* res. In acutorum albo sunt pleuritis, perineumonia, phrenitis, *textus &* lethargus, ardẽs febris. In peracutis autem, angina, luxtangi- *com.7.* na, cholera, & neruorum distensio, vti Hippoc. & Gal. censent. Mites ij morbi dicuntur, qui nec graues casus habẽt, nec *lib.1.de ra* noxam effatù dignam adferunt, vt ephemera febris, & leues *ti.vict.a-* intemperies atque huiusmodi plurima. Lethales verò ij sunt, *cut. 7. &* qui pernitie sua mortem inferunt, quo in genere extremi vo- *lib.1. aph.* cati, & peracuti, tum & pestilentes reponi iure solent. Salu- *com. 12.* bres cõtrà, qui nunquam suapte natura ad mortem sese finiunt, sed magis ad salutem, si modò congruè æger regatur: *Fen.1.* vnde est illud Auiccennæ, & quandoque (ait) facit sperare *quarti.* salutem natura ægritudinis, vt tertiana. Periculosi hi iure sunt, qui ęgrũ in vitę discrimen agunt, ob id nanque periculosi sunt dicti, quòd ob illorum malitiam, de vita ęger periclitetur, in quorum ordine acuti omnes, & pestilentes habentur. Periculo vacantes his contrarij, qui nullum vitæ pericu-

lum afferunt,vt in quibus nulla insignis ad nocẽdum vis nulli graues casus insint,quales sunt salubres omnes,& mites. Occulti morbi esse dicuntur,qui abditis ex causis, neque nobis perspectis nascuntur, totámque substantiam nostram occulta quadam potestate inuadunt : qui ea itidem ratione cæci morbi appellantur. Horum alij venenati, contagiosi alij,alij pestilentes,quorum rursus grauiores nonnulli,reliqui leuiores.In grauioribus sunt pestilens febris, carbunculus venenatus,& pestilens bubo. In leuioribus exanthemata quæ vocantur,tum rubra, tum purpurea, quæ summa cute efflorescunt maculis minimè turgentibus (morbillos arabes,& medicinam factitantes vocant) & Ectymata, quæ pituitosi sanguinis eruptiones iure existimari possunt,variolas vulgò vocare consueuerunt,pueris & infantibus vtique familiaris: & in summa , quicunque à morbida excretione nascuntur in cæcis,& occultis censentur. Manifesti, qui ex manifestis causis nobis cognitis, partium quibus insident substantiam demoliuntur,atque peruertunt,vt maligna vlcera, Phthisis,viscerũ morbi ex humorum vel copia,vel putredine nati, ad hæc intemperies omnes ex qualitatum exuperantia ortæ. Populares porrò sunt, quicunque à communi morbifica causa proficiscentes (ea autem est vel aëris ambientis, quo omnes vtimur,aduersaria quædam,ac perniciosa qualitas,aut aquarum vitium)in omnes cuiusuis ætatis,sexus, temperamenti homines sæuiunt,populaitérque grassantur, vnde populares,seu vulgares nuncupati meritò sunt. *Equidem,* quod ait Hippocrates, *cùm vna ægritudine plures eodem tempore corripiuntur, causam illi attribuere debemus, quod est maximè commune,& quo præcipuè omnes vtimur. Id autem est, quod respirando attrahimus:& alio loco autor libri de flatibus,Sunt (inquit) duo febrium genera,alterum commune omnibus pestis appellatur, alterum propter malam victus rationem. Verùm communis febris propterea communis est,quòd spiritum eundem omnes attrahunt. Vnde colligitur quæ sit popularis morbi natura, nempè cùm eodem morbi genere plures eodem tempore deprehenduntur. Popularibus autem morbis contrarij sunt priuati,seu dispersi, Græcis Σποράδες nuncupati.* Ij sparsim non populariter,pro alia atque alia victus ratione,modò hunc, alium modò apprehẽdunt.Popularium verò non vna, nec simplex est ratio. Sunt enim

Libr.de flatib.

enim ex his quidã pernicioſi, graues, cõtagioſi, alij mitiores. Cùm enim vnius generis morbi in populum graſſantur, ij quidem, ſi pernitioſi fuerint, mortemque adferentes, peſtem appellant: cum mitiores altera quadam indicant appellatione, Epidemios vocantes, vt ſit Epidemius quidam morbus, qui tempore aliquo in aliqua ratione abundet: peſtis verò ſit Epidemia pernitioſa. Eſt aliud morbi genus commune multis, quod in regione vna aliqua ſuperuenit, morbum hunc Endemium vocant, quaſi patrium, aut vernaculum dixeris, vt in ea Allobrogum parte, quæ vallis lucida (vulgo *La val de lucerne*) vocatur, gutturoſi fiunt homines, & in Apulia nobili Italiæ parte auriginoſi ferè omnes. In quodam Indiæ tractu vltra Calecutium, Emporium totius Aſiæ nobiliſſimum (tradente Ludouico Romano) Pua morbo laboratur, gallico haud multò diſſimili. Hi omnes Endemij iure dicendi ſunt, hoc eſt, regionales morbi. Sed de contagioſis iam agamus, in quibus vberior ſe prodit materia. Contagioſi porrò, hi cẽſendi, qui contagij ſeminaria quibus abundant, & in ſe incluſa habent, transfundere in alium valent. Eſt autem contagio, ſi rei naturam diligenter expendamus, infectio quædam ab vno in alium permeans. Tum.n. profectò contagionem irrepſiſſe, factamque eſſe dicimus, quum ſimile quoddam vitium in alterum translatum eſt: vel ſi preſſius contagionis naturã exprimere velimus, cõſimilem quandam eſſe dicemus corporis miſtive alicuius ſecundum ſubſtantiam corruptionem ab vno ad aliud tranſeuntem, infectione in particulis clam facta, vel cõſimilem in vtroque infectionem, atq; putrefactionem. Infectum vero id vocamus, non quod omnino corruptũ ſit, ſed quod putrefactione in ſenſilibus particulis oborta, ad corruptionem tendit. Contagij autem triplex omnino eſt differentia. Aut enim ſolo contactu afficit quod contagioſum eſt, aut præter contactum fomitem habet, quem relinquat in re quæ contagio afficitur, aut demum non contactu ſolùm & fomite, ſed & potentia ad diſtans transferre contagium poteſt. Contactu ſolo afficiunt, quæ putreſcunt, & marcida fiũt, vt in fructibus cumulatim aceruatis ſpectare licet. Marcidum enim pomum proximè adhærens marcidum quoque efficit, putrefactione in vtroque ſcilicet illabente, atque concepta. Fomite afficiunt quę morbidam excretionem intus latentẽ alteri affricant: vt ſcabies, phthiſis, elephantiaſis, peſtilentes

Lib. nauigationum ſuarũ. c. 38

febres,& eius generis plurima. Ad distantiam transferũt, quæ contagij malignitate, & potentia pollent, vt pestilentes bubones, atque carbunculi, & exanthemata pestilentia, lippitudinis quoddam genus, quò qui laborat, omnes se intuentes inficere solet. Id animaduertens Gal. periculosum esse versari ait cum his, qui febre, phthisi, scabie, & omninò cum his qui putridum spirãt. At quomodo contagio serpat, à quibus principiis ducatur, & quomodo sanetur, non est præsentis instituti. Quæ qui scire volet Hieronymum Fracastorium lib. de contagione, & contagiosis morbis adeat, à quo plenè edoceri poterit. Sine contagio morbi sunt, qui consimilem qualitatẽ in alterum transfundere minimè valent, vt omnes dispersi vocati, qui ab incauta victus ratione, & humorum intemperie procedunt. Noui porrò dicuntur, qui nobis incogniti apparent, causa eorum naturáve minimè perspectis: vt olim mẽtagra, seu lichenes. Primùm enim Tiberi Claudij Cesaris principatu medio id morbi genus in Italia irrepsisse, nouum vtique morbum, & omni æuo priore incognitum locupletissimus testis Plinius est. Elephãtiasim ante Pompeij magni tẽpora in Italia non accidisse, & carbunculum L. Paulo, & Q. M. censoribus, tum primum euenisse idem asserit. Sensit & ætas infælix nostra nouos, prorsúsque admirandos morbos, veneream in primis luem, Caroli VIII. Galliarum Regis principatu enatam, sensimque adeò auctam, vt vniuersum iam orbem impleuerit, malum quidem sine pernicie vitæ, rectè si curetur, sed tantã fœditate, tam diris cruciatibus infestum, vt quæcunque mors præferenda videatur. Sudorificam febrem, nouum & inauditum popularis morbi genus, ætate nostra viguisse in ea Galliæ parte, quæ Britannia, seu Anglia dicitur, cum & in Flandria ipsa vidimus, quo morbi genere, nondum inuentis ad id artis præsidiis, innumera populorum multitudo concidit. Paraplegiam quandam Hippocratis ætate constitisse, minimè prouisum malum, sed nouum, & incognitum, ipsemet testis est. Multos prisca secula tulerunt, alios futuris seculis posteritas animaduertet cùm nouæ aëris syderúmque mutationes, atque concursus accident, nobis prorsus incogniti. Ad tempus porrò pertinent morbi breues, diuturni, recentes, atque inueterati. Diuturni dicuntur qui longo temporis spatio ægrum diuexant, quod vel morbi potentia, vel ægri imbecillitate, malaque caratione effici certum est. Breues contrà

libr. 1. de diff. feb. c. 3.

li. 26. natu hist. cap. 1.

contrà, qui breui desinunt, vti recentes, qui haud ità pridem ante geniti sunt, nec altas adhuc in corpore egerunt radices. Inueterati, qui firmiter hærent, difficultérque amoueri, omnibus etiam ritè adhibitis possunt: quique diutissimè persistentes inueterauerint, vnde nomen sumpserũt. Sed iam de morborum differentiis abundè dictum.

ADMONITIO LECTORI.

Proposueram, optime lector, de morborum per singulas partes nomenclaturis, tractationem exactam tradere. Sed quando partem hanc Ioannes Manardus, lib. 7. epistolarum suarum, & Fuchsius in medicinæ cõpendio exactissimè attigerunt, ne factum facere (vt est in prouerbio) videri possem, abstinendum meritò censui, ne vel illis laudem præripere, vel earum scripta in meos commentarios transferre viderer. Nos de singulis morborum nomenclaturis in nostra Medendi methodo Deo iuuante (quam finito hoc locorum communium opere in lucem daturi sumus) exactè tractabimus. Hæc te scire optimè lector volui, ne quid à me per incuriam prætermissum existimare posses.

De morborum differentiis, Hippocratis, & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

MORBORVM multæ species sunt. *lib. de nat. hum.*

Morbi partim ex diæta, partim ex spiritu, quem attrahimus fiunt. *lib. de nat. hum.*

Morborum modi hi sunt, partim quidem cognati sunt, partim à regione partim ex corpore, & victus ratione, ac tẽperici constitutione, vt à temporibus. *lib. de humorib.*

Morbi alij ab odoribus cœnosis, aut palustribus, alij ab àquis, alij à ventis bonis, & malis incipiunt. *lib. de hum.*

Morbi tales erunt, qualia fuerint & tempora. *eod. lib.*

Morbi iudicatu faciles sunt, si tempora tempestiuè, & ordinatè se habuerint. *lib. de hum. & lib. 3. aph. 8.*

Morbi prout euariauerit tempus,similes,aut dissimiles erunt.*lib.de humorib.*

Morbos pariunt maximè temporum mutationes. *Lib.de hom.& lib.3.aph.1.*

Morbi vniuersi fiunt ex his quidem,quæ in corpore sunt, tum à bile,tum à pituita,ab externis verò,à laboribus, & vulneribus,à calido & à frigido,& à sicco,& humido, partim à cibis,& à potibus.*lib.1.de morb.& iterum lib.1.de affect.*

Morbi dubij,vt & perdant,& non: tales autem sunt peripneumonia,febris ardens,phrenitis,pleuritis,angina, vua,hepatis,splenitis,nephritis,dysenteria,in muliere fluxus sanguinolentus.*lib.1.de morbo.*

Morbi partium non in obscuro positi,& non multi, partim non in manifesto loco hęrentes,& multi sunt. *lib.de arte.*

Morbi qui ad interna vertuntur, in obscuro siti sunt: qui ad superficiem corporis erumpunt,manifesti sunt.*lib.de arte.*

Morbi antiqui difficilius curantur,quàm recentes. *lib.de loc.in homine.*

Morbi quicunque,vlcera sunt.*lib.de locis in homine.*

Morbos cum medicamentis, fame item curare oportet. *eod.lib.*

Morbum si quis non cognoscat, medicamentum bibendum præbeat non forte.*eod.lib.de locis in homine.*

In morbis si quis permutaturus est quippiam, forti quidem ęgroto,debili autem morbo, tunc quidem confidenter fortiore quàm morbus est medicamento vtendum est.Si verò morbum fortiorem, ęgrotum autem debilem acceperis, debilibus pharmacis curabis quę ipsum morbum superent, abbducant, verùm ęgrotum nihilo debiliorem reddant. *lib. de loc.in homi.*

Morbus si ex ęquo processerit, cum medica arte, velocior non est.Si vero pręoccupauerit,velocior omninò est.*lib. de arte.*

Morborum,naturę ipsę medici sunt. *lib. 6. de popul.morb. sect.5.aph.1.*

Morbi connutriti in senecta,& per concoctionem, & per solutionem,& per rarefactionem desinunt. *lib.6. de pop. morb. sect.5.aph.6.*

in Morbis,cùm alter alteri succedit,plerunque occidit.*li.de affe-*

affectionibus.

Morbum tardius cognoscere, artis vitium non est. *Lib. de arte.*

Morborum acutorum non omninò certæ sunt prædictiones, neque mortis, neque sanitatis. *lib.2.aph.19.*

Morbi acuti in quatuordecim diebus iudicantur. *Lib. 2. aph.23.*

in Morbis minus periclitantur, quorum naturæ, & ætati, & habitui, & tempori morbus magis affinis fuerit, quàm hi quibus non affinis in aliquo horum existit. *lib.2.aph.34.*

in omni Morbo valere mente, & bene se habere ad ea quæ exhibentur, bonum: contrarium vero malum. *lib.2.aph.33.*

in omni Morbo partes circa vmbilicum, & pectinē, crassitudinem habere melius est. At vehemens tenuitas & cliquatio mala. *lib.2.aph.35.*

in quo Morbo somnus laborem facit, mortale. Si verò somnus prosit, non lethale. *li.2.aph.1.*

Si ex Morbo cibum capiens quis, non fiat validus, significat quòd corpus vberiore alimento vtitur. Si verò cibum non accipiente hoc contingat, nosse oportet, quòd euacuatione opus habet. *li.3.aph.8.*

Morbum alij ad alia tempora bene, aut malè se habent. *li.3.aph.3.*

Morbos pariunt temporum mutationes. *li.3.aph.1.*

Morbi in pluuiosis quidem plerunque fiunt, febres longæ, & alui fluxiones, & putredines, & comitiales, &c. *li.3.aph.16*

Morbi quidem in omnibus temporibus fiunt: quidā tamen magis in quibusdam ipsorum & fiunt, & exacerbantur. *li.3.aph.19.*

in Morbis acutis frigiditas extremitatum malum. *Lib.7. aph.1.*

ex Morbo diuturno etiam alui defluxus, malum. *Lib.7. aph.84.*

Quibus in morbis oculi ex voluntate lacrymantur, bonum, quibus vero citra voluntatem, malum. *Li.4. aph.33. & li.7.81.*

Morbis quibuslibet incipientib. si atra bilis, vel supra, vel infra exierit, lethale. *li.4.aph.22.*

Morbi acuti rari sunt in his locis, quæ aquis palustribus

ac lacustribus vtuntur, & non bene sita sunt ad Solem, & ad ventos. *Lib. de aere, aquis, & locis.*

Morbi ex aquarum stagnantium, & è fluuiis manantium potu, qui, qualésve sint. *lib. de aere, aquis, & loc.*

Morbos congenitos qui habet, is ægrè ab ipsis liberari potest. *lib. 2. prædictionum.*

Morbi in imparibus diebus iudicantur. *lib. 4. de morb.*

à Morbis victos ars noncurat. *li. de arte.*

Morbi dubij sunt, qui & vt perdãt, & non, fieri potest: tales autem sunt peripneumonia, febris ardens, phrenitis, pleuritis, angina, vua, hepatitis, splenitis, nephritis, dysenteria, in muliere fluxus sanguinolentus. *li. 1. de morb.*

Morbos longos necesse est esse tabem, dysenteriam, podagram, affectiones fluidas circa articulos, pituitam albam, coxendicum morbum, vrinæ strangulatum, in senioribus verò nephritim. Mulieribus verò fluxum sanguinolentum, hæmorrhoidas, ani fistulas. *li. 1. de morb.*

Morbi cito decernẽtes, febris ardens, phrenitis, peripneumonia, angina, vua, pleuritis. *eod. li.*

Morbi necessario lethales, si quis cerebro sauciatus fuerit, aut spinali medulla, aut hepate, aut præcordiis, siue septo transuerso, aut vesica, aut vena sanguiflua, aut corde, tabes item, aqua inter cutem, peripneumonia in vtero gerente muliere, febris ardens, pleuritis, phrenitis, erysipelas, si in vtero fiant. *li. 1. de morb.*

Morbi non lethales sunt (nisi quid ipsis accedat) affectiones fluidæ circa articulos, atra bilis, podagra, coxendicum morbus, tenesmus, quartana, tertiana, strangulatus vrinæ, lippitudò, lepra, impetigo, morbus articularis. *eod. lib.*

Mala supra mala fieri, necesse quandoque est. *eod lib.*

Morbi ea parte qua proximi sunt, educendi sunt, & qua parte singulis exitus quàm proximus est, extrahendi. *lib. de locis in homine.*

Morbum si quis non cognoscat, medicamentum bibendum præbeat non forte. Si itaque leuior inde fiat, demonstrata via est, quòd gracilitatem inducendo curandus est. Si verò non leuior reddatur, sed peius habeat, contraria faciẽda sunt. *lib. de loc. in homine.*

Morborum muliebrium, ac virilium curatio, multum differt

differt *lib. de morb. muliebribus.*

Morbi muliebres intellectu difficiles, quòd sæpe morbi causæ ignorentur, quódque mulieres sua ipsorum mala narrare vereantur, etiamsi sciant, vnde non raro morbi incurabiles fiunt, *lib. de morb. muliebribus.*

Morbos omnes sic considerare oportet, vnde vnicuique natura sit. *lib. de affectionibus.*

Morborũ principium si consideraueris, ac deprehenderis, minimè aberraueris. *eod. lib.*

Morbi qui ante pubertatem non fiunt, sunt peripneumonia, pleuritis, podagra, nephritis, varix circa tibiam, fluxus sanguineus, cancer non congenitus, vitiligo, defluxus medullæ spinalis, hæmorrhois, voluulus. *Lib. de Coacis prænotionibus.*

Morbus à venis ortus leuior est, quam qui à neruis. *Lib. de loc. in homine.*

Morbi periculosi, vel idiotis manifesti. *Lib. de vet. medicina.*

Morbi quicunque vere fiunt, ad autumnum eorum discessum fore expectare oportet: & quicunque autumnales, eorum discessum fieri verę. Si morbus hæc tempora transgressus fuerit eum annuum fore scire oportet. *lib. de nat. hu.*

Morbi pituitosi hyeme fiunt *eod. lib.*

Morbi qui in singulis anni temporibus, atque ætatibus vigeant. *Vide totam tertiam aph. sectionem.*

Morbi plurimi, septenario dierum numero iudicantur. *lib. de carnibus.*

Morborum curationes medicus memoria tenere debet. *lib. de decenti ornatu.*

Morborum differentiæ in alimento, in spiritu, in calore, in sanguine, in pituita, in bile, in tumoribus, & cæteris corporis partibus, quas singulatim Hippocrates nominat. *lib. de alimento.*

Differt affectus ab affectu, maior à minore, & corpus à corpore, & curatio à curatione. *lib. 1. de morb.*

Morborum modus vnus, & causa eadem. *lib. de flatibus.*

Morborum principia consideranda, an statim floreant. *lib. 2. de popul. morb sect. 1.*

Morbi qui statim florent, ex incremento iudicantur. *Eod. lib. & sect.*

Morborum incrementa, & iudicationes, ex circuitibus, & exacerbationibus manifestæ fiunt. *eod. lib. & sect.*

Morbi sanitas, & mors, omnibus hominibus partim secundum dies, partim secundum menses, partim secundum dierum quadragenarios, partim secundum annum, significationem sui præbent. *lib. de septim. partu.*

Morborum vires considerare oportet, & causas, ex quibus morbi fiunt exquirere. *lib. 1. de morb. mulierum.*

Morborum muliebrium, ac virilium curatio multum differt. *lib. 1. de morb. mulierum.*

Morbos à principio curare oportet. *Lib. de locis in homine.*

Morbos ab ægro tollere, medicæ artis opus. *Lib. de arte.*

Morbos singulatim enumerare, non facile est. *lib. 1. de vict. rati. in morb. acut.*

in Morbis acutis victus spectandus. *Lib. 1. de rati. vict. acut.*

Morbis qui corrigi non possunt, medicina auxiliares manus negat. *lib. de arte.*

Innumera porro sunt, quæ Hipp. de morbis scripsit, quæ vniuersa inserere, à compendij, & locorum communium ratione, aliena visa sunt, cùm sint hæc præcipua.

GALENI.

MORBVS est habitus ægritudinarius totius, vel partis. *In definit. medicis.*

Morbus est constitutio præter naturam, vel vitiatæ actionis causa. *lib. 1. de morb. diff. cap. 2. & lib. de sympt. diff. cap. 1. & lib. de sanit. tu. & 1. meth. cap. 5.*

Morbus, & sanitas in eodem genere sunt. *lib. 1 meth. cap. 7.*

Morbus, & sanitas ex permanentium numero sunt. *Lib. 2. meth. cap. 3.*

Morbus immoderatio quædam est. *Lib. 1. de morb. diff. cap. 2.*

Morbus est rei natura cognatæ, ex aliqua corruptela dissensio, vt à Platone in sophista definitur. *Lib. 5. de placit. Hip. & Plat.*

Morbi contractiores definitiones quæ sint. *Lib. 5. de placit. Hippocrat. & Plat.*

Mor-

Morborum numerum quantus, qualiſque ſit, niſi quis affectus omnes, à quibus actio læditur inuenerit, definire ad vnguem nequit, *lib.1.meth.meden. ad finem.*

Morborum differentię ex tempore ductę, ex decretoriorum dierum circuitione habentur, vt ſint breuiſſimi illi morbi, qui primo quaternario cricunſcribuntur, tum qui ſecũdo, tum qui tertio, & ſic deinceps. *i 3 prognoſti.com.12.*

Morborum tria ſunt genera, ex tempore ducta, aut enim acuti ſunt, qui decimoquarto finiuntur, aut longi, aut inter hos medij, qui quadrageſimo die deſinunt *li.1.prognoſt.com.28.*

Morbi primi, maximéque generales quatuor ſunt, qui calore, frigore, humiditate, ſiccitate inter ſe diſſident *lib.2.de nat.facul.cap.8.*

Morborum genera ſex ſunt in vniuerſum, in ſimilaribus intemperies, in totis organis vnum in figura ſpectatur, aliud in particularum numero, aliud in cuiuſque quantitate obſeruatur, quartum in poſitura, vtrarúmque partium communis eſt, vnitatis ſolutio *li.2.meth.meden.cap.6.* & *lib.1.de diff.morb.*

Morbus appellatur affectus, qui actionem vitiat *lib.2.meth.meden.cap.1.* & *lib.de morb.diff.* & *lib.de ſan.tu.*

Morbis quot modis ſigillatim nomina imponãtur. *lib.2.meth.med.* Aut enim à parte læſa, vt pluritis, iſchias, podagra: aut Symptomate ipſo, vt ileos, tineſmus, ſpaſmus: aut ab vtriſque ſimul, vt cephalagia, othalgia, cholera, leucophlegmatia: aut à ſimlitudine ad aliquid extra poſitum, vt elephas, cãcer, polypus. *Ibid.cap.1.*

Morbos omnes, vnius eiuſdémque participationem, morbos appellari *lib.2.meth.med.c.7.*

Morbum ſub aliquo affectuum trium, qui in corpore prę ter naturam ſunt, eſſe, demonſtratio. *lib.2. meth.meden. ad principium*

Morbum omnem, ſolutam vnitatem, ſeu vlcus eſſe dixit Hipp. & eius dicti tradita interpretatio à *Gal lib. de inequali intemp.*

Morbus à Platone in Sophiſta definitur, vt ſit rei naturæ cognatæ, ex aliqua corruptela diſſenſio, quæ quidem definitio generalis eſt, omnéſque ſingulares morbos, tam animæ, quàm corporis, tam in cæteris animantibus, & plantis, quàm in totis etiam ciuitatibus complectitur. *li.5.de placit.Hipp.* & *Plat.*

Morbus, causa, actio, symptoma quatuor sunt principia curatoriæ methodi constituendæ, & horum inter se discrimina. *lib. 1. meth. med. ca. 8.*

Morbus, symptoma, & morbi causa, quid sit vnumquodque. *lib. 2. meth. meden. cap. 1. & lib. 1. de sympt. diff. cap. 1.*

Morbus & pathos eò differunt, quod pathos est dũ quippiam conuertitur, alteratur, mutatur, morbus in subiecto corpore & permanet, & seruatur. *lib. de sympt. diff cap. 1 & 2. met. meden. cap. 3.*

Morbus etiam dum fit, etsi nondum factus est, suam naturam retinet. Nam vbi primum limites temperaturę corpus excessit, protinus ab initio eandem sibi ipsi naturã morbus habet. *lib. 1. de loc. aff.*

Morbus tum affectus censendus est, cùm actionem lædit, alioqui accidens. *lib. 1. de morb. diff. cap. 12.*

Morbi proprium est actioni incommodare. *lib. 2. meth. med. cap. 3.*

Morborum tot sunt prima genera, quot sunt ea, quæ corpus nostrum componunt. *lib. 1. de diff. morb cap 2.*

Morborum qui nec locum affectum, nec effectricem caussam nomine repræsentent, pauca sunt nomina. *lib. 2. meth. meden. cap. 2.*

Morbus est immoderatio eorum, quorum moderatio sanitas est. *lib. 1. de diff. morb. c. 2.*

Morbi primi sunt quatuor, iuxta ponentes quatuor elementa patibilia. *lib. 1. de diff. morb. c. 4.*

Morbi primi, qui iuxta eos qui meatuum constitutionem assignant duo sunt, meatuum ampliatio, & angustatio. *lib. 1. de diff. morb. c. 4.*

Morbi magnitudini, & numero communes sunt, excedẽs, & deficiens. *lib. 1. de morb. diff. c. 8.*

Morborum innumerabilem turbam exsuscitant excrementa collecta, & putrescentia *lib. 9. de vsu part. cap. 1.*

Morborum occasiones duæ, ex reliquis cibi non purgatis. *Ibid.*

Morbi partium similarium, ex accidenti toti instrumento tribuuntur. *lib. de morb. diff. c. 13.*

Morbi cuiusque cognoscenda causa est. *lib. 2. de natur. facul. cap. 9.*

Morbi

Morbi causa est, is affectus qui morbum præcedit. *lib. de sympt. diff. cap. 1.*

Morbi vniuersi, ex Hipp. sententia, vel extrinsecus, ex aëre nos ambiente, vel intrinsecus, ex esu potioneque proficiscuntur *lib. qui introductio. seu medicus inscribitur,*

Morbi hi præcauendi sunt, vel qui iam imminent, vel futuri sunt. *eod. lib.*

Morbos cruditates pariunt. *Ibid.*

Morborum similarium causæ, iuxta omnem elementorum suppositionem. *lib. de caus. morb.*

Morbi calidi, frigidi, humidi, & sicci causæ. *eod. lib.*

Morborum omnium in vniuersum causæ. *eod. lib.*

Morbi frigidi à pituita, calidi à bili oriuntur. *lib. de natur. facult. 2, cap. 8.*

Morbi qui ex inæquali intemperie nascuntur, sunt hepialus phlegmone, erysipelas, cancer, & reliqui omnes à fluxione orti. *lib. de ineq. in temp.*

Morbi compositarum partium qui. *lib. de morb. diff. cap. 6. 7. 8. 9. 10.*

Morborum simplicium inter se complicationes. *Lib. de morb. diff. cap. 12.*

Morborum compositorum causæ. *Lib. ad id dicato de morb. cau.*

Morborum instrumentariarum partium causæ enarratæ: *lib. de morb. cau.*

Morbi genus quoddam, & simplicibus, & instrumentariis partibus commune, nempè vnitatis solutio. *lib. de morb. diff. c. 11. & 12.*

Morborum, qui in soluta continuitate consistunt, differentiæ enarratæ. *lib. de morb. differ. c. 11. & lib. 14. meth. med. ad princ.* Causæ vero eorundem. *lib. de morb. cau. c. vlt.*

Morbos omnes singularium partium, vnum hominem esse expertum est impossibile. *libr. 2. de loc aff. c. 2.*

Morbi quicunque per calidam siccamque intemperiem fiunt, crassum atrúmque sanguinem referunt. *lib. de atra bile.*

Morbis ea maximè corpora patent, quorum principes partes contrariis temperamentis sunt affectæ: minus verò, quibus diuersæ à principibus partes ita se habent. *lib. 6. de san. tuen.*

Morborum alij communes sunt : alij dispersi: illorum rursus alij Endemij, alij Epidemij pestilentes. *Com.1.ad 1.de vulg.morb.circ.prin.*

Morbi num à causa communi, an cuique priuati sint, quomodò deprehendas. *Com.2 ad lib.de nat.hum.* Deprehenduntur autem sic, nam vbi multi vno tempore, eodem morbo homines corripiuntur, in id conferenda causa est, quòd sit omnium communissimum, quoque maximè vtuntur vniuersi. At vbi diuersis eodem tempore morbis homines afficiuntur, suus cuique victus sine controuersia, causa est. *Eodem libr. ex Hip.serie.*

Morborum communium causæ, non rectè in solum aërem referuntur. *com.eod.*

Morbi scatent ex nobis, si humores abundent, vel corrupti sint *com.1.in lib.de nat hum.super text. Morbi ex validissimo.*

Morbi Epidemici, pestilentes, endemij, & sporades, vt differant *com.9.ad lib.1.de vict.ra.ac.*

Morbi acuti diebus xiiij. decernunt. *lib.2.de diebus decr. cap.*10.

Morborum, iuxta decretorios dies, diuisio. *lib.2.de diebus decr.cap.*10.

Morborum diuisio iuxta ipsorum motionem, & cuiusque differentiarum conueniens appellatio. *Lib.eod.cap.*11. *&* 12.

Morborum per circuitum repentium, ordo similis ei est, qui in ventris excretionibus conspicitur. *Lib.2.de diff feb.cap.* 11.

Morbi circuitum medici appellant, cum morbus ex iisdem ad eadem, per ordinem ipsum, circulum quendam ambiente morbo, recurrit. *lib.de morb.temp.*

Morborum numerum traditurus, non debet statim in prima differentia subsistere, sed omnes indagare atque complecti. *lib.1.meth.cap.3.*

Morbi sine corporis elementis, ex quibus consistit inuenire non possunt. *lib.1.meth.med.c.3.*

Quæ de morbis temporum, & ætatum. Lib.de nat.hum. Hip.tradidit, tanquam elementa: quædam sunt eorum, quę de iisdem tradidit in aph.8. *lib.de plac.Hipp. & Plat.*

Morbi diuturni, non qui dierum, sed mensium circuitu fiunt, eo discutiuntur anni tempore, quod illius quo homines inuaserunt contrarium est. *Com.1.ad lib.de natu.hum.super text.*

text. Cum igitur ita se habeant.

Morborum alij acuti sunt, alij peracuti, alij diuturni: quidam continui, quidam intermittentes. Acuti & continui, neque acuti, neque continui quidam. *In defin. medic.*

Morborum differentias nouem Hipp. posuit, acutum, peracutum, malignum, diuturnum, medium, exitialem, euasorium, periculosum, periculo vacantem, & singulorum notiones. *lib. de fin. medic.*

Morborum reliquorum à febribus duo genera sunt acuti & longi. *lib. qui medicus inscrib.*

Morbus acutus est, qui facilem solutionem, vel interneciõnẽ, quantum in se est habet. *In defin. medic.*

Morbi acuti magni sunt, & ad suum vigorem celerrimè properant *lib. 2. aph. com. 23.*

Morbi sufanei seu dispersi: si omni tempore & loco fiũt, vernaculi qui in quibusdam locis abundant, vulgares qui tẽporibus quibusdam plures eodem in loco corripiunt. *In defin. med.*

Morbus peracutus vocatur, qui ad vij. vsque diem extenditur. *lib. 2. de dieb. decr. c. 12.*

Morbus peracutus exactè, & non exactè, quis item acutus exactè, & non exactè: acutus item ex delapsu quis. *lib. 2. de dieb. decr. c. 12.*

Morbos acutissimos dicit Hip. eos, qui pauco tempore decernunt: maximos, validissimos, grauissimósque, qui cum periculo sunt cõiuncti. *Com. 3. ad 1. de vulg. morb. super text. Sunt autem acutissimi,*

Morbus acutus ex decidentia is est, qui perfectę solutionis gratia, ad xl diem extenditur. *li. 2. de dieb. decr. c. 12.*

Morbus diuturnus, qui ad xl. prorogatur diem, ex Archigenis sententia. *lib. 2. de dieb. decr. c. 12.*

Morbum acutum Archigenes eum esse ait, cui motus velox, & subito pericula adueniunt. *eod. lib. & cap.*

Morbos cacoethes appellamus, id est malignos, quicunque periculum minantes, spem salutis non adimunt. *com. 14. ad 1. Prorrhet.*

Morbi quidam pestilentes, ex longa annonę caritate orti. *lib. de boni, & mali succi cib.*

Morbus acutus ex magnitudine accidentiũ, magis quàm ex dierum numero iudicandus. *Com. 12. ad li. 3. progn. Hipp.*

vel c.6.noue verſ.

Morbi cuique tempori anni, & cuique tempeſtati peculiares, qui. *Com.1.ad 1.d. pop.morb.ſuper text.in Thaſo.*

Morbus animæ, de Platonis in Sophiſta ſententia, eſt partium animæ ſeditio, atque diſſidentia. *li.5.de plac.Hip.& Plat.*

Morbis pluribus, vno tempore homo infeſtari poteſt, quorum alius inclinet, alius in principio conſtitutus ſit, alius vigeat. *libro de totius morbi temper.*

Morborum dignotiones, præſagitionéſque, ex communi, & propria cuiuſq; natura, ex morbo, ægro oblatis, & offerente, ex ſermonibus, deiectionibus, ſputis, ſudoribus, conſuetudine, victus ratione, cœli ſtatu, ętate, imaginationibus, ſomnis, vigiliis, inſomniis, aceſſionibus, vrinis, & excretionibus reliquis, & abceſſibus. *Com.3.ad 1.lib.de morb.vulg.cap.1.*

Morbi futuri agnitio, ſeu ſigna. *In arte med.*

Morborum pręſentium, & corporum iam ęgrotantium ſigna. *eod.lib.*

Morbi multum acuti diebus imparibus acceſſiones facere ſolentes. *Comm.3. ad 3.de vulg.morb.ſuper text. Acceſſiones pleriſque.*

in Morbis acutis, vbi tertius, ac quartus dies grauia habent ſymptomata, breui iudicium eſt expectandum. *Com.3. ad 1.de pop.morb.ſuper text.Philiſcus.*

Magnus morbus dicitur, cùm ſupra vires noſtras fuerit, vel cùm ſuapte natura talis fuerit. *li.de totius morbi temp.*

Magni morbi notas, eſſe vrinas nigras, oleoſas, & pingues, item ſputa in pleuritide, aut peripneumonia, nigra, amara, ſpumantia, fœtida. *eod.lib.*

Morbus malignus tum exiſtimatur, cùm neque ſudore, neque alio naturę auxilio ſoluitur. *Com.58.li.2.prorrhet.*

in Morbis fieri mutationē quadrupliciter, nempe vel ad ſalutem vel ad perniciem, vel momentum ad melius, vel ad peius. *Comm. 3. ad 1. de vulg. morb. ſuper text. Inſuper eſt animaduertendum.*

Morborum perturbationes modi tres, cùm liberari ęger debet, & tres item alij his oppoſiti, cùm moriturus eſt. Sunt autem in ſolutionibus neque agitatio aliqua, neque euacuatio, neque decubitus. Contrarij vbi moriturus eſt ęger. *lib.3.*

de Crisi c.7.

Morborum solutiones, absque excretione, aut abscessu insigni factę, incertę sunt, & recidiuam minantur. *lib. 1. de dieb. decr. c. 1.*

Morbi horrendi quidem rudibus, breui autem iudicandi prudentibus. Exemplum in Pericle propositum. *Com. 3. ad 3. de vulg. mor. super tex. Periclem.*

Morbi acuti per excretionem, diutini per abscessus magis iudicari solent. *Com. 65. in libr. 2. prognost.*

Morbi statim iudicandi propensiùs præsentiuntur, & quibus signis id fiat. *Com. 10. ad 3. prog.*

Morbo naturæ suæ cognato laborantes, minus periclitantur. *lib. 7. meth. med. & lib. 2. aph. com. 34.*

Morbi in quibus vterque succus, & biliosus, ac crudus abundant, pessimi sunt. *com 3. ad 1. de vulg. morb. super text. Philini vxorem.*

In morbis acutis vehementissimi casus solent aliquando bonas crises operari. *lib. 7. aph com. 5.*

Morbo incipiente si quid excernatur, nihil tunc excernitur naturæ ratione: sed sunt omnia hæc casus præter naturam, earum quæ sunt in corpore dispositionum. *lib. 4. aph. com. 22.*

Morbus quisque triplici genere grauis est, vel propter præcellentiam partis, aut propter affectus magnitudinem, aut propter ipsius cacoethiam. *lib. 4. meth. med. c. 6.*

Morbi omnibus euidentes, tumores sunt præter naturã, at quos sola inæqualitas & intemperies qualitatum cõmittit, haud ita patent. *lib. de morb. diff. c. 5.*

Morbi connutriti vocantur, qui diu hominum corpora tenent *Com. 9 in Epid.*

Morborũm à plenitudine ortorum notæ sunt vasorum connexio, faciei robur, totius corporis tumor, & pulsuum magnitudo cum robore. Indigentiæ signa, collapsus tumoris, gracilitas in facie, & exiguus pulsus cum imbecillitate. *lib. qui Introductorius dicitur,*

Morbi principium intelligere oportet totum illud tempus in quo nondum existunt concoctionis notæ. *Com. 2. ad li. de rat. vic super text. Hæc si ab initio apparuerint.*

Morbi qui celerrimè iudicantur inter se sunt contrarij. *Com.7.ad 3.progn.*

à Morbis difficillimis natura celerrimè vincitur. Placidissimas ægrotationes natura ocyssimè superat. *eod.com.*

Morbi perpauci mortiferi sunt, si neque æger erret, neque medicus, neque ministri, neque aliud extrinsecus occurrat. *Comm.2.ad lib.6.de vulg.morb.super text.Circa ægrotanti administratio.*

Morbi longi, eo quod vires exoluant, non sine periculo sunt. *Com.1.in progn.Hip.cap.10.nouæ versionis.*

Morbum non integrè solutum, indicant symptomata finita febre remanentia. *Com.1.in 6.de vulg.morb.super text.Sitis intus relicta*

qui Morbi subitò oriuntur, & quorum sunt apertæ occasiones, denunties certissimè. *Com.2.in li.de nat.hum.super text.Morbi qui subitò oriuntur.*

Morbi pro exuperantium humorum discrimine, indulgentiores, aut maleficentiores euadunt. *Lib.2.progn.com.46.*

Morbis omnibus curandis commune præceptum, abscindendas esse eorum causas. *Li.4.method.med.cap.4.& in arte medic.cap.89.nouæ versionis.*

Morbo simplici, simplex debetur curatio: composito, non simplex. *li.4.meth.med.ad principium.*

Morborum in partibus similaribus, curationis finis est alteratio, cùm morbus ipse ex intemperie, & naturalis temperamenti alteratione sit ortus. *li.7.meth.med.c.3.*

Morbi qui ab humorum copia oriuntur, euacuato illo humore medicamento proprio curantur, vt icterus chalogogo, ascites hydragogo *lib.1.de nat.fac.c.13.*

qui Morbis ex copia laborant, victus ratione, vel inedia, vel purgatione, vel venæ incisione curandi sunt. Qui verò ex indigentia laborant, alimentis restituere conuenit. *lib.qui introductorius inscribitur.*

Morborum è cruditate, seu acrimonia ortorum, curatio fomentis, & cataplasmatis coctionem parare oportet. Acrimonia verò humorum contemperanda, & cibis boni succi, atque humectantibus vti oportet *eod.lib.*

redundantiæ Morbis si quis ægrotet huc tendit vniuersa eius victus ratio, vt succos ad conuenientem modum reuocet: sin ex succorum vitio, vt pares eos faciat. *li.6.de san.tuen.*

Mor-

Morborum secundum magnitudinem, numerum, situm, curatio, & salubria praecepta. *in art. medic. c. 96. 97. & 98.*

Morborum capitis, vt lethargi, phrenitidis, & reliquorum curatio, Arist. sententiae de sede sensuum repugnat *lib. 1. de sympt. cau. cap. vlt.*

in Morbis acutis, sanguinis mittendi scopi sunt, morbi magnitudo, virium robur, aetas florens. *lib. 4. de rat. vic. acut. com. 16.*

Morbis longis conuenit per superiora purgatio, acutis per inferiora. *li. qui Introductorius inscribitur.*

in Morbis longis solum patrium vertere conuenit. *com. 6. in 6. de vulg. morb. super tex. Solum patrium vertere.*

in Morbis magnis non à leuibus auxiliis, sed à potentibus incipiendum. *lib. 5. de san. tu. c. vlt.*

Morbi magnitudo indicationem pręber curationis. *lib. 4. meth. & med. c. 6.*

Morbi magnitudo, siue vis, sanguinis detrahendi, vel purgationis adhibēdae indicatrix est. *lib. 4. meth. med. c. 6.*

Morbi cognitio, principium methodi medendi est. *lib. 2. meth. med. c 7.*

Morbis, qui in generatione adhuc sunt omnibus, duplex iudicatio est curationis *lib. 13. meth. med. cap 2.*

in Morbis magnam partem ad totius victus, medicamentorúmque inuentionem ex consuetudine sumi. *lib. 7. meth. med. c. 6.*

Morbi species, correctionis duntaxat indicat modum: succurri vero possit, nec ne, haud etiam indicat. *lib. de medicae artis constit.*

in Morborum complexibus, quis curationis ordo seruandus. *lib. 7. meth. med. c. 12.*

Morborum curatrices indicationes, vbi contrariae sunt, qua sit in iis methodo vtendum. *lib. 3. meth. med. c. 9.*

Morbos alios natura, alios medicus instaurat, quosdam vterque, & horum omnium congrua expositio. *lib. de const. art. med.*

Morbis aut profit medicus, aut ne noceat. *com. 2. ad 1. de vulg. morb. super tex. Te ad hoc exercere.*

in Morbis errores commissi, lethales, aut diuturnos eos efficiunt. *lib. 2. de dieb. decr. c. 11.*

Morbos cruditates pariunt. *In introd.*

Morbi, qui aut iam imminent, aut futuri sunt, præcauendi: si ex plenitudine, venæ sectione, ac purgatione, si ex labore & indigentia, quieti corpus dare, & cibis reficere *In introd.*

Morbis nemo quisquã corriperetur, si accuratè obseruaret, ne in cruditates incideret. *lib de boni & mali succi cib.*

Ex aphorismis collecti de morbis loci.

MORBOS extremos, summos nominat Hip. *lib.1.aph. com.6.7.*

Morbus peracutus, accessiones, atque omnes simpliciter casus maximos statim in primis diebus possidet. *li. & com.eo.*

Morbus peracutus statim in primis diebus consistit, id est statim in summo vigore consistit, circa primos quatuor dies, vel paulo vlterius. *eod.lib. & com.*

Morbis enim consistentibus, victus tenuissimus est necessarius. *Ibid.*

Morbo in suo vigore consistente, melius est náturam permittere vacare circa morbi coctionem, neque distrahere ipsam ad cibos recenter assumptos cõficiendos. *ibid. & com.9. eiusd.lib.*

Morbis extremis, exquisitissimam fieri curationem pręcipit Hip. *lib.1.aph.com.6.*

in Morbi vigore, vbi casus aliquis interuenerit robur naturæ dissoluens, nutrire cogimur. *lib.1.aph.com.9.*

Morborum constitutiones qualesnam sint indicant anni tẽpora, & circuitum successiua incrementa, & mox apparentia, & vrinę, & alui excrementa, & sudores, & horum omnium expositio. *lib.1. aph.com 12.*

Morbi acuti, peracuti, diutini, quinam sint. *com.eod.*

Morbi accessio, est deterius tempus totius circuitus. *Ibid.*

Morbi circuitum vocat Hip. similem ad idem reditum. *com.eod.*

Morbi principium triplex. *com.eod.*

Morbus simplex, simplici eget curatione, in copulatis, ei quod magis vrget instare debemus, reliquo tamen non prætermisso. *lib.1.aph.com.16.*

Morbi principio humores qui agitantur, & de loco ad locum mouentur, ac transfluunt euacuare oportet. *libro.1. aph.com.22.*

Morbi, in quibus ad animi vsque defectionem euacuare expe-

expedit, sunt ardẽtissimę febres, maximæ inflammationes, & vehementissimi dolores. *lib.1.aph.com.23.*

Morbis longis, semper expectanda cõcoctio ante euacuationem. *colligitur ex com.24.li.1.aphorism.*

Morbi longi, ob crassos, lentos, ac frigidos fiunt humores qui non facile concoqui possunt. *li.2.aph.29.*

Morbi acuti, pręter id quod celeriter iudicantur, statim etiam magnitudinem habent. *lib.1.apho.com.19.*

Morbum esse, quamlibet dispositionem operationes lædentem. *li.2.aph.22.*

Morbi à plenitudine facti curatio, est euacuatio. *libro 2. aphorism.22.*

Morbus præsentem quandoque causam habet, quandoque non. *ibid.*

Morbi acuti magni sunt, & celeriter ad suum vigorem perueniunt. *lib.2.aph.com.23.*

in Morbis acutis iiij. fiunt permutationes. *ibid.*

Morbi quicunque intra diem xiiij. integrè iudicantur, hos solet Hip. acutos simpliciter nominare. *com.eod.*

Morbi acuti ex decidentia hi sunt, qui intra dies xiiij. imperfecte iudicati, ad quadragesimũ diem extenduntur. *eod. aph.com.23*

Morbi cõtinui acuties nunquam potest plures, quàm xiiij obtinere dies. *eod.aph.com.23.*

Morbi ij dicuntur motus habere inæquales, qui aliquot diebus fuere vehementiores, postea sine aliqua significatione torpuerunt, deinde rursus adaucti continuitatem acceperunt. *eod.com.*

Morbi cessant noxiis humoribus euacuatis. *libro 2.aph. com.25.*

Morbi nulli æstate sunt longi. *com.eod.*

Morbi non soluuntur, manentibus iis, qui eos efficiunt humoribus. *com.eod.*

Morbi acuties, tempus non expectat: quin citò vires exoluit, & subitò exitũ affert. *com.26.li.2.aph.*

Morbi diuturnitas, ęgrotantium corpora extenuat. *libro 2.aph.com.28.*

Morbos à similibus incitari, solui verò à contrariis Diocles existimabat. *lib.2.aph.com.34.*

Contrariis morbis contraria esse adhibenda remedia

Hipp. scripsit. *com. eod.*

cùm Morbi inchoant, si quid mouendum videtur, moue. *lib. 2. aph. com. 29.*

Morbus non omnino, dum consistit, est fortior, verùm in iis qui saluari debēt melior multò, quàm in morbi principio. *lib. & com. eod. & com. 30. eiusdem libri.*

circa Morborum illorum initia, in quibus speratur ægrum conualiturum, tentandum maiora afferre remedia. *li. 2. aph. com. 29.*

Morbo iam consistente, neque sanguinis missionem, neque purgationem adhibere conuenit. *com. eod.*

Morbo consistente, cùm iam natura concoquit, superfluum est euacuare. *comm. eod.*

in Morbo quouis mente constare, & appetitum permanere, bonum est signum. *lib. 2. aph. com. 33.*

in Morbis acutis omnibus, magnam vim ad salutem habet spirandi facilitas. *com. eod.*

in Morbis minus periclitantur, quorum primę corporis temperaturæ, vel ei quę vel ratione ætatis, aut habitus, aut tēporis superuenit, magis congruit morbus, quàm quibus secundùm nihil istorum congruit. *li. 2. aph. com. 34.*

Morbi omnes diuturni frigidi sunt. *libro 2. aphorismorum, com. 39.*

Morbis similioribus, omnes faciliùs corripiuntur. *comm. eod.*

Morbi qui senes ad mortem comitātur, quinam sint. *li. 2. aph. com. 40.*

Morbi vt ex temporum commutatione generantur, eodem modo etiam soluuntur. *li. 3. aph. com. 1.*

Morbi à similibus temporibus generantur: dissoluuntur verò à contrariis, & dissimilibus. *li. 3. aph. com. 3.*

Morbi calidi, in locis calidoribus magis generantur, & minus sunt periculosi, & in aliis proportionaliter. *com. eod.*

Morbos conuariari necesse est, cùm temporum temperaturæ conuariant. *li. 3. aph. com. 4.*

Morbi autumnales expectandi sunt, cum eodem die modò calor, modo frigus fit. *ibid.*

Morborum causæ sunt, non temporum appellationes, sed temperaturæ. *li. 3. aph. com. 4.*

Morbo

Morbos tales expectare oportet, qualem fecerit annus constitutionem *lib.3.aph.7.*

Morbi in pluuiosis temporibus, magna ex parte febres longæ fiunt *lib.3.aph.com.7.*

Morbos, qui in constantibus temporibus fiunt, constantes Hippocrates appellat, vti qui in inconstantibus inconstantes. *li.3.aphoris.com.8.*

Morbos acutissimos, atque mortiferos, aliorum temporum comparatione, autumnus affert, & vide huius causam. *li.3.aph. com.9.*

Morbi acuti in siccitatibus fiunt. *lib.3.aph.com.7.*

Morbi omnes, cur in omnibus temporibus fiant. *Li. 3. aph. com.19.*

Morborum non est sola causa intemperies, sed victus. *lib.3. aph.com.19.*

Morbi fiunt aduersi, ob diuersitatem naturarum. *lib. & co. eod.*

Morbis acutissimis multi ob exercitationes, cum febricitare cepissent, correpti sunt. *li.3.aph.20.*

in Morbis diutinis, quadragesimus dies primus eorum est iudicialis: vltimus autem, inter illos qui acutos ex intercidentibus, iudicant *li.3. aph.com.28.*

Morbi longi in pueris, quo dierum numero iudicentur. *Com.eod.*

Morbi qui, quibus temporibus, & ætatibus accidant. *vide li.3.aph. ab aph.18. vsque ad 31. & in eorundem commentarys.*

Morbos indicare humorem peccantem, collige. *li.4.aph. com.2.*

Morbos valde acutos, Hipp. peracutos appellat, quorum terminus est prima septimana. *li.4.aph.com.10.*

cum Morbus aliquis incipit, si quid excernitur, nihil tũ excernitur naturæ ratione, sed sunt omnia hæc casus præter naturam earum quæ sunt in corpore dispositionum *li.4.aph. com.22.*

quæ ob Morbi magnitudinem, cum contineri nequeãt, effunduntur, difficilia sunt *li.4.aph.com.25.*

Morbus is est difficulter solubilis, cum eadem hora ægrũ accessio inuadit. *li.4.aph.com.30.*

Morbus difficulter solubilis, cuius causa firmata, fixa, ac stabilita fuerit. *Com.eod.*

In Morbis omnibus, qui per abſceſſus iudicantur, fluxiones ob id decumbunt, quòd latiora membrorum ſpatia promptè ſe habent, ad ſuperfluitates excipiendas. *lib.4.aph.com.31.*

ex Morbis qui reualeſcunt, cum humores morbum facientes ſatis non fuerint expurgati, ſed quaſdam reliquerint ſuperfluitates, cum laborantem, ſeu dolentem partem quampiam habuerint: illuc morbum decumbere. *Li. 4. aph. com. 32.*

ex Morbo relatus, vel antequam quis ægrotet, ſi quis parte aliqua corporis laborauerit, illic morbus firmatur, quod ad talia decumbere morbus ſoleat. *li.4.aph.com.33.*

Morbi diuturniores, non ſolent diebus decretoriis, per ſudores iudicari, ſicuti neque omnino per excretiones, ſed vel per concoctionem, vel per abſceſſus. *Lib.4.aph. com. 36.*

Morborum iudicatorij dies, qui. *Com.eod.*

Morbi plurimi peracuti, qui cùm ſudore iudicantur, tertio & quinto die, magis quàm quarto iudicium ſuſcipiunt. *com.eod.*

Morborum dies boni, & mali, & qui indicant laborem, recidiuam, & longitudinem. *Com.eod.*

Morborum longiorum principium, quadrageſimus dies. *li.4.aph.com.36.*

Morbi qui in diebus imparibus acceſſionem habent, citius iudicantur: qui verò paribus, tardant. *com.eod.*

Morbi peracuti primam ſtatim acceſſionem vehementiſſimam habet, & reliquas illi proportionales per diem tertium. *com.eod.*

ex Morbis peracutis raros eſſe, qui die quarto iudicentur, per experientiam à ſe inuentum teſtatur. Gal. *li. 4.aph. com. 36.*

Morbus ibi eſſe ſignificatur, qua parte corporis ſudor eſt. *li.4.aph.com.38.*

Morbus ſi per totum animalis corpus extenderetur, ex toto etiam euacuatio fieret. *li.4.aph.com.38.*

Morbus ibi eſt, qua parte corporis inſignis caliditas, frigiditáſve fuerit. *Com.eod.*

Morbus eſt exitus à temperie naturali, vti ſanitas temperies naturalis eſt. *com.eod.*

Morbi

Morbi longitudo significatur, vbi in toto corpore mutationes sint caloris, frigoris, aut coloris. *lib. 4. aph. com. 40.*

Morbi in quibus apparent calidi sudores, minus exitiales sunt, in quibus frigidi, exitiales magis. *li. 4. aph. 42.*

Morbi in longum tempus extenduntur, vel propter multitudinem, vel crassitudinem, vel frigiditatem humorum, cùm longum exigant tempus ad concoctionem. *lib. 4. aph. com. 44.*

Morbi species notat bonas excretiones. *li. 4. aph. com. 47.*

Morbi longi fiunt, si in febribus abscessus ad primas iudicationes non soluunt. *lib. 4. aph. com. 51.*

in Morbis, si quis sponte illachrymet, nihil absurdum: si non sponte, absurdius. *li. 4. aph. com. 52.*

Morbus longus est, si sudor in febre non deficiente appareat, quia morbum non soluit: qua re & ipsum prorogari significat. *li. 4. aphoris. com. 56.*

Morbi acuti terminus est, quartusdecimus dies: peracuti verò, septimus. *li. 4. aph. com. 59.*

Morbus febrilis est, quando febris ipsa passio est, & non casus. *li. 4. aph. com. 66.*

in Morbis mortalibus timores, labores, cõuulsiones quãdoque fiunt ex somnis. *lib. 4. aph. com. 67.*

Morbum fore longum ostendunt vrinę, quę non residẽt, si vires affuerint, si imbecillitas adsit, ægri mortem pronuntiant. *libr. 4. aph. comment 70.*

Morbus si velociter admodum moueatur, & mutatio coloris, & substantiæ vrinæ, sufficientia sunt signa futuræ iudicationis. *lib. 4. aph. com. 71.*

Morbos longos indicant vrinæ albæ, & perspicuæ. *lib. 4. aph. com. 72.*

Morbo acuto aliquo corripi mulierem vtero gerentẽ, lethale est, *lib. 5. aph. com. 30.*

Morbus acutus is est, qui secum febrem continuam habet. *com. eod.*

Morbi mulieribus fiunt, si menstrua plura fiant, & si non fiant, ex vtero morbi contingunt. *lib. 5. ap. com. 57.*

Morbos ex multitudine fieri plurimos, ex defectu autem nullum quibusdam medicis visum est. *com. eod.*

Morbi ex excessu, & defectu fiunt, tam viris quàm mulie-

ribus.com.eod.

ex Morborum genere sunt intemperaturæ, quæcunque tamen magnitudinem habent, vt possint iam lædere operationem.com.eod.

ad Morbos ex defectu, consequitur aliquando siccitas, aliquando frigiditas, aliquando vtrumque.com.eod.

Morbos contingere ex vtero, in sola retentione menstruorum, dixit Hipp.com.eod.

Morbi longi in senioribus fiunt, & difficulter sanantur. *li. 6.aph.com.6*

Morbi ratione num casus superueniant, maximè spectãdum. *lib.6.aph.com.*16.

qui Morbi hominem liberant, ij solui dicuntur, non qui alteram generant passionem, quæ nihilominus sit prima periculosior. *colligitur li.6.aph.com.*26.

Morbos fieri, non solùm à debilitate membri, sed ab humore superfluo, vt in podagricis declarat Gal. *lib. 6.aph. com.* 28.

Morbos aliquos, vti podagram, à parentibus, & auis in filios, & nepotes deriuari, declarat *Gal.com.eod.*

Morbis minimum corripiuntur, de Hipp. sententia, quĩ ventrem natura humidum habent. *lib.6.aph.com.*33.

Morbis illis confert febris, qui ex frigiditate fiunt, aliquando sola, aliquando cum humoribus crudis, pituitosis. *Li. 6.aph.com.*44.

Morbos aduentantes, & imminentes, qua ratione præcauere possimus, venæ sectione, aut purgatione scilicet præuenientes. *lib.6.aph.com.*47.

in Morbis acutis cum febre, luctuosa suspiria, malum. Ea enim vel duritiem, vel virium imbecillitatem, vel conuulsioni similem dispositionem indicant. *lib.6.aph.com.*54.

in Morbis acutis partium extremarum frigus malum: in diuturnis verò, nihil absurdum. *li.7.aph.com.*1.

à Morbis diuturnis euasuri, vehemens ciborum appetentia accidere solet. *libr.7.aphor.com.*6.

Morbi transmutatio fit, quando priore cessante morbo, aduenit alter. Superuenit autem morbus alter alteri, quando manente altero, alter adiicitur. *lib.7.aph.com.*11.

MOR-

Morbos acutos biliosum operatur *li.7.aph 32.*

Morbus laboranti cibus est vt sano robur. *lib.7.aph.com. 63.*

ex Morbo cibum sumens, si non corroboratur, significat corpus pluri vti alimento. *li.7.aph.com.63.*

Morbi effectiuus est cibus, non autem morbus. *com.eod.*

Morbosa sunt, quæ minimè similia sanis, non morbosa, quæ similia. *lib.7.aph.com.64.*

Morborum maiorem, minorem, & mortalem, ex pauco à natura recessu, vel multo, iudicare debemus. *lib.7.aph.com. ult.*

Admonitio Lectori.

Hos de morbis quos in tuam vtilitatem collegimus, locos (Lector optime) sic digessimus, vt quicquid præcipuum, ea in tractatione haberi possit, id accuratè attigerimus. Nec animus fuit locos omnes ad amussim, qui in omnibus Galeni & Hippocratis operibus de morborum ratione habentur, adducere, ne quis eos me prætermisisse quasi mei oblitum, arbitrari possit. Id enim vt operosum, & graue, sic certè immensum, aut potius infinitum fuisset. Quamobrem ab hoc inutili labore abstinendum, consultò putauimus, & iis, quos hoc capite attulimus, locis (qui & ipsi sat multi sunt, & omnium ad morborum rationem omnem capessendam accommodatissimi) contentos esse debere medicinæ studiosos duximus. Id vt tibi significarem, optime lector, hac admonitione vtendum optimum existimaui.

De morborum causis. CAP. IIII.

CVm nihil sine causa fieri, vniuersæ & Philosophorum & Medicorum contendant scholæ, sitque hoc Galeno autore, axioma medicum, vel præcipuum, vt quo non concesso, nullius aut læsæ, aut amissæ actionis, nulla aut sanitatis, aut morbi ratio constare vspiam posset, concideréque vniuersam artem esset necesse: congruere sanè videtur, vt de morborum differentiis explicata tractatione, ea quæ de causis est subsequatur. In eo Galeni ordinem imitabimur, qui prius morborum differentias, dein morborum causas, congruo ordine pertractauit. De causis itaque morborum hoc c[...]e agamus, quid causa sit ostendentes, quot causarum genera,

Plat. in Timæo. Arist. 1. de phys. auditu. Gal. 1 meth. meden.

nera,& differentiæ,quæ causarum indagationis vtilitas, quę singulis morborum differentiis ,morbificæ causę respondeat, quo fine caput concludemus. Causam itaque id esse medici volunt,quod suapte natura, ei quod fit,aliquam suæ generationis partem inducere potest , vt lib.de sympt.diff.exactè Gal. Quo enim tangente afficimur,& separato cessat affectus,id causam esse asserit 1.de loc.aff. idem autor Erit igitur causa,quę in corpore quicquam facit , affectúmque quempiam,qui actionibus officiat,creat.Quod enim primò actionem lędit , morbus est , id verò quod pręcedit morbi causa.Quęcunque igitur ex sui natura ad generationem eius quod fit conferunt , hæc causas vocant omnes homines. Quę docta Gal.lib.de procatarcticis causis sententia est.Cũ verò ex sui natura dicimus,id intelligi volumus,eas quę causę sunt,quæque ad generationem effectorum conferunt, per se,& primò ac veluti principia quędã id efficere. Sunt enim causę principia eorum quę fiunt,ac proinde suapte natura id efficere quod fit,quódque gignitur possunt.Quod verò per accidens quicquam efficit , id causę nomen non meretur, quod per se,& ex sui natura non efficiat. Itaque à quo fit aliquid,id omino causa est. Causarum porrò quatuor esse pręcipua genera,& Plato,& Aristoteles,& Galen.constanter asseuerarunt.Primum & maximum,propter quod fit aliquid: secundum,à quo fit:tertium , ex quo: quartum , per quod: Scholę,id propter quod fit aliquid,finem:id à quo efficiens, ex quo materiam:per quod,formam appellant.Galen.genera hęc,iis vocibus exprimenda duxit,materia,vtilitas ,scopus, vnde principium motus:quibus instrumentum , hoc est instrumentariam causam,qua efficiens in operando ,aut agendo vtitur,idem autor adiicit.Meritò autem pręcipua hęc causarum genera omnes esse volunt , quòd in omnibus effectis concurrere ea sit omnino necesse,nec sine earum concursu effici quicquam possit.Nam si quid nasci debet , id & materiam postulat,ex qua fiat(si quidem , vt vult Arist.ex nihilo nihil fit,& efficiens,à quo ceu principio oriatur.Nihil enim, vt Plato censet,seipsum efficere,atque generare potest ,& aliquid accipere id quod fit,nempe formam,atque essentiam, & alicuius gratia fieri,nempe vtilitatis,atque boni,est omnino necesse.At de his in vniuersum tractare ad metaphysicum magis,quàm ad medicum pertinet.Ad morbificas vero causas

causa quid. *Cap.1.* *li. de sym. diff.cap.* *Plato in Timeo.* *Arist.2.de Phys aud.* *Gal..li.6. de vsu par cap.12.& li.de sym. diff.cap.1.* *li.de sym. diff.cap.1.* *1.de Phys. auditu.* *In Timeo.*

sas propius accedentes, earum discrimina, medica methodo tractemus. Has porro in externas, & internas, seu corporea desiungi volunt. Externæ causæ eæ appellantur, quæ forinsecus incidentes, corpora alterare, modoque quopiam læsionis modo afficere solent, quas & ipsas occasiones rectè prisci vocandas consueuerunt quòd ab iis, inferendis morbis euidens causa præstetur, quam occasionem appellant. Ac proinde si quis ab æstu laborans, in febrim incurrat, aut frigoris excessu in congelationem, æstum, atque frigus, morbo occasionem dedisse vulgus non abs re profectò existimat. Iure igitur optimo causæ huiusmodi pręincipientes, seu primitiuę (vt scholę vocant) dici merentur: quòd ab his prima noxę pręstetur corpori occasio. Hæ à Græcis προκαταρχοντα nuncupari solent, quasi præincipientes dicas. Ab his imbecillia potissimum corpora lędi quàm maximè solet, vt Gal. lib. ad id dicato testatur. Quę enim bonitate naturę pręditą sunt, & virium præstantia pollent, externarum causarum noxam vix sentiunt: ac proinde, qui optimo sunt corporis habitu, aëris ac tempestatum, maris, solis, & reliquorũ, quæ forinsecus accidere possunt, iniurias contemnunt: imbecilli verò qui sunt, promptissimè ab his læduntur, vt quotidiana experientia docet. Causæ huiusmodi antegressæ, vbi noxam peperere, absistunt, nec manet, vt sol frigus, balneum telum, & id genus reliqua: ac proinde ita rectè definiuntur, vt sint causæ, quæ confecto opere discedunt, quam illis notionem autor definitionum medicinalium tribuit. Internarum porrò seu corporearum duo sunt genera, antecedentes, & cõtinentes. De his loquens ex professo Gal. ad hunc modum differit. Eas (inquit) siue in animali ipso consistunt, siue affectus sint, siue motiones præter naturam, causas nominant morbum præcedentes. Quæ verò extrinsecus adueniunt, si vehementer alterant, immutántque corpora, eas interim προκατάρχοντας, καὶ προκαταρτικας, causas appellant. Itaque quæcunque intra corpus præter naturam consistunt, ad quæ protinus affectus sequitur functiones lædens, causę pręcedentes, seu (vt scholę vocant) antecedentes appellari meritò debent. Græci has προηγουμένας vocant, quasi antegressas dicas. Atque de huiusmodi antecedentibus causis quod morbis omnibus causas habentibus conueniant,

Galenus 1. meth. me. lib. de cau. procat. ar. & lib. de mor. caus. & com. 2. ad lib. de nat. hum. Li. de causis procatarct.

Libr. de morb. cau. c. 2.

communis omnium ea de re consensus euidentissimum facit. Nemo enim quisquam est, siue Græcorum, siue Arabum, seu etiam Latinorum, qui non morbis materia quapiam cōstitibus causas antecedentes assignet. Maior de continentibus causis quæstio, vt quas morbis minimè conuenire Fuchsius de Galeni sententia, magnis ingenij viribus, non contēnendis etiam rationibus probare contendit. Verùm cum hac ipsa de re, cum in nostris ad Galeni libros de morbis, & symptomatis commentariis, pluribus in locis, & lib. 6. enarrationum nostrarum, enarratione prima, eidem Fuchsio dicata, plenissime à nobis dictum sit, ostensúmque ex infinitis Galeni locis, causam eum continentem in morbis excogitasse, ídque etiam demonstratiuis rationibus, quæ ex veris, & necessariis assumptis procedant, assertum, non est quod hoc loco eadem rursus intrudamus lectorémque remoremur. Illud tantum dixisse pro constanti abundè sit, morborum cōtinentes esse causas, eorum dico qui causas habent persistentes, & à quibus simul manentibus, vel fiunt ipsi, vel conseruantur, vt sine qua constare nullo prorsus pacto affectus ipse fūctionem lædens, potest: vnde est illud Gal. 1. de loc. affect. Quo tangente afficimur, & separato cessat affectus, id causam esse, quod de nullo, quàm continentium causarum genere dici verè potest, vt amplissime, citatis à me, ex meis commentariorum, & enarrationum medicinalium libris, est abundè monstratum: ad quæ loca lectorem remittimus. Erunt igitur morbificarum causarum tria hæc, non duo tantùm, vt Fuchsius putat, genera. Præincipientium, antegressarum, seu antecedentium, & continentium, quas scholæ coniunctas rectè vocant. Ad quod astruendum, non minimùm profectò vniuersus doctissimorum hominum consensus facit, qui pro lege quadam est habendus. Si quidem pro lege, id est (vt ait Galen) quod omnes homines arbitrantur Cùm itaque omnis ferè doctissiorum hominum Syluij, Fernelij, Akakiæ, Hieremiæ, Argenterij, Montani, & scholæ Nitiobrigum, ac Arabum omnium firma assensio, ac reliquorum vno tantùm excepto Fuchsio, talem in morbis causam statuat, nos hanc reiiciemus? & erroris tam multos, tamque graues, & summæ dignationis, atque autoritatis viros insimulabimus? ac non potius vnà cum ipsis rerum veritati assentiemur? Ad propositam itaque tractationem redeuntes, dicamus de reliquis, si quæ sunt;

Com. 2. ad lib. de nat. hum.

sunt,causarum differentiis. Præter memoratas,quæ & ipsæ præcipuæ sunt causarum differentiæ, sunt & aliæ quædam æquè præcipuæ,quales haberi debent, conseruatrix,præseruatiua,instrumentum,causa sine qua non,concausa, quæ vocatur,& quæ adiutrix dicitur.Item ex causis,quædam manifestæ,quædam obscuræ,& abditæ aliæ quædam pro tempore manifestæ.Est & quædam per accidens causa. Contulerit autem(opinor)plurimum, harum differentiarum omnium rationem reddidisse: vt quid earum quæque ad effectionem conferat scire possimus.Conseruatrix causa est,quæ præsentem corporis statum illæsum seruat,vt temperata quæ sunt, & omnis excessus expertia.corpora temperata seruare dicuntur,& omnino similia similibus conseruantur. Præseruatiua vero ea est, quæ ab impendenti malo corpus mutatione ad contrarium prohibet,vt lapsa corpora, ne in morbum incidant,alteratione ad contrarium,prohibentur,calida frigidis, frigida calidis,humida siccis,sicca humidis. Iuuantur enim hęc corpora contrariorum moderato vsu,vt Gal.in art.medic.testatur.Instrumentum, seu instrumentaria causa ea est, quę ad effectionem,vt adminiculum quoddam necessaria est: vt dolabra in ligni exęquatione,serra in excisione: ad quem modum in medicina dicimus,spiritus instrumenta esse,facultatum omnium, & ventriculum prioris concoctionis instrumentum esse,hepar secundæ.Causa sine qua non ea est,quæ effectionem ipsa non præstat,nec quicquam efficit, sed sine qua tamen effectio,aut actio constare non posset: veluti cibi assumptionem,& præmansionem,causam sine qua non esse concoctionis,dicimus.Nisi enim cibus sumatur,& præmādatur,confici in ventriculo nequicquam certè poterit.Vnde est illud Auic.Nutriens masticatione habet aliquam concoctionem:sic & aër,& locus in quo carpentarius lignum dedolat,causas sine quibus non, in operis confectione vult esse Gal.Nisi enim alicubi consistat artifex,& aëre quopiam circumambiatur,opus conficere nunquam poterit.Sed eæ (vt idem præcitato loco ait)causæ per accidens sunt, atque ob id minimè in causarum albo reponendæ. Solum enim quæ per se,& primo,atque suapte natura quicquam efficere possunt,causæ sunt habendæ,vt in causæ definitione est à nobis paulò anteà explicatum. Adiutrix porrò ea causa censetur, quæ opus quidem conficit ipsa quodāmodo,atque ægrè,qua-

Fen.1.primi doc.5. c.2.

li.de cau. procat.

propter alij cōsociatur, quo rē assequatur faciliùs, quā proptè obire seorsum nequit, vt in editione infantis, musculorum abdominis tensionem, adiutricem causam partus esse dicimus. Ipsa enim per se infantem in lucem dare, atque è locis muliebribus educere minimè valet: at facultati vteri expultrici consociata, eamque plurimùm adiuuans, opus facilius conficit, nempe infantis editionem. Hanc barbari medici cōcausam appellandam censent. Manifestæ causæ dicuntur, quæ suaptè natura quicquam agentes, sensibus deprehenduntur, conspicuæque apparent, & sibi similes pariunt effectus, vt sol, atque calidior aëris constitutio, vehemens frigus, cursus, lucta, pugna, labor, vigilia & animi perturbationes variæ, intempestiua venus, ingluuies, & id genus reliqua, dum ab his affectus creantur corpori noxam inferentes. Has nanque causas omnes, vt sensibus expositas, sic sanè manifestas, euidētes, conspicuásque iure esse dicimus. Obscurę, & abditę sunt, quę non ex seipsis, sed signis quibusdam deprehendi valent, vt quę nec sensibus expositę sint, nec in aperto positę, sed latentes & abditę: vt ad earum agnitionem, altiore mentis indagine sit opus, notásque quasdam inquirere, quibus patentes fieri ipsę queant: quales sunt, quæ inter nos pariunt morbos, nec satis nobis conspicuę sunt. Vnde illud rectissimè autor lib. de flat. dixisse est visus, de occultissimis morbis, opinione potius, quā arte, & sciētia iudicari: quòd hi occultas & abditas habeant causas, hoc est non satis perspectas, ac cognitas (hoc siquidem dicitur occultum & abditum, cuius non certa ratio reddi potest) cùm causa huiusmodi quęnam, & qualis sit nullo pacto sciri possit, atque ob id ea neque demōstrari sensuū iudicio, neque mētis intentione comprehēdi, aut explicari exactè potest. Fuerit autem huiusmodi, quę non ex simplicibus elementorum, aut aliorum quę sub sensum cadunt misturis nascitur, verùm altiùs posita, & eorum quę sensibus patent naturam & ordinem prætergressa, vix vlla potest ratione teneri. Hanc causam peritiores non modò abditam, obscuram, ac delitescētē, sed & diuinā & admirabilem nuncupandā iurè existimant. Diuinam quidem, quòd ingenij vires longissimè superans, mentisque humanæ captum, soli Deo perspecta, ac cognita sit. Admirabilē verò, vt quæ nos, ob naturæ suæ, & effectionum præstantiam in sui admirationem trahat: vti ea, quæ insolita cū sint, raráque o-

uentu, nec à nobis cognita, admirabilia iure optimo appellare solemus.

Hanc item cæcam causam, & qui ab ea prodeunt morbos cæcos nuncupare in more habent peritiores. Non igitur abs re Hippocrates diuinum quid in morbis inesse, idque à me dico optimo obseruari debere, magna ratione astruxit. Diuinum id quod in morbis quibusdam haberi Hippocrates dixit, non aëris conditionem eam esse putãdum est, quæ ex calore, frigiditate humiditate & siccitate modum superãtibus, prouenit: etsi id in commentario eius partis existimauit Gal. ab Hippocrate esse intellectum: verùm diuini voce ampliùs aliquid, longeque aëris conditione præstantius, significari verè putandum est, nempe aduersariam, atque deleteriam quãdam in morbo inclusam naturam, quæ nobis prorsus ignota sit, solique DEO omnium authori, atque opifici nota, eiúsq; arcano consilio morbis inserta: quam lib. de nat hum. idem Hipp. morbidæ excretionis nomine est dignatus, hoc est, vitiosæ cuiusdam naturæ, quæ non vlla manifesta qualitate noxam inferat, sed tota sua substantia, cęcáque potestate corpora nostra dissipet, atque corrumpat. Ac proinde, cum cæca sit causa quæ tantum morbum profert, necessariò & cęcum esse morbum oportet, nec remedio locum esse, quòd causæ naturam minimè teneamus. Vnde illud rectissimè à Galeno dictum arbitrari oportet, cognita morbi causa facilem esse remediorum inuentionem. Quę profectò causa est, cur pestilentes morbi hominibus sint exitio, cur tam citò, nullis etiam mortis apparentibus signis ægros perdant: quòd scilicet admiranda, & insolenti potestate, non aperta & manifesta corporibus nostris insidientur, & cæca etiam facultate rapiant, atque tollant quos occuparint. Sed de abdita causa iam satis. De hac enim fusiùs à nobis lib. 4. Enarrationum nostratum medicinalium, enarratione septima dictum est. Iam verò quæ sint causæ pro tempore obscuræ, & pro tempore manifestę dicendum. Pro tempore obscuræ ea meritò dici solent, quę aliquandiu delitescunt, ac rursus sub sensum & cognitionem cadunt. Vt quę primo suo aditu perspectę nobis non sunt, paulo pòst manifestę fiunt, quales habentur quę in penitissimis corporis abditos morbos creant, quę nobis statim perspectę non sunt, ac temporis progressu patent: vt conclusum in remotissimis partibus pus, quod dolores ge-

lib. 1. prædsag. nu. 7.

l. 7. meth. med.

pleumero graues, febres, & alia symptomata delitescent creat, paulo post sese prodens sensibus fit conspicuum, atque
Lib. 6. aph. 4. euidens, vnde est illud Hipp. *Quibuscunque suppuratio in corpore existens non innotescit, his ob crassitudinem puris, aut loci, nō innotescit.* Nunc quę singulis morborum differentiis causæ sint, proferendum, a simplicibus morborum differentiis exorsi. Calidi igitur causę sunt motus, putredo, constipatio, vicinia, materia. Motus enim si intentus, multus, & vehemens fuerit, aut lassitudinem, aut febrem excitat. Putredo humorum, aut putrescentium etiam interdum partium, calidos morbos creat: vt in febribus ab humorum putredine ortis, tum in phlegmone, erysipelate, carbone, & id genus reliquis calidis fluxionibus experimur. Constipatio densata cute vaporum transpirationem prohibendo, calidorum sępenumero morborum causa fit. Vicinia & contractus rei calidę, vt ignis, aëris, ęstuosi, feruentis aquæ, aut olei, & similium calorem accendit, tum & calidarum fluxionum in partibus quibuslibet consistentia, à quibus in vicinas partes trāsiniflus calor deriuatur. Materia item calida & acris, nempe alimentum calidum, vt allium, porrum, eruca, synapi, piper, si immodicè sumantur: ad hæc medicamenta acria morbos ciere calidos solent. Frigidi morbi causas esse volunt, motum immodicum, otium, raritatem totius, vel partis, natiuum calorem dissipantem, constipationem, & densitatem totius, aut partis, viciniam, & contactum rei frigidę, vt niuis, glaciei, frigidæ aquę, & aëris. Materia frigida qualitate vel quantitate, hoc est, alimenta, vel medicamenta frigida, natiuum calorem extinguentia. Humidorum morborum causę statuuntur, aer humidus: aut ex regionis, vel anni constitutionis, aut cęli status natura, vita otiosa & ignaua, mollisque educatio, motusque à cibo mediocris balneum dulcis & tepentis aquę, alimentorū humidorum copia, & potus plurimus, medicamenta humectantia, somnus plurimus, animi tranquillitas, & quies. Siccorum verò, aër siccus, & balneum exsiccante aqua, vt marina nitrosa, & aluminosa, motus plurimus vacuo corpore, præsertim in aëre sicco alimenta sicca & pauca, plurima transpiratio, & alia quæuis immodica euacuatio, medicamenta siccantia sumpta, vel admota, vigilia immodica, cura, solicitudo, mœror, & si qua alia huiusmodi siccandi facultatem habent. Compositorum autem ex intemperie morborum composi-

tę item causę erunt, nempe calidi & humidi, calefacentia, & humectantia, calidi & sicci, calefacentia & exficcantia, frigidi & sicci, quę refrigerant & exficcant; frigidi, & humidi, refrigerantia & humectantia. Instrumentariarum partium qui morbi habentur, & ad eas propriè pertinent, peculiares quoque & hi habent causas. Conformationis enim præter naturam, magnitudinis, numeri, & constructionis partium vitiatæ propriæ sunt causæ. Conformationis, figura à naturali habitu aberrante, vel asperitate, aut lenitate, vel meatu aliquo vitium habente. Magnitudinis auctæ quidem, vtilis materiæ copia, & facultatis robur. Diminutæ contrariæ omnino, præterea sectio, vstio, putrefactio, mortificatio partis à frigore immodico. Numeri item deficientis pares causæ, atque magnitudinis imminutę: superflui, materię benignę copia, vt sexti digiti, & carnis vlceri supernascentis. Compositionis partium vitiatæ, constructio peruersa, à motu subitario & vehementi, ab humore in articulis copiosiore ligamenta humectante, atque laxante, & aliis similibus ad hęc dissensus vicinarum partium, & ineptæ coalescentię, & à situ proprio recessus. Solutæ autem vnitatis internæ quidē causę sunt, motus animalis incompositi, & intentior actionis vehementia, humores praui & erodentes, & plenitudo ad vasa quę dicitur. Externę causę incidentia, vt acuta, & ad secandum idonea, frangentia & contundentia, tendentia & rumpentia, vt casus ab alto, graue & durum incidens corpori, & omnia denique telorum genera, quę secare, disrumpere, frangere, contundere valent. Demum erodentia quę admouentur, vt caustica medicamenta, & valdè acria, tum præcipuè candens ferrum, & ignis vrens. Hę solutę vnitatis causę. Superest vt quę indagationis causarum sit vtilitas, proferamus. Inquirendarum porro causarum fructus hic est, vt qui intemperamētorum causas norit, is ad naturam suam reducere valeat, vt 2. de facul. nat. testatur Gal. Equidem cùm præcipuum medici munus Gal. autore sit, morbos adimere: adimi verò manentibus causis nequicquam possunt, cùm fieri nequeat vt curetur affectus quispiam, manente quę ipsum excitauit causa, vt meth. 7 idem protulit, causę verò morbificę auferri minimè possunt, ipsis prius haud exactè cognitis, ac perpensis, efficitur profecto, vt ad curationem morborum, causarū agnoscendarum magna sit medico ratio habenda. Vnde illud

cap. 2. li. 1 meth. me.

li. 2. meth. med. ca. 5.

rectiſſimè dixiſſe Gal eſt viſus, Methodicos medicos morborum cauſas aſſignare, atque inueſtigare. Et illud item in arte medicinali commune id in omnibus morbis obſeruandum præceptum, vt vnamquamq; prius, quę efficit, cauſam reſcindamus, vt ſine cuius abſciſione auferri nūquam affectus poſſit. Proinde non tam ad cognitionem, quàm ad curationem morborum vtilis ac neceſſaria eſt morbificarum cauſarum diſquiſitio atque cognitio. Siquidem vt Ariſtoteles, atque Auicenna rectè affirmant, cuiuſque rei ſcientia ſine cauſarum effectricium notitia haberi non poteſt. At iam de cauſarum natura, differentiis, & vtilitate ſatis.

Ariſt poſter. ca. 2.
Auicen. Fen. 2. primi c. 2.

De cauſis, Hippocratis, & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

SINE cauſa nihil fit, cùm omne quod fit, propter quid fieri comperitur. *Lib. de arte.*

Cauſas vniuſcuiuſque, ea putare oportet, quæ quum adſunt, talem modum fieri neceſſe eſt, quum permutantur in aliud, temperamentum ceſſare. *lib. de vet. medic.*

Cauſæ aliæ manifeſtæ, aliæ obſcuræ: & aliæ poſſibiles, aliæ impoſſibiles. *lib. de. alimento.*

Cauſa non ſpontaneum, quod nobis ſpontaneum. *lib. de alimento.*

Cauſas ex quibus morbi fiunt, exquirere, & morborum vires conſiderare oportet *lib. 1. de morb. muliebribus.*

Cauſa eadem morborum omnium, vti & ſpecies. *li. de flatibus.*

Cauſas corporis affecti ſi quis probè cognouit, potēs eſt valdè ea adferre, quæ corpori commodent. *eod. lib. de flatibus.*

Cauſa morborum quæ ſit, & quod principium, ac quaſi fons ex quo corpori mala omnia ſcaturiunt, ſcire conuenit: hoc eſt enim indicium expertúſne quis ſit, an omni experiētia carens. *eodem lib. de flatibus.*

GALENI.

CAVSA eſt, quæ in corpore quicquam facit, expérſque ipſa eſt corporis. *In defin. medic.*

Cauſarum alia procatarctica, hoc eſt, antegreſſa, vel externa: alia contentiua, ſeu coniuncta, quædam antecedens. *eod. lib.*

Cauſa antegreſſa, quę cōfecto opere diſcedit, vt canis cùm momordit, & ſcorpius cùm ictum inflixit. *Eodem lib.*

Cauſa

Causa contentiua est, quæ cùm adest præsentem seruat morbum, sublata tollit. *eod. lib.*

Causa antecedens ea est, quæ ab antegressa vel prorsus, vel partim constituitur. *eod. lib.*

Causa per se finiens est, quæ ipsa per se finem facit. *eod. li.*

Concausa est, quæ cum alia pares obtinens vires opus molitur, quod facere sola per se ipsa non poterat. *eodem lib. definit. med.*

Causa adiutrix est, quæ opus quidem conficit, sed ægrè: quapropter alij consociatur quò re assequatur facilius, quàm promptè obire seorsum nequit. *eod. lib.*

Causæ manifestæ sunt, quæcunque ex seipsis facientes, agentésque sensu deprehenduntur, vel quæ & apparent ipsæ, & opus consentaneè sibi fieri ostendunt. *li. eod.*

Causæ non manifestæ sunt, quæ non ex seipsis, sed per signa deprehenduntur, *lib. eodem.*

Causæ obscuræ neque ex seipsis noscuntur, neque ex aliis *eodem lib.*

Causæ pro tempore obscuræ sunt, ea quæ absunt aliquãdiu, ac rursus venire sub sensum valent. *eod. lib.*

Causa dicitur, id quod ei quod fit aliquam generationis partem confert. *lib. de sympt. diff. cap. 1. & lib. de causis procatarcticis.*

Causarum multa sunt genera: Nam & vtilitas, & scopus & instrumentum, & vnde motus initium, singula horum ei quod fit, perfectionis aliquid conferunt. *li. de sympt. diff. cap. 1.*

Causæ quæ nihil conferunt, sed tamen ab his, quę conferunt seiungi non possunt, hęc eius sine quo non rationem obtinent. *eod. lib.*

Causas procatarcticas, multi antiquorum ocasiones nominant *lib. de caus. procatarct.*

Causæ procatarcticæ, sola imbecillia corpora tangunt. *li. de caus. procatar.*

à Causis pocatarcticis, vt æstu, frigore, & aliis nos valdè lędi probat eod. lib. multis Galenus ostendens alioqui vanam esse domorum commodarum constructionem, vini, & balnei vsum, nisi à causis extrinsecis læderemur: quarum noxam vt vitemus, hæc ceu præsidia quædam parare studemus.

Causam sanitatis æstimant Medicum. *libro de caus. procatarcticis.*

Causa delictorum, quæ in facturis contingunt, ipsi sunt artifices. *eod lib.*

Causarum duę sunt primæ, & maximè principes, intentio, seu finis cuius gratia fiunt ea quę fiunt, & conditor, siue efficiens, à quo fiunt: tertia vero & quarta dignificatiuę sunt causæ, scilicet organa per quæ, & materię ex qua. *Eodem libro.*

Causę iustę iudicantur, quę conferunt ad generationem eius quod fit. *eod. li.*

Causas vocant omnes homines, quęcunque ex sui natura ad generationem eius quod fit, conferunt. *eodem libro de caus. procatarct.*

Causę per accidens, rationem habent eorum sine quibus non. *eod. lib.*

Causa omnino est, à quo fit aliquid. *eod. li.*

Causarum genera, vtilitas, efficiens, materia & organa. *eod. li.*

Causam primam, & proximam eius quod factum est, ponit eodem lib. conceptis verbis Galenus: quę eadem verè etiam continens causa dici potest, vt in narratione de Clytemnestrę morte, ab Oreste illata, eodem loco probat idem autor, affirmans in effectis satis esse, primam, & proximam causam assignasse, nec alias inquirendas ne progressus ad infinitum fiat.

Causę rationalibus Medicis, curationem affectus indicāt. *li. qui Introduc. seu Medicus inscribitur.*

Causarum nonnullę euidentes, alię continentes, quędam coadiuuantes, aliquę concausę, reliquę pręcedentes dicuntur. Eodem libr. & vide singularum differentiarum naturam, eodem loco diffusè explicatam, vt in lib. definitionum medicinalium, quę nos paulo ante citauimus, vt ea denuò repetere opus non sit.

Causarum plura sunt genera. Primum aç potissimum, cuius causa aliquid fit, secundum verò à quo fit, tertium ex quo, quartum per quod. *li. 6. de vsu part. cap.* 12.

Causa omnis, in eo quod ad aliquid, existit. *in arte medicinali. cap.* 84.

Causarum quædam salubres, quędam insalubres, aliæ neutræ. *in arte medici cap.* 84.

Causarum salubrium, nonnullę quidem conseruatrices: aliæ

aliæ verò effectrices. *eod. li. & cap.*

Causæ conseruatrices, priores & tempore, & dignitate effectricibus. *ibid.*

Causarum explicatio, quot sint, quales, qualiter tum inter se, tum ab eis, quę per accidens, vel sine quibus non causæ dicuntur, differant *li. de caus. procatarct. longa serie.*

Causas, cùm agunt, causarum apellatione dignamur: sæpenumerò tamen etsi nondum quicquã agunt, ex eo solùm quod possunt, dicuntur, veluti incoctio autor morborum perhibetur, quamuis morbum nondum afferat. *libro de constit. artis medic.*

Causarum alię ad effectum necessariæ, veluti materia, & effectrix: alię non semper, vt finis, & organa. *libro de caus. procatarct.* Non cuiuslibet causæ efficientis opus augetur, aucta eius substantia. *lib. 6. aph. com. 5.*

Causa nulla sine patientis aptitudine agere quicquam potest. *li. 1. de feb. dif. cap. 4.*

Causa eadem agens, cur non ęqualiter omnes afficiat. *lib. de caus. procatarct. & lib. 1. de diff. feb. cap. 4.*

Causa eadem inualescente, cur alij à febribus corripiantur, alij illæsi perseuerent, ratio à Galeno redditur, varia, & multiformis corporum dispositio, & aptitudo, quæ nonnulli facile alterantur, alij difficulter, alij omninò insuperabiles euadunt. *lib. 1. de febr. diff. ca. 4.*

Causæ calefacientes nõ semper febrim accendunt, quòd nonnullis corporibus, efficientis causę quantitas par non existit. *lib. de morb. caus. cap. 2.*

Causa si vera sit, constare vbique sibi debet. *lib. 2. de dignot. pul.*

Causa actionum in animali, facultas est. *lib. 1. de facul. natur. cap. 2.*

Causæ pręcedentes, ac procatarcticæ, quæ dicuntur. *lib. de caus. morb. ca. 2.*

Causæ, quę ex corpore procedunt, vnde vel facultas, vel instrumenta alterantur, præcedentes: quę verò positæ extra corpus induxerunt alterationem, causæ sunt externæ. *lib. 4. de præsagitione ex pulsibus. cap. penult. & lib. de morb. caus. cap. & 2. lib. 4. de sanit. tuen. ad principium.*

Causarum procatarcticarum, aduersus Erasistratum as-

ſertio. *lib. de cau. procat arct.*

Cauſas procatarctitas vel ut frigus, æſtum, ægritudinem non facere exiſtimantium, confutatio. *lib. de cauſ. procat arct.*

Cauſæ præincipientes, quam in corpore faciant diſpoſitionem, & quæ febrem accendant. *lib. 1. de diff. feb. cap. 3.*

Cauſæ externæ, præcedentes, & continentes, & earum per exempla in pulſibus explicatio. *lib. de cauſ. pulſuum. cap. 1.*

quod ex Cauſa extrinſeca fit, & non morborum ratione, oportet Medicum diſtinguere, & ſeparare, vt præcognitiones faciat diligentiores. *lib. 3. aph. com 5.*

Cauſas corruptionis duplices corpus habet, alteras internas & à ſe, alteras extrinſecus incidentes. *lib. 1. de ſan. tu.*

Cauſam continuam, ſeu continentem ponit Galenus. *lib. qui Medicus inſcribitur, & lib. 1. de loc. aff. & com. 3. ad 6. epidemi. Hipp. aphoriſmo eius lib. 20. & lib. de procat arct. cauſis, primã, & proximam cauſam eius quod factum eſt, ſtatuit: & lib. aduerſus Iulianum ſcripto, & lib. de ſectis. & com. 2. ad lib. de nat. hu. Hipp. & lib. 1. de cauſ. pulſuum, cap. 1. & com. de libris à ſe editis, de continentibus cauſis librum ſe edidiſſe teſtatur, & lib. 5. aph. com. 1. & lib. 2. aph. com. 22. & lib. 2. meth. meden. & lib. 4. de ſymptomatum cauſis, & li. 7. aph. com. 30. & lib. 2. præſagiorum. com. 43. & lib. 1. 2. & 3. de pulſuum cauſis. Celſus lib. 1. cap. 1. & Arabum omnis ſchola.*

Cauſarum externarum, ſeu primitiuarum, nullam curationis indicatricem eſſe. *li. 4. meth. meden. cap. 3.*

Cauſa externa, non ad curationis indicationem, ſed ad præſentis affectus cognitionem. *lib. 4. meth. meden. cap. 3.*

Cauſæ externæ nulla vtilitas eſt, vbi præſentis affectus nihil latet, hoc eſt, vbi affectus probè cognitus fuerit. *lib. 4. meth. med. cap. 3.*

Cauſarum noſtra corpora offendentium, tum externarum, tum internarum breuis enumeratio. *lib. de optima noſtri corporis conſtitu.*

circa Cauſas nos neceſſariò alterantes, verſatur ars corporis conſeruatrix. *In arte medicinali, cap. 85.*

Cauſarum neceſſariò corpus noſtrum alterantium vſus idoneus qualis. *In arte medic. cap. 85.*

Cauſarum præſeruatiuarum expoſitio. *In arte medic. cap. 99.*

Cauſæ ſalubres, aliæ ſunt temperaturæ quæ iam facta eſt,

est,aliæ illius quæ fit,aliæ futuræ. *In arte medic.cap.88.*

Causæ eædem nunc salubres, nunc insalubres sunt, vsu congruo adhibito,salubres: vbi à modo deliquerint, insalubres. *In arte medic.cap.95.*

Causarum salubrium inuentio,ex iis quæ necessariò corpus nostrum alterant,sumitur. *In arte medic.cap.85.*

Causæ salubres partium instrumentariarum. *In arte medic.cap.87.*

Causæ morbi appellabimus affectum præter naturam, qui morbum præcedit, & illius interuentu actionem lædit. *lib.de sympt.diff.cap.1.*

Causæ recentes morborum sunt,feruores,frigora,vigiliæ, curæ,mœstitiæ,cruditates,durum cubile, lassitudines, crapulæ,& id genus alia. *Com.2,ad lib.de nat.hum.super textu, Morbi, qui citò oriuntur.*

ex Causis manifestis,qui morbi ortum trahunt repentinum,breui,non diu conflatum, in his causa quæ fit, & quanta tenetur, & de futuro præsentire est procliue. *Com. eodem.*

Causas morbificæ duplices,Nam quæ in animalis corpore consistunt,internæ:quæ extrinsecus accidunt, externæ vocantur. Vulgus medicorum (ait Galen.) illas antecedentes, has primitiuas vocat. *li.1.meth. meden.cap.8. & com.2.ad lib.de nat.hum.super textu, Morbi ex corporis validissimo.*

Causa morbi cognoscenda,ei qui rectè curare volet. *li.2. de facul.nat.cap.9.*

Causarum inquirendarum fructus, atque vtilitas est,vt qui intemperamẽtorum causas nouerit,is ad naturam suam ea reducat. *lib.2.de facul.natur.cap.9.*

à Causa quæ remanet,curationis indicatio sumitur, vt in vitioso succo,à quo excitatum est vlcus,probat Gal. *li.4.meth. meden.cap.3.*

Causæ,quæ morbos committunt, per contraria curantur. *li.2.aph.com.22.*

Cum causis morbos efficientibus, & ipsi quoque morbi destruuntur. *com.eodem.*

Causarum morbos efficientium abolitionem,curationẽ esse,non præseruationem,docet aduersus quosdam Gal. *li.2. aph.com.22.*

Causa sublata, affectus quandoque tollitur, quandoque

remanet. *lib.1. de loc. aff.*

sine Causa sufficit nouisse quod experientia comprobauit. *li.2. aph. com.24.*

Causę morbi calidi, frigidi, & humidi, & sicci, tum morborum, instrumentariarum partium, & solutæ vnitatis, quænam, quales, & quot sint fusissime Gal. lib. proprio, qui de causis morborum inscriptus est, docet, vt sigillatim quæ de his dicuntur hic inserere, superuacaneum visum fuit, vt qui locos tantùm medicinæ communes, non proprios hoc opere tractemus.

De morborum casibus seu symptomatis.

CAP. IIII.

VT morbi causas, sic & symptomata quoque habere deprehenduntur. Cùm enim tria sunt omnino quæ præter naturam inesse corpori dicuntur, morbus, causa morbi, symptoma, causa quidē pręcedere, symptoma morbum, velut vmbra corpus, sequi consueuit. De symptomatis itaque hoc capite agemus, docebimúsque, quid symptomatis nomine intelligendum Medicis veniat, & cur symptomatis casus dicantur, quæ symptomatum differentiæ, quæ causæ, postremò nū symptomatis curatio propriè debeatur. A primo igitur exorsi, vnà cū Galeno dicamus, symptoma bifariam dici posse, generatim inquam, & speciatim. Id in genere symptoma est, quodcunque præter naturam homini accidit, atque proinde Græci id ἐπιγέννημα, id est, succedens rectè vocant. Succedere enim veluti germina quædam, symptomata morbo solent: vnde appositissimè Græcis ἐπιγεννήματα dicta sunt, etsi non nihil inter has duas voces, symptoma, & epigenema, interesse Galenus velit: vt sit symptoma, quicquid animanti vtcunque acciderit, epigenema verò id tātum, quod morbos necessariò consequitur. Hoc diffuso, symptomatis significato, tam morbus quàm illius causa, ad hæc etiam quòd morbo succedit, symptomata iure appellari possunt, quæ pręter naturam animanti cuncta obueniant, vt lib. de symptomatum differētiis docet exactè Galenus. At verò quæ sit symptomatis speciatim dicti ratio, qua ipsum tum à morbo, tum morbifica

li. de sym. diff. cap.1. & 2.

fica causa distinguere liceat, id nobis accuratè ostendendum hac parte est. Est itaque symptoma in specie dictum, quod præter naturem homini accidit, si modo neque causa sit, neque morbus. Symptomata porrò, casus etiam nuncupari à Medicis solent, vt Galenus 2. aphorismorum, & plures alibi. Ob id autem iure existimandum, quæ morbis symptomata succedunt, illósque comitantur, casus dici, quasi à morbis deriuati, atque cadentes, vt in ardentibus febribus, vigiliæ, deliria, sitis, anxietas: pendent enim omnia hæc à febre, ceu radice, vnde merito casus illius dici merentur, non quòd casu fortuitove contingant, cùm euentus sui statam & certam habeant causam, morbum inquam, cuius ipsa sympto mata germina sunt, & effectus. Sunt enim morbi symptomatum causæ, vt Galenus tribus libris de symptomatum causis, abundè docet. Symptomatis porro speciatim dicti triplex est differentia. Aut enim in actionis noxa consistit, aut in iis, quę præter naturam immodicè vel excernuntur, vel retinentur, aut tandem in affectibus quibusdam præter naturam. Nec enim repugnat symptomata quędam in affectuum genere collocasse. Actionis nomine intelligi volumus, debilitatem, deprauationem atque etiam abolitionem. Non solum enim actionis cuiusque difficultas, imbecillitas, aut deprauatio, illius noxa est, sed multò magis integra abolitio, cùm omnino fieri ipsa nequit. Læsarum vero actionum, animales alię, alię naturales, vitales reliquæ habentur: atque in his omnibus symptomata sita sunt. Animales porrò, insensiles, motrices, & principes diducuntur. Sensiles, sunt visus, auditus, odoratus, gustatus, tactus. Motrices voluntarij omnes motus, musculorum ope perfecti. Principes autem sunt, quæ à principe facultate manant, imaginatio, cogitatio, memoria. Has actiones omnes, aut debiliter fieri, aut deprauatè, aut omninò aboleri contingit, vt fusissimè Galenus lib. de symptomatarum diff. docet. Sic & in naturalibus actionibus, attractione, retentione, concoctione, expulsione, nutricatione, eędem noxę accidunt: perinde atque in vitalibus, nempe pulsu, & respiratione, in quibus debilitas, deprauatio, & priuatio, omnino accidere possunt, vt libris pulsuum, & de vtilitate, ac causis respirationis monstratur. At de symptomatis, quę in actionum noxa contingunt, hęc dixisse abunde sit, pro locorũ communium tractatione. Quę immodicè, & pręter naturam, vel excernuntur, vel retinentur, ad alteram differentiam sym-

ptomatis ſpeciatim dicti pertinent. Ea porrò vel tota ſubſtãtia, vel qualitate, vel quantitate nocent. Tota ſua ſubſtantia, vt hęmorrhagia grauis, id eſt, ſanguinis manatio è naribus, pulmone, ventriculo, aluo, hęmorroïdibus, vel alia parte, ex morbis aut inſtrumentariis aut ſimilaribus, aut tandem ex ſymptomatis aliis originem ducens, nempe vel apertione oſculorum vaſis, vel eroſione, ruptura, vulnere, aut retentricis imbecillitate, aut expultricis immodico impetu, atque motu vel noxa vtriuſque. Qualitate nocent, quę nimium acuta, vellicantia, calida, aut frigida nimium, craſſa, viſcidaque ſunt, flatulenta, aut glutinoſa. Ad hęc colores, odores pręter naturam in ſuccis noxam inferentibus apparentes. Quantitate lędere dicuntur, quę immodicè, aut vacuãtur, aut detinentur, vt immodica excretio, ſudoris, ob cutem nimium vel raram, vel denſam, vel humorum naturam, vel facultatis, aut retentricis, aut expultricis culpam: vrinæ, vt in diabete, diſuria, ſtranguria, iſchuria: ſtercoris, vt in lienteria, dyſenteria, voluulo, colico dolore, dyſenteria hepatica: menſium, vel ſuppreſſorum, vel largius fluentium: mucci, & deſtillationis, à cerebro vel manantis, vel ſuppreſſę. Ad tertiam differentiam ſymptomatis ſpeciatim dicti pertinent, affectus quidam præter naturã, qui ad alios quoque affectus conſequuntur: ij interdum ad corruptos ſonos, aut voces, nonnunquam ad tetros odores ſępe etiam ad deprauatos ſapores, demum ad tangibiles qualitates referri poſſunt. Deprauati colores apparent, aut in corpore toto, aut in parte vna, vel pluribus. In corpore toto, vt in morbo regio, morbo hepatico, ſplenico, leucophlegmatia, elephantiaſi. In partibus item accidunt deprauati colores, vt in lingua, facie, oculis, & reliquis partibus, in quibus abſceſſus inſident nigricantes, aut liuentes, aut rubore ſuffuſi, vt in gangręna, carbone, herpete, & id genus ſimilibus. Ad auditum referri debent clangoſæ voces, turbidæ, & tremulę, & raucæ, ob morbos faucium, columnellæ, pulmonum, oris, & aſperæ arteriæ: tum & ſomni percepti in internis partibus, rugitus, ſtrepentes flatus, murmurilla, ſtridores ob inſtrumentorum anguſtiam, vel errabundam ſpiritus flatuoſi fluctuationem. Ad olfactum pertinet graucolentia totius corporis, narium, oris, aurium, axillarum, pedum, & reliquarum partium, ob affectum aliquem putreſcentium: ad hęc ructus acidi, nidoroſi, viroſi,

gra-

graueolentiam rei corruptę referentes huius sunt ordinis. Prout eius qui ad gustatum pertinet, sapor extraneus, vel sudoris à corpore manantis, vel saliuæ salsam, aut amaram linguam reddentis aut sanguinis per os reiecti, aut reliquorum, quæ ex pulmonibus, ventriculo & aliis partibus reiiciuntur, quæ vel dulcia ægrotanti percipiuntur, amara, acida, salsa. Tactus symptomata sunt caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas, & quæ ab his nascuntur mollities, durities, vt in cute dura, arida, intenta, laxa, rugosa cernere licet. Symptomatum differentias omnes collegimus, causas compendiò expendamus. Sunt autem symptomatum omnium, cuiusuis tandem generis ea sint, causę, affectus ipsi primò & per se functionibus incommodantes. Morborum enim germina symptomata ipsa sunt: vnde rectè ἐπιγεννήματα, id est succedẽtia appellata sunt. Succedunt enim symptomata morbis, veluti vmbræ quædam, affectúsque perinde sequi solent, atque vmbra corpus. Peculiares vero syptomatum causæ quænam qualésque sint exactissimè Gal. tribus libris ad id dicatis expressit. Explicandũ postremò illud est, num symptomati, quà tale est, curatio debeatur. Id vt intelligatur, quid curatio sit, & cui propriè debeatur, prius inuestigandum. Curationem igitur, morbi ademptionem definiunt Medici, vt ex Galeno, tum 2. tum 4. meth. meden. tum lib. aph. 2. colligi conceptis verbis potest. Fit autem affectus cuiusque per contraria ademptio, vt millies in mille locis Gal. Ergo cùm curatio propriè morbi sublatio, siue ademptio sit, sequitur vt morbo ipsi, primò ac per se debeatur. Vnde est illud Gal. *siue functionem ipsam vitiatam, siue vnde hæc prouenit affectum, morbum nominare velis, nihil id medendi methodum immutare ostensum est, modò vnum illud intelligatur, primam ipsam curationem* (quam etiam nonnulli continentem appellant) *affectus esse, qui actioni incommodat.* Et rursus 4. meth. *Ergo*, inquit, *præsentes iam affectus tollere, siue admouendis iis, quæ naturæ opus impediunt, id fiat, siue per medicamenta quid ipsi moliamur, omnes profectò homines curare dicunt.* Cùm itaque curare, sit propriè morbos præsentes tollere, symptomata autẽ speciatim dicta morbi non sint, vt paulò antè sub initium capitis monstratum, constat profectò symptomatum propriè, quà talia sunt, non esse curationem, nec illis, sed morbo, qui functionibus incommodet, deberi. Quæ docta Galeni lib. 11. meth. med. *Curare quid.*

ſentẽtia eſt. Nã cùm ſymptomata morborũ ſint veluti germina quædã, illiſque ſuccedãt: vnde rectè ἐπιγεννήματα i. ſuccedentia, ſeu etiã ſuperueniẽtia dicta ſunt, curari ꝑfectò ipſa non poſſunt, nõ prius ſublato, à quo ceu cauſa effectrice procedũt affectu, cui verè ac propriè curatio debetur. Quinetiam ſymptomata ipſa, adempto prius morbo, confeſtim & ipſa ſanantur, quòd, velut vmbra corpus comitari, ſic morbum quoque ſoleant. Verùm ex his quædam tanti momenti ſunt, atque ita ſępenumerò premunt, & in vitæ diſcrimen ægrotos agunt, vt ad ſe omnem ferè medentis ſcopum, animúmque vertant, vt in vehementiſſimis doloribus, in valida hæmorrhagia, in ſyncopa, & animi deliquiis, in vigilia immodica, in valida excretione, & ſimilibus eſt videre. Quæ dum adſunt, omnem profectò ad ſe curantis animum, atque mentem euocant, vt Galen. 1. Therapeutices ad Glauconem, pleniſſimè docet. Sed his ſymptomatis occurrere, neglecto eo à quo progrediuntur, affectu, non propriè curare, ſed blandiri potius eſt: cùm vero ſyptomatum ablatio, ſit affectuum vnde pendent curatio. Iis enim methodo ſublatis, protinus certè quę ab ipſis emergunt, ſymptomata auferentur, vt in exemplo. Si ab ingenti phlegmone, parti cuipiam inſidenti, dolor vehemens oriatur non is profectò in totùm auferetur, non prius curata, à qua pendet, phlegmone, etſi quadantenus vel repellentibus, vel diſcutientibus, vel anodynis ſedari vtcunque atque leniri poſſit. Sed hoc, vt antea dictum, curare non eſt. Si quidem curari nihil quicquam poteſt (autore Galeno) manente, quæ ipſum excitauit, cauſa. Quamobrem cùm affectus ipſi ſymptomatũ propriè, ac verè cauſæ ſint, neque in habentibus cauſas ademptio perfici vſquam poſſit, non prius ſublata effectrice cauſa (vt à qua remanẽt e inchoare ſemper autore Gal. curationem oporteat) neceſſariò ſequitur curationem propriè, non ſymptomatis ipſis, ſed morbis quorum ſunt, potius conuenire. At de his ſatis.

Lib. 11. method. med. *Lib. 7. method. med.* *li. 4. meth. med.*

De ſymptomatis, Hippocratis, & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

De ſymptomatis, peculiari tractatione nuſquã egit Hippocrates, morborum tamen ferè omniũ, ſymptomata peculiaria

liaria variis in libris tractauit, vt morborum muliebrium symptomata lib. de morb. mulierum: popularium morborum symptomata, libris epidemiorũ, febrium symptomata, libro de Coacis prænotionibus, libris præsagiorum, & prędictionũ, & lib. de morb. & lib. de internis affectibus, & pluries alibi: prout & morborum reliquorum, qui in varijs corporis partibus accidunt, in iisdem ipsis, quos modo citauimus locis.

GALENI.

SYMPTOMA est accessorium affectus. *in defin. medic.*

Symptoma est affectus in corpore, qui morbum sequitur. *Lib. de sympt. diff. cap. 1. & lib. 1. meth med. cap. 1. & 3.*

Symptomata diuersas corporis alterationes sequuntur. *Lib. 1. meth. med. cap. 8.*

Quæ constitutionem, vnde actio sequitur, necessariò sequuntur, sanis quidem nobis accidentia, ægrotantibus symptomata nuncupantur. *lib. 1. meth. med. cap. 9.*

Symptomatis proprium est, vt sit præter naturam. *Li. de sympt. diff. cap. 1.*

Symptoma, est quicquid animali præter naturam accidit. *Li. de sympt. diff. cap 1.*

Epigenema est, quod solos morbos necessariò sequitur. *eod. loco.*

Symptoma, & passionem eandem rem nominari interdum accidit, vt de tremore probat. *Gal. eod. lib. & cap.*

Symptomati, neque vt sit affectus, neque vt lędat necessariò adest. *ibid.*

Symptoma à passione differt, quòd omnino hęc sit in motu interim vero & secundum naturam.

Symptoma non solum in motu, sed etiam in habitu quodam, & permanentia, omnino autem præter naturam. *Li. de sympt. diff. cap. 1.*

sub Symptomatis generaliter dicti appellatione, & morbus, & præcedentes morbi causæ cadunt. *ibid.*

Symptomatis speciatim dicti triplex est differentia. Alia enim corporis nostri sunt affectus, alia functionum noxę, alia vtraque comitantur. *Lib. de sympt. diff. cap. 2. & li. de sympt. caus. cap. 1. & lib. de const. art.*

Symptoma speciatim dictum, est quicquid præter na-

turam se habet, exceptis tum morbis, tum eorũ causis. *eod.li.* *& cap.*

Symptomata, à functionum vitio quadantenus distincta. *li.1.meth.med cap.8.*

Symptomatis à morbo differentia. *li.1.meth.med.cap.9.* *& lib. de sympt. diff. cap. 1.*

Symptomatum genera tria. *lib.de sympt. cau.cap. 1. & lib. de sympt.diff.cap.2. & lib.de const.art.meth.med.cap.1.*

in omni Symptomatum genere, aliud est actionis veluti amissio, seu priuatio, aliud velut inchoata, deficiénsque actio, aliud praua, & errans. *lib.3.de sympt caus.cap.1.*

de Symptomatis morbosis, ad quam artis partem pertineant, num ad eam, quæ sanitatem tuetur, num ad curatricẽ, non leuis quæstio est. *lib.4.de sanit.tu.ad principium.*

omnem Symptomatum naturam, morbi præcedunt. *lib. de sympt.diff.cap.vlt.*

Symptomata ab operibus accuratè distinguenda, quòd sæpè ita similia inter se sint, vt symptoma putetur opus, & opus symptoma. *lib.de sympt.diff.cap.vlt.*

Symptoma morbi nullum, per se curationis rationem iudicat aut immutat, sed quandoque per accidens. *li.11. meth. med.cap.1.*

Symptoma nullam seorsum curationem exigit, vtpote cum affectu vnde nascitur, vna cessans. *lib.11.meth.med.cap.1.*

Symptomatis curandis, vtpotè dolori, & vigiliis, ita intentus erit medicus, vt tutò medicetur, & vires custodiat. Vbi vltra pergitur, crudelis hominis officium facit. *eod.lib. & cap.*

ex Symptomatis, morbi magnitudinem, ac morem æstimare licet. *lib.de const.art.med.*

Symptomatum magnitudo, passionis magnitudini semper respondet. *li.1.de sympt.cau.c.2.*

Symptomatum in iis, quæ vel à corpore excernuntur, vel in eo præter naturam detinentur, contingentium differentiæ *lib.de sympt.diff.c.vlt.*

Symptomata omnia ex intemperie similarium, & instrumentorum morbis, præterea materiæ ipsius tum qualitate, tum quantitate prouenire deprehendimus. *lib.3 de sympt.diff. cap.3.*

Symptomata, quæ ex necessitate morbos sequuntur pathognomonica, id est, passionis significatiua appellantur, at-

que

que certa hæc esse morborum indicia, dicendum est. *Lib. de consti. artis medi.*

Symptomatum agnoscendorum, non solùm facultatem oportet habere medicum, ac generationis eorum inueniendæ peritum esse, sed etiam modi quo generentur, qui inter effectricium causarum differentias numeratur. *li. 3. de sympt. caus. cap. 1.*

Symptomatum, quæ sibi necessariò succedant, aut secus; expositio. *lib. 3. de sympt. caus. cap. vltim.*

Symptomata morborum, in constitutione Epidemica, contraria erant morbis. *lib. de boni & mali succi cibis.*

Symptomatum, quæ facultatibus sensitiuis, motricibus, & principibus accidunt, ad hæc quæ visui, auditui, olfactui, gustatui, & tactui, & quæ naturalibus potentiis, eorúmque instrumentis differentiæ, & causæ, lib. de sympt. diff. & tribus de sympt. caus. perquirendæ sunt.

Symptomatis proprium, morbum sequi, vt causæ præcedere. *lib. 2. meth. meden. cap. 3.*

ex Symptomatis, actionum offensæ si contristant, solicitudinem Medici ad se conuertunt, affectúmque deserere cogunt. *lib. 12. meth. meden. ad principium.*

Symptomatum curatio per contraria fit. *Lib. 11. meth. meden. cap. 12.*

Symptomata sunt ex permanentium numero. *li. 2. meth. meden. cap. 3.*

Symptomata, morbi, causæ, tres in corpore affectus præter naturam. *lib. 2. med. med. cap. 3.*

Symptomata & pathe, dicuntur actionum offensquæ morbos sequuntur. *lib. 2. meth. meden. cap. 3.*

Symptomata quot sint, medico inquirendum. *lib. 2. meth. meden. cap. 2.*

Symptomata, quę virtutem lędunt, curationem interpellant. *lib. 12. meth. meden. cap. 1.*

Symptomata lædentia vires, sunt vigilię, dolor, immodica vacuatio. *eod. lib. & cap.*

Symptomata, quæ virtuti officiunt, submouere primum cogimur, curandi ratione ad pręsens mutata. *lib. 12. meth. meden. cap. 1.*

Symptomatum quæ febribus accidunt, tres primæ differentiæ. Aut enim in actionum offensa consistunt, aut in re-

fentorum, vacuatorúmque immodico excessu, aut corporum ipsorum affectu. *lib. 12. meth. meden. cap 1.*

Symptomata quidem grauiora, cùm febre incidunt. *eod. lib. & cap.*

ad Symptoma tantùm simus attenti, si labant vires, non tamen vehementer sunt iam resolutæ. *lib. 12. meth. meden. cap 1.*

Symptoma non modò sedare si resolutę vires vehementer sunt, sed has etiam firmare properamus. *Eodem lib. & cap.*

contra Symptoma instare, morbo ad id tempus neglecto, interdum expedit. *lib. 12. meth. meden. cap. 1.*

Symptomatum curandorum explicata à Gal. ratio, à morbi curandi omnino ratione diuersa. *lib. 12. meth meden. cap. 1.*

De morborum temporibus.

CAP. V.

TEmpora morborum, mutationes quædam in ipsis, ac progressus quidam esse intelliguntur, quibus ab initio ortus sui, ad finem vsque variè ægrotum afficiunt. Equidem perinde in morbis, atque in animantium ætate, decursúque accidit: vt enim vnumquodque ortus sui initium habet, moxque sensim augescens in summum vigorem summúmque statum proficit, demum ab hoc declinans contabescit, donec esse desinat, sic pares est in morbis decursus, vicissitudinésque animaduertere. Primùm enim incipiunt, mox augescũt, quoad summum vigorem adepti sint. Rursus ab hoc ipso vigore sese remittentes declinant, ac tandem deficiunt: vt haud immerito Galenus, tempora, morborum ætatem esse dixerit: quod vt in animalibus ætatis decursu ea immutantur, sic & morbi, suorum tẽporum vicissitudine. Neque verò hîc, dum de morborum temporibus loquimur, temporis vocem Aristotelico more sumimus, pro mensura motus secundum prius, & posterius, etsi haud incongruè adaptari morbis hæc temporis significatio possit: neque pro temporis opportunitate ea quæ auxiliis administrandis idonea putatur. Hanc enim opportunitatẽ, temporis, ac occasionis etiam vocabulo dignamur. Vnde est illud Hippoc. occasio præceps Sed temporis voce in morbis, eorum ætatem, atque decursum intelligi

li. de mor. tẽp. & de tot. morb. temp.

lib. 1. aph. aph. 1.

ligi volumus,quo vicissitudine quadam,in alium atque aliū morē demutantur,mutationéque ea vanè ægrum afficiunt. Sunt porrò tempora hæc,in vniuersum quatuor, à Medicis enumerata:principium scilicet,incrementum,summus vigor, declinatio,in his quidem morbis, qui per hæc tempora decurrere possunt,neque enim morbis omnibus congruit,quatuor hæc tempora complecti.Lethales nanque ad declinationem nunquam perueniunt, vt paulò post dicturi sumus. Cur autem his quatuor temporibus,omnem morborum decursum metiri Medici voluerint, in promptu causa est, quòd quatuor sint effatu dignæ,sensúque perceptæ in morbis mutationes, quarum vicissitudine omnem morborum decursum concludi sit necesse.Siquidem si futuri morbi sunt, sui ortus initium aliquod habeant oportet. Cum autem nihil quicquam confestim summum fieri possit, nisi prius augescens ad hanc perfectionem deueniat,augeri ipsum,& increscere prius oportet,dein summum statum assequi, cùm nihil quicquam perpetuo in immensum augescere, sine vllo termino queat.Cùm itaque morbi incrementi sui finem nacti sunt,tum certè in summo vigore consistere dicuntur:perinde atque plantæ,& animalia dum augeri desinunt, quæ vigere, & consistere tum rectè dicuntur.Vbi autē statum morbi cōsequuntur,cùm diu in eo persistere nequeant,ob casuum,eo in tempore vehementiam,si salubres morbi futuri sunt,mox ab hoc summo vigore sese remittentes,ac veluti deferuescentes declinant, donec omnino parta ægrotantibus salute finiatur.Iam verò de his quatuor temporibus,nobis est sigillatim agendum,ostendendo quæ vnius cuiusque horum natura sit,& quid in eis morborum,atque naturæ potentia operetur.Principium itaque Gal.& omnibus non vnicè dicitur. *li.de morb temp.& 1. de crisib.c 6.* Si quidem priore suo significato primum morbi insultum, atque impetum,qui diuisione careat,intelligi volunt. Id enim momentū insectile,quo quis laborare,corripique morbo incipit,morbi principium rectè appellatur, quod veluti nunc quoddam est,latitudinem vllam minimè habens.Qua in significatione principij vocem non vsurpant Medici, nec quæ ab Hipp.de morborū principiis dici multa solent,accōmodari huic significationi possunt.Quale illud est,Incipientibus morbis,si quid videtur mouendum,moue.Et, in acutis morbis rarò,& in principiis,vtendū purgationib. Et, Circa *lib.1.aph. 29.& 30. & libr.2. aph.24.*

principia,& fines,omnia imbecilliora:circa st a tum, fortiora.

In iis enim omnibus aph.dum principij meminit Hipp.non in ea significatione principium sumpsit,cùm fieri nequeat,vt quod insectile est,& nullam vllius temporis latitudinem habet,id in artis considerationem cadat.Vnde constat , de alio principio his locis omnibus locutum fuisse Hippocratem, nempe eo,quod ad tempus latum extenditur. Erit itaque altera principij significatio hæc , vt sit tempus morbi latitudinem quandam habens,quæ vt plurimum ad tertium vsque prorogatur diem,quo sanè in tempore morbus in principio esse dicitur . vt Gal.li.1.de crisi.cap.8.ex Hippoc.libro prognosticorum priore affirmat. Est porro proprior quædã alia principij ratio , quæ non dierum numero,sed coctionis signis determinetur. Proprium(inquit Gal.)vniuscuiusque morbi principium,coctionis signis determinatur. Id principium,eodem autore,& pars totius morbi est,cùm morbum in quatuor tempora diuidimus,& verum morbi principium quod interdum paucis diebus concluditur,interdũ in multos quaternarios extendi contingit,& tum primũ finitur , cũ coctionis signa apparuerint. In acutis quidem morbis paucis diebus principium concludi,locus ille Hipp.1.Epidemiorum indicat.Statim enim continua est,quæ incipiens florescit , & viget.Ergo continentes febres,vbi inceperint,paulò post florescunt,& vigorem nanciscuntur suum:illud vt intelligamus, in acutis morbis breue principiũ esse solere , quòd in iis cùm vehementia sint omnia,& citatus morbi impetus breui temporis curriculo in statum fit progressio.In morbis autẽ longis in plures prorogari dies principiũ solet,vt in quartanis & hemitritæis , atque quotidianis etiã febribus experiri licet. Longũ enim huiusmodi febres principium habent , vt Gal. lib.1.de crisibus cap.17 .conceptis verbis,& secundo eiusdem tractationis.cap.12.testatur. Primum igitur morbi tempus, principium est,coctionis signis ab aliis discretum. Reliquum verò tempus vsque ad vigorem, quod à principio ad statum mediũ interest,ascensus,siue incrementum nominatur : tum enim augetur morbus,fiúntque symptomata quàm in initio grauiora,coctionisque vestigia quædã tũ apparere incipiunt. Partẽ hanc status sequitur pars,vt ait Gal.totius morbi vehementissima,vt in qua casus omnes vehementissimi , & ægro periculũ minitãtes omnino appareãt. Vnde est illud Hipp.

li.1.de cri. si ca 8.& 20.

Vbi sup.

Galẽ.1.de crisi.c.17.

li.de crisi. 30.

Circa statum omnia fortiora. Vltima morbi pars declinatio est, vt in qua morbi remissio, accidentiúmque sedatio, tandémque abolitio fiat. Hæc igitur quatuor sunt illa tãtopere Medicorum ore celebrata morborum tempora, principium, augmentum, status, & declinatio. Nunc verò quid in vnoquoque horum, morbi vis, & naturæ potentia operetur dicendũ. In principiis morborum leuiter vt plurimum affici ægrotantes solent, quod nondum se morbi vi exerat, quod facultas corporis rectrix adhuc valida, nec dum morbi impetu labefactata functionibus ipsa obeundis sufficiat, & morbo se aduersariam sistere possit: vnde est illud Hippocratis, circa initia, & fines omnia debiliora. Morbus id temporis crudus esse dicitur, cum nulla coctionis signa tum appareant, quæ dum apparere incipiunt, vt neque crudus tum dici morbus debet, sic nec amplius in principio esse. Coctionis enim signis tempus hoc à reliquis discriminari, de Gal. sententia, paulo antea diximus. Atque hoc quidem in tempore si acutus morbus sit & turgeant humores, protinus vacuare expedit. Vnde est illud Hipp. *Medicari in valde acutis si expeat, eadem die: differre enim in talibus malum.* Et, In acutis passionibus raro, & in principiis medicinis purgantibus vti. Et item, *Cùm morbi inchoant, si quid mouendum videtur, moue.* Si quidem vt in eius aph. com. docet Gal. circa initia illorum morborum, in quibus speratur ægrotum conualiturum, maiora adferre remedia tentandum, quod needum concoctiones fiant, & facultas adhuc valida, eam quæ à medicamento fieri solet alterationem proferre commodius possit, ac proinde quo coctiones in statu fœlicius eueniant, euacuare circa principia magis expedit, vt minor inde effecta morbifica causa, euinci facilius quod reliquum est, à natura possit. Verum vt in acutis vacuare semper ab initio, ex vsu est, sic contrà in diuturnis morbis, & à crudo humore originem ducentibus concoctionem expectare perpetuò oportet. Vnde illud ad Hipp. manauit, Concocta medicari, atque mouere, non cruda oportet. Atque hæc initiis morborum contingunt. In augmento verò coctionis indicia sese produnt. Apparẽt nanque in vrinis, si in venenoso genere morbus sit, pendulæ nubes, sitq; quàm antea vrinæ substãtia crassior, intẽdũtur etiã id tẽporis quę morbum comitantur symptomata. Si vero in pulmonibus aut thorace morbus consistat sputa coctiora fieri incipiunt, vti

lib. 2. aph. 30.

lib. 2. aph. 30.

1. aph. 24.

2. aph. 29

lib. 1. aph.

si in naturalibus instrumentis, alui excrementa meliora euadũt, in his quidem morbis qui ad salutem finiuntur: nam in lethalibus morbis, ad exitiũ omnia properãt. Incrementi porrò indicia sunt accessionũ celeritas, atque anticipatio, earũdemque vehemẽtia. Cũ enim celerius solito inuadũt accessiones, vel exacerbationes temporiùs recurrunt, morbũ tũ augeri, & ad vigorẽ properare (si quid Gal. creditur) est omnino censẽdũ. Principium nanque crisis, eodem autore, vltimũ ascensus terminũ esse, statuendũ est. In statu vero, parte totius morbi vt vehementissima, sic sanè periculosissima, fortiora omnia, ex Hipp. sententia, esse deprehenduntur: casus dico omnes, qui morbum sequuntur. Consistente nanque morbo grauissimi instant casus ægrum grauissimè conflictãtes: tum enim in acutis morbis, vigiliæ, deliria, dolores, lachrymę, spirandi difficultates, sopores interdum, anxietates, tenebræ ob oculos obortæ, & id genus multa accidere solent: quę cũ apparuerint morbi statum indicant, crisimque proximè futuram portendunt, vti Gal. lib. de crisib. 1. ca. 8. demonstrat. Hoc ipso in tempore, à natura coctiones maximè fiunt. Quãobrem appositissimè illud præcepisse Hippocr. est visus, vt cum morbi consistunt, ac vigent, quietem habeamus, nec agitare tum medicamentis corpus aggrediamur: neque enim tum vel venam secare, vel purgationem adhibere conuenit, quòd in concoquendo morbo natura tum maxime sit intẽta, quæ si vel dato medicamento, vel secta vena, à suo munere auertatur, exagiteturque humor contra naturæ ductum, maxima profecto ægris tum noxa infertur. Impeditur equidem naturæ opus, deiicitur rectrix corporis facultas, contabescit corpus, & in deterius morbus abit. Vnde quantum à recta methodo deflectant quæstuariorum medicorũ plerique, quorum omnis, in quæstu ratio posita est, quique, & ipsi quò plus præstitisse opis & præsidij ægris videri possint, nullo non tempore morbi, ægros variis deiectoriis medicamentis exagitant, ex illo Hipp. aph. atque doctis in eundẽ Gal. commẽtariis, facilè est videre. Putantes enim morbo, iis euacuationibus, alleuationẽ ferre, dũ eas etiã in statu, si diis placet, exhibẽt, magna profecto ægris inferũt dãna: coctionem morbi, (eximium naturæ opus) peruertentes, & ægri vires labefactãtes. Status ergò tempore pro salubri Hipp. præcepto, quietẽ agamus, & naturæ tum cõcedamus. Quæ si rectè, exactéque ope-

Li. 1. de crisib. ca. 10.

Lib. 2. apa. 29.

In quæstuarios medicos.

operabitur,& coctiones ipsa molietur, & morbum vno aliquo excretionis genere finiet: sin minus id, causa aliqua impedita, perficere poterit, iuuanda tum arte erit, & supplendũ id quod à natura perfici nequit, vt ex vtroque noxij humoris euacuatio fiat, natura quidem expellente, medicamento verò attrahente, quæ docta Gal. lib. 1. aph. com. 22. sententia est. Igitur vt omnẽ status naturam breui explicemus, statum, sũmũ morbi vigorem esse dicimus, in quo si salubris morbus sit futurus, ingens fit naturæ motus, materiam expellere satagentis, q; tũ coctiones à natura maximè fiant, quæ cũ materiã habeant naturæ motui reluctantem, malóque more affectã, necessum planè est ingentẽ inde pugnam oriri, vnde varij generis symptomata enascantur, vehementérque æger conflictetur. Ac proinde rectissimè Gal. id astruxisse est visus, morbo consistente esse omnia fortiora, hoc est, vt ipsemet explicat, casus omnes, de quibus dictionem vniuersalẽ (omnia) attulisse Hip. idem censet. Qui enim casus pugnam illã, quæ in statu vi naturæ, & morbi cõmittitur, sequuntur, ij sanè consistente morbo fortissimi sunt, accessiones videlicet febriũ, vigiliæ, dolores, fastidium, sitis, & alia id genus, vt alio commentario idem docet Galenus. Verùm dispositio, ex qua hi generantur casus (quã morbũ nominat Galenus) non omnino dum in statu est morbus, fortior est, at in iis qui seruari debent, multo melior, atque incolumior quod tũ sanitati sit æger proximus, victa nimirũ, ac strenuè superata, quæ morbũ creabat materia: quod est, concoctã esse, atque vi naturę, decretorio tandẽ motu, vel sudore, vel vomitu, vel cruentatione de naribus, mariscis, vtero, aut abscessu in aliqua parte genito expulsã, atque eiectam, vnde salus ęgro paratur. Nec si vehementiora tũ symptomata appareant, morbũ inde grauiorẽ, deterioremque esse concludere oportet. Nã symptomatũ, magnitudo ea, quæ in statu apparet, non solius morbi est, neque illius malignitati adscribi debet, cũ incolumior tum morbus sit (vt com. 29. & 30. lib. 2. aph. testatur Gal.) verùm motui naturæ, morbi causã exagitantis, & expellere satagẽtis, & materiæ reluctanti referri potius debet. Nec etiam ex symptomatis solis morbi grauitas, & malitia argui debet, sed magis ex malo ipsius more, malaque putredine, aut morbida excretione, nõ satis perspecta, vt in pestilẽtib. morbis cernere licet, in quibus cũ sint ipsi vt plurimũ exitiales, mitia tamen

lib. 2. aph. com. 29.

lib. 1. aph. com. 30.

lib. 2. aph. cõ. 29. 30.

fe.1.4.tr. 4.ca. nō rarò,qui ſic laborāt ſymptomata patiuntur.Vnde eſt illud Auic.In peſtilentib⁹ febribus quibuſdā,non percipere ægrū vehementē calorē,neque alterari pulſū,aut lotiū, alteratione magna:morbū tamen vehemēter exitialē eſſe,breuique interficientē.Quibus ex rebus illud neceſſariò ſequi videtur,nō ex ſymptomatū aut magnitudine,aut leuitate, de morbi natura iudicari debere,cū interdū aut nullis,aut leuiſſimis conſpectis ſymptomatis,grauiſſimos cōſtare morbos videamus,vt de peſtilentibus mox explicatū:nonnunquam vero ingentib. ſymptomatis apparentibus,morbi ſalutares ſpectentur,vt in quibus naturæ molimine,atque conatu ſalutares,perfectæque criſes contingunt.Vnde pro Gal.ſententia concludendū,etſi ſymptomata in ſtatu vehementiora ſunt, morbū tamen in iis qui ſeruari debent mitiorē, meliorēque eſſe,ob eas quas paulo anteà attulimus rationes. *lib.2.aph. com.29.30* Atque in hac quæſtione,mirū quas olim tragœdias noſtri gloſſematarij medici Gentilis,Hugo,Druſianus,Dinus,Foroliuienſis,ac cætera ineptientiū turba excitarint:vt profectò cùm tot diſtinctionibus,notabilibus,(ſic enim illi vocant)concluſionibus,ineptis argutiis nihil ad rem pertinentibus digladiari eos videam,nec pilo tenus aut germanum Gal.ſenſum attingere,aut veritatem nanciſci,riſū mihi plurimū moueant, vt in his legendis oleū ſit,& operā perdere.Quibus in ſuo errore dimiſſis,ad id,quod tractationis huius reliquum eſt, properemus:quid inquam declinatio morbi ſit,& quid in ea fieri contingat:tum enim exacta erit de tēporibus morborum tractatio.Declinatio igitur,morbi eſt remiſſio, & ad ſalutē parta iam de morbo victoria,abitio. Eſt enim totius morbi pars extrema,eadēque tutiſſima,vt in qua, autore Gal.ægrū mori minimè contingat. *libro.2.de criſib.c.5.* Cuius rei hæc ab eo redditur ratio, quòd vbi cauſæ morboſæ iam coctæ ſunt,& à natura ſuperatæ,fieri planè non poſſit,vt periclitetur æger,& ad mortem deducatur,recta modò curatio à medicis adhibeatur,nec error vllus ab ægrotante committatur.Quî enim fieri poteſt, vt cùm natura,elapſo ſtatu ſuperior euaſerit,morbum debellarit,& vehementiori morbi conatui reſtiterit, & quæ infeſtabant oppreſſerit(hoc enim ait Gal.eſt ipſa coctio)vt inquā vincēte natura ſuccūbat æger, ac moriatur?Id profectò fieri minimè poteſt.Niſi enim à morbo natura vincatur,mortem ſubſequi nullo modo contingit.Cùm nihil aliud mors ſit,

sit, quàm omnimoda naturæ prostratio. Natura igitur vincête, ac superâte, hominê mortis periculo liberari est omnino necesse. Quod cû in declinatione contingat, fieri minimè posse, vt in ea mors accidat est arbitrâdû. Nullû (inquit Gal.) est mortis periculû tépore status elapso: nec si quosdã in declinationibus periisse visum sit, ob id existimandû morbi in declinatione positi merito eos concidisse: sed vel suo ipsorum potius, vel medicorû errore, non vi morbi. Repugnat enim, quenquã tû vi morbi succumbere, cû morbus mitior iam factus est, atque remissior, atque tum, cû morbi vires, morbificamque causã natura plenè vicit, ac superauit. At si vel error aliquis ab ægris, assidentibus, aut rebus externis aut tandem medicorû culpa, aut ignoratione cômittatur, aut nouus aliquis eo in tempore morbus suboriatur, isque grauis & periculosus, nihil vetat in declinatione ægrû mori, sed non declinationis merito verû super additi morbi, aut errorum culpa. Hoc ipso in tépore sensim reficiendę ægris vires sunt, quæ à morbi impetu, à pugna cômissa, ab status qui pręterit vehementia, imbecillæ redditæ sunt, & exhaustæ: & si natura plenè morbû decretoriû vicit, vacuandû minimè est. Si verò imperfecta fuit crisis, & relictû à morbo quippia est, quod recidiuæ periculû minetur, tû certè (resumptis prius viribus) tuto, & modicè vacuandû, iuxta illud Hip. Quæ relinquuntur ex morbis post iudicationê, recidiuas facere consueuerunt. Quas morborû reliquias, ne putrescant, euacuandas, censet Gal. Atque hæc de singulis morborû téporibus dixisse abundè sit. Illud modo coronidis loco adiiciendum, quænam cognitionis horû téporum sit vtilitas. Hanc porrò libris de crisib. & de totius morbi téporibus, & com. ad 1. apho. Hip. bellè expressit Gal. Nam ex horû cognitione, & rectum ægris victû instituere, & crises futuras prænoscere, & de salute, aut morte iudiciû ferre, & certã vacuandi rationê in tempore adhibere medicus sanè potest. Nisi si quis enim hæc in nobis tempora ritè obseruet, quomodo aut tenuiter in statu cibare, aut in principio cômodè euacuare, aut instâtes crises animaduertere vnquã poterit? Quomodo item aut morbi insultus, ac magnitudinê, aut naturæ robur, infirmitatêve, aut morbi exitium præsentire, nisi his exactè perpêsis, ac cognitis possit medicus? Quæ quoniã necessaria sût, nô exiguã esse horû téporû obseruationis vtilitatê, cû Galeno existimare oportet.

libr. 3. de crisi. c. 5.

in cô. aph. 12. sec. 2.

libro 3. de crisi. c. 5

De temporibus morborum, Hippocr. & Gal. loci.

HIPPOCRATIS.

TEMPVS est, in quo occasio est: occasio verò, in qua tempus non multum est. *lib. preceptionum, ad initium.*

Tempore aliquando medela, aliquando etiam occasione contingit. *eod. lib.*

Tempus omnia corroborat, vt perfectè enutriantur. *lib. de lege.*

per Tempora venientia, omnia existentia, quę naturam ex iisdem habēt, transmutationes habent. *li. de septim. partu.*

Tempora eadem aliis vitę, aliis mortis secundùm dies, menses & annos. *eod. lib.*

Temporum varietates potissimæ sunt, quę naturam ipsam permutant. *lib. de aere aq. & loc.*

Tempora vitæ, mortis, sanitatis, ac morborum, eadem. *li. de sept. part.*

Temporum occasiones, in quibus auxiliis vtendum est, attendere oportet, atque talia longè prę stantissima in studio medicinæ sunt. *lib. de medico.*

Temporum occasiones multæ sunt, & varię in arte, quēadmodum etiam morbi, & affectiones, & horum curationes. *lib. 1. de morb.*

vbi Morbus peracutus est, extremos statim labores habet & extremè tenuissimo victu vtendum *li. 1. aph. 7.*

in vigore, quando Morbus constiterit, tunc victu tenuissimo vtendum. *lib. 1. aph. 8.*

In acutis passionibus rarò, & in principiis, medicinis purgantibus vti, & hoc cum præmeditatione faciendum. *libro 1. aph. 24.*

cùm Morbi inchoant, si quid videtur mouendū, moue. Cùm verò consistunt, ac vigent, quietem habere melius est. *li. 2. aph. 29.*

Circa initia, & fines omnia imbecilliora: cùm verò consistunt, fortiora. *li. 2. aph. 30.*

inter Morbi initia, si facies grauis appareat, nec vigiliæ, nec alui fluxus, aut inedia pręcesserint, morti poximum ægrum indicat. li. 1. Pref. 3.

si in initiis Morborum nigra bilis, vel infrà vel suprà exierit, mortale. *lib. 4. aph. 22.*

qui

quibus statim Morbus consistit, his statim tenuis victus adhibendus est. *li.1.aph.10.*

Increméta successiua, circuituum accessiones & constitutiones morbi indicant *li.1.aph.12.*

à principio Morbos curare oportet. *li.de loc.in homine.*

principium Morbi sedare ac curare oportet, si à fluxionibus morbi fuerint. *li.de loc.in ho.*

principia Morborum consideranda. *li.de affectionib. seu de morb.*

in principio constitutionis Morborum ęgrotos considerare oportet, qua re opus habeant, & quales sint, vt pharmaco purgentur, aut vt aliud quid, quodcunque tandem volueris exhibeas. *li.de affect.ad princ.*

Si omisso principio, ad finem iam vrgente morbo, medicamentum exhibueris, aut quid aliud iam desperato corpore, periculum est ne magis delinquas, quàm successum consequaris. *eod.li.*

circa principia Morborum, considerandum an statim florent. *li.2.de pop.mor.ad prin.*

ex incremento Morborum clarum fit, num statim morbi floreant. *lib.2.de pop.morb.ad princip.*

Incrementa, ex circuitibus, & iudicationes, hinc quoque fiant manifestæ. *eod.lib.ad princ.*

principium Morbi, non pro primo insultu eiusdem, sed pro tempore latitudinem habente, sumit Hip. *aph.29.2.sect. & 24.1.& 30.2.& 22.4.& lib.2.de rat.vic.acut text.48. vt Gal. probat lib.1.de cris.c.9.*

GALENI.

QVALIS res ætatum differentia in animantibus est, talis morborum tempora, quæ καιροι Græcis vocantur. *lib.de morb.temp.*

Tempus in morbis, non simpliciter hoc vocabulo significatur, neque conueniens illud, in quo præsidia etiam consideramus, sed tantùm morborum ætas. *eod.lib.*

Temporum vicissitudine morbus immutatur, vt animal ętatibus. *eod.lib.*

Quamadmodum & ipsi nos geniti, ad vigorem vsque augescimus, inde iam contabescere incipientes, ad extremam vsque corruptionem declinamus, si omnes ætates pertransituri sumus: pari modo singuli morbi, à prima eorum consti-

tutione, ad ſtatum vſque increſcunt,dum pro augmenti prioris portione decreſcentes in totum diſſoluantur.*eod.lib.*

Morbi à primo ſtatim ingreſſu augeſcunt.*eod.lib.*

Tempus nullum, inflammationis generationi ſingulariter proprium atribuitur, ab eo quod augmenti eſt diuerſum, ſed vnum eſt vniuerſum, à primo inſultu vſque ad ſtatum affectu increſcente. *lib. de morb. temp.*

initium cuiuſque Morbi medici omnes dicunt, non primum illum ſimplicem duntaxat inſultum, ſed temporis longitudinem, latitudinémque notatu dignam, illi aliquando adſcribunt, poſt hęc aſcenſum: deinde ſtatum, ab hoc declinationem.*li.de morb.temp.*

cùm Morbus, ex iiſdem ad eadem, per ordinem ipſum recurrit, quaſi circulo quodam ambiente id medici omnes circuitum appellant.*eod.lib.*

Interuallum eſt, cùm febris ad intergritatem peruenit. *eod.lib.*

Remiſſio eſt, omne id tempus, quod acceſſionem ſequitur.*eod.lib.*

Reduplicationem ſeu repetitionem appellãt,alterius inuaſionis cum horrore initium.*eo.li.*

Tempora totius morbi ſimiliter ac animantium ætates conſideramus *lib.de tot.morb.temp.*

vnum quidem,& princeps tempus, generationi Morborum atribuitur:alterum aſcenſui, ſeu incremento:tertium vigori, quartum declinationi, cùm ægri ſalui futuri ſunt.*lib. de totius morb.temp.*

Si vel in aſcenſu, vel in vigore ægri deceſſerint, liquet talem morbum non omnia tempora pertranſiiſſe.*eod.lib.*

Tempus hoc, quod morbi principium nominãt, ad pręſidia ferenda mirum in modum conducit. *eod.lib.*

principium Morbi, non primę acceſſionis impetum, ſed longum magis tempus eſſe, nobis Hipp. & alij medici omnes perſuadent, nempè quo ſanguinem detrahere, & clyſtere vti poſſimus :interim, ſi res poſtulet, etiam purgare .*lib.de totius morb.temp.*

Cùm abundantia quæpiam ſanguinis, inflammatione oborta, in particula conſtituitur, hoc erit primum tempus, quo pars affectus magnitudine ſubiecta repletur.Cùm autem influxus ceſſauerit,& quod in particula inflammatione obſeſſa

continetur putrefieri inceperit, calor quidem ob putredinẽ nascitur, & fusio magis propter calorem vnde etiam spiritus generatur, atque ob hęc ambo particula magis quàm anteà distenditur, etiam si nihil influat, secundum hoc tempus est inflammationis augmenti. Porrò cùm in pus iam vertitur, maximi dolores tunc partem apprehendunt: vocatur autem huiusmodi tempus, vigor affectionis. Si autem fluor in pus mutatur, vel digeritur, minorem tumorem, & tẽsionem reddet: huiusmodi est declinationis principium. Sic quidem in inflammatione tempora diuiduntur.

ANNOTATIO.

Ex hoc loco, conceptis verbis colligere est, voluisse Galen. inflammationum tantum initiis fluere humorem, in ascensu vero fluxisse iam totum, nec etiam dum fluere, sed putrescere quod influxit: & ob calorẽ, ac spiritum fundi magis, atque ob hęc ambo particulam magis quàm antea distendi, etiam si nihil influat, hocque esse secundum inflammationis tempus augmenti scilicet. Hæc enim Gal. verba sunt.

Tempora in febre, quę ex putredine humorum citra inflammationem proficiscitur, humorum molestantium cruditatatis tempus, principium ponendum est. Vbi concoqui cœperint, initium finiri, secundum autem tempus quod ascensum nominant accedere. At cùm ipsa concoctio maximè conficitur, vigor: inde rursus declinatio. *Lib. de totius morb. temp.*

vniuersalia, & particularia totius Morbi tempora, latitudinem habent. *eod. lib.*

Morbi quidam prius interimunt, quàm soluantur, vel propter ægrotantium imbecillitatem, vel propter morborum fortitudinem, vel propter vtraque. *eod. li.*

communis omnium Morborum interimentium modus est, cùm supra vires existunt. Nam quod ægrotantis perniciẽ continet, in hoc situm est, quippe dum nec seruari quis potest, nisi natura morbum superauerit. *eod. li.*

perire nemo potest, nisi natura victa sit, Morbúsque superior ea euadat. *eod. li.*

magnum Morbum dicimus, cùm suprà vires est. *eod. lib.*

In ascensum inflammationis posse hominem mori. *Eod. lib.*

pluribus Morbis eodē tēpore homo infestari potest, quo-
rum alius iam inclinat, alius principij tempus adhuc, vel aug-
menti primordia occupat: tertius plurimùm auctus est, dein-
de mori contingit non propter inclinantem, necnon inci-
pientem, sed ob vehementer auctum. *eod. li.*

in vigore Morbi, quod mitigandi vim occupat, in cura-
tione præpollere debet, in principio & fine, quod veheme-
tiam habet. *eod. lib.*

victus rationem in Morbis, penes vigoris tempus metie-
dam. *eod. lib.*

Temporum differentiæ apud medicos duæ, morboru-
scilicet, & remediorum: morborum, initium, incrementu-
summum, declinatio: remediorum, quæ ad ipsorum exhibit-
nem necessaria, & idonea sunt, *lib. de opt. sect.*

Tempora morborum, & remediorum, non semper e-
dem esse probat. *Gal. eod. lib. de opt. sect.*

Non solùm principij in primis diebus, sed & sequentiu-
temporum coniecturam artificiosam capere oportet. *Lib.*
de cris. c. 20.

Tempora morborum vniuersalia, non vbi iam perfec-
sunt, sed multò antea præcognoscere præstat. *li. de cris. c. 3.*

Tempora morborū vniuersalia, atque particularia q-
sint. *lib. de cris. c. 1.*

Tempora morborum, pro longitudine ipsorum, ip-
quoque inæqualia sunt. *lib. de cris. c. 4.*

Tempora vniuersalia non definiuntur dierum nume-
li. 1. de cris. c. 1.

Tempora morborum vniuersalia, quatuor partes vniue-
sæ ægritudinis sunt, initium, incrementum, vigor, & declinat-
eod. li. & c.

Tempora vniuersalia, à particularib. differunt, quòd
hæc singulæ accessiones diuiduntur. *eod.*

Tempora morbi vniuersalia, quibus indiciis depreh-
duntur. *li. de cris. c. 3.*

Temporum morbi vniuersalium, generalis prænoti-
signis concoctionis, aut cruditatis desumpta. *li. de crisi. c. 16*

Temporum morbi vniuersaliū præsens dignotio, & p-
cognitio. *li. 1. de crisi c. 9. & 10.*

Qui verò ea, quæ particulatim ad temporum morb-
niuersalium notionem pertinent, item & particularium, l-

volet, totum 1. *lib. Gal. de crisibus legat*: & item secundũ, ac tertium, in quibus omnia quæ de ratione principij, incrementi vigoris, & declinationis dici possunt, exactè pertractãtur. Quę nos omnia breuitati studentes, omittere de industria voluimus, sufficeréque abundè sumus arbitrati, si ad eum locum lectorem relegaremus. Singula enim velle complecti, quæ de quaque re dici possunt, non eius est, qui ad compendij rationem locos communes scribit, sed eius potius qui omnia attingere ad artis complementum meditatur. Quæ cum consilij nostri in hoc opere edendo non sint, consultò ab istiusmodi scribendi genere abstinendum in præsens duximus, ea tantum adferentes, quę ad artem communibus locis comparandam satis esse fuerint visa.

De morborum crisibus, seu iudicijs. CAP. VI.

Crisis nomen è foro translatum, morbis etiam, atque iis quę in ipsis à natura fiunt, accommodare medici quàm congruentissimè solent. Vt enim in litibus, causisque his, quæ in foro tractantur dirimendis, iudicio est opus, quo commissa inter accusatorem, & reum pugna (quam litem, & causam Iurisperiti nominant) finiri eo iudicio possit, reúsque in iudicium vocatus, aut causa cadere & noxæ dari, aut victor à iudice declaratus, pœna eximi, iudicij rectitudine queat: sic sanè & in grauibus, acutisq; morbis à natura, simile quid iudicio fieri cernimus. Acutorum enim plerique omnes citra iudicationem finiri minimè queunt : eóque iudicio æger; rei personam in morbo sustinens, aut morbum vincere, aut eidẽ succumbere necessario solet. Morbum quidem vi naturæ superat, si victor sit euasurus: morbo cedit, atq; succumbit, cùm morbi sæuitia, ac magnitudine omnino vires prosternuntur, túmque æger mori cogitur. Itaque crisis nomen Gal. à vulgari quopiam inuentum, atque seuissimis morbis accommodatum, dum periclitanti ægro adesset, astruxit. Cùm enim maximis, sæuissimísque casibus ægrum vrgeri, qui ægro adstabat vulgaris homo quispiam conspexisset, casuúmque magnitudine perterritus valdè fuisset, ægróque metueret, exclamasse ferunt, vitæ ægri tum iudicium agi. Et rectè quidem, tale quid protulisse, qui primus conturbationi ei, quæ morbi solutionem præcedit, crisis nomen indidit, est visus. Agitur enim de ægri, aut salute, aut morte iudicium, eóq; atrox pugna naturæ, & morbi committitur, infestatur æger,

Gal. lib. 3. prædictionum, c. & com. 1.

grauia,& periculi plena quæ in ægrotante spectantur, apparent: vt merito & terreri adstantes, & periclitari æger videatur. Itaque hoc capite de crisibus dicturi, quidnam ipsa sit, & vnde id nominis sortita explicabimus: crisis futuræ signa, & præcognitiones adferemus: crisium omnes differentias pertractabimus: quæ ad bonam crisim necessaria sint: quæ intépestiuæ crises dicantur, ordine omnia percurremus. Ergo crisis varia est apud Gal. significatio. Nam vel subitã in morbo mutationem, vel solam ad meliorem statum morbi inclinationẽ, vel eã, quæ antecedit agitationẽ, vel integram tandem morbi solutionẽ, crisis nomine intelligi vult Gal. lata quidẽ significatione. Exquisita verò & propria, sola subita ad sanitatem cõuersio, crisis est merito appellanda. Hãc.n. subitã, atq; cõfertim factam ad salutẽ permutationem, simpliciter, atq; per excellentiam, crisim nominandã censet Gal. Equidẽ cùm sex in vniuersum modis morbos mutationem accipere contingat, quibus vel seruentur ægri, vel deficientes pereant, nẽpe vel confertim ad sanitatem inclinantibus morbis, vel subitò eorum malitiam interimentibus, vel sensim ad sanitatem aut mortem properantibus, vel mixtim tandem alterutrum consecutis, sola ea mutatio qua derepente sanitas obuenit, crisis, seu iudicij nomen meretur. Quę sanè fit, cum virium ęgrotãtis fortitudine, mali causa, valida secuta excretione aliqua expellitur, ęgérque ipse morbi noxa liberatur. Id enim verum, salutaréque iudicium dicitur, quo reus insons declaratus, noxæ eripitur, pœnaque liberatur: ac proinde rectissimè crisis nomen in morbis, à iudiciis forensibus deductum videtur. Vt enim iudicium sine reo, accusatore, testibus, patrono, ac iudice constare minimè potest: sic & in morborum iudiciis isthæc est omnia inuenire. Rei personam, æger qui iudicandus est, repræsentat: accusatoris vicem morbus implet. Neglectæ enim victus rationis, contemptæque salubritatis, æger à morbo conuincitur. Testium loco in morbis sunt signa, atque indicia, quorum testimonio ægrum vel euasurum, vel moriturum deprehendimus. Patronum eximium natura ægrotantis agit, quæ virium robori innixa, quoad potest, ęgrũ seruare, & à morbi iniuria vindicare studet. Iudex in hac ægri causa medicus ipse est, qui pro virium ægri fortitudine, aut imbecillitate, pro varia morbi natura, ac magnitudine, pro

li.3.de cri sib.c.1.& 2. de crisi. c.1.& 2. de diebus decreto.c. 5.

li.3.de crisi.c.1.& 2

Collatio forensis iudicij ad cris.

sympto-

symptomatum, quæ in morbo spectantur, sæuitia, aut lenitate. proreliquorum signorum apparentium inspectione, atq; animaduersione, de ægrotantis futura salute, aut morte iudicium profert: taléque iudicium præsentio, præcognitio, præsagitio, seu prædictio, Hipp. ac cæteris medicis dici meritò solet. Quid crisis sit, & vnde id nominis sortita, abundè diximus. Eius iam instantis, aut etiam futuræ signa nunc adferamus. Quod antequam facimus, id præsciendum necessarium duco, ad crisium dignotionem, temporum morbi vniuersalium, præcipuè verò status notitiam, (de quib. capite superiore diximus) Medico in primis necessariam esse. Optimum (inquit Gal.) cognitionis crisis principium, quod etiam futuri status. Itaque qui instantem, aut futuram crisim præcognoscere cupit, is temporibus morbi præcognoscendis, animum aduertat, de qua re abunde Gal. lib. 1. de crisibus, & de totius morbi temporibus, & nos precedente capite tractauimus. Cùm nanque morborum iudicia ea, quæ verè ac simpliciter crises dicendæ sunt, non nisi post coctiones, & status tempore fiant, vt & Hipp. & Gal. asseuerarunt, status tempus omnino præcognoscendum est, vt futura crisis dignosci queat. Id autē qua ratione prænoscatur, docet multis in locis Gal. nēpe ex ægritudinis forma, & anni tempore, cœli constitutione, ex circuituū etiā proportione, accessionum anticipatione & vehementia, atque etiā ex mox apparētibus, atque coctionibus, ex iis. n. omnibus cùm reliqua morbi tempora, tum vero pręcipuè statum cognoscere poterimus. Venio iam ad signa, quibus prænosci instans, aut futura crisis possit. Signorum porrò autore Gal. triplex omnino est differentia. Quędam. n. coctionis, aut cruditatis sunt signa: alia salutis, aut mortis: alia verò instantis crisis, quæ & decretoria appellantur, de quibus ipsis rectissimè illud ab Hippoc. Epidemiorum secundo dictum est. Decretoria quæ non decernunt, lethalia. Concoctionis igitur, & cruditatis signa, pro varia morborū, & partiū quibus insidēt, natura, ab vrinis, alui excremētis, & sputis petere oportet. Salutis indicia sunt, quæ viriū ægrotantis, robur, coctiones, & facilem morbi solutionem demonstrant, vt facilis spiratio, pulsuum bonitas, morbi tolerantia, bona ciborum appetentia, somni, & decubitus facilitas, quies, animi tranquillitas: in vrinis, sputis, & alui excrementis perspecta concoctio: functionum quæ à principi-

Gal. li. 2. de crisi. c. 12.

li. 1. de crisi, cap. 1.

Gal. 1. de crisi. c. 10.

li. de quatuor mor. temp. & de totius morbi tēporibus. et 1. de crisi. c. 3. & 10. & 2. de crisi. c. 12.

li. 1. de crisi. cap. 14.

bus facultatibus manāt, integritas. Isthæc cùm in morbis apparuerint, salutem omnino portendunt, atque ob id salutaria signa dicuntur. Mortem verò contraria signa, hoc est lethalia, indicāt; Viriū ægrotantis extrema imbecillitas, morbi grauitas, atque malus mos, quem κακοήθειαν Græci vocant, difficilis tolerātia, inappetentia, à somno noxa, anxietas in omni morbi decursu percepta, desperatio, cruditas itē in vrinis, sputis, & alui excrementis apparens, functionum à principibus facultatibus manātium corruptela, aut defectio. Vbi nanq; in morbis cōspecta hæc fuerint, de futura ęgrotātis morte iudicium ferre possumus. Exitialia enim plerunque talia esse solēt, atq; ob id lethalia iure nuncupata, quòd exitium, & mortem adferāt. Decretoria verò quæ sunt, ea in duplici differentia posita inueniuntur. Quędam enim tanquam causæ, & signa habētur, aliqua signorū tantū rationem nacta sunt, atque ab his vniuersa præcognoscendę crisis ratio pendet, etsi infida sit horum natura, nec eadem perpetuò significans, sed sæpè contraria in diuersis morbi tēporibus demōstrans. Quæ enim decretoria appellantur, si in statu morbi, concoctionibus iam apparentibus contingant, secundū hanc quidem dispositionem, atque eo tempore, critica sunt omninò censenda: quæ eadem, si vel in principio, incrementóve morbi eueniant, & ante coctionis tempus, non iam decretoria, sed praua signa sunt existimanda. Imminentis itaque crisis signa tantùm sunt delirium, fortis æstus, anxietas, præcordium dolor, nausea, inquies, & laboriosa nox. Vnde est illud Hippoc. Quibuscunque iudicatio fit, his nox grauis ante accessionem. Ad hæc, temporum grauitas, colli dolor, tenebræ ob oculos obortæ, vertigines, capitis dolores, lacrymarū effluxus, vigiliæ, interdum somni graues, difficilis spiratio, animi non rarò deliquium, sitis ingens, difficiles decubitus, vt vno loco conquiescere non possit æger, accessionum magnitudo, & multa anticipatio, celerque morbi motus. Isthæc nāque si vel omnia, vel horum plurima, vigente morbo conspecta sint proximè imminere crisim demonstrant. Fiunt.n. ex valida naturæ, & morbi pugna, aggrediente morbum natura, vnde vehemens agitatio, atrox pugna, inter vtrunque committitur, quoad tandem vincente natura (si bona iudicatio, fœlixque exitus sit sequuturus) excretio aliqua prodeat, abscessusve aliquis, qui morbum integrè finiat. Signorū porro

Gal. li. 1. de crisi. c. 14.

porrò, atque causarum vicem obtinent, vomitus, alui fluor, vrinæ multitudo exuberans, sudores copiosi, sanguinis e naribus, mariscis, vtero manatio, parotides, reliquíque abscessus. Non enim solùm vigoris tempore, & post coctiones factas crisis præsentis indicia sunt, sed & alleuationis ægri, & euasionis à morbo, atque adeò integri iudicij causæ. Est porrò & alterum quoddam signorum genus in morbis, quod neque decretoriú existimari debet, quòd crisim neque præmonstret, neque efficiat, neque omnino fidele adeò sit vt coctiones, neque etiam infidum ex toto sit habendum: in quorum albo bona aliqua simpliciter, mala alia inueniuntur. De iis talia pronunciasse Hippoc. legimus. In quouis morbo mente constare, & bene se habere ad ea quæ offeruntur, bonum: contrà vero se habere, malum. Ad hoc signorum genus pertinent, facilis spiratio, & facilis tolerantia, pulsuum bonitas, & facies sanis simillima, decens decubitus, & totius corporis ęqualitas, de quibus omnibus diuinus Hippoc. libro præsagiorum primo est abundè locutus. Id vero in tota signorum, quæ enarrata sunt, ratione animaduertere oportet, non perpetuo ad ea quæ decretoria vocantur, & signa tantum crisis habentur, neque ad alia rursus, quæ & signorum, & causarum vim obtinent, crisim ex necessitate sequi, cum interdum ex vi & malitia morbi, non ex decretorio, & naturæ motu contingant: vt si cuipiam per morbi initia anxietas, delirium, difficilis anhelitus, vigiliæ, conuulsio, graues vomitus, sudoris, & sanguinis manationes cótingant absque vllis coctionis signis, crisis profectò ad hęc non omnino sequetur: & si sequatur, mala certè erit. Vnde illud rectissimè ab Hippocrate dictum est: Decretoria quę non decernunt, mortalia. Quędam verò difficulter decernunt. Inter signa autem quæ ad præmonstrandam crisim fidissima sunt, nullum coctionibus firmius, aut fidum magis habendum, autore Hippoc. Inquit enim, Coctiones, crisis celeritatem, & securitatem sanitatis significant. Prout è contra cruditatibus nullum efficacius ad malam designandam iudicationem. Vnde est illud Hipp. Cruda vero, & incocta, & in malos abscessus conuersa, aut crisium defectum, aut dolores, aut diuturnitatem, aut mortem, aut eorundem malorũ reuersiones significant. Primum itaque, & potissimum instantis crisis indicium, autore Galeno coctiones sunt: alterum

lib. 2. Epidemi.

lib. 1. Epidemi. constit. 2.

lib. 1. Epidemi. constit. 2.

si indicatorio aliquo anteà prę̨monstrata crisis fuerit:de quibus, tum & de iudicialibus, & intercidentibus atque etiam prouocatoriis diebus, sequenti capite ex professo agemus. Tertium,vt morbi speciem,atque morem,excretionis modũ atque formam,num morbo conueniat,contemplemur. Speciem nanque morbi nouisse, ad crisis dignotionem plurimũ certè conducit, num inquam iudicandus morbus, ardens febris,tertiana,quotidiana,quartanave fuerit, pleuritis, peripneumonia,aut lethargus. Pro varia nanque morborum specie, aliæ, atque aliæ crises fiunt,alij naturę motus, excretiones omninò diuersæ.Si nanque ardens febris fuerit,sanguinis vt plurimum è naribus fluxu, aut vtero in mulieribus, aut post rigorem copioso sudore oborto,nonnunquam verò vnà cùm his,& vomitibus biliosis,aluíque fluore iudicari solet, vti tertiana vomitibus, excrementis biliosis, & sudoribus toto corpore manantibus.Quotidiana pituitosis vomitibus,& paribus excretionibus per aluum finitur:veluti quartana nigris deiectionibus,Hemitritęas febres, biliosa simul, & pituitosa excreta iudicant. Sic & Phrenitidinem copiosus è vniuerso corpore,atque capite fluens sudor,aut largum sanguinis profluuium indicare solét. Lethargum, Parotides, diuturnas febres,abscessus securè finire consueuerunt. Internas iocinoris, vel lienis inflammationes,sanguis è naribus profluens multus soluit:sed è directo affectę partis fluere sanguinem expedit, vt hepate patiente, ex dextra nare: liene affecto ex sinistra. Nonnunquam affectus hi sudore copioso indicantur. Conuexæ autem iocinoris partes affectę tribus modis decernere solent,sanguinis è dextra nare profluuio, sudoribus copiosis, & vrinæ exuberantia.Cauę autem partes, excrementis biliosis aluo demissis,sudoribus nonnunquam verò & vomitibus. Renum & vesicę affectus vrinis decernere amant,vti pulmonum & thoracis sputis multis,& bonis. Atque ex his attentè consideratis,hoc est morbi specie, & more, & excretionum natura qualis in quoque morbo & per quam regionem futura iudicatio sit,facilè coniicere poterimus. Morem autem morbi appello, cùm ipsius motum, tum in inferenda noxa lenitatem,aut prauitatem. Qui enim morbi mites, nec maligni sunt,nec citatos ij habent motus,nec crises graues.Contrà acuti & maligni,celeres motus habent, & indicia grauia, ac periculosa:Sed de crisium futurarum dignotione, & signis iam

sam satis. Crisium nunc differentias percurramus, si modò id prius superioribus adiecerimus. In acutis, & calidis morbis, crises non per abscessum, sed per excretionem fieri, vti in longis morbis per abscessus. Quibus vero signis iudicia per sanguinis fluxum, sudorem, vomitus, alui excrementa, & vrinæ profluuium facta præcognosci debeant, tractat exactè Auicenna post Galenum, fen. 2. quarti canonis, atque inde petendum. Crises igitur, quas repentinas esse morborum mutationes suprà de Galeni sententia diximus, in multiplici differentia esse constat. Morbi enim aut subitò ad sanitatem vertuntur, confestimque valida secuta excretione periculo æger liberatur, aut magnam in melius mutationem asciscunt, etsi non perfectè æger tum liberetur, aut confestim in mortem desinunt, aut tandem si non in mortem, multò tamen deteriores euadunt, magnoque tum in periculo ægri versantur. Ex his mutationibus, multas est crisium differentias inuenire, vt sit crisis aliqua perfecta, imperfecta alia, atque deficiens rursus alia. Mutationum ea, qua æger integrè liberatur, & subitò, valida aliqua excretione oborta, sanitatem sibi vendicat, optima crisis eadem, & simpliciter, & perfecta dicitur, atque per excellentiam talis. Altera mutationum, qua non integrè à morbo vindicatur æger, etsi ad melius sit, crisis deficiens meritò appellatur. Hæc Græcis ἐλλειπὴς, dicitur, eadem & imperfecta iure etiam dici potest, quòd nec integrè per eã morbo æger liberetur, nec quicquid est humoris noxij morbum efficientis, excretione educatur. Atque ob id in quibus hæc iudicia fiunt, ne denuò relabatur æger, periculum adferunt, vnde est illud Hippocratis. *Quæ relinquuntur in morbis post crisim, recidiuas facere consueuerunt*, *quòd non integrè quæ nocent decretoriè expulsa sint.* Quæ vero mutationum, aut in deterius commutantur, aut mortem tandem adferunt, malæ crises, periculosæ, exitiales, meritò sunt existimandæ. At verò mutationes, quæ sensim absque pugna in morbis fiunt, idque vel ægri virtute prostrata, vel morbo debilitato, crisium nomine non dignamur, λύσεις, id est morborum solutiones vocari à medicis solent. Quicunque enim morbi leuitate sua, nullum aut exiguum saltem negotium naturæ inferunt, vt pugna & agitatione valida non sit ad eorum depulsionem opus, ij non iudicari, sed solui potius iurè dicuntur.

lib. 1. & 2. de cris. c. 1. lib. 3. præsag. com. 1. et lib. 2. aphor. com. 13. & 23. & li. 1. Epi. com. 3.

Libr. 2. aph. 12.

Neque enim morbi omnes iudicio finiuntur, sed quidam solutione, & miti desinentia absque decretorio: acuti tantùm qui sunt,& acutorum ex decidentia quidam,iudicatione finiri rectè dicuntur. Inter crisium porrò differentias, reponendæ eæ sunt,quæ intempestiuæ dicuntur,hoc est,non congruo tẽpore factæ,sed ante statum, nondum concocto morbo. Huiusmodi iudicia Hippocrates disruptiones iure vocare solet, quòd intempestiuè ad excretionem irrita natura, ob morbi malignitatem moueatur. Quæcunque enim disrumpentur (ait Hippocrates) ob aliquod irritamentum id patiuntur, & ob id ante statum ad crisim ruunt, quæ sic disrupta concitãtur,& validos cient in corpore motus. Huius præproperi, atque intempestiui insultus causa est, morbi violẽtia, irritatrix, acuta,& celer,cùm nihil violentum natura tolerare,sed confestim quod infestat expellere satagit: ac proinde succumbẽte iam præ morbi magnitudine natura, inordinatos ac præmaturos ciet in corpore motus, qui alioqui valida existente, determinati,ordinatiq ue esse solent, tum videlicet, cùm materiæ natura dominatur, & proprias in eam potest robore suo exercere operationes. Quę docta Galeni libro de crisib. 3.cap.10 sententia est. Intempestiuæ autem huiusmodi crises,in exitialibus vt plurimùm morbi conspiciuntur, quòd in iis crisis status tempus minimè expectet, sed vel in augmento,vel in principio præceps aduẽtet,ægrũmque vt plurimùm perdat.Quæ enim in tempore fiunt,hæc in statu & coctionibus, etiamsi nullum adsit irritamentum, in magnis morbis accidere planè videmus.Contrà in lethalibus,neque in tempore fiunt quæ fieri debent,neque coctio apparet vlla,atque ob id de vita grauiter ægri periclitantur.Hæ crisiũ differentiæ omnes.Nũc quemadmodũ crisis morem, hoc est, qualisnam ipsa futura sit,cognoscamus,breuibus explicemus. Fieri autẽ iudicia,aut excretionibus quibusdam prodeuntib.aut abscessibus obortis,omninò in confesso est. Excretionibus quidem, vel sanguinis alicunde manatione,vel vomitu,vel alui fluore, vel sudore copioso manante,vel vridis multis. Cuiusque horum signa à Galeno, libro 3.de crisibus, & Auicenna fen.2. quarti exactissimè traduntur. Ex multis enim Hipocratis locis,tũ ex primo Epidemiorũ,tũ ex secundo & tertio prognosticorũ citatis,hæc cognoscere nos docet Galenus. Itaque in modo criseos naturę imprim is motum considerare oportet.

Si enim

Si enim calidus, & acutus fuerit morbus, in primis omnino periodis, hoc est quarto, septimo, vel decimo quarto die futura iudicatio, idque per excretionem, non per abscessum expectanda est. Si vero diuturnus, frigidus, ac lentus abscessus omnino sequetur: idque precipuè si vrinæ tenues & crudę longo tempore præcesserint. Nam si copiosæ vrinæ prodierint, & plurimam subsidentiam habuerint, consentaneum est, non abcessu quidem, sed paulatina potius coctione, & solutione finitum iri huiusmodi morbum. Crisis igitur per sanguinis fluxum futuræ propria signa sunt, Galen. & Auic. testibus, fulgoris motus quidam oculis cõspicui, obtusiones, & tenebræ, lacrymæ ab oculis manantes, rubentes malę, & facies tota rubens, pręcordiorum sine dolore, tensio, spiritus difficultas, plenior & succulentior habitus, capitis graues, & pulsantes & extẽsiui dolores. Hæc quidẽ sanguinem naribus effluxurũ demõstrant: vti per mariscas, aut menstrua in mulieribus, lumborum grauitas, tensio, dolor. Vomitum futurũ indicant labri inferioris agitatio, multum ac tenue sputum ore fluens, cordis morsus ac vellicatio, quasi quędam tenebrosa ob oculos obiecta vertigo, grauisque capitis dolor. Quę omnia bili multa ac mordaci in ventre collecta, osque ipsius vellicante accidere, pro comperto est. Alui fluxu morbum iudicari indicant, rugitus plurimi in imo ventre percepti, cum grauitatis, aut mordicationis cuiusdam sensu, raptus humoris ad loca inferiora, vrinę tenuitas, & humoris natura, & reliquarum euacuationum defectio. Sudore si finiri morbus debet, hæc confestim apparent, rigor vehemens vt plurimum pręcedere solet, aluus, vrináque comprimuntur, malę rubẽt, angustia & anxietas multa circa pręcordia, & inquietudo ægrum fatigat, pulsus plenus, magnus, & vndosus apparet, mador in vniuersa cute, roris instar primùm conspicitur, mox copiosus sudor erumpit, isque calidus ac feruens si morbus calidus acutusque fuerit. Per vrinas plerunque renum, & vesicę morbi, atque gibbę iocinoris partes cum decretorio finiri solent. Eius iudicationis signa sunt percepta, in perinęo grauitas, & aliarum excretionum deficientia, acrimonię cuiusdam in colo sensus. Istęc si adfuerint per vrinę profluuium iudicari morbum arguunt. Si verò ad abscessus morbus conuertitur qua parte abscessus futurus est, in ea grauitas, tensio, ac pulsatiuus dolor conspici solent, suntque

hęc communia iudicationis per abſceſſus indicia; quod vbi de ægri ſalute non deſperatur, neque morbus ſoluitur, neque vrina multa ſubſidentiam multam habens, ſed cruda & tenuis fertur, ſubita ſpiritus difficultas ſuperueniens, mox quieſcens, grauis ſomnus, & ſurditas abſceſſum poſt aures fieri demonſtrant, vti in inferioribus partibus percepta grauitas, dolor, inflammatio, abſceſſum in ea futurum declarant. Vnde eſt illud Hippocratis: Quibuſcunque reſurgentibus ex morbis, ſi quid laborauerit hîc fiunt abſceſſus. Et ſi ante morbum aliqua parte doluerit, hîc morbus firmatur; & itē, Quibus febres longę, his tubercula, vel labores in articulis fiunt: vbi verò in morbis virium imbecillitas ea adfuerit, vt ad pugnam natura proſtrata moueri minimè poſſit, cruditáſque apparuerit cum morbi magnitudine, ac celeri motu, mortē abſque criſi tum Galeni iudicio expectare oportet: vti ſolutionem abque criſi, cum mitis, & benignus fuerit morbus, n n maguum naturæ negotium inferēs. Iam ve r ò quę ad bonam criſim efficiendā neceſſaria ſint, promēdū. Vt bona criſis fiat, virium imprimis robore eſt opus. Cùm enim pugnā fieri, ſi futura ſit criſis, ſit omnino neceſſe, hæc autem citra virium robur conſtare minimè poſſit, facultate certè valida erit opus, vt exeretione iudicetur morbus. Requiri & illud medicinæ ſcientiſſimi volunt, vt indicata ſit, quę bona futura eſt, tum verò indicata erit, cùm in die iudicatorio eius futurę ſigna ſeſe prodiderint. Sunt enim dierum quidam indices, decretorij alij, intercidentes, & prouocatorij, vt proximo capite dicemus. Itaque criſeos in ſeptima dię futurę, adumbrata quæpiam ſigna die quarta conſpicientur. Iuxta illud Hippocratis, ſeptenorum quartus eſt index. Igitur ſi ſeptimo effluxurus eſt de naribus ſanguis, vel ſudor manaturus, leuiter hęc die quarto fient, natura eo die prędicante quid ſeptimo ſit molitura. Rurſum vt in die decretorio contingat eſt neceſſe, nempe ſeptimo, decimo quarto, & viceſimo, & aliis conſequentibus: tum etiam vt poſt coctiones, & in ſtatu. Hęc enim perfecta decretoria ſunt, autore Galeno, eædémque tempeſtiuæ criſes, cùm & in ſtatu, & coctionibus fiunt. Denuò vt integra fiat nocentis humoris excretio, nihilque reliqui fiat. Demum vt morbo congruens fiat exeretio, & ad eam tandem ægri alleuatio, integráque ſanitatis recuperatio mox conſequatur. At verò inquirendum nunc illud eſt, quod ad rectam morborum curationem haud minimum fa-

Libr. 3. de criſ. ca. 10.

Li. 2. aph. 24.

Libr. 3. de criſ. c. 10. Vide 0a. cō. 20. primi li. aph.

Num crisis tempore euacuandum.

cit num crisis tempore medico euacuandum sit, aut quicquam aliud moliendum. Huic quæstioni abundè Hippocrates ipsemet satisfecerit. Is enim cùm libro de humoribus, tú libro aphorismorum primo, aphor. 20. hanc de re proposita profert sententiam. *Quæ iudicantur, & iudicata integrè, neque mouere oportet, neque nouare, neque medicamentis, neque aliis irritamentis, sed sinere.* Et rursus eodem ipso lib. de humoribus. *Quæ infrà prodeunt* (inquit) *multum purgare oportet, & hæc non prope iudicationem, sed longiùs ab ea.* Ex quibus sanè locis euidentissime constat crisis seu iudicationis tempore, non esse à medico euacuandum, nec purgatoriis tum medicamentis, aut aliis irritamentis naturam fatigandam, quæ tum coctionibus & excretionibus noxij humoris tota intenta, non minimum laborat, laborandoque fatiscit. Quamobrem quietem tum habere (vt alio loco ait Hipp.) magis prę̄stat, idque ratione sanè optima: quòd in morbi summo impetu (quo tépore iudicia fieri solent) facultas à pugna valde imbecilla reddita sit quod morbificæ causæ valentissimæ tum sint, facultas vero languida, atque ideo quiescere Hipp. rectè iubet. Tum & alia etiam ratione, quòd id temporis, cùm naturalia morbosis causis sint permista, in recidendis causis (si crisis tempore id fiat) nihilominus bonorum, quàm vitiosorum detractio fit, vnde maior facultati asciscitur imbecillitas. Remedia siquidem omnia, cùm præter naturam sint, ipsa per se causas morbificas extirpare nequeunt, sed naturæ adminiculum requirunt: quæ cùm status, & crisis tempore fatigata valde sit, si tum purgantia, aut alterius generis præsidia prouocantia exhibeantur, facultatem nimirum magis vexabunt. Quæ causa est, cur quę iudicantur, & judicata sint integrè, iuxta Hippocratis dogma, medicamentis mouenda non sūt, sed omne tum negotium naturæ demandare oporteat, ne inquam natura, & decretorio, & medicamentorum vi oppressa, & propriis opibus direptis, infirmior reddita, lædentibus causis magis succumbat, morbique autores nullatenus expellere queat. Itaque si perfecta crisis fuerit, hoc est, eiusmodi, vt per euacuationem, non per abscessum fiat & per quam proprius humor noxius excernatur, & recto fiat tramite, & facilè toleretur, & præcedentibus coctionibus, & in decretorio die fiat (hanc enim Galenus perfectam nominare solet) tum neque vacuandum, neque aliud quid præter iustam victus

lib. 2. aph. 29.

lib. 1. aph. com. 20.

Grationem moliendum medico erit, ob eas, quas supra de Galeni sententia attulimus causas. Verùm vbi non integrè morbus iudicatus fuerit, & aliquid noxij humoris relictum, tum (vt monet Galenus) id quod deficit supplendum medico erit, ne quę post iudicationem relinquuntur (quod ait Hippocrates) recidiuas facere queant. Atque ideo vacuatione aliqua resarcire oportebit, quæ à natura minùs integrè peracta sunt. Ac proinde rectè dicere id visus est Hippocrates, libro de humoribus: Decima tertia, ac decima quarta die (quæ decretoria est) vacuandum, decima tertia quidem deorsum, decima quarta verò sursum. Ita enim (subdit) ad iudicationē conducit. Quasi velit, si parum probè natura in decretorio die suo munere functa sit, adiuuandam à medico esse, vel supernè, vel infernè. Quod & Arabs Auicenna confirmauit, inquiens, Si natura non mouet, moue in hora motus eius. Itaque minime verendum in decretoriis diebus, vbi non speratur naturam aliquid decretoriè moliri, vacuatione vti. Quod & fecit Hippocrates, qui & decimotertio, decimoquarto, & vigesimo etiam die, vacuandum præcepit, vbi id non exactè fecerit natura. Tutius tamen, ac consultius fuerit, in alia die, quàm decretoria euacuare, si modo non turgeat morbus. Hoc enim rectum est Medici officium (autore Galeno, & Celso) vt tutò curet. Tutius profectò curabit, si naturæ motus, diésque in quibus moliri aliquid natura solet, præcauerit, ne vtilitatis loco noxam grauem inferat. Hoc siquidem Hippocrates admonebat, inquiens,

Te ad hoc exerceto, morbis vt prosis, aut ne quid noceas. At iam de re proposita, déque crisium tractatione satis.

Lib.1.aph. com.10.

fen.p aim quarti.tra 2.cap.7. lib.de humoribus.

li.12.met. med. Celsi.li.2. cap.4. Lib.1.epidemi.

De

De crisibus, Hippocratis, & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

IVDICATIO, est morbi exolutio. *li. de praeception.* quęcunque sine signo Iudicationis iudicatorio disparent, malè iudicata sunt, *lib. 2. de pop. morb. sect. 3.*

Iudicatio si rigore, in Zoilo facta est per sudorem. *eod lib. & sect.*

quę relinquuntur post Iudicationes, recidiuas facere solent. *lib. 1. de popul. morb. sect. 3. & li. 2. aph. 12. & lib. epidem. 6.*

ante Iudicationes auferre de apositionibus oportet. *li. 1. aph. 19.*

quæ Iudicantur, & iudicata sunt integrè, neque mouere oportet, neque nouare, neque medicamentis, neque aliis irricamentis, sed sinere. *li. 1. aph. 20. & lib. de humoribus.*

quę infrà prodeũt, multum purgare oportet, & hæc non prope Iudicationem, sed longiùs ab ea *lib. de humoribus.*

quibuscunque crisis, id est, Iudicatio fit, his nox grauis ante accessionem. Quę verò sequitur, magna ex parte leuior existit *li. 2. aph. 23. & li. 6 pop. morb. sect. 2.*

Decernentia non statim apparent. *lib. de humoribus.*

Decretoria quæ non decernunt, mortalia. *lib. 2. Epidem.*

Concoctiones, & celeritatem iudicationis & securitatem sanitatis significant. *lib. 1. Epidem. sect. 2. ad finem.*

Cruda & inconcocta, & in malos abscessus conuersa, aut iudicationis sublationem, aut dolores, aut diuturnitatem, aut mortem, aut eorundum recidiuas. *Ibidem.*

In quietis ac constantibus temporibus, & annis, tempestiuè tempestiua præbentibus, boni status & iudicatu facillimi morbi fiunt: in inconstantibus verò, inconstantes, & qui difficulter iudicantur. *li. 2. de pop. morb. sect. 1. & li. 3. aph 8.*

Iudicationes ex incremẽtis morborum, & exacerbationibus in circuitibus si citius accedant, aut non, & si diutius durent aut non, & si magis affligant aut non, manifestæ fiunt *li. 2. de popul. morb. sect. 1.*

Iudicationes velociores sunt, eorum qui statim pereunt, quoniam & dolores cõtinui, ac fortes. *li. 2. de popul. morb. sec. 1.*

Quæ ad melius iudicant, non statim apparent. *eodem lib. & sec.*

Iudicatoria non iudicant, partim lethalia sunt, partim difficilis iudicationis. *Ibidem.*

Quæ præiudicata sunt, si crudè iudicata fuerint, recidiuæ fiunt: sin minus, iudicationis impeditiones aut malę iudicationes. *lib.2.de popul.morb sect 1.*

Quæcunque iudicatoria signa fiunt, eadem hęc si non fiunt, difficilis sunt iudicationis. *eodem lib. & sect.*

GALENI.

CRISIS est subita in morbo, vel ad sanitatem, vel ad mortem, mutatio. *li.2.ap.h.com 13.*

Crisis fit, natura separante à bonis mala, & ad excernendum præparante. *eod.com.*

Iudicationes plures benè terminantur. *eodem com.*

In crisibus plures esse ex ægrotis sanatos, quàm mortuos, nisi sit pestilens constitutio. *vide Gal.com.eodem.*

Iudiciũ, seu crisis, est morbi repetina mutatio. *comm.3.ad primum depop.morbis, super textu, Insuper est animaduertendum. & lib.1.& 2.de crisib.cap.1.*

Iudicationes efficit facultas naturalis excretoria, per omnia membra diffusa *li.de præsagitione, ex pulsibus, ad finem. & li.7.aph.com.21.*

Iudicationes in mulieribus quæ peperorunt, à partu numerandę: *li.3.prognosticorum, com.12.seu cap.6.nouæ versionis.*

Vt bona sit crisis, seu iudicium, coctionem pręire, subsequi verò discretionem, & postea euacuationem oportet. *li.4.aph.com.22.*

Iudicium bonum, rigores in die decretorio euenientes facere solent, si cum signis coctionis proueniant. *li.4.aph.com.29.*

quę bene Iudicantur, concoqui oportet. *eod.com.*

Iudicij securitatem salubrem, coctiones significant. *li.4.aph.com.22.*

Iudicia fiunt in vehementioribus accessionibus. *li.4.aph.com.36.*

Iudicatoria signa, in diebus iudicatoriis incipiunt. *ibidem.*

citius Iudicãtur morbi, qui in diebus imparibus accessionem habent, qui verò paribus, tardant. *li.4.aph.com.36.*

Iudicia tertianarũ sumũtur ab accessionibus, sicut & continuarum, non à diebus, *li.4.aph.com.59.*

Iudicatoria signa enumerata à Galeno, *li.2.de crisi.cap.8. & 14. & lib.3.ca.2. & li.1.aph.com.12. & li.1.de diebus decret.c.1.*

Iudicatoria signa non semper bona. *lib.2.aph.com.22. & lib.1.de crisi.cap.8.*

templabilibus.*com.eod.*

Iudicatoria,quæ non iudicant, partim mortalia, partim malè iudicantia sunt,*li.7.aph.com.4.*

Iudicationis carentiam, indicant cruda, & incocta, & ad malos abscessus conuersa.*lib.4.aphor.23.*

Iudiciũ, seu Crisis, vt bona sit, coctionem præire, subsequi verò discretionem, & postea euacuationem, oportet.*li.4. aph.com.22.*

de Crisibus libri in id compositi,vt quid in singulis ægrotantibus euenturum sit,arte præcognoscamus.*lib.de præcognitione ad posthumum.*

Crises iudicationes vocat Hipp.*li.2.aphor.com.23.*

Crisim, non esse morbi solutionem sermone absoluto, sed vel subitam, vel quæ ipsam præcedit commotionem.*li.1. de diebus decretoriis.ca.5.*

Crisis significatum non exactè disquisitum,perpetuò seruatur ad solutionem ipsam tantum, quomodocunque fiat, complures medici iudicium appellant.*li.2.de diebus decretoriis. cap.5.*

Crisis varia apud medicos significatio, aut pro solutione, aut pro commotione quæ antecedit,aut pro subita mutatione.*li.1. de crisi. cap.1.& lib.2.cap.1. & li.2.de diebus.decretoriis. cap.5.*

Crisium differentiæ eæ sunt,imperfecta, infida, periculosa,obscura,sine signis, mala, absoluta, fida,tuta,manifesta, cum bonis signis.*li.1.de dieb.decret.cap.2.*

Crisis imperfecta est, cùm ex morbo aliquid relinquitur.*li.1.de dieb.decret,cap.2.*

Crisis infida, seu incerta est, cùm morbi recidiua contingit.*lib.1.de dieb.decret.cap.2.*

Crisis periculosa, quæ cùm symptomatis grauibus accidit.*eodem li.& cap.*

Crisis obscura,quę citra excretionem,vel abscessum quẽpiam euidentem euenit.*ibidem.*

Crisis sine signis dicitur, quæ à nullo priore die indicata est.*eodem li.& cap.*

Crisis mala dicitur, quæ in ægri perniciem omnino desinit.*Ibidem.*

Crisis absoluta, quæ in morbo nihil facit reliqui. *Ibidem.*

Crisis fida, quæ firma, & secura nunquam redit. *eodem loco.*

Crisis tuta, quæ sine periculosis symptomatibus accidit. *Ibidem.*

Crisis manifesta, cui excretio quædam, vel abscessus insignis, ac conspicuus adest. *eod. lib. & cap.*

Crisis cum bonis signis, quæ à contemplatorio priùs iudicata est. *ibidem.*

Crisis bona, quæ ad sanitatem desinit. *ibid.*

Crisium species sex enarratæ, tres ad sanitatem, tres ad mortem. *lib. 3. de crisibus. cap. 7.*

Crisis simpliciter dicta, est subita ad sanitatem conuersio. *lib. 3. de crisib. cap. 1.*

Crisis per excellentiam, quæ & optima est, subita morbi ad sanitatem conuersio. *lib. 3. de crisi. cap. 1.*

Crisis optima perficitur, natura quæ præter naturam sunt exquisitè superante. *lib. 3. de crisi. cap. 1.*

Crisis appellatio, num perturbationi, quæ morbi solutionem præcedit, non solutioni ipsi, & excretioni quæ sequitur magis conueniat, disceptatum à quibusdam. *lib. 2. de diebus decret. cap. 9.*

Crisis diuturnorum morborum per abscessus fieri solet. *lib. 3. de crisi cap. 3.*

Crisis in morbis diuturnis, ferè nulla perturbatione præcipiti antecedenti, paulatim venientes plures dies occupare solent. *lib. 3. de dieb. decret. cap. 5*

Crises absque mutatione fieri non posse, contendit aduersus Asclepiadem Galenus *lib. 3. de crisi cap. 8.*

absque crisi morientium modi tres. Primus in principiis accessionum: alter tempore status à morbi vi, natura superata, tertius in declinationibus, qui rarò accidit vigore vitali soluto. *lib. 3. de crisi. cap. 9.*

absque Crisi, futuræ mortis signa, virium imbecillitas, & concoctionis priuatio omnimoda. *lib. 3. de crisi. cap. 10.*

Crisium aliarum præcognitio stabilis, aliarum minimè. *lib. 3. de crisi. cap. 10.*

Crisium prænotionis principium optimum, summi vigoris tempus præcognoscere. *lib. 1. de crisi. cap. 1. & lib. 3. cap. 5.*

Crisis præsagitio vera fit, si error non committatur. *lib. 3. de crisi. cap. 4.*

Crisis, & dierum decretoriorum ordinem confundunt,

cùm pauci Medici victum rectè præscribant, pauci ægri obtemperent, pauci suū ministerij munus legitimè obeāt, pauciores adhuc, quibus nihil externi aduersatum sit. *lib. de dieb. decret. cap.* 11.

Crisis futuræ communia indicia. *lib.* 3. *de crisi. cap.* 2.

Crisim promouent, morbi magnitudo, & motus eius velocitas. *li.* 3. *de crisi. cap.* 4.

num per Crisim aut sine crisi salus sit secutura, ex morbi magnitudine id noscitur. *lib.* 3. *de crisi. cap.* 4.

per Crisim morbus finietur, si & magnus sit, & motus velocitas adiungatur. *eod. lib. & cap.*

Crisis optima ea est, quę status tempus expectat, & morbo jam concocto fit. *libr.* 3. *de crisi. cap.* 6.

Crisis in exitialibus morbis, status tempus non expectat. *li.* 3. *de crisi. cap.* 10.

Crisis bonæ instantis, primum, & maximum indiciū sunt coctiones. Secundùm, quod ab aliqua die indicatoria antea indicetur. *li.* 3. *de crisi, cap.* 3.

Crisis celeritatem, & salubrem securitatem, sola coctio ostendit. *lib.* 3. *de crisi. cap.* 6

Crisis mala, post morbi exquisitam coctionem sequi nō potest. *eodem lib. & cap.*

Crisis optima, omnium crisium est regula, & in statu fit. *lib.* 3. *de crisi. cap* 5.

Crisim, qui præcedentibus coctionibus habuisset, neminem perire vidit Galenus. *lib.* 3. *de crisi. cap.* 3.

de Crisis præsentis euentu, cognitio, non multum distat à pręcognitione eiusdem futurę. *lib.* 3. *de crisi. cap.* 2.

an per crisim, an per solutionem finiatur morbus, ex magnitudine eius, & paruitate distinguitur. *li.* 3. *de crisi. cap.* 4.

Crisis dies, ex motu morbi inuenitur. *eodem lib. & cap.*

qui Crisim subitò morbus habet, hoc est tertio, vel quarto die, omnino peracutus est. *ibid.*

Crisim fieri in quarto rarum est, & id bis tantùm Archigenes toto tempore vitæ suę obseruauit. *eodem lib. & cap.*

Crisis futurę hora, aut mortis qualiter cognoscenda, & prędicenda. *li.* 2. *de die. decret. c.* 12.

crisis futurę modus qualis nam sit, num per excretionem, num per abscessum. *lib.* 3. *de crisi. cap.* 11.

crisis per sudorem, per alui fluxum, per vomitum, per san-

sanguinis è naribus profluuium, per menstrua, per abscessus, venturæ dignotio vnde petenda. *lib.3.de crisi.cap.11.*

in Crisibus, naturæ motum considerare oportet. *eodem loco.*

Crises, in singulis ferè morborum generibus quales contingant. *li.3 de crisi.cap 3.*

Crisim subsequi non contingit, vbi virtus succubuerit, & morbus tardum habuerit motum. *li.3 de crisi.ca. 10.*

Crises in statibus fieri optimas: in augmentis vero, si salus sit secutura, vel imperfectas, vel non securas, in morituris autem, vel subito interimere, vel magnam ad peius facere mutationem. *lib.3.de crisi.cap.10.*

Crisis non fit in principio morbi. *ibidem.*

Crises signo carentes dicuntur, quæ à nullo dierum indicentium anteà fuerint indicatę. *ibid.*

Crisim futuram præcognoscimus, ex eo quòd vrgeatur, ac vehemẽter irritetur natura à morbo, atque ex subita, prę ter ratiõnẽ circa corpus facta perturbatione. *li.3. de crisi.c.10.*

quando Crisis futura est, omnino fit aliqua nouitas, vel circa respirationem, vel circa mentem, vel auditum, vel visum vel ferendi facilitatem. *li.3.de crisi.cap.10.*

Crisim in declinatione non fieri. Quicunque enim morbi status tempus semel prætererint, hi sine crisi perseuerãt, & paulatim soluuntur. *li.3.de crisi.cap.5.*

Crisim, in bonam, & malam, distingui colligendum. *li. 2. aph.com.13.* sed vt plurimùm bonam, & item *com. 23. eiusdem libri.*

Crisis bona tum sequitur, cùm vires ad noxiorum humorum excretionem impetum faciunt, & quos inuaserunt, exuperant: si verò exuperentur vires, malum. *li.3.aph com.23.*

Crisium bonarum, ac malarum collatio. *Lib.3.de cris. cap.10.*

vt in Crisibus malis est plurima incertitudo, & coniectura, ita in bonis scientia, & firmitas præualet. *ibidem.*

Crisis ante statum eueniens, tanto optima deterior est, quanto statum anticipauerit. *li.3.de crisi.cap.6.*

Crisim salubriter iudicatam, errores præpediunt. *lib.2.de dieb.decret.cap.11.*

Crisim optimam, non per coniecturam, sed firma cognitione comprehendere licet. *lib.3.de crisi.cap.4.*

Crisis optima ea est, cùm ægrotante crisim passo, febris soluitur, atque aliis accidentibus æger liberatur: & melius fuerit coloratus, pro ratione euacuationis, cum melioribus pulsibus, & ad surgendum robustior. *lib.3.de crisi.c.3.* & ibidem de ea crisi, quæ ab hac deficit.

Crisis intempestiuæ maximum signum, naturam statim properare ad expellendum quod infestat. cuius intempestiui assultus causa est, morbi violentia irritatrix quædam existẽs, & acuta. *lib.3.de crisi.cap.*10.

Crises imperfectę vocantur, quæ aliquam effatu dignam faciunt mutationem, non tamẽ integram solutionem. *li. 3.de crisi.c.1.& c.7.*

Crisis mala est, quæ ad subitam mortem mutatur. *li.3.de crisi.cap.1.*

in Crisi, grauiter se ægri habent, & grauitas hæc noctu fit manifestior, nam hoc tempore dormire consueuimus. Somnis ergo à turbatione interruptis, clariùs grauitas illa percipitur. *lib 2.aph.com* 13.

aut Crisim, quæ præcedit nox, grauis: quæ subsequitur, magna ex parte leuis. *eod.loco.*

Crises bonas in morbis acutis, vehementissimi casus solent aliquando operari. *lib.7.aphor.com.5.*

Criticos sudores, & profluuia sanguinis, & alui inferioris deiectiones, & quæcunque talia huiusmodi, vis quædam aliena excernens facit. *lib.7.aph.com.2*1.

Crisim, si non perfecta Medicus debet adiuuare. *lib.1.aph. com.20.*

in Crisi, neque subitò sanatur, neque moriuntur ægri. *li. 2.aph.com.23.*

non per Crisim, omnino coctionis signa salutem hominis futuram ostendunt. *lib.1.de crisi.cap.7.*

Criticorum accidentium duplex est natura, quoniam aliqua sunt tanquam causæ & signa, aliqua tanquam signa solùm, & quænam sint vtraque. *li.1.de crisi.cap.*14.

Crisim appellare consueui, si qua in morbo vniuersa fiat permutatio, & multò magis adhuc eam, quæ antecedit agitationem. *li.1.de crisi.cap.*20. & *lib.de dieb.decret.cap.1.*

Crisis nomen à vulgari quodam, non à Medico inuentũ. *lib.3.de crisi.cap.2.& lib.1.de dieb.decret.cap.1.*

ad Crisim futuram prę noscendam, se exercere Medicus debet.

debet. *li.3 de crisi.cap.2.*

in Crisibus neminem pereuntem vidit Galenus, qui præcedentibus coctionibus crisim habuerit. *li.3. de crisi.cap.3.*

de Crisibus febrium, & inflammationum. *Eodem lib. & cap.*

ad futuram Crisim prænoscendam, morbi natura, anni tempus, laborantis ætas, & temperatura sunt consideranda. *li.3.de crisi.cap.4.*

Crisis vicinæ, aut longinquę signa, ex motu morbi, eiusdē magnitudine, & accessionum anticipatione sumi. *lib.3.de crisi. cap.4.*

An per Crisim terminetur morbus, aut non, ex motu, & magnitudine inspicere oportet. *eodem lib. & cap.*

Crises optimæ quæ sunt, eædem securæ, perfectæ, atque coctæ sunt. *li.3.de crisi.cap.5.*

Crisis mala, post morbi exquisitam coctionem, sequi nō potest. *eod.li. & cap.*

de futura per Crisim salute nihil inuestigare contingit, nisi quis morbi magnitudinem, naturæ robur, & futurum statum præcognoscere studeat. *li 3.de crisi.cap.5.*

Si quis subitò morbo liberatus est, omnino huic aliqua euacuatio, effatu digna, aut abscessus aliquis contingit. *lib.3.de crisi.cap.7.*

Crisim antecedit non modica, in ægrotãtis corpore perturbatio *li.3.de crisi.cap.7.*

Crisim nominare solet Galenus, cùm morbus per excretionem, vel abscessum finitur. *eodem lib. & cap.*

Crisi instante, non debet Medicus more vulgarium perterreri *li.3.de crisi.cap.8.*

Crisim non fieri, vbi natura plurimùm à morbo superatur. *li.3.de crisi.cap.9.*

Crisis sine certamine non fit. *eod.lib. & cap.*

sine Crisi, nemo subitò morbum euasit. *eodem lib. & cap.*

sine Crisi, multi subitò intereunt. *ibidem.*

sine Crisi: Modi mortis tres sunt, iis qui sine crisi moriuntur. Primus in principiis accessionum: alter tempore status, à morbi vi natura superata: alius reliquus in declinationibus, qui rarissimè accidit vigore soluto vitali. *lib.3. de crisi c.9.*

Malam crisim appellat Galenus, vbi tentauerit, sed succubuerit. *ibidem.*

Crisium malarum præcognitiones minus stabiles sunt & valde prudente,& exercitato Medico indigent. *lib.3.de crisi.cap.*10.

quæ ante statum ad Crisim ruunt, disruptiones vocat Hippocrates.*li.3.de crisi.cap.*10.

De iudicialibus diebus.

CAP. VII.

Lib.3.de diebus decret.cap.8

DE diebus decretoriis tractationem, ei quæ de crisi est ita germanitate quadam coniunctam esse, adeóque conuenire Galenus verissimè dixit, vt alterum sine altero tractari minimè possit. Quamobrem appositissimè facere videbor, si post tractationē de crisibus, eam quæ decretoriorum dierum naturam, vim, potestatem, ordinem explicet, subiunxero: quod sum hoc capite effecturus, indicaturúsque, cur nam decretorij dies appellati sint, & vnde eorum obseruatio petenda. Ad hæc quinam sint Medicis iudicatorij, seu critici dies, qui indices, qui intercalarij, seu incidentes. Eorundem vim, ac potestatem omnem declarare, in diebus decretoriis cur natura aduersus morbum insurgat, & cur non omnes decretorij sunt habendi. Galeni demum de mense medicinali sententiam examinabimus, atque hîc capitis finis erit. Decretorios porrò dies, eò id nominis sortitos esse, constans apud Medicos assertio est, quòd in his, quid de morbo futurum sit, decernatur, salutarísne, an exitialis sit exitus morbi futurus, inde plenissimè dignoscatur. Fit enim tum de ęgri aut salute, aut morte iudicium, vt superiore capite de Galeni sententia exactè docuimus. Nusquam enim in morbis non fit, si acuti sint, quin iudicium aliquod in his diebus, quos decretorios vocant, eueniat: si quidem valida fuerit expultrix facultas, motúsque morbi citatus, quam citissimè iudicatio fiet, idque per excretionem, perinde atque si motus tardior, facultas imbecillior per abscessum. Itaque in quibus diebus perturbatio hæc accidit, eos dies meritò indicatorios, seu crisimos vocare Medici solent, quòd in his morbus iudicetur. Vnde autem eorum obseruatio petenda sit (quod secundo loco tradituros nos polliciti sumus) nunc explicandum. Ex vsu, atque experientia crisimorum dierum rationem inuen-

li.3.de crisi.ca.2.& li.1. de diebus decret.cap.1

utentam esse, Galenus constantissimè affirmauit. Diuturna nanque obseruatione exploratum est, certis quibusdam diebus, aduersus morbum naturam insurgere. Quod in Epidemiis fecisse Hippocratem legimus, dum quæ in morbis acciderent, experimentis, & obseruatione accuratissimè exploraret. Aliquos septimo, plerosque decimo quarto, decimo septimo, vigesimo, trigesimo quarto, quadragesimo, octogesimo, centesimo & vigesimo, quosdam iudicatos fuisse, cùm in primo, tum in tertio de vulg. morb. nominatis etiam ægris, ostendit. Sed vnde id? non ratione profectò vlla persuasus, sed vsu, & experientia edoctus, sic euenisse in morbis testificatur, vt de eo Galenus affirmat. Verùm etsi experientiæ maximè semper innitendum sit (vt quæ demonstrationis firmissimæ locum perpetuò habeat) cur tamen diebus his memoratis, decernendi natura attributa sit, ratio inueniri profectò aliqua potest, cum sint (autore Galeno) experimentum, & ratio, principia inuentionis crisimorum dierum. In qua mehercule inuenienda, plurimùm sudasse Galenum, ex his quæ tertio crisimorum dierum libro, ab eodem prodita sunt, perspicere licet. Nam cùm non omnes similiter dies de morbis decernant, vel eiusdem testimonio, & acutis morbis imparibus diebus, longis, paribus iudicia accidant, efficitur profectò, vt cur ita fiat ratio subesse aliqua videatur. Eius porrò euentus rationem idem autor, in duo potissimum, quæ sint prima omnium quæ fiunt primordia, referre videtur, nempe materiæ inordinatum motum, & cœlorum ordinatos, perpetuósque gyros: à quibus omnia in hoc orbe decus, ornamentúmque capessere, idem constantissimè affirmat, Aristotelis (opinor) in hoc mentem secutus, qui mundum hunc contiguum esse superioribus lationibus ob id oportere astruxit, vt omnis eius virtus inde regeretur. Ab his igitur duobus principiis, inordinato videlicet, quo ex hac mundi materie proficiscitur, & ordine, ornatúq; procedēte, quod cœlestibus originē fert acceptā omnium, quæ ratione, & experientia ipsa in diebus decretoriis intelliguntur, causas recenset Gal. in astrorum potentiam (solis præsertim, ac lunæ) planetarúmque reliquorum, decretoriorum dierum in morbis vim reiiciens. Lunæ profectò in decre-

li.1.de diebus decre. c.2. & 3.

lib.1. Epidemi.

Lib.2. de diebus de. cap.4.

lib. 3. de dieb. dec.

lib. 3. de dieb. decr. cap. 1.

libr. 3. de dieb. dec. cap. 1.

toriis morborum tantùm tribuit, vt non ægris modò sed etiam sanis, dies quales tandem futuri sint, prænunciare posse, & faustos, bonósque, ac salutares producere, si ad planetas temperatos steterit: si ad intemperatos, graues, atque molestos constantissimè, de Ægyptiorum sententia, affirmarit. Quin & dierum supputationes ita ad Lunæ motum affingere idem satagit, vt in eo nimius fuisse, ne dicam etiam superstitiosus, planè videri possit, vt sub finem capitis magnis sumus rationibus ostensuri. Ego verò etsi is minimè sum, qui præiudicatam à tot iam seculis de hac re opinionem, aut conuellere me posse confidã, aut aduersus Gal. & Astronomis in sententiam ire, ne aut eorum dogmata nouo quoque dogmate euertere, aut mea præferre velle videri possim, quæ nulla ex parte sint cum eorũ decretis, ac veluti sancitis legibus conferenda, cùm seuerã tamen ea in re animaduersioné fecissem, existimassémque potiora me ex promptuario nostro, hoc est Medicorum schola, quàm ex vanis Astronomorum cõmentis, quæ Galenus sequi videtur, inuenturum, conatus sanè sum verissimas ex naturæ sinu causas eruere. Itaque in expultricem noxiorum facultatem, in morborum impetum, atque motum, in noxiorum humorũ substantiam, modum, qualitatem, copiam, in naturæ demum morborum medicatricis vim, ac potestatem, denique in sympathiam quandam abditiorem, & arcanam, hos decretorios naturæ motus in certis quibusdam, & statis diebus reiicere, quàm in astrorum motus, aspectus, aut influxus commodius visum est. Quòd enim crisis in septimo, decimoquarto, decimo septimo, vigesimo, & aliis decretoriis diebus accidat, id naturæ, & morbi motui adscribendum magis, quàm syderum viribus. Nam cùm crises expultrix noxiorum facultas (autore Galeno) operetur, ea verò ad suum obeundum munus, non nisi exagitata, & ab humore noxio irritata moueatur: siquidem (quod idem Galenus ait) accessiones naturam stimulant, & veluti prouocant, nullam quietem, nec moram concedentes, verùm incitantes, mouentésque, & veluti pugnam indicentes, vnde acutorum morborum iudicia in imparibus fiunt, quòd iis diebus accessiones inuadant, efficitur profectò vt non prius iudicium fieri commodè possit, quàm expultrix facultas ad morbificæ causæ depulsionem insurgat: quod sanè fit, cùm concoctus est morbus, ad cuius concoctionem

Libr. 3. de dieb. decr. cap. 8.

v bi suprà immed.

cùm

cùm tempore opus sit, efficitur, vt si peracutus fuerit morbus, in quartum, aut septimum diem id quidquid est agitationis & excretionis proferatur: ac proinde septenarius decretoriorum dierum omnium primus, atque fortissimus à Gal. rectissimè statuitur, vt qui, vt ordine anteit, sic & potentia, ac dignitate præcellat. Quod itaque in septimo crisis peracutorum morborum accidat, id cùm motui seu impetui morbi, qui acutie sua celerrimè naturam ad excretionem exagitat, tum vero præcipuè dierum naturæ, ac potestati, iurè est adscribendum. Septenarij nanque in omni rerum natura, nedum in iudiciis morborum conficiendis, magna est vis, atque abdita quædam dignatio, & potestas. Id astruxit libro de septimestri partu Hippocrates, primum, & septimum dies nedum in morbis, sed & in fœtibus potentissimos esse affirmans. Nec solùm septenarium dierum numerum, sed & mēsium quoque maximarum esse virium, ex iis quæ in eo numero euenire conspicimus, manifestum ipse facit. Si quidem & septimus mensis fœtui principium perfectionis, vitalisque originis tribuit, & pueris, vbi septem à natiuitate menses impleuerint: tum alia vtilia in corporibus fiunt, tum dentes in eo tempore apparere incipiūt. Quæ etiam ratio ad septenarium annorum numerum congruit, vt in quo eodem autore Hippocrate, cùm alia multa insignia corporibus fiunt, tum dentes pueris excidunt, & alij nascuntur. Et quod in fœtibus congruere, ex certo vel dierum, vel mensium numero voluit Hippocrates, idipsum quoque in decretoriis diebus contingere, verissimè idem affirmauit. *Menses* (inquit) *mulieribus sanis singulis mensibus apparent, tanquam peculiarē in corporibus vim mensis habeat*. Et paulò post. Eadem ratio (subdit) est etiam in decretoriis diebus: quasi velit, vt menses peculiarem in corporibus vim, ac potestatem obtineant, qua immutare pro certa quadam ratione corpora ipsa possint (vnde menses mulieribus fluere id temporis, quasi ab hac mensis potentia adacti, atque exagitati idem astruxit) sic etiam & decretorij dies eandem in morbis potestatem habeant, quòd par in mensibus, atque diebus ratio subsit, vt idem voluit autor. Itaque quod crises certis diebus occurrant, septimo, decimo quarto, vigesimo, vigesimo octauo, quadragesimo secundo, cētesimo, & centesimo vigesimo (quos omnes Hippocrates, tū in libro de septimestri partu, tum lib. 3. Epidemiorum iudi-

Lib. de septim. par.

catorios esse existimauit') id & naturę ordinato motui,& decretoriorũ dierum natiuæ,& insitæ potestati ordinatæ meritò adscribendum. Qua abdita quidem vi,sed certa & constanti,ita cum naturæ ordinatis motibus congruunt ij dies, vt naturæ motus decretorij,non in alios dies quàm in hos sympathia quadam incurrere possint. Quippe cùm ordinata quædam res natura ipsa sit,& cùm materiam superauerit, proportionibus quibusdam definitis , & periodis ordinatis, motionem in morbis tum fieri testatur 1.de diebus decretoriis Galen. Materiam autẽ vt plurimùm superare natura solet, septimanis periodis recurrentibus, ob sympathiã quãdam quæ illi cum eo numero est. Sunt enim sympathię quędam in rebus abditæ,& cæcæ,quæ inter res ipsas miram congruentiam,& affinitatem pariunt , è qua mirabiles effectus (sed quorum aperta ratio reddi non possit) oriantur: vt attractum ferri à magnete,eiusdem item lapidis perpetuam ad septentriones conuersionem, attractum palearum à succino, & huiusmodi talia,consensu quodam tacito rerum,& amicitia quadam fieri cernimus: sic & naturæ decretorios motus, per septenarios dierum recurrere naturæ quidem ordo est, ac sympathia quædam,atque consensio naturæ motuum , & eorum dierum,in quos hi motus incurrunt. Septenarij nanque numeri tanta in rerum natura dignatio atquę potestas est,vt eo numero cuncta penè in natura confici videantur: vt haud immeritò plenus,atque perfectus sit,tum à Platone, tum à Macrobio nuncupatus,quod fœcunditate sua gigni ,cõplerique in natura omnia ferè videantur. Inde naturalis, atque optimus meritò fuit à Chalcidio dictus ea videlicet ratione,quòd multa eorum quæ naturæ ordine proueniunt, iuxta hunc numerum fieri deprehendantur. Principio nanque septimestres partus ante cæteros legitimi sunt in generis humani propagatione ab Hippocrate habiti. Deinde quòd septimo à partu mense nasci dentes puerulis incipiant; septimo deinceps anno mutentur. Annorum quoque secũda hebdomas,quæ decimum quartum annum complet,pubertatem vtrique sexui,atque gignendi, & pariendi maturitaté adfert. Tertia hebdomada ostendit se flos,& lanugo circa genas. Quarta hebdomada augeri corpora desinunt. Quinta iuuentæ florem,atque perfectionem sibi vendicat. In morbis quoque (subdit de Hippocratis sententia idem Chalcidius) iuxta eundem

Plat.in Timæo. Macrob lib.1 in som. Scipionis.c.6. In commẽtariis ad Timæũ Pla.

dem septenarium numerũ motus morborũ, atque naturæ fieri, vsus experientia quę docuit, & lib. de septimanis morborũ diebus Hip. affirmauit, cuius nos operis fragmentũ tãtũ habemus, reliquũ magna Medicinæ iactura periit. Quo sanè in loco præter iã cõmemorata, multa huic numero Hip. (referente Chalcidio) tribuit. Sensuũ nanque omniũ, qui in capite sunt, septẽ meatus, occulorũ, nariũ, auriũ, atque oris, qui omnes septenariũ numerũ cõplent. Vitalia quoque intrinsecus mẽbra totidẽ, lingua, pulmo, cor, lien, hepar, renes duo: vocaliũ quoque literarũ numerus idem. Lunæ quoque crescentis, & senescentis admiranda illa varietas in eodẽ numero ponitur. Siquidẽ de obscura, crescente lumine fit bicornis, dehinc sectilis, deinde dimidiato minor, dehinc plena, retrorsúmque decrescẽs maior dimidiato sectilis, bicornis rursus. Sed in mũdo, septẽ sunt planetæ, errores dicti, quorum vagis circuitibus vniuersa rerũ elementariũ natura vigorẽ regimẽnque accipiat. Quid mirum igitur, si tam multa, támque eximia in omni natura, hoc numero septenario compleantur, id quoque in morborum decretoriis accidere videamus? Ea profecto septenarij numeri abdita potestas est, atque natura, vt motus hos decretorios in morbis consensu quodã tacito, cum naturę ordine cieat: perinde atque magneti ea indita est natura, vt ferrum trahat, & septentriones spectet, & succino vt paleas ad se alliciat: sic profectò, & septenario numero ea inest vis, vt decretoria in morbis, & iudicia pariat. Quæ causa est cur decretorios omnes dies per septenarium recurrere cernamus, vt ex libris Epidemiorum, & de septimestri partu colligi apertissimè potest. Diximus vnde decretoriorum dierum obseruatio petenda sit. Nunc quinam medici decretorij dies, qui indices, qui intercalarij, seu incidentes sint habendi, (quoniam horum cognitio ad curationes morborum & solutiones eorundẽ, autore Gal. non leue momentum adfert) breuiter explicandum. Dies porro nominant decretorios medici (autore Gal.) in quibus firmæ pariter, ac plurimæ fiunt in morbis mutationes: vti eos indices, quidquid futurũ in decretorio die sit, prænũtiant: quales quartus septimi, & vndecimus decimiquarti, & decimus septimus vigesimi. Hos n. contemplandos esse rectissimè in aph. Hip. dixit, q in his aliquod signum appareat futuræ iudicationis: iudicatiuũ quidẽ *libr. 1. de dieb. decr. cap. 3.* *li. 3. prædictionũ co. 1*

in altero aliquo decretoriorum dierum: vt si die septima futura morbi iudicatio per sanguinis de naribus manationem, aut sudorem sit, die quarta vel sudare æger modicè, vel sanguinem de naribus fundere incipiet: qua sanè ratione (vt Galenus ait) indices ac contemplabiles ab Hipp. merito dicti sunt: vt decretorij, quod in his iudicia fiant, quales sunt septimus, decimus quartus, vigesimus, quadragesimus, sexagesimus, & alij complures, de quibus Hipp. lib. Epidemiorum 1. & 3. Gal. libris de decretoriis diebus abundè multa. Dies porrò intercalarij, quos intercidentes scholę vocant, inter decretorios & indices medij sunt, quales habentur, tertius, quintus, sextus, nonus, duodecimus, in quibus iudicia fieri quandoque, sed praua, imperfecta, grauia, & in malum finem plerũque tendentia solent. Nam quæ præter rationem incidunt in morbis aliquando, ordinémque, & statos naturæ motus confundunt: qualia sunt vel præceps nimiùm humoris motus, venenosa qualitas, & inepta seruata victus ratio, & extrinsecus accidentia: hæc, inquam, cùm obuenerint, efficiunt vt iudicia incerta, mala, periculosa, & lethalia in intercalariis diebus eueniant. Vnde rectissimè Gal. sexti diei naturam tyranno assimilauit: quod vt hic pernicie illius quem iudicandũ accepit, gaudet, vel salute dolet, quærítque vbi animum expleat, & malè reum tractet, aut longa punitione exerceat: sic & qui die sexta iudicantur, vel malè pereunt, vel in longos grauésque affectus deducuntur. Quæ itaque crises in sexto, nono, duodecimo, & aliis intercalariis accidunt, vel imperfectæ plerunque vel malæ esse solent. Quæ in diebus iudicatoriis optimæ, pręsertim septimo, & decimoquarto. Regi nãque diem septimum Gal. meritò conferre videtur: quòd vt Rex pro boni principis ratione iis quos iudicat, vel supplicij partem adimit, vel victoriam illustrat, sic & septimus dies, vel insigni in eo facta excretione ægrum omnino liberat, vel magnam oneris partem, idque absque periculo aufert, ob id meritò crisim in eo factam, tutam simul & perfectam, sine periculo, notabilem & crebram vult esse Gal. septimúmque diem inter decretorios, potentia & dignitate omnium primum habendum, vti post eum decimum quartum, ad quem vsque terminum efficacissimè crises esse solent. Quæ enim ad vigesimum, quadragesimúmve proferuntur, paulatim suam vehementiam remittunt: vti qui morbi quadragesimũ transcen-

li. 2. aph. 24.

Lib. 1. de diebus decret. ca. 4.

lib. 1. de diebus decret. ca. 2

transscendunt, omnes languent, & concoctione potius, & abscessibus, quàm crisi finiuntur. Dierum decretoriorum naturam, & potestatem diximus. Illud modo dicamus, cur in his natura aduersus morbum insurgat, & cur non omnes decretorij sint habendi dies. Id vt intelligamus persuasum prius vnicuique oportere esse, naturam (quod ait Hipp.) morborũ esse medicatricem, ipsamque sufficere vt quæ tutelæ corporis, cui præficitur summam habeat rationem, atque curam: quod cùm facit, in regendo corpore, & noxiis propulsandis propriis & ipsa quoque atque ordinatis vtitur motibus, vti in fœtuum formatione, incremento. perfectione & partu: tũ in generandis corporis succis, in concoctione, distributione alimenti, & ipsius in substantiam nostram conuersione, aliisque omnibus naturæ muniis est videre. In quibus omnibus suos naturam obseruare statos motus, atque ordinatos planè (nisi lacessita, aut impedita alicunde ipsa sit) experimur. Eosdem ipsam in iudiciis morborum tenere motus, statos inquam, atque ordinatos, si legitimæ, tutæque futuræ sint crises, omnino cernimus. Nam antequam noxia expellat, ea prius concoquit, secernit, demum per commoda loca euacuat. Itaque cùm abundè concoctus est morbus, tum noxiorum expulsionem, magna præcedente turbatione, natura molitur. Cùm autem contingat in decretoriis id fieri diebus, vt in quos ordinati illi naturæ motus in abigendo morbo desinant, atque finiantur, efficitur profectò, vt in iis ipsis natura aduersus morbum insurgat; quod scilicet abundè noxium humorem ad depulsionem exactè præpararit: solàque superest, noxiorum excretione, vna aliqua depulsio, quod cùm fit iudicium morbi tum fieri rectè dicimus: quòd natura materiam superauerit proportionibus quidem definitis, & periodis ordinatis. Quamobrem cùm acutorum morborum periodi imparibus diebus accidant, fiántque eorum insultus, atque acceessiones in imparibus & crises quoque in his ipsis fieri est omnino necesse: itá vt septimo crises tutæ, perfectæ, sine periculo, notabiles & frequentes (prout quæ & in decimoquarto eueniunt) fiant. Ob id autem non omnes in morbis dies decretorij sunt habendi, quòd non in omnibus ex æquo natura aduersus morbum insurgat, sed in iis tantùm, in quibus insultus in eo fieri contingit. Experimento siquidem constat, non omnes similiter dies de morbis decernere. Non

Gal. 1. de dieb. decre. c. 10. & 13.

lib. 6. epidemi.

Gal. li. 3. de dieb. decr. cap. 1.

enim tertius quintus, octauus, nonus, duodecimus, de morbis iudicant: sed quartus, decimus septimus, vigesimus, cur? quod septimani circuitus valida sint virtute præditi: item & quaternarij, quod in his, pro ratione acutorum natura materiam suis congruis, & ordinatis motibus superet, atque excernat: ac proinde decretorij iurè sunt nuncupati. Eos enim tantùm dies, in quibus naturæ aduersus morbum motus fiũt decretorios, seu crisimos Medici appellant. Quod cùm non in omnibus ex ęquo eueniat, sed in his tantùm, in quibus cōcoctum iam humorem excerni contigerit, efficitur, vt non omnes pariter dies crisimi sint habendi. Nunc coronidis vice, Gal. de mense medicinali, & dierum decretoriorum supputatione, ex Lunæ motibus sententiam examinemus. Gal. itaque crisimorum dierum causas inuestigans, lib. eius tractationis 3. cap. 2. & 3. 5. etiam, & 6. adhæc 8. ad Lunæ vires, ac potestatem, quam ex vario obtutu ad Solem, & incessu per signiferi signa obtinere dicitur, eas referre conceptis planè verbis videtur. Terrena nanque omnia à Luna immutari, idem constantissimè affirmat: vt quam videlicet, ceu principē quendam magni regis Solis principatum, in omni terrena plaga exercere tum nautarum, tum agricolarum, tum astronomorum, ac philosophorum, denique omnium hominum testimonio velit: atque dies decretorios eius circuitus sequi, idem constantissimè asseuerauit. *Non enim septimi* (inquit) *vel quarti numerus crisis autor est, sed quòd Luna recentiore, & terrena immutante, motuum quoque circuitus ad hos principes numeros venire contingat, meritò in ipsis tanquam stata alterationum tēpora inueniuntur. Quippe mutationes non numeris, sed Lunæ, terrena debent.* Et paulo post, *satis est* (inquit) *ad rem institutam, terrena Luna immutare, & in septimanis potissimum magnas parere mutationes.* Hæc cap. 8. Capite verò 6. & à se vt verissimum obseruatum, & ab Ægyptiis astronomis inuentum testatur, Lunam non modò ægris, sed etiam sanis dies quales tandem futuri sint posse prænunciare: vt si ad Planetas temperatos steterit, & salutares, faustos, ac bonos producere dies: si ad intemperatos, graues, atque molestos. Sed hæc nobis paulo plenius sunt ad veritatis trutinam expendenda. Inueniemus enim profectò, non satis hoc Galen. dogma, dierum decretoriorum naturæ, ac potestati conuenire. Equidem vt illi donemus Lunæ viribus quadantenus terrena immutari: non sic ta-

lib. 3. de dieb. decr. c. 8. & 12.

Cap. 8.

tamen ab ea quæ in sublunari globo sunt, mutationem tantam accipere arbitrandum, vt alterationum quæ in iis contingunt, ipsa sit omnino effectrix, cùm præter communem motus, & luminis influxum, nulla pecularis alia vis cœlestibus insit corporibus, qua demutare inferiora hæc possint. Esse autem motum, & lucem cœlestium corporum propria ex eo probari quam commodissimè potest, quod sit cœlum corporum naturalium, vt primum sic quoque & perfectissimum: vt Plat. in Timæo, & Arist. cùm octauo Physicæ auscultationis, tum libris de cœlo, & metaphysices duodecimo docent: Quod cùm ita sit, consequens est, vt & perfectissimum motus perfectissimaque qualitas, id corpus ceu propria consequantur, nempe circularis motus, & lux, qualitatum omnium perfectissima: quæ ambo cœlo cœlestibúsq; in eo corporibus propriè congruunt. Quoniam verò & circularis latio, & lux contrarium nihil habent, efficitur de philosophorum sententia, vt perennitate quadam, & efficacia, hęc in rebus cunctis operentur, sitque cœlum corruptionis expers, vt Plato, & Aristot. censent. *8. Physic.* *In Timæo* Cùm itaque cœleste corpus, corporum omnium primum sit: quod autem primum in vno quoque genere, causa sit oportet, reliquorum sub eo genere contentorum. Quamobrem erit cœli motus reliquorum omnium causa prima, atque præcipua, vt quo cessante cætera cuncta quoque motu desinere suo esset necesse: perinde atque in homine, motu cordis principis partis abolito, *8. Physic.* reliquarum partium perire motus videmus: vt merito Arist. primi cœli motum vitam esse omnibus dixisse sit visus: idque summa certè ratione, quod vitæ omnium communis, & euidentissima nota sit intimus motus, qui ab infatigabili illo cœlorum agitatu & ordinatur, & in vnoquoque entium genere pro sui quodque natura, excitatur. Atque motus hic cœlorum lucem vitalem sibi comitem perpetuò deferens, atque cum ea viuificum calorem, cuncta vegetat, souet, alit, atque instaurat. Est enim calor hic efficacissimus, maximéque salutaris, omnia penetrans, generans omnia, atque fouens, éstque hic præcipuus cœlorum, atque syderum in hæc inferiora influxus, quem præter non est quod vel bonos, vel malos in morbis dies (quod tamen credidit Gal.) ab ipsis pédere arbitremur, vt mox rationibus firmissimis ostensuri sumus.

Nam

li.3.de diebus decre. c.6. Nam quod à Gal. dictum est ex Ægyptiorum sententia Lunam non modò ægris, sed etiam sanis dies quales futuri sint prænuntiare, id omnino à veritate alienissimum esse, putandum meritò est, cùm dierum in morbis, vel salutarium, vel noxiorum ratio nō ex Lunæ motu, sed ex virium ægri ratione, & morbi potentia desumi debeat. Si enim æger ætate floreat, viribúsque abundet, morbúsque neque grauis, neque pestilens adfuerit, sed concoctus, ac mitis, qualescunque contigerit in hoc morbi decursu, Lunæ fieri progressus salutares profectò, & tuti accident dies, etiam si Luna ad infortunatos, & intemperatos, ac graues (vt Gal loquitur) steterit planetas. Contra vero, si morbus grauis, pestilens crudus, contumax, ac difficilis fuerit, ægri vires imbecillæ, dies pariter infausti, lethales, graues atque molesti sunt indubiè expectandi, qualis qualis tum sit Lunæ motus, atque influxus. Id quod nos bellè hoc sermone docuit medicinæ parens Hipp. In singulis, inquit, perpende & vim, & speciem morbi, atque hominis naturam; quasi ex his non solùm curandi, sed de futuro morbi euentu præsagiendi, omnis ratio pendeat: vti re vera vel experientiæ fide dependere ab omnibus medicis comprobatur. Quid ergo opus ad Lunæ motum, & non potius ad naturæ, & morbi impetum, celeritatem, tarditatémve, ad humoris noxij copiam, variámque qualitatem, dierum crisimorum causas referre? Adde quod cùm dies decretorij, naturæ lege, & experientiæ fide certi, determinatique sint: vt in eis commotiones omnino fieri (nisi aliunde impedita natura) sit necesse, nempe septimo, vndecimo, decimoquarto, & aliis, non autem sit æqualis & vniformis Lunæ motus, sed modò citatior, modò tardior, efficitur profectò, vt ad Lunæ motum referri dies critici minime possint. Nam si ad Lunæ motum referantur, vt Gal. existimauit, id protinus consequetur, vt pro citato, aut tardo Lunæ motu, alij atque alij, non semper dies iidem decretorij constituantur: quod & veritati ipsi, & vniuerso Medicorum dogmati repugnat. Equidem cùm inferiorem epicycli partem Luna permeat, velocius tum ipsa feratur: cùm superiorem, tardius, vt Ptolomeus, Purbachiúsque affirmarunt. Ipsa quidem supernam Epicycli partem obtinente, tardiùs ad tetragona, oppositaque signa perueniet: infernam vero occupante, celeriùs ad illa eadem progredietur. Quare non illi, qui perpetua obseruatio

Prima ratio. (margin, beside "ne, & morbi potentia")

li.2.de ra. vic. acut. textu.38. (margin, beside "di, qualis qualis")

Confirmatio præcedentis rat (margin, beside "humoris noxij copiam")

seruationis fide decretorij sunt habiti, septimus, & decimus quartus, decretorij semper erunt: sed interdum sextus & demustertius, nonus, & octauus, quod citato Lunæ cursu, ea ad opposita signa decimotertio die perueniat, vt tardiore progressu, in quadrangulis, ad octauum, & nonum diem perueniatur. Quæ cùm stare minimè possint, nec aut medicinæ legibus, aut experientiæ ipsius obseruationi congruere, efficitur profectò, vt in Lunæ motum referri crisimorum dierum ratio minimè queat, aut euerti omnino medicorum de diebus decretoriis dogma omne oportebit. At vero si ad Lunæ motum & influxum, in quadratis, & oppositis locis, referri dies decretorij debent, ægritudines omnes in nouilunio incipere oporteret, alioquin nec diei septimæ dimidia Luna, quadratusque aspectus, nec diei decimæquartæ, plena Luna, oppositusque aspectus respondebunt: nisi initium morbi à nouilunio sumatur. Quamobrem cùm omnibus horis, atque diebus, nedum in nouiluniis, à morbis nos inuadi cernamus, profectò in his ipsis, qui nos post nouilunium inuaserunt, dierum crisimorum ratio cum Lunæ motu in signifero minimè constabit. Si enim (verbi gratia) Luna in ariete constituta, eóque in signo eiusdem cum sole coitus fiat (quod nouiluniū vocant) biduo autem, aut triduo post hunc Lunæ coitum, morbus quispiam inuadat, constat profectò, neque in septima die Lunam in quadratis, neque in decimaquarta in oppositis adfuturam, si ad coitum hęc referantur. Nam in septima die inuenitur Luna in vigesimo leonis gradu, si biduo post coitum in ariete quis ægrotare cœperit, cùm tamen leo ad arietem collatus, quadratum signum non sit. Gemini enim ab ariete quadratum est signum, non leo. Rursus in decimaquarta talis ægrotationis, Luna in decimo sexto scorpij, non in libra esse deprehendetur. Quamobrem crisis, quæ in huiusmodi morbo vel septima die, vel decimaquarta eueniet ad quadrata & opposita signa referri minimè poterit: in quibus configurationibus cieri humores, atque ob id fieri crises Astronomi volunt. Quod si ad principium morbi attendendum esse autumant, vt cùm Luna fuerit in quadratis, aut oppositis, principio morbi, locis, tum crises fieri dicent, hallucinantur hîc profectò non minimùm. Siquidem nec semper die septima in quadratis, nec decimaquarta in oppositis, initio morbi Luna locis inuenietur. Inferiora

Secunda ratio.

nanque Epicycli percurrente, cùm celerius Luna tum moueatur, sexta die ad quadrata signa perueniet, & decimatertia ad opposita. Superiora vero Epicycli obambulante, cùm tardius tum feratur, ad octauam diem, vel nonam, ad quadrata loca tantùm perueniet. Itaque erunt octauus, & nonus, tum decimustertius, non septimus & decimusquartus, decretorij, quod & veritati, & experientiæ ipsi repugnat. Non est igitur quòd crisimorum dierum rationem Gal. ad Lunæ motum in quadratis, aut oppositis signis referat, si decretis suis, & Medicorum omnium, fixus stare velit, qui perpetuò septimum, decimumquartum, & vigesimum, crisimos esse volunt. Quod planè non fiet, si Lunæ motum sequamur, vt superioribus rationibus abundè declarauimus. Sed & illud quoque, haud minore ratione conuelli potest. Lunam si ad planetas temperatos steterit, quos & salutares Latini, & Græci ἀγαθοποιούς, hoc est beneficos vocant, bonos, ac faustos producere dies: si ad intemperatos, graues atque molestos. Hæc .n. Gal. 3. de dieb. decre. cap. 6. verba ipsissima sunt. At vero quàm sint hæc ab omni medica ratione alienissima, hinc profectò, vel luce meridiana clarius perspici potest, quod dierum bonorum, & salubrium in morbis ratio, vel cōtrà infelicium, ac malorum, non ex planetis sit vllatenus petenda, sed ex morbi natura, acutie, malignitate, symptomatisque prauis, ceu mali morbi testibus fidissimis, ægrique imbecillitate: vt contrà, dierum bonorum ratio, ex morbi lenitate, bona ægri tolerantia, facili respiratione, concoctione & viriū robore, aliisque indiciis bonis sit omnino petenda. Isthæc nāque, quæ commemorauimus, bonæ vel malæ criseos profectò indicia certissima sunt, vel Hipp. atque Gal. autoritate, tum Auic. & omnium denique medicorum stabili, firmóque consensu. Quòd si hæc se ita habent, vt reuera habere ipsa certa rerum mater experientia docet, quid ad Lunæ cum planetis fœlicibus, aut infœlicib. adhæsionem (quod tamen vult Gal.) confugimus? Sit Luna quantum velis Marti, aut Saturno in octaua domo opposita (quam domum mortis esse Astronomi genethliaci isti, si Diis placet, prædicant) adsitque mitis, cùm virium robore morbus, aut grauis etiam, modò & concoctio adsit, & virium robur, nunquam profectò infœlices dies eo in morbo expectandi erunt, edicente
L.6.Epid nimirum Hipp. Coctiones & securam salubritatem, & decretorij celeritatem portendere. Quid itaque hîc Luna ad in-

fœlices planetas applicata operabitur? nihil quicquam profectò. Bonitatem quippe dierum efficiet optima futura crisis vti malitiam mala crisis, quæ ex signis supra memoratis, non ex astris petenda sunt. Ad quod facit ea ité ratio, qua negari perquàm commode potest, planetas vllos maleficos esse, sed beneficos omnes, vt qui luce, calore cœlesti, atque viuifico, motúque irrequieto suo, satis, arboribus, fructibus, animalibus cunctis, atque hominibus etiam prosint, nemini cuiquam noceant, aut noxam vllius generis vllam suapte natura inferant. Quod ne fide carere sua dictum existimari possit, testé adferã grauissimũ Chalcidium, fidum Platonis interpretem. Hic in suis ad Platon. Timæum commentariis extra omnem ingenij, & doctrinæ aleam positis, hæc ad verbũ, hac ipsa de re protulit. *Omnes* (inquit) *stellæ diuinæ sunt, & bonæ, nec quicquam faciunt mali, aut quædam maleficæ. Sed maleficas esse, in illo sancto, & pleno bonitatis loco quatenus conuenit? Cúmque omnia sydera plena sint cœlestis sapientiæ, quatenus conuenit maleficas esse stellas dicere? nisi forte id quod fas non est, interdum easdẽ bonas, interdum malignas esse existimandum: proptereáque promiscuè beneficia, & maleficia præbere. Sed hoc absurdum est putare, cœlestem substantiam, vna, eadémque natura præditam non in omnib. stellis eandem esse, sed plerasque tanquam à propria degenerare natura.* Hactenus Chalcidius, qui summa certè ratione, nihil quicquam mali in syderibus positum esse adstruxit, quòd cùm sint sydera omnia æthera quadam, ac planè diuina, & pura substãtia prædita, nec concretũ quid, aut contrariis qualitatibus cõstãs in se habeãt (vnde malum in rebus prouenit) fieri profectò nullo pacto potest, vt ab his infaustos, & malos in morbis dies sperare debeamus. Ab his .n. cùm bona sint, quid mali in corporibus inferri potest? In cœlestibus enim quicquã mali inesse dicere, & temerarium, & impiũ etiam est omnino habẽdũ. Valeat igitur Ægyptiorũ, & Gal. sententia, qui Lunam ex suo ad planetas salutares, aut intẽperatos adhæsu, dies quales tandẽ futuri sint, non modò ęgris, sed etiam sanis pronũtiare posse, ineptè profectò asseuerarunt. Sed cætera persequamur. Magnũ sibi Galenus, eúmq; nõ minus superuacaneum, quàm ĩpõtaneum laborem sumpsisse videtur, in Lunaris circuitus anxia nimis supputatione, dum & Lunæ in signifero circuitum metitur, & ab eo ipso tempore, quod in eo cursu insumitur (quod dierum septem & viginti, octóque horarum esse vult) occultationis Lunæ

4. ratio.

libro 3. de dieb. decr. c. 4. & 19.

tempus eximendum statuit, vt lucescentis lunæ dies colligat.
ad.li.c.9. Constitutum autem id habere vult Galenus, Lunam plerũque triduo in coitu solis delitescere, quod tempus rei rusticæ autores, illunes dies vocare solẽt. Atque ex ambobus his mẽsibus, nempè progressionis Lunę in signifero, & manifesti cõspectus (quod neoterici nostri mensem peragrationis, & mẽsem manifestæ visionis dici volunt) alterum veluti commentitium sibi fingit, medium quendam inter manifestæ, & efficacis apparitionis tempus, & profectionis Lunæ in signifero, quem ex diebus viginti sex, & tertia, atque duodecima diei parte, constare vult: in id videlicet, vt aduersus Archigenem diem vigesimum magis, quàm vigesimum primum, decretorium esse ostenderet. Completur nanque hac supputatione hebdomada quæque diebus sex, horis decem & septem cum dimidia: ita vt hebdomadæ tres, diebus viginti, horis quatuor cum dimidia finiantur. Si enim vnãquanque hebdomadarũ ter in se duxeris inuenies tres hebdomadas, x x. diebus, horis iiij. cum dimidia compleri. Sed neque hoc commentitio suo mense, quòd volebat efficere, potuit Galenus, vt vigesimum exactè decretorium esse statueret: nam supersunt supra vigesimum diem, horæ quatuor, cum dimidia. Hunc fictitium mensem (neque enim est naturæ ordine, aut vllo Lunæ motu inuentus, cum nulla Lunæ in signifero progressio huic mensi quadrare, vlla ratione possit) recentiores, præsertim Aponensis, Medicinalem nuncupandum consueuerunt, quod
vbi suprà. ad dierum criticorum rationem sit à Gal. excogitatus. At si quis rem accuratius existimet, & ad veri normam ponderandum ducat, inueniet profecto commentitio hoc Gale. mense nihil opus esse, vt vigesima dies decretoria constituatur, cũ ex motu peragrationis Lunæ in signifero ipsa eadẽ dies crisima inueniatur. Equidem cum Lunæ cursus in signifero dierum sit septem & viginti, octóque horarum: quo quidem tẽpore vniuersum signiferum percurrit, efficitur, vt si id tẽpus in iiij. hebdomadas partiaris, erit hebdomada quælibet dierum sex, horarum x x. Ita fit, vt hebdomadæ tres, viginti diebus, horísque duodecim compleantur: ad quem terminum criticam commotionem excitari experientia docet. Si igitur ex motu peragrationis Lunæ, menséq; communi, vigesima dies critica esse inuenitur, quorsum attinet, vt idipsum fiat, commentitium Lunæ cursum, atque mensem effingere, qui
neque

neque ad naturæ ordinẽ, neq; ad syderũ rationẽ respondeat? Præterea illud si Gal.existimat, in hebdomadis istius sui mẽsis medicinalis, atque factitij, vim decretoriã inesse, humorũ exercitatricẽ,non autẽ in hebdomadis mensis,quo vel à Sole Luna illustratur,vel signiferi signa percurrit, longè profectò tum fallitur, cùm vis illa excogitati à Gal. mensis, ad nullos syderum inflexus, ab Astronomis obseruatos redigi vllo pacto possit,hoc est,nec ad oppositionis, aut quadraturæ signa, nec ad Lunares ad Solem configurationes; quæ Lunæ in signifero cursum sequuntur. Prętérea, quomodo eius factitij mensis ratio,morbis omnibus qui decernunt,quique sua initia non cum Luna in signifero cursũ sortiuntur, conuenire possit,planè non video.Multos namque Hipp.in Epid.quinto die,vndecimo, decimoseptimo, aliquos vigesimoquarto, vigesimoseptimo,trigesimoquarto,quadragesimo:nonnullos octuagesimo, & Herophithonem quendam centesimo & vigesimo die,iudicatum perfectè fuisse scribit. Atqui nulla potest esse cum hoc dierum numero mensis à Gal. excogitati congruens ratio.Si quis enim,vel octuagesimo,vel centesimo & vigesimo iudicetur:cùm ij dies mensem Galeni multo interuallo superent, quonam pacto huic decretorio mensem suum,qui dierum tantum viginti sex, & horarum duarum supra viginti esse supputatur, adaptabit Galenus? Quin & hunc mensem ita effingit Gale. quasi Luna perpetuò radiis solis in coitu delitescens, tres totos dies obumbrata maneat. Sed cum non raro eodem die Luna, & vetus, & noua appareat, manè inquam,ante solis exortum vetus, vespere autem eius diei nouaculari forma, iam Soli congressa, & ab eo lumen accipiens (vti experientiæ fide, & Alphragani id asserẽtis autoritate monstratur) efficitur profectò, vt non satis firma huius mensis medicinalis constitutio haberi possit: præsertim cùm ita constituta videatur ac si Luna æquali semper motu,nunquam citatius, aut segniùs moueretur. Eius tamen contrarium,& experientia, & Ptolemæi, atque Purbachij autoritas plenè ostendunt. In altera enim sui Epicycli parte consistens,velocius, in altera segnius mouetur. Rectius profectò Auic.atque vérius, pro Medici more rem hãc totam tractasse est visus,qui de dierũ crisimorum ratione disserens,vbi omnem hanc Gal.sententiam ad verbum expressisset,supputationémque Galeni retulisset, cùm ea sibi parũ

lib.1.& 3. Epid.

Fen.1.4. tract.c.2.

recta videretur, hæc subiunxit. *Et fortasse* (inquit) *extrahunt rationē eā, secundum modos alios diuersificantes has supputationes parumper, & addunt in ea parūper, verū in hoc* (subdit) *est trāsgressio, quia dicunt, quod non debent dicere: multámque in his esse ambiguitatē, idē testatur.* Crisium autē causas medicè, & ad veritatem magis explicans materiæ bonitatē, aut corruptelam atque malitiā, tum & eiusdē in statu morbi, vi naturæ factam alteratione esse vult. Hippocrates certè de crisib. libris Epidem. tractans, ne per somniū quidē planetarū, aut Lunæ meminit, nec vsquam ad eorū syderū motus crisium cōmotiones reiecit: sed in naturæ ægrotantis robur, aut infirmitatem, noxiorúmque humorū per pares, vel impares dies motum: & ad eum dierū numerū, quem experientia duce obseruare natura in crisibus solet, vt ex variorum ægrorum, quam recenset historia, libris Epid. 1. & 3. est videre. Celsus quoque libr. 3. c. 4. ex Asclepiadis sententia, ad numeros naturæ consuetos crisimorū dierū rationem reiicere conceptis verbis videtur, nulla prorsus syderū, aut Lunæ habita mentione. Summa sit igitur Galeni apud Medicos omnes autoritas, quum decernitur, qui dies crisimi sint habendi, vt tum cibatione, & medicamentis tractandus æger, cùm vel adsunt decretorij dies vel expectantur, hoc. n. medici peculiare munus est, atq; officiū, in quo præcellentē fuisse Galenū, vereq; diuinū vt confiteri habemus, sic prorsus imitari, atque admirari eum debemus. At cùm causa dierum huiusmodi quęritur (quò altioris hæc sint contemplationis) neque ad medicum pertinentis, non est, quòd Galeni sententiam, ceu oraculum Deorum amplectamur, vt qui magis aliorum sententiis, citra vllum demonstrationis robur nitatur, quam quæ ipse ex Ægyptiorū vanis dogmatibus adfert, probabilia faciat. Nullum enim demonstrationis genus in eo adferri videmus vt crisimos dies ad Lunæ motum referat: sed ex Ægyptiorum sententia, id constare pro comperto haberi vult, atque etiam experientia comprobatum, cùm tamen sæpenumero vsuveniat, vt in crisimis diebus Luna neque in quadrangulis, neque in oppositis signis, posita esse conspiciatur, vt suprà retulimus. Quamobrem non est quod ad Gal dogma adstruendū sufficere Pythagoreum illud arbitremur (αὐτὸς ἔφα) quod Pythagoræ discipuli de magistro affirmantes, instar demonstrationis omnis esse volebant. Non sic profectò

nostra

nostra erga Galenum ratio, vt qui ab eo edocti, ne Hippocrati quidem, aut cuipiam alteri sumus fidem adhibituri, nisi dictorum certam adferat rationem. Quam cùm nobis hac in re minùs Gal. pro rei dignitate præbuerit, pudendum minimè sit futurũ si pro veritatis lege aduersus eum stare ausi fuerimus. Præ veritate enim æquum est quemque (quod Arist. ait) sua decreta tollere. Sic aduersus Hipp. Galenus, aduersus Platonem Aristoteles, & aduersus Gnidios medicos Hippocrates pro veritate steterunt. Quam vnam, præ cæteris rebus ornandam, ac secundùm Deum colendam esse vetustissimi ac sapientissimi Philosophi sunt arbitrati. Id nos vnum spectasse, exploratum omnibus esse volumus. *lib.1.Eth c.3.*

De diebus iudicialibus, seu decretoriis. Hippocratis, & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

MORBI, & sanitas, & mors, conceptus, abortus, & partus in mulieribus, hæc omnia partim secundum dies, partim secundum menses partim secundum dierum quadragenarios, partim secundum annum, significationem sui præbent. *li. de septim. partu.*

In omnibus his temporibus insunt ad vnumquenque & vtilia multa, & hostilia multa *eod. li.*

Dies maximè insignes in plurimis, sunt primi, & septimi, multum potentes in morbis. *eod. lib.*

Dies alij intraquadragesimum insignes quidem minùs sunt, multi vero indicant. *ibid.*

Eadem ratio iudicandi scilicet, est in decretoriis diebus. *ibid.*

Medicum, qui ęgrotorum salutem rectè coniectare volet animaduertere quidem oportet, & contemplari omnes dies, ex paribus verò decimumquartum, & vigesimumoctauum, & quadragesimumsecundum. Hic enim terminus ponitur à quibusdam pro harmoniæ ratione, & integer, ac perfectus numerus: verùm ob quam causam, longius fuerit in præsenti exequi. *eod. li.*

ANNOTATIO.

Ex hoc loco colligi facillimè, atque apertissimè potest, Hippocratem, seu prudentissimum à decretoriorum dierum causis recensendis abstinuisse, quod eę vel obscurissimę sint,

& in occultioribus naturæ penetralibus reconditæ, vel ab medici officio, & arte alienissimæ. Medico quidem sat est, in morbis diem septimũ, decimumquartũ, & alios decretorios (vt monet hoc loco Hip.) contemplari, vt quid de ægri salute, aut morte futurum sit, presagire tutò possit, & pro recta methodo egros in his diebus circa victum, & medicamenta tractare. At causas inuestigare, cur ij dies decretorij sunt, ad medicum profectò minimè pertinet, & si pertineant, nulla inde ægris vtilitas, fructus nullus prouenit. Ob id consultò id Hipp. hac sententia, noluit dierum iudicialium causas perscrutari, quòd longum, & operosum, atque etiam inutile id fore est arbitratus. Quod si id fecisset Galenus, Hippocr. hoc loco imitatus, commodiùs profectò de diebus decretoriis tractationem absoluisset, neque in tam profundas, & vanas Astronomorum tenebras, meráque somnia incidisset: quę à crisium natura alienissima esse, & longissimè posita, & ipsa rerum experientia docet, & ego quàm potui firmis demonstrationibus, hoc capite, pro ingenij, & virium mearum tenuitate, ostẽdisse mihi videor. Sed rursus ad Hip. locos reuertor.

Dies decretorios, per ternarios, & quarternarios contemplari oportet, ternariis quidem copulatis: quaternarios autem duobus ad duos connexis. *li de sept. part.*

Acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur *lib. 2. aph. 23. & lib. de iudicationibus.*

Febres, siue sanus ab ipsis quis euadat, siue pereat, ęquali dierum numero finiuntur. *lib. 3. præsag. 1.*

Vt enim saluberrimę febres quę videlicet tutissimis fulciuntur notis, die quarto, vel antea quiescere solent, ita pessimæ quæque, & quibus periculosissima adsunt signa, die iiij. vel citius interficiunt. *li. 3. præsag. 2. & 3. & li. de indicat.*

Primus insultus ita finitur, alter in septimum diem producitur, tertius in vndecimum, quartus in decimumquartum, quintus in decimum septimum, sextus in vigesimum. Igitur acessiones ipsæ, ex acutissimis morbis per quatuor in viginti auctæ finiuntur *lib. 3. præsag. 4. & 5. & lib. de iudicationib.*

Supputatio huiuscemodi, per dies integros nimirum fieri non potest, quippe cùm nec annus nec menses ipsi, integris numerentur diebus. *eod. li. & numero. & lib. de iudicationibus.*

Eadem ratione, atque supputatione primus circuitus ad quatuor & triginta, alter ad quadraginta, tertius ad sexagin-

ta dies perueniet. *li.3.præsag.6.*

Morbos animaduertere à prima die oportet, atque singulos dierum quaterniones obseruare: sic enim haud obscurè scies, quò se conuersurus sit morbus. *lib.3.præsag.7.& 8.*

Morborum iudicia in mulieribus, à partu numeranda sunt. *lib.3.præsag.11.& 12.*

Septenorum quartus est index. Alterius septimanæ octauus principium. Est autem & vndecimus contemplabilis: ipse enim quartus est alterius septimanæ. Rursus vero decimus septimus contemplabilis, ipse siquidem quartus est à quarto decimo, septimus verò ab vndecimo. *lib. 2.aph.24.*

Febris dimittit in imparibus diebus, quod videlicet in paribus diebus trahit corpus de ventriculo: in imparibus verò dimittit. *lib.4 de morb.*

In imparib. diebus, dolēt maximè homines ægroti, quòd conturbetur humor in imparibus diebus, cùm ægrotat homo. *eod. lib.4. de morb.*

In imparibus diebus, dolor maximè affligit. *eod lib.*

Cur in imparibus diebus moriantur homines, causa est, quòd si multum fuerit id, quod affligit in corpore, magis quàm oportunum est, & aceruatim robustum, turbatur ad ventriculum, & cùm non possit calorem sufferre corpus, eo fruitur, & graueolentiam circa spiritum fieri necesse est: & cùm nequeat corpus præ debilitate, nimirum omni humore morboso existente, spiritum trahere, quo ea quæ in ventriculo sunt refrigerentur, quicquid est humoris vitalis id forâs exhalat, atque ita homo moritur. *lib.4. de morb.*

In imparibus diebus non purgandum: in quo priores medici maximè peccauerunt, non scientes quòd humor in corpore ægroti magis turbatur in imparibus diebus, nimirum corpore humorem ad ventriculum transmittente. Et si quis iam turbatum adhuc magis perturbet medicamento immisso, nihil miri, ex talibus hominem perire. *lib.4. de morb.*

Vlcera in imparibus diebus maximè inflammantur. *Eod. lib.*

In imparibus diebus morbos iudicari, vlcerum ratio docet, quæ imparibus diebus magna fieri solent, nempe tertia, quinta, septima, nona, & vndecima. *eod. li.*

Qui in iudicatoriis diebus sudores fiunt, optimi sunt, & celerrimè febrem sedāt, & perfectè summouent. *li. de iudic.*

ad princ.

Febres iudicantur in iisdem numero diebus, ex quibus, & superstites euadunt homines, & ex quibus pereunt. *eod. lib. de iudicationibus.*

Quibus inceperit dolor primis diebus, & quarta, ac quinta magis premuntur, hi septima à febre liberantur. *lib. de iudicationibus.*

Febres ardentes securæ desinunt septimo, aut decimoquarto die *eod. lib. de iudicationibus.*

Tertiana in septem circuitibus plerũque judicatur. *lib. de iudicationibus. & lib. 4. aph. 59.*

Decimoseptimo die populares febres plerisque iudicatas fuisse testatur Hipp. *lib. epidemi. 1. statu. 2. & citatur à Gal. lib. 2. de dieb. decret. cap. 3.*

Diem septimum, vndecimum, decimumquartum, vigesimum decretorios esse testatur Gal. conceptis verbis, & enarratis ægrorum historiis Hipp. *lib. epidemi. 1. statu, seu constitutione temporis tertia.*

Epicratis coniugem puerperam octogesimo die decreuisse, testatur Hipp. *li. 1. epidemi. sect. 3. languente quinto.*

Quardragesimo die decreuisse ægrum quendam, qui in Dealcis horto habitabat, testatur *Hip. libro 3. epidemi. ad principium.*

Vigesimo die Demenetum decreuisse, Hipp. testatur. *lib. 3. Epidem.*

Ex cognitione constitutionis temporum anni, & morborum natura ordinem dierum iudicatoriorum considerandi, ac prædicendi facultas datur, & harum rerum gnaros scire cõtingit, quibus, & quando, & quomodo victum præscribere oportet. *lib. 3. de popul. morb. ad finem. & lib. de diebus iudicatoriis.*

Quæ paribus diebus exacerbantur, paribus diebus iudicantur. *lib. 1. epidem.*

Quorum exacerbationes in imparibus fiunt, ea in imparibus iudicantur. *Ibid.*

Est primus iudicatorius ex circuitibus, diebus paribus iudicantibus, quartus dies, deinde sextus, decimus, decimusquartus decimusoctauus, vigesimusquartus, vigesimusoctauus, trigesimus, trigesimusquartus, quardragesimus, sexagesimus, octogesimus, & centesimus vigesimus.

Ex imparibus verò iudicantibus primus est dies tertius,

deinde quintus, septimus, nonus, vndecimus, decimus septimus, vigesimus primus, vigesimus septimus, & trigesimus primus. *lib.1.de popul.morb.*

Iudicantur febres quarta die: septima, vndecima, decima quarta, decima septima, vigesima prima. Ex his autem acutis, quædam etiam trigesima, deinde quadragesima, postea sexagesima. Quum vero hos numeros excesserint, diuturna iam febrium constitutio fit. *li.de diebus iudicialibus.*

GALENI.

DIEM appellat Gal. tempus ex die, & nocte compositū. *lib.ad eos qui de typis scripserunt, & lib.1.de crisib.cap.16. & lib.2.de crisib.cap.2. & lib.de septim.partu.*

Libri de diebus decretoriis in id compositi, vt doceatur Hippocratem tradidisse artem præcognoscendi, quid in singulis ægrotantibus euenturum sit. *lib.de præcognit. ad posthumum.*

Dierum decretoriorum, vt duplex est vsus, & natura, sic Hippocrates duplicem eorum disciplinam instituit in aph. & prognostico eorum, quę secundum quaterniones, & hebdomadas inuicem complexi sunt. In primo autem Epidem. etiam aliorum omnium coincidentium. *lib.2.de diebus decret. cap.6.*

Dies decretorios Hippocrates ab vsu & experientia potiùs quàm ratione persuasus inuenit. *lib.2.de diebus decretoriis. cap.4.*

Dierum decretoriorum circuitus constituuntur testimonio eorum quæ in ægris dilucidè apparent. *com.3.ad li.1.de pop. morbis, super textu, Clazomenium.*

Dierum decretoriorum naturam experientia inuentam, vt ratione iudicari conueniat, nempe hac, quòd natura prorsus sufficit, & summa quadam prouidentia corpori nostro prospicit: & propriis ipsam, ac ordinatis motibus vti, cùm sit natura res quædam ordinata, & quę cùm materiam superauerit, proportionibus quibusdam definitis, & periodis ordinatis, motiones ipsius fieri. Quam præcipuam esse dierum decretoriorum rationem vult Galenus *lib. 2. de dieb. decret. cap.2.*

Dies decretorios non per integras hebdomadas

supputandos. *com. 3. ad lib. 1. de popul. morb. super text. Epicratis uxor. & com. ad lib. 3. prædicti. Hipp. textu. 5.*

Dierum decretoriorum artem negantium, confutatur à Gal. opinio, constituuntúrque dies decretorij, ex historia tum veterum, tum posteriorum desumpta. *lib. 1. de dieb. decret. cap. 3. & 5.*

De diebus decretoriis veterum dissensio, artem ipsorum labefactare non potest, sed diligentiam eorum potius commendare potest. *1. de dieb. decretoriis. cap. 3.*

Dierum decretoriorum cognitionis vtilitas est ea, vt bonam ægris victus rationem instituere valeamus. *li. 3. de dieb. decret. cap. ult.*

Dierum criticorum cognitio, ad curationes morborum, & solutiones non leue momentum adfert, ne videlicet iis timeamus, qui fidis diebus iudicati sunt, aut tenuem victū præbeamus, neve perfidis diebus iudicatos parum diligenter obseruemus. *li. 1. de dieb. decret. cap. 3.*

Quot dierum decretoriorum differentiæ existunt, tot & judiciorum, *libr. 1. de diebus decret. cap. 2.*

In duodecimo, & decimosexto die, nullum iudicatum vidit Gal. *eod. lib. & cap.*

In sexto iudicantur ægri, sed cum difficilibus symptomatis, & periculo non mediocri, ad hæc absque fide, imperfectè, obscurè, sine notis, tum sinistrè. *lib. & cap. eod.*

Dierum decretoriorum obseruatio ex vsu inuenta Archigeni, Gal. & veterib. aliis. *eo. li. & c.*

Septimum diem iudicantem absolutè, fideliter, tutò, manifestè, salubriter, & conspicuè: sextum contrà, discrimen dierum ostendit. *ibid.*

Dierum decretoriorum differentias, quas crebrò spectauit Gal. pro veritate in medium profert. *lib. 1. de dieb. decret. cap. 3.*

De diebus iudiciariis non omnes consentiunt. *Eod. lib. & cap.*

Decretorius dies quis putandus, an in quo iudicij aliquis dies extitit, an in quo morbus primum discussus est. Affirmat autem Gal. decretorium eum dici, in quo quis iudicatus est. *lib. 1. de dieb. decret. cap. 3.*

Dies decretorios ab experientia obseruauit Gal. *eod. lib. & cap.*

Die-

Dierum decretoriorum naturam quandã esse propriã, & eximiam. *eod. lib & cap.*

Qui dies, omnes iudicationum notas habent, ij apud omnes iudiciarij censentur. *ibid.*

Diem septimum, omnium dierum decretoriorum, non numero & ordine primum, sed potentia, & dignitate asserit Gal. *lib. 1. de dieb. decret. cap. 4.* Quò videlicet omnes decretoriorum notas ocupet, & plurimos iudicet absolutè, & cũ manifesta excretione.

Septimi diei naturam, regi assimilat Gal. sexti tyranno. *lib. 1. de dieb. decret. cap. 4.*

Sextus dies de morbis decernit, sed insidiantium modo, & malitiosè. *eod. lib. & cap.*

Septimi diei naturam decimusquartus maximè imitatur *li. 1. de dieb. decret. cap. 5.*

Vide eodem capite, reliquorum dierum ad se inuicem collationem.

Decretoriorum dierum supputatio, ab initio morbi fieri debet, non vbi quis primùm capite doluit: sed vbi primùm febricitarunt, *li. 1. de dieb. decret. cap. 6.*

Fides in iudicio, à die spectatur. *li. 1. de dieb. decret. cap. 7.*

Diei imparis iudicium proprium est, si æger imparibus diebus magis laboret: vti in paribus si laboret, diei paris iudicium erit. *lib. 1. de dieb. decret. cap. 8.*

Decimi iudicium malum, periculosum, imperfectum: noni verò salubre, bonum, perfectum. *eod. lib. & cap.*

Interdum non duos modò, sed tres etiam dies iudicium attingit. *ibid.*

In iudice, & contẽplatorio die facta crisis magnam potestatem habet *ibid.*

Dies vigesimus, & vigesimusprimus decretorij. *li. de dieb. decret. cap. 10.*

Vide qui dies, post vigesimum decretorij sint. *Eod cap. longa serie.*

Vsque ad quartumdecimũ efficacissimæ sunt crises, & iudicia de morbis: quibus succedunt, quæ vsque ad vigesimum habentur: quæ post hunc ad quadragesimum succedunt, paulatim vehementiam suam remittunt. Qui post quadragesimũ sunt omnes, prorsus lãguent concoctione, & abscessibus, quam crisibus morbos finientes. *eod. lib. cap. 10. & lib. 2. cap. 8.*

Diei sexagesimi, octogesimi, & centesimi rationem, Hip. habet, & morbos quosdam septem mensibus, alios septem annis finiri dicit. *eod. lib. & cap.*

Diem crisis cognituro, agnoscenda ætas, natura, anni tẽpus, locus, & pulsuum cognitio. *eod. li. & cap.* 11.

Si quarto die euidens quædam coctionis nota comparuerit, sitque morbus acutus, septimo crisis futura est. *Eod. lib, cap.* 11.

Quartum diem septimi indicem, in morbis acutis deprehendit Gal. *eod. lib. & cap.*

Ex peccato, & erratis vel ægri, vel Medicorum, aliquid semper molientium, quo plus præstitisse videri possint, peruerti dierum crisimorum iudicia. *eod. li, cap.* 11.

Cum distinctione prædicendum de diebus decretoriis, hoc pacto, hoc die morbus soluetur, nisi erratum aliquid fuerit in victu. *eod. li. & cap.*

Inopinata quæ ægris accidunt, non agnoscit medicus. *Ibid.*

Non solum diem, sed & horam solutionis morbi, sciri posse à medico exercitato vult Gal. *li.* 1. *cap.* 12.

Ex diebus decretoriis, medicinæ operibus magna commoditas aduenit. *li.* 2. *de dieb. decr. c.* 1.

Ordinata quædam res natura est, & cùm materiam superauit proportionibus quibusdam definitis, & periodis ordinatis, motiones ipsius fieri. *li.* 2. *de dieb. decret. cap.* 2.

Septimo die crisis fit tuta simul & perfecta, sine periculo notabilis, & crebra, vti & quæ decimoquarto euenit. *eod. li. & cap.*

Quartus septimi index, & vndecimus decimi quarti. *lib.* 2. *de dieb. decretoriis, cap.* 2.

Decretorij dies numerum ordinatum habent, qui interdum in morbis, & dispositionibus naturæ contrariis confunditur. *lib.* 2. *de dieb. decret. cap.* 2.

Si quis ad experientiam deuenerit, septimanas minus quàm potentes inueniet, proximè his quaterniones: inspiciet autem dies intercalarios, tertium puta, quintum, sextum, nonum, qua ratione fiat, vt decernere possint. *eod. lib. & cap.*

Vide diei decimiseptimi vim, ex Hipp. variis historiis, ex lib. Epidemi. Item & vigesimi, qui decretorius Hipp. est.

Sunt ex ægris qui vndecimo die crisim exceperunt repe-

titionem decimo quarto, crisim absoluto vigesimo. *lib. 2. de de dieb. decret. cap. 3.*

Iphicratis vxori octogesimo die febris perfectè discussa est. *li. 2. de dieb. decret. cap. 4.*

Vide citatas à Gal. varias ex Hipp. ægrotantium historias. Eod. cap.

Herophiton centesimo & vigesimo die, de morbo crisim perfectam habuit. *eod. li. & cap.*

Vigesimũ diem, vigesimo primo fortiorem esse, per Hip. experimenta demonstratum est, *lib. 2. de dieb. decret. cap. 5.*

Pulchrè euenientibus ad quaternionis circuitus, iudicia omnino perueniunt: erratis autem quibusdam in coincidẽtes recidunt. *lib. 2. de dieb. decret. cap. 6.*

Nono die factam crisim, ea quæ in octauo tutiorem esse. *ibid.*

Dierum decretoriorum supputatio per dies integros fieri non potest. *eod. lib. cap. 6.*

Dierum decretoriorum omnes circuitus, hebdomadis, & quaternionibus adscribit Hipp. *eod. loco.*

Vide seriem dierum parium, & imparium iudicantium. eod. cap.

Galenus, per experientiam, æstate quadam, plures quàm trecentos homines acutè ægrotantes, vniuersos vel septimo, vel nono diei crisim habuisse conspexit: in alio anno, quosdã decimoquarto, quosdam vigesimo. *eod. lib. & cap.*

Decretorius fortissimus omniũ, est dies septimus: prænuntiat eum quartus. *li. 2. de dieb. decret. cap. 8.*

Coincidentes dies, nonus, quintus, & tertius. *lib. 2. de diebus decret. cap. 8.*

Dierum decretoriorum proportio, perpetuò seruatur. *li. 2. de dieb. decret. cap. 9.*

Tres septimanæ viginti diebus semper describuntur. *lib. 2. de dieb. decret. cap. 9.*

Plurimi puerorum affectus, diebus septem finiunt, quidam septem mensibus, aliqui septem annis, nonnulli ad pubertatem vsque perueniunt. *li. 2. de die. decret. cap. 11.*

Qui ad septimum vsque diem morbus extenditur, peracutus vocatur, qui longius procedit, simpliciter acutus. Exactè peracutus is est, qui quartum diem attingit. *eod. li. cap. 12.*

Vigesimus dies, secundus est acutorum terminus.

li.2.de dieb decret cap.vlti.

Dierum decretoriorum principia, genere duplicia sunt, nempe experimentum, & ratio.*li.3.de dieb.decret.cap.* 1.

Nom omnes similiter dies de morbis decernere, vt experimento probatur, efficax adfert testimonium, quod circuitus septimani validissima sunt virtute prediti, post hos quæ ternarij, quidam verò extra hos coincidunt.*eod.li.& cap.*

Impari dierum numero, acutis morbis iudicia accidunt; longis pari.*eod.lib.& cap.*

Dierum decretoriorum causæ, duo prima omnium quæ sunt primordia esse statuenda videntur, inordinatum, videlicet quod ex hac mundi materie proficiscitur: ordine verò, ornatúsque procedens, quod cælestibus originem fert acceptam. Omnia siquidem in hoc orbe, ab illis decus, ornaméntúmque capessunt, *eod.lib.& c.*

Vide Solis, & Lunæ potentiam longa serie.*lib.eod.cap.*2.

Sub Lunæ lumine dormientibus pallor, & capitis dolor accidit.*lib.3.de diebus decret cap.2.ad fin.*

Sol vt rex quispiam maximus est, Luna verò vt princeps non mediocris, inter illum, & nos medius constitutus, terrestrem regionem meritò gubernat, non potentia cæteros planetas, seu vicinitate exuperans.*lib.3.de diebus decret.cap.3.*

Vehementiores mutationes eueniunt, vbi Luna cum sole coit, insuper in apparitionibus pleniluni j minores, dum medio orbe apparet, obscurè dum curuata in cornua, ac falcata videtur.*eod.li.& cap.*

Quid ante Lunam apparentem manifestò pronunties, non est.*eod.li.& cap.*

Luna non ex ęquo semper mouetur, tum propter latitudinis immutationem, tum propter signorum occasum, non æquali tempore euenientem.*lib.3.de dieb.decret.cap.4.*

Lunæ ambitus, vicenis diebus, septenisque, & tertia diei parte peragitur.*eod.li.& cap.*In tanto enim tempore, totum signiferi circulum percurrit, atque hunc mensem scholę mensem peragrationis vocant, & vide eod cap.de mense quo Luna nobis lucescit, quem apparitionis nostri vocant.

Aëris mutationem à Luna fieri, cùm occultatur, & rursus primum oritur, nemo mortalium ignorat.*lib.3.de dieb.decret.cap.5.*

Vniuersas res à Luna immutari.Eod.lib.& cap.

Luna

Luna in tetragonis,& diametris stationibus, omnibus quæ subsistunt, mutationem facit. *lib.3.de dieb.decret.cap.5.*

Obseruasse se Galenus affirmat, ab Ægyptiis Astronomis inuentum, Lunam non modò ægris, sed etiam sanis, dies quales tandem futuri sint posse prænuntiare: & si ad planetas temperatos steterit, faustos, ac bonos producere: si ad intemperatos, graues, atque molestos. *eod.lib.cap.6.*

Vide longa serie hoc ipso capite, eius quod modò dictum est probationem, per exempla.

Alterationes magnas, quas in tetragonis, & diametris, per septimanas fieri diximus, in lethalibus quidem morbis, lethales & ipsas, in salubribus bonas inuenire necesse est. *eodem lib.cap.6.*

Cur quadratæ, & diametrę stationes sint potentissimæ, causam non vult reddere Galenus, quasi à proposito alienissimum id sit, *eod.li.& c.*

Circuituum alij numero quodam dierum constant, alij mensibus. Qui diebus constant septimani sunt, & Lunæ modo incedunt: qui mensibus ad solem referuntur. *eod.lib.cap.7.*

In primo die febres diarias solui contingit. *Eod.lib.cap.8.*

De diebus decretoriis tractari non potest, nisi & simul de crisi tractetur, & econtra. *eodem lib.& cap.*

Accessio naturam stimulat. *ibid.*

Difficillimũ censet Gal. periudicationis, & recursus humorum, in morbis causas reddere. *eod.li.& cap.*

In imparibus acutorum morborũ iudicia fieri, ratio est, quòd accessio in his maximè continua redditur, & in imparibus accidit. *lib.3.dieb.decret. cap.8.*

Neque septimi, nec quarti numerus crisis author est, sed quòd Luna recentiore, & terrena immutante motuũ quoque circuitus ad hos principes numeros venire contingat, meritò in ipsis tanquam stata alterationum tempora inueniuntur. *eod.lib cap.8.*

Mutationes non numeris, sed Lunæ, terrena debent. *ibidem.*

Cur sextæ diei crisis mala sit, vide eod.cap.

Septimana medica, non integris septem diebus cõstat, ex ex Hipp. sententia. *lib 3.de diebus decret.cap.9.*

Septimana vt septem integros habeat dies, sexta maximè diei parte indiget. *cap.eod.*

Ergo signum ita medici definiunt, vt sit rei quæ contingere debet dignotio, vel esse id, quo cognito aliud quod nobis ignotum erat deprehendatur: veluti & notationem, rei minus patentis per notas seu signa perceptionem. Quæcunque igitur sese sensibus nostris obtrudentia, aliud quippiam patefaciunt quod minus adhuc pateat, signa rectè dicentur, vt pulsus, vrina, alui excrementa, sudor, sputum, faciei ægrotantis habitus, sermo, vox, decubitus, somnus, vigilia, dolor, sedes, seu positus affectæ partis, facultatum corporis rectè vel perperam obitæ functiones. Ex his enim omnibus conspicuis, quippiam aliud declaratur intus latens, quod antequam conspecta istæc essent, minus sanè exploratum habebatur. Vt viso lotio in venosi generis affectibus, de illis pro inspecti lotij ratione iudicamus, salubrem quidem morbum, si lotium côcoctum, laudatúmque in substantia, colore, atque contentis visum fuerit, vti è contra si crudum illaudatúmque, grauem & exitialem. Differt autem ab indicio signum, autore Galeno, quod signum ex obseruatione, indicium ex demonstratione sumatur. Proinde peritiores medici, de eo quod perpetuum est, vnum quodlibet indicans censent, vtendum indicij certi appellatione, hoc Græci τεκμήριον vocant. Indicia itaque perpetuò ea quorum sunt, naturam declarant nec fallunt vnquam, ea dico quę certa medici dici volunt, quæque propriè indicia dici merentur: de quibus rectissimè illud pronuntiasse visus est Hippocrates. Quouis anno & quouis tempore mala, malum: bona, bonum denuntiare. Nunquam enim aut bona malum, aut mala bonum indicabunt: ac proinde certa, vera, fidelia sunt existimanda, vt in exemplo, pulsus magnus, constans, ac fortis, virium roboris certissimum semper indiciũ habitũ est, vti paruus, inconstans, imbecillus, debilitatis viriũ certissimũ indiciũ est. Habet itaque se tanquam genus & species, signũ & indiciũ. Omne nanque indicium, signum rectè haberi potest, non autem signum omne indicium dici. Quæ enim sæpenumerò fallunt, nec idẽ semper declarant, signa quidem, sed nõ indicia cẽseri debẽt: vt faciei ægrotantis habitus, etsi exitialis interdum appareat, non tamen exitium perpetuò adfert. Fieri nanque potest, vt à vigilia immodica, labore, inedia, alui fluxu, talis contingat vultus species, quæ inde emanans, non tamen exitialem facit morbum, vt rectissimè cauendũ iusserit Hippocrates, ne

Indefini. med.

li. 1. Prog. cõ. 41. vel cap. 13. nouæ versionis.

lib. 3. Prognost. c. 14

id à fame, alui fluxione, aut vigilia accidiſſe deprehendatur.
li. 1. prog. textu. 11. Minus enim tum malum fore, quàm ſi merito morbi idem contingat, ipſemet Hipp. affirmat. Iam verò ſignorum quot ſint præcipuæ differentiæ dicere aggrediamur. Signum omne, vel id quod præſens eſt declarat, vel quod futurum prænuntiet, vel quod præteriit in memoriam reuocat. Quæ præſentes affectus demonſtrant, ſiue ij ſecundum naturam ſint, ſeu contrà, Græcis διαγνωστικὰ ſiue δηλωτικὰ dici conſueuerunt: vti quæ eoſdem futuros prænuntiant προγνωστικά: quæ præterita in memoriam reuocant ἀναμνηστικά. Tria hæc ſignorum genera, ſcholæ noſtræ, Demonſtratiua, Prognoſtica, & Rememoratiua appellare in vſu habent: idque magna ratione, quod præſentium rerum ſit demonſtratio, futurarum præſagitio præteritarum memoria. Itaque ad ea quæ præſentia ſunt, & ſenſibus noſtris ſeſe applicant, declaranda, demonſtratiuis ſignis planè eſt opus. Quomodo enim quod non eſt demonſtrari poteſt? Ea verò quæ futura ſunt, quod nondum ſint prædici quidem, & præſagiri, demonſtrari autem minimè poſſunt: vti quæ præterierunt, in memoriam reuocari ſatis habent. Sed rurſus differentias has omneis in alias eſt partiri, quum horum ipſorum omnium alia ſalubria ſint, morboſa alia, alia neutra. Salubria quidem, autore Gal. quæ & præſentem indicant ſanitatem, & futuram prænuntiant, & præteritam ad memoriam referunt. Sic & morboſa, quæ vel præſentem ſignificāt, vel præteritum in memoriam reuocant, vel futurum tandē prædicūt. Sic & de neutris quoque dicendum. Hæc autem ſigna omnia, etſi pro ratione eorum quæ ſignificantur, modò demonſtratiua, modo prognoſtica, aliâs vero rememoratiua appellentur, veteres tamen medici (quod teſtatur Gal.) omnia hæc prognoſtica appellare conſueuerunt, tametſi & præſentia, & præterita ſignificant.
In arte medici. Sed ineptè mea quidem ſententia, & incongruè ſatis. De eo enim quod præterit præſagium fieri non poteſt, cùm ſit præſagium, ſeu prognoſticū, rei futuræ, per ea quæ apparent, prædictio, vt Gal. lib. 4. de præſagitione ex pulſibus, cap. penult. conceptis verbis affirmare videtur: & lib. item de conſtitutione artis medicæ. Itaque etſi veteres ad præterita prognoſtici nomen accommodaſſe videtur, propriè tamen magis, & congruentiùs futuris accom-

accommodari meritò debet. Sed iam signorum cùm magna sit in tota arte vtilitas, quænam ea sit, nobis est paulò pleniùs explicandum. Prima porro, eaque signorum vel præcipua vtilitas est, quod inde cognitionis affectum in corpore omnium, siue eorum qui secundum naturam sunt, siue contra , ratio omnis plenè suppeditatur. Sanitatem nanque & morbos omnes, ad hæc corporis, partiúmque eius temperaturam signis propriis dignoscimus. Quam dignoscendi rationem exactè Galenus, cùm lib. de san. tuend. tum lib. de affectorum locorum notitia, tum in arte medicinali præcipuè complexus est. Constat autem , sine morborum exacta dignotione curari eos minimè posse, vt Galenus & Auicenna censuerunt. *li.2.meth. med. & item lib.2. de ra.vic. acut.com. 38.* Quamobrem cum signorum consideratio tanti sit momenti, vt per ea affectus corporis noxam inferentes cognosci commode possint, subindéque curari, efficitur, vt in signorum indagatione medico sit non minimum, nec leuiter insistendū. Est & altera commoditas, ac sanè haud quaquam inferior, quòd si & præsentia indicare, & futura prædicere , & præterita in memoriam reuocare probè sciuerimus, magno simus ægrotantibus vsui futuri: illique nos & admirabuntur , & sese fidei nostræ facilius committent, nobísque fidem habebunt, vt diuinus autor Hippocrates, libro præsagiorum primo affirmauit. *Auicēna fen. prima quarti. li. de constit. artis medi.* Est etiam quædam alia, quæ dignitate cæteras cunctas vtilitates superare videtur , quod qui signorum naturam probè tenuerit, is profectò de singulis morbis quid euenturum sit certò pronuntiare atque prædicere poterit: nedum diē in quo vel salubre decretorium adfuturum sit, vel mors, sed & horam quoque. Quæ res ad diuinationis naturam proximè accedere videtur medicúmque & admirandum , & suspiciendum facit, & ab improborum, & idiotarum , insanique vulgi calumniis tutum reddit: vt haud immeritò illud dixisse summa ratione Galenus sit visus, præsagia medicum à mortis crimine vindicare, ægrósque medico obsequentes reddere. Quid enim admirabilius in tota arte , quàm prouidentiæ, præsagiendique artis beneficio, quæ futura sunt, quæque nec æger, nec assidentes præsentiscere signorum apparentium adminiculo prædicere? Quæ ratio Hippocratem adduxit , vt diceret optimum esse, medicum prouidentia vti. Adde quòd hæc futura prædicendi ars, quam ex signorum obseruatione indipiscimur, magnam & admirabilem conciliat medicis lau

dem atque diuinioris in eis scientiæ cultum,& obseruantiæ: dum ægri,quæ multò ante euentura prædixit prudens medicus,ea in tempore euenisse cernunt,vt Gale.lib.de prædicendo,multis,ac variis citatis historiis, ex quibus magnam se consecutum & laudem & famam testatur,tum verò ex Glauci historia,à se lib.5.de aff.locor.notitia,recensita, patere abunde potest:Atque eæ sunt profectò summæ,quæ ex signorum obseruatione,& arte commoditates insurgunt:id vt attendant medici,vtilissimam esse hanc de signis tractationem, quam vt absoluamus,ad signa sanitatis,& aduersę valetudinis futuræ,tum & morbi præsentis, ordine progrediemur. Ergo sanitatis signa sunt,naturales corporis habitus,& proba functionum in vniuersum editio:dicente vtique Galeno, vnumquenque sanum se arbitrari debere, cùm partium corporis adminiculo,muniis ad vitam necessariis, citra noxam fungi possit.Benè igitur valere corpus significant, virium corporis robur, & ad functiones omnes obeundas firmitas,color pro naturæ cuiusque ratione integer,& viuidus,appetentia bona,acceptorum proba concoctio,distributio, & ab iis commoda corporis alitio,excrementorum quę ex cibis, & potibus gignuntur,commoda per aluum,& vrinas deiectio, somnus moderatus,& quietus, facultatum tam animalium, quàm naturalium in suis functionibus integritas.Cui hęc adfuerint,is profectò sanus esse iure dici poterit,bonáque valetudine frui. Aduersę porrò valetudinis futurę signa hęc erunt(si quidem & ante aduersam valetudinem quędam notę oriuntur futuri mali prænuntię)quarum omnium communis ea est,quòd aliter se corpus habeat,atque per naturã consueuerit,nec functionibus obeundis ęquè atque anteà valet,grauitate affici ac lassitudine sibi videtur, vnde est illud Hipp. Spontaneos labores morbos prenuntiare. Itaque si plenior quis,& speciosior,& coloratior factus seipso videatur,suspecta,vt Celsus ait,habere bona sua debet,quòd (vt Hip.affirmat)neque in eodem habitu subsistere,neque vltra progredi potest,sed retrò quasi in ruinam & deterius labens reuoluatur:vt in morbum euadere plenitatem tantam (nisi confestim parco victu,& sanguinis missione obuiam eatur)sit omnino necesse.Peius tamen signum est,si quis præter morem macruit,& viuidum illum colorem,decorémque amisit, quoniam redundantiam & morbus & vacuationes demere pos-

Sanitatis signa.

Aduersæ valetudinis futuræ signa.

possunt. Vbi macies adest, virium infirmitas, & grauis morbi tolerantia expectari possunt. Extenuatio nanque, autore Galeno imbecillitatis virium signum est. Preter hec ventura mala inditant, grauis corporis & membrorum sensus, altior quàm pro natura, somnus, vigiliáve iugis, caloris in corpore toto insultus quasi quidam, tumultuosa somnia, sudores intempestiui circa partes aliquas dormienti oborti, presertim nulla accedente sudoris manifesta causa, & si is circa ceruicē, pectus, crura, genua, vel coxas appareat. Qua enim parte corporis sudor est (ait Hippocrates) ibi significat morbum. Item si lentè quis sanorum munia obeat, quę anteà alacriter obire solebat, si item torpeat animus si moueri piget, si spiritus grauior est, si circa caput grauitas & intentę venę cum pulsatiuo dolore mouentur, si frequentes oscitationes, si genua quasi delassata sentiuntur, totúmve corpus lassitudinem sentit: isthęc inquam aut horum plurima si citra febrim adfuerint, citráque sensibilem & manifestam actionum offensam, futuros proculdubio morbos prenuntiant. Ex his enim sępè plura, nunquam non aliqua febrem antecedere solent. Quę vero iam ęgrotant corpora, sensibilibus operationum lęsionibus distinguuntur, vt in arte medicinali adstruxit Galen. Terminus nanque sanitatis & morbi discretiuus, eodem autore, operationum est sensibilis lęsio. Vnde illud & quoque rectissimè ab eodem dictum est, eam partem quę munus suum obire nequeat, ęgrotam dicere oportere. Itaque vbi facultatum corporis actiones offensę sunt, neque illas obire secundum naturam partes corporis possunt, morbum iam adesse ex eo indubie significatur. Hoc si quidem est ęgrotum esse, muniis ad vitam necessariis citra offensam fungi non posse: atque ob id rectè morbus à Galeno definitur esse, vitiatę functionis causa. At vero vt hęc morbi signa habenda sunt, sic quoque quę mox dicentur bona in ægrotantibus signa censeri debent. Spectanda in primis ęgri facies, quæ si sanorum speciem, maximè verò suiipsius similitudinem repręsentet, eam optimam censet Hippocrates, signúmque salutare habendum. Decubitus item in latus aut dextrum, aut sinistrum cruribus paulùm reductis (qui ferè sani quoque iacentis habitus) pro bono habendum, vti si facilè conuertitur, si noctu dormit, si interdiu vigilat, si facilè spirat, si nulla corporis parte dolet, si non conflictatur, si pręcordia plana, æqualia, mollia,

lib.2.aph. com.28.
lib.4.aph.
Morbi præsentis signa.
In arte medic.
lib.1.de mor.diffe.2.

tractabilia, non tensa, dura, in sublime elata apparuerint, sed digitis cedentia. Sternutamentum etiam inter bona indicia est, si sub morbi finem accidat: neque à morbo, ceu causa nascatur. Corpus item molle, æquale, quódque calidum modicè est, & æquabiliter totum insudat, vbi febrire cœperit, cóque sudore febris discutiatur, securitatem hęc pollicentur: vti etiam cibi cupiditas, & mentis constantia, animíque firmitas. Adhæc si in sputis, vrinis, & alui excrementis, coctionis vestigia apparuerint, si rectè ęger ratiocinetur, si leuiter morbum ferat, si cum assidētibus, & amicis placidè degat, eorúmque conspectu lętetur. Hæc inquam si conspicua sint, salutares portendunt morbos: atque ob id salutaria, & bona signa merito à medicis nuncupantur. Vti quæ his sunt contraria, periculosa, grauia, quædam etiam lethalia. Grauis nanque morbi signum est, vbi supinus æger iacet, porrectis manibus & cruribus, vbi nocturna vigilia præmitur, vbi somnus, neque interdiu, nec noctu accedit, vbi horrenda facies, in qua nares acutæ, caui oculi, tempora collapsa, frigidæ contractæque aures, & imis partibus leuiter versę, cutis circa frontem dura, intenta, & arida, totius faciei color aut niger, aut pallidus, aut liueus, aut plumbeus: hęc si in vultu appareant, *in acutis morbis* lethalia esse censet Hippocrates: modo neque vigilia aut ventris vehemens resolutio, aut inedia grauis pręcesserit, item si lumen ægri refugiunt, si pręter voluntatem lacrymānt, si oculi peruertuntur, si eorum alter minor efficitur, & quę in ipsis alba sunt rubent, si per somnum palpebrę non committūtur: si inter has ex albo oculorum quippiā appareat, si palpebra aut labrum, nasúsve distorqueatur, aut pallore, liuoréve inficiatur, si labra etiam resoluta, suspensa, frigida, candicātia appareant: si seipsum ęger continere non vālens ad pedes subinde delabitur: si pedes nudat, nec calor iis subest, si extremis partibus friget, internis ardeat: si hians dormit, strid[illegible] que dentibus: si manibus festucas carpit, si insanit, si famil[illegible]ares non nouit, nec reueretur: si frequenter & cum dolore, aut angustia spiritum ducit (quod mali morbi indicium est) si cibum auersatur, si in sputis, vrinis, aut alui excrem[illegible]tis nullum coctionis signum adsit, sed cruda persistent: si plu[illegible] iusto, & nimis celeriter macrescere incipiat, si post sudorem inhorrescat, si à vomitu singultus obrepat, si in acuto morbo frigidus sudor effluat, si febrem copiosi sudores non leuant, si timor in som-

Mala in ægrotantibus signa.

in somnis appareat, si deficiat pulsus, si syncopa prehendatur crebra æger: si morbum ægerrime ferat. Isthæc si per acutos morbos appareant, aut morbi malignitatem, aut certè etiam sępenumerò ægri mortem denuntiant. In morbis porro vnde petenda signa sint abundè Gale. lib. de patientibus locis docuit, nempe ex membrorum positu, & loco, ex dolorum proprietate, ex exeuntium natura, nempe ex vrinis, alui egestionibus, sputis, tum etiam & functionum rectà prauáve obitione, vt ex pulsuum & respirationis mutata ratione, & aliis huiusmodi, de quibus ne longior sim dicere supersedeo.

De signis, Hippocratis & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

MEDICORVM prędictiones narrãtur multæ, & variæ, & admirãdæ, quales ego quidẽ neq; prædixi, neq; aliũ aliquem prædicere audiui. *libro 2. prædictionum, ad principium.* Vbi autẽ prædictiones eæ quales sint docuit Hippocrates (vanas autem esse, & impossibiles idem existimat, vti reuera sunt) hæc subiungit. *Ego verò* (inquit) *talia quidem non vaticinabor, verùm signa scribam, ex quibus sanos futuros homines, & morituros coniectare oportet: & tum breui tempore, tum longiore, sanos futuros, aut perituros. eod. lib.*

A nullo signo, neque bono, neque malo læduntur suspiciones. *eod. lib.*

Vt autem in summa dicatur, quid de signis Hippocratis dixerit, scito ad hoc argumentum referri debere, quæcunque ferè tribus libris præsagiorum ab eodem autore de signis tum bonis, tum malis in ęgrotantibus, dicta sunt. Ad hæc quæcunque duobus prædictionum libris, & lib. item de Coacis prænotionibus, & partim aphoris. libris, de hac ipsa re tractantur. Quæ omnia vice locorum communium studioso lectori esse possint, vt ea hîc inculcare non sit opus. Esset enim id volumina transcribere, non locos communes edere.

GALENI.

SIGNVM, est rei quæ contingere debet dignotio. *lib. de defin. medic.*

Signum est id, quo cognitio aliud quod ignotum nobis erat deprehenditur. *eod. lib.*

Signum prognosticum est, ex quo noscitur futurum. *ibid.*

Prædictio est futuri præcognitio, prenũtiatioque. *ibidem.*

Pathognomonicum signum, est id ex quo affectus dignoscitur. *ibid.*

Auxiliaria signa, sunt ea ex quibus curationis quæ in ipsis obseruata est commonemur. *in defin. med.*

Indicatiuum signũ est, quod primas sibi vendicat in minus manifesti alicuius deprehensione, idem bonum cõsequẽtis. *ibidem.*

Suggerens memoriæ signum est, vt aiunt Empirici, res quæ apparet, atque ex antegressa obseruatione innotescit, vtilis rei quæ cognoscitur ad memoriam reuocandæ. *eod. lib. defin. med.*

Præsentiũ præsentia signa sunt Pathognomonica omnia, id est, affectuum indicatiua. Hæc enim cum fiunt, atque adsunt, adsunt perinde & affectus, cùm cessant, morbi quoque soluuntur. *eod. lib.*

Præsentia, præteritorum sunt signa, vt facti priùs vlceris cicatrix. *ibidem.*

Præsentia futurorum sunt signa, vt cadauerosa facies mortis. *eod. lib.*

Præterita autem sunt preteritorum signa, vt cùm remissio à declinatione, deferbuisse morbum significat. *ibidem.*

Præterita præsentium, vt esse ab aspide demorsum inter exitialia censeri. *ibidem.*

Præterita futurorum sunt signa, vt confracto, contritóque, osse totum contrahendum: ei nanque oportet totum obduci dum ad pristinum statum redit. *in defi. it. medi.* Vel hoc pacto quis possit id demõstrare. Præcedens cruditas & nimius cibus plenitatis morbos pares habent, vel dempto de capite osse, cicatricem sequuturam.

Superuenientia, succedentium interdum sunt signa, vt vulneri superueniens conuulsio, successuram mortem vt plurimum significat. *lib. de defin. medic.*

Signum ab indicio differt, quòd indicium dicatur de eo quod perpetuum est, vnum quodlibet indicans: signum verò

quod

quod non necessariò, nec assiduè, sed magna ex parte id indicat. *Lib. 3. prognost. com. 41. seu cap. 14. nouæ versionis.*

Signum item rursus ab ab indicio differt. Nā quod ex obseruatione est, signum: quod verò ex demonstratione est, indicium certū dicunt. *eod. com.*

Indicia dissimilia dissimilem quoq; demonstrationem efficiunt. *lib. 6. plac. Hip. & Plat.*

Signa optimæ constitutionis, ab his qui secundùm essentiæ rationem ipsis insunt, & ab his quæ ex necessitate consequuntur operationibus, casibúsque, qui propriè accidentia vocantur, sumenda sunt. *In arte medicinali, cap. 8. &* qualia ea signa sint. *vide ibidem.*

Signa salubria sunt, quęcunq; præsentem indicant sanitatem, & futuram prænuntiant, & præteritā memorię subiiciunt. *in arte. medic. c. 7.*

Signa insalubria, quæ & pręsentē indicant ægritudinem, & futuram prænuntiant, atque præteritam memoriæ subiiciunt. *ca. eodem.*

Signa neutra dicuntur, quæ neutram dispositionem ostendunt, prænuntiant, & memoriæ subiiciunt. *ibidem.*

hęc omnia Signa vocantur nonnūquam à vetustioribus medicis pręnuntiatiua, quanuis præsentium, ac pręter torum indicatiua. *in arte medic. cap. 7.*

Vsus non paruus ex pręnuntiatiuis, atque indicatiuis sumitur: minor autem ex his, quę memorię subiiciunt. *in arte medic. cap. 7.*

Signa eadem insalubria sunt & neutra, item salubria & insalubria, iuxta diuersas habitudines corporum quibus insunt. *in arte med. c. 82.*

Ægrotantium corporum indicia, ex lib. de loc. aff. sumenda esse testatur Gal.. *in arte medic. c. 81.*

Signa futurę ęgritudinis quęnam sunt. *in art. medic. c. 82.*

quæcunque ęgrotantibus Signa salutaria apparent, dicentur quidem salubria, quia futuram sanitatem ostendunt, dicentur etiam ęgra, quatenus pręsentem ostendunt ęgritudinem. *eod. lib. & cap.*

mirari non oportet eadem Signa, tres in diuersis habitudinibus seruare rationes, quę & salubria, & ęgra, & neutra dicantur, *eod. lib. & c.*

liber artis medicinalis in vniuersum Signa omnia conti-

net omnium corporum salubrium, insalubrium, & neutrorum. Item singulorum corporis partium principium, cerebri, cordis, hepatis, testium, ventriculi, pulmonis, quæ inde omnia exquirenda sunt.

ex propriis affectionis Signis, quæcunque generis in quo affectio est, indicatoria existunt, ea quippiam demonstrant. *com.2. ad lib.1. prorrhetici, super textu 3.*

si Signorum quædam generis apparuerint, id ad præcognitionem specierum conferet, quoniam vnumquodque genus speciebus familiare est. *eodem lib. & com.*

Nonnulla incipientium morborum indicia certa sunt, alia autem magna quidem ex parte sunt, sed certis prope accedentia: alia verò, etsi non propè quidem accedant, non tamen iam longè recedunt: alia preterea ambigua, & alia iam his inferiora. *com.1. ad li.1. prorrhetici super textu 26.*

Signorum omnium triplex est differētia. Nonnulla quidem cruditatis, & coctionis: quædam mortis & salutis sunt signa. Tertium aliud genus est, quod crisibus adiacet. *lib. de crisi. cap.14.*

Signa cruditatis & coctionis, alui excrementa, & sputa, & vrinas statuere oportet. *lib. de crisi. cap.14.*

De signis porro salutis & mortis, deque decretoriis, suprà à nobis abundè tractatum est, cap scilicet 18. quod de crisibus inscriptum est. Ad quem locum lectoré remittimus.

Quæ signa, quibus in morbis animaduertenda] in primis sint, *lib.3. de crisi. cap.3.*

Signorum quędam sunt, vt morborum singulorum differentiæ inter se disiungantur, alia vero vt singularum affectionum mores cognoscātur, vel futura cognoscatur iudicatio, qualis nam futura sit, & quando. *lib.1. prorrhetici, com.2. super textu 3.*

Signa praua alia simpliciter talia sunt, alia ex accidente. *com.2. in prognostico Hip. super textu 49.*

Non omne signum quod prauum est, mox idem & perniciosum existit. *lib.2. prog. com.17.*

Signum vnum forte, sæpe multis debilibus fidelius existit. *lib.1. de crisi. cap.13.*

Signa bona aut mala, quędam simpliciter enuntiat Hippocrates, quędam per comparationem ad excellentiam. *lib.1. de crisi. cap.13.*

Signa

Signa ediſcentem omnia, iudicare vires eorum inuicem comparantem decet. *eod. li. & c.*

Signis inter ſe collatis, prænotionem eſſe faciendam, docet Hipp. *com 1. ad primum prorrhetici, ſuper textu 2.*

Signa prognoſtica, non omnia eandem habere certitudinem *com. 3. in primum prorrhetici. ſuper textu. 25.*

Signa prognoſtica, non eiſdem notis præfert Hippocrates. *lib. 2. progn. com. 55.*

Signorum vires æſtimari præcipit Hippocrates, atque ex ipſis prænoſcere quidnam futurum ſit. *lib. 4. de ratio. victu acut. com. 60.*

Signa prognoſtica omni in loco ſuam habent veritatem. *lib. 3. progn. com. 42.*

Signa omnia bona, ſi cui conualeſcendum ſit, adſint oportet, ſi moriendum: ſi vnum adſit malum, ſufficiet. *lib. 2. prognoſ. com. 55.*

Signorum conſiderare numerum, ac poteſtatem oportet. *lib. 2 prognoſ. com. 56.*

prognoſtica Signa permiſta, qualiter ęſtimanda ſint. *com. eodem.*

Signa decretoria, & coctionis, eadem non ſunt, *lib. 1. de criſib. cap. 7.*

Signum nullum ita fidele eſt, vt exquiſitè oſtendat ſingula, ex futuris temporibus. *li. 1. de criſib. cap. 13.*

Signa quidem coctionis ſalutem homini, non tamen per criſim omnino futuram oſtendunt. *lib. 1. de criſib. c. 7.*

Signorum omnium, non æqua dignitas exiſtimanda eſt. *lib. 3. de criſib. cap. 3.*

Signa coctionis bonum aliquod magnum, perpetuò oſtendunt. *lib. 1. de criſib. c. 6.*

Signa coctionis nunquàm malè apparent, decretoria autem eſt, vbi malè. *Lib. 1. de criſib. cap. 8. & libr. 1. aphor. com. 12.*

Signa lethalia cum notis concoctionis nunquam eueniunt. *lib. 2. de dieb. decret. cap. 11.*

Signorum tria genera propriam cuiuſque membri coctionem ſignificant: inferioris ventris, excrementa quæ ſecundum naturam ſe habent, venoſi generis, vrinæ, & inſtrumentorũ quibus ſpiramus, ſputa, *lib. 1. de criſib. cap. 7.*

Signa mox inuadentia, & poſt apparentia quæ ſint. *lib. 1.*

de crisib.cap.3.

Signa pathognomonica,& assidentia quænam sint. Sũt enim pathognomonica, quæ separari ab affectionibus non possunt,& affectus,vt ita dicam, essentiam constituunt. Assidentia verò ex his sunt,quæ sæpe illis accidunt.*com.3. ad lib.5. Epidem.super textu 34.Febrium ardentium, & 7. & lib.1.aphoris.com.12.*

Signa coctionis nunquam in principio morbi,aut statim apparent,terminant autem illud principium. Cruditatis vero signa,cùm primo morbi principio statim inuadunt,& nõnunquam posterius apparent.*lib.1.aph.com.12.*

Signa, & casus pro eadem accepit Galenus. *Comment. eodem.*

Signa coctionis semper sunt bona, & morbi solutionem ostendunt.*com.eodem.*

Signa exitialia,mortem ægri citam prænuntiant. *lib.1.aphor.com.12.*

Signa cruditatis, diutinum quidem ex necessitate morbum significant: sed quantum in ipsis est, neque moriturum,neque euasurum è morbo hominem ostendunt. *com. eodem.*

Signa quibus medicus fidere non debet, à Galeno infida dicuntur.*lib.2.aph.com.27.*

Signum bonum interdum à maiori malo superatur, & malum interdum à maiori bono vincitur. *lib.2.aphor. com.33.*

Signum bonum in quouis morbo,constare mente,& appetitum permanere.*ibidem.*

Signa commodæ,& incõmodæ vacuationis. *lib.1. aph. cõ. 2.& com.23.eiusdem lib.& lib.4.aphor.com.2.*

de Signis lethalibus vide tum lib.2.aph.tum lib.4. & li.5. 6.& 7.pluribus aphorismis, ad quæ loca lectorem remittere (ne plus æquo longior sim) cõmodissimum visum est.

Significatis singulis vna certa subiecta res est:non tamen cuique voci vna res subiicitur.*lib.2.meth.medendi,cap.7.*

Signum,affectio,& curatio,deinceps se habent.*li.4.meth. med.cap.5.*

Signa affectorum locorũ, ex actione læsa, excrementis iis,quæ affectis partibus adnascuntur, doloris proprietate,& loci situ deprehenduntur.*li.1.de loc.aff.cap.2. & 3.& item lib. 3.cap.1.*

De pulsuum significatione, & usu.

CAP. IX.

QVoniam ex pulsuum notione plurima deprehendere licet, quæ ad rectè de morbis præsagiendum necessaria sunt: indéque de facultatis vitalis robore, aut imbecillitate iudicium ferri quàm cōmodissimè possit, congruū sane videtur vt de pulsuum vsu, & significatione hoc capite agamus: id ostendentes, quidnam pulsus sit, quis pulsuum vsus, quæ differentiæ, quæ significationes. Nec verò omnes in præsentia pulsuum differentias, nec causas item tractabimus omnes, sed compendio quodam, vsus tantùm, & significata trademus. Id enim ad locorum communiū rationem satis fore arbitrabimur. Ergo pulsum ita definit Gal. Pulsum actionem esse peculiarem cordis, deinde arteriarum, quæ distentione, ac contractione mouentur à facultate vitali, quo caloris natiui mediocritas retineatur, generetur autem in cerebro spiritus animalis. Hac sanè definitione, pulsus natura omnis exactissimè explicatur, ratio inquam seu essentia, effectrix illius causa, & finis. Pulsus nanque essentia actio est cordis & arteriarum nempe motus quidā ex distentione, contractionéque constans (hanc Græci συστολὴν, illam διαστολὴν nominant) effectrix pulsuum causa, facultas vitalis à corde in arterias manans. Finis caloris natiui custodia, & moderatio, tum & spiritus animalis in cerebro generatio. Hæc quidem omnia in præfata definitione conclusa habentur. Pulsuum vsus tradente Galeno, est (vt in summa dicatur) natiui caloris moderatio. Moderatur autem natiuus calor, aëris frigidi attractu, & fumidi excrementi depulsione. Cùm attolluntur, seu dilatantur arteriæ, attrahitur intro frigidus aër, qui natiuum calorem fouet, ac recreat, & ne extinguatur accendatúrve prohibet. Cùm submittuntur quasi in seipsas contractæ arteriæ, quæ ex adustione genita fumida excrementa sunt, foras pelluntur. Atque tota fermè pulsuum ratio, cum respiratione magnam sanè affinitatem habet. Vt enim sublatis respirationis instrumentis inspiratio fit, subindéque aëris frigidi attractus, sic & arteriis dilatatis intro frigidus aër admittitur. Rursus contractis respirationis instrumentis, (qui motus expiratio dicitur) foras fuliginosus &

Pulsus quid.

lib. 4. de differ. pulsuum.

Pulsuum vsus.

lib. de vsu pulsuū. & li. 8. de placitis Hip. & Plat.

calidus aër emittitur, sic demissis arteriis fumidum foras pellitur. Inspiratio itaque arteriarum dilatationi, expiratio contractioni respondet, vt exactè lib. de pulsuum vsu demonstrat. Pulsuum nunc præcipuas differentias enarremus, ex quibus significationes sumere varias licet, in quibus recensendis Gal. ordinem sequemur, quem ille in tradendis pulsuum differentiis sequutus fuisse videtur: etsi non omnes tractare sit animus, ne locorum cõmuniũ compendiariam rationem transiluisse videri possimus. Prima ergo differentia à motus tempore, quo arteria mouetur, desumitur, atque in vtraque motus ipsius parte attenditur, dilatione inquam, atque submissione. Ad quam differentiam pertinent, pulsus, celer, tardus, & mediocris. Quodcunque nanque motu agitatur locali, aut celeriter, aut tardè, aut tẽperate, pro tẽporis ratione moueri oportet, si quid Aristoteli creditur. Celer is erit qui breui tẽpore motũ suũ cõplet, ac perficit. Tardus contrà, qui longo tẽpore sua interualla percurrit, finitque motũ. Mediocris qui inter hæc medio modo se habet. Omitto volens & sciens secunda pulsuum differentiã, quæ à quantitate dilationis sumitur: quo in genere, pulsus longus, latus, & altus habentur: & iis contrarij breuis, angustus, humilis. Pulsus tantùm magni & parui hic meminisse iubet, quod ab his significationes vtiles sumere expediat. Magnum vocant, qui longitudine & profunditate auctus appareat. Paruum contrà, qui iis ipsis dimensionibus imminutus. A viriũ robore tertia sumitur, eáque omniũ præstantissima in pulsibus differentia, quo in genere vehementẽ, seu fortẽ & validũ pulsum, languidũ, & mediocrẽ reponere licet. Genus hoc Galenus in contentione, hoc est viriũ robore, ac firmitate positũ esse, iure optimo statuit. Viriũ nanque firmitas, & consistentia, vehementem seu validũ pulsum creat, vti infirmitas languidum & imbecillum. Erit itaque pulsus vehemens, qui cõtentione mittitur, & tangenti, manũ validè ferit, languidus, qui leuissimo, & inualido impetu pulsat, hoc est, imbecilliter & remissè, non autem intentè: medius qui nec omnino intentè, neque remissè, sed medio quodã modo se habet. Differentias autem eas, quæ à corpore arteriæ sumuntur (quo in genere sunt mollis, durus, & mediocris) de industria prætermitto: sicuti & alterũ genus pleni & vacui, itẽ & quæ à qualitatibus sumuntur primis, calidi & frigidi differentiæ prætermit-

Pulsuum differentia.

li. 7. & 8 de Physico auditu.

tem-

tendæ in præsens videntur, quòd ab his haud momentaneæ quidem significationes sumantur & ad eas transire differentias, quæ à tempore quietis spectentur conducibilius visum est. In hoc genere hę differentiæ sunt: Creber, rarus, & mediocris. Creber is est (qui & frequens & densus appellatur) cui breue quietis tempus subest, vel in quo arteria crebrò distenditur, hoc est modico interposito inter vtranque diastolem tempore. Rarus, cui longum quietis tempus est, vel in quo tempus inter vnam & illi succedentem arterię distensionem. Mediocris cui inter ambas distensiones mediocre intercedit tempus. Quietis autem nomine hoc loco interuallum id intelligi volumus, quod inter duos arteriæ ictus intercedit. Est & in pulsibus aliam sumere differentiam, quæ penes proportionem temporis ad tempus (quam Rythmum, seu concinnũ modum appellant) attenditur. In hoc sunt pulsus eurythmus & arythmus. Neque verò ἄρυθμοι, appellantur pulsus, qui omnino modulo careant, & omni sint priuati rythmo. Id enim fieri nequicquam potest, cùm præ omnibus pulsum omnem obtinere modulum quendam ῥυθμὸν Græci vocant) oportet. Sed eos arythmos vocamus qui natiuum rythmum non seruant. Vitium nanque natiui rythmi, vt bellè Galenus ait, non absolutam abolitionem significat. Eorum pulsuum rationem ex collatione ad pulsus, qui ętatibus proprij sunt, inuestigat Galen. Cùm enim suus cuique ætati proprius, peculiarisque sit pulsus à natura attributus, qui ex his suum modulum seruat, eurythmus vocatur: qui labefactat, interim rythmum vicinæ ætatis mutuatur: vt si puer, iuuenis pulsum habeat, aut hic viri iam facti. Si cuiusuis alterius ætatis modulũ sibi asciscat, heterorythmus is appellatur. Qui verò nullius ætatis rythmum prorsus retinet, hic eurythmus meritò nuncupandus, atque hic omnino concinnitatem corrumpit. Hæ rythmi differentiæ omnes sunt. Iam verò ad æqualitatis, & inæqualitatis pulsuum tradendas differentias accedamus: tum & ad eas, in quibus ordinem, & ordinis perturbationem est inuenire. Æqualitatem porro in pulsibus medici vocant motionum ipsius paritatem quandam, cùm inquam nullam habent in suis differentiis imparitatem, sed æqualia, & paria omnia, magnitudo, velocitas, crebritas, & huiusmodi talia. Quæ quidem pa-

Libr. 1. de puls. diff.

tractabilia,non tensa,dura,in sublime elata apparuerint, sed digitis cedentia. Sternutamentum etiam inter bona indicia est,si sub morbi finem accidat:neque à morbo,ceu causa nascatur. Corpus item molle,æquale,quódque calidum modicè est,& æquabiliter totum insudat,vbi febrire cœperit, eóque sudore febris discutiatur, securitatem hęc pollicentur: vti etiam cibi cupiditas, & mentis constantia, animíque firmitas. Adhæc si in sputis,vrinis,& alui excrementis,coctionis vestigia apparuerint,si rectè ęger ratiocinetur,si leuiter morbum ferat,si cum assidétibus,& amicis placidè degat, eorúmque conspectu lętetur. Hæc inquam si conspicua sint,salutares portendunt morbos:atque ob id salutaria, & bona signa meritò à medicis nuncupantur. Vti quæ his sunt contraria, periculosa,grauia,quædam etiam lethalia. Grauis nanque morbi signum est,vbi supinus æger iacet, porrectis manibus & cruribus,vbi nocturna vigilia premitur,vbi somnus,neque interdiu,nec noctu accedit,vbi horrenda facies, in qua nares acutæ,caui oculi,tempora collapsa,frigidæ contractæque aures,& imis partibus leuiter versę,cutis circa frontem dura, intenta,& arida,totius faciei color aut niger,aut pallidus,aut liueus,aut plumbeus:hęc si in vultu appareant,in acutis morbis lethalia esse censet Hippocrates:modo neque vigilia aut ventris vehemens resolutio,aut inedia grauis pręcesserit, item si lumen ægri refugiunt,si pręter voluntatem lacrymãnt,si oculi peruertuntur,si eorum alter minor efficitur,& quę in ipsis alba sunt rubent,si per somnum palpebrę non committũtur: si inter has ex albo oculorum quippiã appareat,si palpebra aut labrum,nasúsve distorqueatur,aut pallore,liuoréve inficiatur,si labra etiam resoluta,suspensa,frigida,candicãtia appareant:si seipsum ęger continere non valens ad pedes subinde delabitur:si pedes nudat,nec calor iis subest. si externis partibus friget,internis ardeat:si hians dormit,stridetque dentibus:si manibus festucas carpit,si insanit, si familiares non nouit, nec reueretur: si frequenter & cum dolore, aut angustia spiritum ducit(quod mali morbi indicium est) si cibum auersatur,si in sputis, vrinis,aut alui excrementis nullum coctionis signum adsit,sed cruda persistent:si plus iusto,& nimis celeriter macrescere incipiat,si post sudorem inhorescat,si à vomitu singultus obrepat,si in acuto morbo frigidus sudor effluat,si febrem copiosi sudores non leuant, si timor in som-

Mala in ægrotantibus signa.

in somnis appareat, si deficiat pulsus, si syncopa prehendatur crebra æger: si morbum ægerrime ferat. Isthæc si per acutos morbos appareant, aut morbi malignitatem, aut certè etiam sępenumerò ægri mortem denuntiant. In morbis porro vnde petenda signa sint abundè Gale. lib. de patientibus locis docuit, nempe ex membrorum positu, & loco, ex dolorum proprietate, ex exeuntium natura, nempe ex vrinis, alui egestionibus, sputis, tum etiam & functionum recta prauáve obitione, vt ex pulsuum, & respirationis mutata ratione, & aliis huiusmodi, de quibus ne longior sim dicere supersedeo.

De signis, Hippocratis & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

MEDICORVM prędictiones narrãtur multæ, & variæ, & admirãdæ, quales ego quidẽ neq; prædixi, neq; aliũ aliquem prædicere audiui. *libro 2. prædictionum, ad principium.* Vbi autẽ prædictiones eæ quales sint docuit Hippocrates (vanas autem esse, & impossibiles idem existimat, vti reuera sunt) hæc subiungit. *Ego verò* (inquit) *talia quidem non vaticinabor, verùm signa scribam, ex quibus sanos futuros homines, & morituros coniectare oportet: & tum breui tempore, tum longiore, sanos futuros, aut perituros. eod. lib.*

A nullo signo, neque bono, neque malo læduntur suspiciones. *eod. lib.*

Vt autem in summa dicatur, quid de signis Hippocratis dixerit, scito ad hoc argumentum referri debere, quæcunque ferè tribus libris præsagiorum ab eodem autore de signis tum bonis, tum malis in ęgrotantibus, dicta sunt. Ad hæc quæcunque duobus prædictionum libris, & lib. item de Coacis prænotionibus, & partim aphoris. libris, de hac ipsa re tractantur. Quæ omnia vice locorum communium studioso lectori esse possint, vt ea hîc inculcare non sit opus. Esset enim id volumina transcribere, non locos communes edere.

GALENI.

SIGNVM, est rei quæ contingere debet dignotio. *lib. de sectis medici*

Signum est id, quo cognitio aliud quod ignotum nobis erat deprehenditur. *eod. lib.*

Signum prognosticum est, ex quo noscitur futurum. *ibid.*

Prædictio est futuri præcognitio, prenũtiatioque. *ibidem.*

Pathognomonicum signum, est id ex quo affectus dignoscitur. *ibid.*

Auxiliaria signa, sunt ea ex quibus curationis quæ in ipsis obseruata est commonemur. *in defin. med.*

Indicatiuum signũ est, quod primas sibi vendicat in minus manifesti alicuius deprehensione, idem bonum cõsequẽtis. *ibidem.*

Suggerens memoriç signum est, vt aiunt Empirici, res quç apparet, atque ex antegressa obseruatione innotescit, vtilis rei quæ cognoscitur ad memoriam reuocandæ. *eod. lib. defin. med.*

Præsentiũ præsentia signa sunt Pathognomonica omnia, id est, affectuum indicatiua. Hæc enim cum fiunt, atque adsunt, adsunt perinde & affectus, cùm cessant, morbi quoque soluuntur. *eod lib.*

Præsentia, præteritorum sunt signa, vt facti priùs vlceris cicatrix. *ibidem.*

Præsentia futurorum sunt signa, vt cadauerosa facies mortis. *eod. lib.*

Præterita autem sunt preteritorum signa, vt cùm remissio à declinatione, deferbuisse morbum significat. *ibidem.*

Præterita prçsentium, vt esse ab aspide demorsum inter exitialia censeri. *ibidem.*

Præterita futurorum sunt signa, vt confracto, contritóque, osse totum contrahendum: ei nanque oportet totum obduci dum ad pristinum statum redit. *in defi. it. medi.* Vel hoc pacto quis possit id demõstrare. Præcedens cruditas & nimius cibus plenitatis morbos pares habent, vel dempto de capite osse, cicatricem sequuturam.

Superuenientia, succedentium interdum sunt signa, vt vulneri superueniens conuulsio, successuram mortem vt plurimum significat. *lib. de defin. medic.*

Signum ab indicio differt, quòd indicium dicatur de eo quod perpetuum est, vnum quodlibet indicans: signum verò

quod

quod non necessariò, nec assiduè, sed magna ex parte id indicat. *Lib.3.prognost.com.41.seu cap.14.nouæ versionis.*

Signum item rursus ab ab indicio differt. Nã quod ex obseruatione est, signum: quod verò ex demonstratione est, indicium certũ dicunt. *eod.com.*

Indicia dissimilia dissimilem quoq; demonstrationem efficiunt. *lib.6.plac.Hip.& Plat.*

Signa optimæ constitutionis, ab his qui secundùm essentiæ rationem ipsis insunt, & ab his quæ ex necessitate consequuntur operationibus, casibúsque, qui propriè accidentia vocantur, sumenda sunt. *In arte medicinali, cap.8.&* qualia ea signa sint. *vide ibidem.*

Signa salubria sunt, quęcunq; præsentem indicant sanitatem, & futuram prænuntiant, & præteritã memorię subiiciunt *in arte medic.c.7.*

Signa insalubria, quæ & pręsentẽ indicant ægritudinem, & futuram prænuntiant, atque præteritam memoriæ subiiciunt *ca.eodem.*

Signa neutra dicuntur, quæ neutram dispositionem ostendunt, prænuntiant, & memoriæ subiiciunt. *ibidem.*

hęc omnia Signa vocantur nonnũquam à vetustioribus medicis pręnuntiatiua, quamuis præsentiũm, ac pręter.torum indicatiua. *in arte medic.cap.7.*

Vsus non paruus ex pręnuntiatiuis, atque indicatiuis sumitur: minor autem ex his, quę memorię subiiciunt. *in arte medic.cap.7.*

Signa eadem insalubria sunt & neutra, item salubria & insalubria, iuxta diuersas habitudines corporum quibus insunt. *in arte med. c.82.*

Ægrotantium corporum indicia, ex lib.de loc.aff.sumenda esse testatur Gal.. *in arte medic.c.81.*

Signa futurę ęgritudinis quęnam sunt. *in art.medic.c.82.*

quæcunque ęgrotantibus Signa salutaria apparent, dicentur quidem salubria, quia futuram sanitatem ostendunt, dicentur etiam ęgra, quatenus pręsentem ostendunt ęgritudinem. *eod.lib.& cap.*

mirari non oportet eadem Signa, tres in diuersis habitudinibus seruare rationes, quę & salubria, & ęgra, & neutra dicantur, *eod.lib.& c.*

liber artis medicinalis in vniuersum Signa omnia conti-

net omnium corporum salubrium, insalubrium, & neutrorum. Item singulorum corporis partium principium, cerebri, cordis, hepatis, testium, ventriculi, pulmonis, quæ inde omnia exquirenda sunt.

ex propriis affectionis Signis, quæcunque generis in quo affectio est, indicatoria existunt, ea quippiam demonstrant. *com.2.ad lib.1.prorrhetici, super textu 3.*

si Signorum quædam generis apparuerint, id ad præcognitionem specierum conferet, quoniam vnumquodque genus speciebus familiare est. *eodem lib. & com.*

Nonnulla incipientium morborum indicia certa sunt, alia autem magna quidem ex parte sunt, sed certis propè accedentia: alia verò, etsi non propè quidem accedant, non tamen iam longè recedunt: alia preterea ambigua, & alia iam his inferiora. *com.1.ad li.1.prorrhetici super textu 26.*

Signorum omnium triplex est differētia. Nonnulla quidem cruditatis, & coctionis: quædam mortis & salutis sunt signa. Tertium aliud genus est, quod crisibus adiacet. *lib.de crisi.cap.14.*

Signa cruditatis & coctionis, alui excrementa, & sputa, & vrinas statuere oportet. *lib.de crisi.cap.14.*

De signis porrò salutis & mortis, deque decretoriis, suprà à nobis abundè tractatum est, cap scilicet 8. quod de crisibus inscriptum est. Ad quem locum lectorē remittimus.

Quæ signa, quibus in morbis animaduertenda in primis sint. *lib.3.de crisi.cap.3.*

Signorum quędam sunt, vt morborum singulorum differentiæ inter se disiungantur, alia vero vt singularum affectionum mores cognoscātur, vel futura cognoscatur iudicatio, qualis nam futura sit, & quando. *lib.1.prorrhetici, com.2.super textu.3.*

Signa praua alia simpliciter talia sunt, alia ex accidente. *com.1 in prognostico Hip.super textu 49.*

Non omne signum quod prauum est, mox idem & perniciosum existit. *lib.2.prog.com.17.*

Signum vnum forte, sæpe multis debilibus fidelius existit. *lib 1.de crisi.cap.13.*

Signa bona aut multa, quędam simpliciter enuntiat Hippocrates, quędam per comparationem ad excellentiam. *lib.1.de crisi.cap.13.*

Signa

Signa ediſcentem omnia, iudicare vires eorum inuicem comparantem decet. *eod.li.& c.*

Signis inter ſe collatis, prænotionem eſſe faciendam, docet Hipp. *com 1. ad primum prorrhetici, ſuper textu 2.*

Signa prognoſtica, non omnia eandem habere certitudinem *com.3. in primum prorrhetici. ſuper textu.25.*

Signa prognoſtica, non eiſdem notis præfert Hippocrates *lib.2. progn. com.55.*

Signorum vires æſtimari præcipit Hippocrates, atque ex ipſis prænoſcere quidnam futurum ſit. *lib.4. de ratio. uict. acut. com.60.*

Signa prognoſtica omni in loco ſuam habent veritatem. *lib.3. progn. com.42.*

Signa omnia bona, ſi cui conualeſcendum ſit, adſint oportet, ſi moriendum: ſi vnum adſit malum, ſufficiet. *lib.2. prognoſ. com.55.*

Signorum conſiderare numerum, ac poteſtatem oportet. *lib.2 prognoſ. com.56.*

prognoſtica Signa permiſta, qualiter ęſtimanda ſint. *com. eodem.*

Signa decretoria, & coctionis, eadem non ſunt, *lib. 1. de criſib. cap.7.*

Signum nullum ita fidele eſt, vt exquiſitè oſtendat ſingula, ex futuris temporibus. *li.1. de criſib. cap.13.*

Signa quidem coctionis ſalutem homini, non tamen per criſim omnino futuram oſtendunt. *lib.1. de criſib. c.7.*

Signorum omnium, non æqua dignitas exiſtimanda eſt. *lib.3. de criſib. cap.3.*

Signa coctionis bonum aliquod magnum, perpetuò oſtendunt. *lib.1. de criſib. c.6.*

Signa coctionis nunquàm malè apparent, decretoria autem eſt, vbi malè. *Lib. 1. de criſib. cap. 8. & libr. 1. aphor. com.12.*

Signa lethalia cum notis concoctionis nunquam eueniunt. *lib.2. de dieb. decret. cap.11.*

Signorum tria genera propriam cuiuſque membri coctionem ſignificant: inferioris ventris, excrementa quæ ſecundum naturam ſe habent, venoſi generis, vrinæ, & inſtrumentorũ quibus ſpiramus, ſputa, *lib.1. de criſib. cap.7.*

Signa mox inuadentia, & poſt apparentia quæ ſint. *lib.1.*

de crisib.cap.3.

Signa pathognomonica,& assidentia quænam sint. Sũt enim pathognomonica, quæ separari ab affectionibus non possunt,& affectus,vt ita dicam, essentiam constituunt. Assidentia verò ex his sunt,quæ sæpe illis accidunt.*com.3. ad lib.3. Epidem.super textu 34.Febrium ardentium, & 7. & lib.1.aphoris.com.12.*

Signa coctionis nunquam in principio morbi,aut statim apparent,terminant autem illud principium. Cruditatis verò signa,cùm primo morbi principio statim inuadunt,& nõnunquam posterius apparent.*lib.1.aph.com.12.*

Signa, & casus pro eadem accepit Galenus. *Comment. eodem.*

Signa coctionis semper sunt bona, & morbi solutionem ostendunt.*com.eodem.*

Signa exitialia,mortem ægri citam prænuntiant. *lib.1.aphor.com.12.*

Signa cruditatis, diutinum quidem ex necessitate morbum significant : sed quantum in ipsis est, neque moriturum,neque euasurum è morbo hominem ostendunt. *com. eodem.*

Signa quibus medicus fidere non debet, à Galeno infida dicuntur.*lib.2.aph.com.27.*

Signum bonum interdum à maiori malo superatur, & malum interdum à maiori bono vincitur. *lib.2.aphor. com.33.*

Signum bonum in quouis morbo,constare mente,& appetitum permanere.*ibidem.*

Signa commodæ,& incõmodæ vacuationis. *lib.1. aph. cõ. 2.& com.23.eiusdem lib.& lib.4.aphor.com.2.*

de Signis lethalibus vide tum lib.2.aph.tum lib.4. & li.5. 6,& 7.pluribus aphorismis, ad quæ loca lectorem remittere (ne plus æquo longior sim) cõmodissimum visum est.

Significatis singulis vna certa subiecta res est:non tamen cuique voci vna res subiicitur.*lib.2.meth.medendi,cap.7.*

Signum,affectio,& curatio,deinceps se habent.*li.4.meth. med.cap.5.*

Signa affectorum locorũ, ex actione læsa, excrementis iis,quæ affectis partibus adnascuntur, doloris proprietate,& loci situ deprehenduntur.*li.1.de loc.aff.cap.2. & 3.& item lib. 3.cap.3.*

De pulsuum significatione, & vsu.

CAP. IX.

QVoniam ex pulsuum notione plurima deprehendere licet, quæ ad rectè de morbis præsagiendum necessaria sunt: indéque de facultatis vitalis robore, aut imbecillitate iudicium ferri quàm cõmodissimè possit, congruū sane videtur vt depulsuum vsu, & significatione hoc capite agamus: id ostendentes, quidnam pulsus sit, quis pulsuum vsus, quæ differentiæ, quæ significationes. Nec verò omnes in presentia pulsuum differentias, nec causas item tractabimus omnes sed compendio quodam, vsus tantùm, & significata trademus. Id enim ad locorum cõmuniū rationem satis fore arbitrabimur. Ergo pulsum ita definit Gal. Pulsum actionem esse peculiarem cordis, deinde arteriarum, quæ distentione, ac contractione mouentur à facultate vitali, quo caloris natiui mediocritas retineatur, generetur autem in cerebro spiritus animalis. Hac sanè definitione, pulsus natura omnis exactissimè explicatur, ratio inquam seu essentia, effectrix illius causa, & finis. Pulsus nanque essentia actio est cordis & arteriarum nempe motus quidā ex distentione, contractionéque constans (hanc Græci συςολὴν, illam διαςολὴν nominant) effectrix pulsuum causa, facultas vitalis à corde in arterias manans. Finis caloris natiui custodia, & moderatio, tum & spiritus animalis in cerebro generatio. Hæc quidem omnia in prefata definitione conclusa habentur. Pulsuum vsus tradente Galeno, est (vt in summa dicatur) natiui caloris moderatio. Moderatur autem natiuus calor, aëris frigidi attractu, & fumidi excrementi depulsione. Cùm attolluntur, seu dilatantur arteriæ, attrahitur intro frigidus aër, qui natiuum calorem fouet, ac recreat, & ne extinguatur accendatúrve prohibet. Cùm submittuntur quasi in seipsas contractæ arteriæ, quæ ex adustione genita fumida excrementa sunt, foras pelluntur, Atque tota fermè pulsuum ratio, cum respiratione magnam sanè affinitatem habet. Vt enim sublatis respirationis instrumentis inspiratio fit, subindéque aëris frigidi attractus, sic & arteriis dilatatis intro frigidus aër admittitur. Rursus contractis respirationis instrumentis, (qui motus expiratio dicitur) foras fuliginosus &

Pulsus quid. lib. 4. de differ. pulsuum.

Pulsuum vsus. lib. de vsu pulsuū. & li. 8. de placitis. Hip. & Plat.

tendæ in præsens videntur, quòd ab his haud momentaneæ quidem significationes sumantur & ad eas transire differentias, quæ à tempore quietis spectentur conducibilius visum est. In hoc genere hę differentiæ sunt: Creber, rarus, & mediocris. Creber is est (qui & frequens & densus appellatur) cui breue quietis tempus subest, vel in quo arteria crebrò distenditur, hoc est modico interposito inter vtranque diastolem tempore. Rarus, cui longum quietis tempus est, vel in quo tempus inter vnam & illi succedentem arterię distensionem. Mediocris cui inter ambas distensiones mediocre intererit tempus. Quietis autem nomine hoc loco interuallum id intelligi volumus, quod inter duos arteriæ ictus intercedit. Est & in pulsibus aliam sumere differentiam, quæ penes proportionem temporis ad tempus (quam Rythmum, seu concinnũ modum appellant) attenditur. In hoc sunt pulsus eurythmus & arythmus. Neque verò ἄρυθμοι, appellantur pulsus, qui omnino modulo careant, & omni sint priuati rythmo. Id enim fieri nequicquam potest, cùm præ omnibus pulsum omnem obtinere modulum quendam ῥυθμὸν Græci vocant) oportet. Sed eos arythmos vocamus qui natiuum rythmum non seruant. Vitium nanque natiui rythmi, vt bellè Galenus ait, non absolutam abolitionem significat. Eorum pulsuum rationem ex collatione ad pulsus, qui ętatibus proprij sunt, inuestigat Galen. Cùm enim suus cuique ætati proprius, peculiarisque sit pulsus à natura attributus, qui ex his suum modulum seruat, eurythmus vocatur: qui labefactat, interim rythmum vicinæ ætatis mutuatur: vt si puer, iuuenis pulsum habeat, aut hic viri iam facti. Si cuiusuis alterius ætatis modulũ sibi asciscat, heterorythmus is appellatur. Qui verò nullius ætatis rythmum prorsus retinet, hic eurythmus meritò nuncupandus, atque hic omnino concinnitatem corrumpit. Hæ rythmi differentiæ omnes sunt. Iam verò ad æqualitatis, & inæqualitatis pulsuum tradendas differentias accedamus: tum & ad eas, in quibus ordinem, & ordinis perturbationem est inuenire. Æqualitatem porro in pulsibus medici vocant motionum ipsius paritatem quandam, cùm inquam nullam habent in suis differentiis imparitatem, sed æqualia, & paria omnia, magnitudo, velocitas, crebritas, & huiusmodi talia. Quæ quidem pa-

Libr. 1. de puls. diff.

ritas,aut in vno pulsu,aut in pluribus spectatur. Quæ in pluribus æqualitas,aut inæqualitas attenditur, Græcis quidem συςηματικὴ Latinis collectiua nuncupatur. Pares omnino si manent differentiæ, æqualis absolutè is pulsus vocatur:sin omnino impares,inæqualis absolutè dicendus. Nō minimum autem referre censendum est,si absolutè æqualē, aut inæqualem pulsum,an aliquo in genere dicas, puta magnitudine,velocitate,frequentia. Exactè nanque æqualis neq; magnitudinem neque velocitaté, neq; frequentiam, neque aliud quicquam impar habet. Qui vero in vno aliquo genere aut æqualis, aut inæqualis dicitur, is magnitudine, verbi gratia ęqualis, aut inæqualis, celeritate ęqualis, vehementia æqualis,inæqualisve nominatur. Atque hæc de æquali, & inæquali pulsu. Ordo porro,à quo pulsus ordinatus denominationem accepit,est circuituum in pulsibus paritas, vt cùm primo arteriæ motu vel magnitudo,vel æqualitas,vel velocitas apparent,eadem rursus in secundo,& tertio,ac aliis consequentibus motionibus appareat. Itaque ordinatus & inordinatus,diuisa inæqualitate in paritaté circuituū, & in absolutam imparitaté in vtroque membro (vt ait Gal.) generantur. In circuituum paritate ordinatus,in absoluta imparitate inordinatus. Atque hęc de collectiuæ æqualitatis, inæqualitatisque differentiis,si modò ad collectiuæ inæqualitatis genus eorum pulsuum meminerimus, qui Gręcis διαλείποντες,id est deficientes:& παρεμπίπτοντες, hoc est intercidentes appellantur. Ex pulsuum paruitatibus, Gal. autore,deficiétes cōstāt. Cū enim in arteriæ ictib. vno aut pluribus,alter altero minor apparet vt etiam interdum vniuersus arteriæ motus cōcidat,tum rectè pulsus huiusmodi deficientes appellamus:quòd à consueto motu virium nimia imbecillitate deficiant. Intercidens deficienti contrarius esse videtur. In hoc nanque,vbi quies arteriæ spectatur,superuacanea aliqua percussio intercidit, vnde intercidentes nominantur pulsus. Hunc Galenus incurrentem vocat, vti intermittenté illum, qui ex inæqualitate constat raritatis & paruitatis. In raritatis inæqualitate, quiete arteriæ longissimè producta: in paruitatis inæqualitate, distensione arterię minimum dilata. Atque pulsibus huiusmodi affines sunt,

libr. 1. de puls. diff.

sunt, qui reciproci deficientes appellantur, vbi duorum spatium vel trium, vel etiam plurium pulsuum motu omnino arteria non cieri visa, iterum agitari incipit. Mutilus item, & decurtatus pulsus ad hoc genus pertinet. Si .n. primo pulsu secundus paulo minor, & tertius secundo, & verò etiam quartus tertio, continuò minor spectetur, idque ad plures vsque perueniat, hos pulsus Græci μειούρους, seu μειουρίζοντας, hoc est, mutilos, & decurtatos, à figuris nomen, quæ in acutum terminant, mutuantes. Qui verò ex iis perpetuò diminuuntur, nec minui desinunt, ad quietem prorsus recidentes, motuque tandem destituti deficientes, decurtatos appellamus, Græcis ἐκλείποντες μύουροι vocantur. Qui verò deficiunt pulsus, duplici differentia inueniuntur. Aut enim vbi primum in paruitate minui cœperunt, hanc constanter seruant, aut rursus augentur, vel in parem priori magnitudinem reuertuntur, minorémve, aut maiorem. Hi omnes decurtati reciproci vocitantur, Græcis μύουροι παλινδρομοῦντες. Sed iam ad reliquas inæqualitatis quæ in vno pulsu reperiuntur, differentias transeamus. Attenduntur verò differentiæ eæ, ex inæqualitate in vna arteriæ parte pluribúsve obseruata, tum ex situ, tum ex arteriæ vario motu. In quo genere sunt caprizans, bis pulsans, vndosus, vermiculans, & formicans pulsus. Caprizans quem δορκαδίζων Herophilus nominauit, is est in quo motum arteria interpellat vna quapiam in parte, sequitúrque ab intercisa quiete motus alter primo celerior, vehementiórque, similitudine quidem è caprearum saltu (vnde huic pulsui nomen) desumpta. Ita nanque animantes hæ salire in prærupta solent, vt vbi sese aliquantulum extulerint, quasi gemino quodam motu, ac impetu salientes, & speciem desiti alicubi motus præbuerint, rursus de integro alterum, eúmq; citatum motum, nec opinatum, veluti in seipsas insilientes capiunt. Quod cùm in pulsib. accidit, caprizantem tum fieri pulsum est omnino necesse. Sequitur δίκροτος, i. bis feriens, seu bis pulsans, qui tum fit, cùm arteria simulátque attolli destitit, recedere videtur, móxque denuo quasi in vibrata, iterum tactui occurrens pulsat instar geminorum ad incudem mallei ictuum, cùm ex distante interuallo prior in-

cutitur, magnóque impetu incudem pulsat, à quo rursus ictu alius in incudem resultans, eandem ferit, ac non ita vt primo ictu valenter breuioréque interuallo. Sic & in arteria similes interdum contingit fieri motus, quòd cùm fit, dicroti, seu bipulsantes fiunt pulsus. Vndosus is dicitur pulsus, quando non vniuersim tota simul attollitur arteria, sed primò vna illius pars, dein altera atque altera, idque cum fluctuante quodá motu instar vndarum, seu fluctuū maris, vnde illi nomen, hūc Græci κυματώδην nominant. Hic si in paruitatē desinat, minuíque incipiat, vermiculans efficitur, quod vermis gressui assimilis sit, σκωληκίζων Græci appellant. Vermiculās nāque sola paruitate ab vndoso differt. Vt verò vndosum pulsum vermiculans sequitur, sic vermiculantē formicans, vbi is seipso minor factus fuerit. Fit.n. formicās, cùm motibus amissis multis, in vnū, eūque prorsus exiguū desinit: Gręcis hic μυρμηκίζων vocatur, à similitudine, quę illi cum formica animante est, tū ob paruitatē, tū ob motus speciem. Est hic pulsus (tradēte Gal.) adeo paruus, vt eo haud quisquā minor sit alius, idemq; languidissimus planè, ac creberrimus. Vibrati porrò, & conuulsiui pulsus tū fiūt, cùm vnū locū arteria nō tenet, sed sursum, deorsúmque agitatur, naturali sede relicta, sed conuulsiui pulsus, duri atque cōtracti, & instar chordæ cuiuspiā tēsæ speciē, sensúmque repræsentant. Vibrati autē iaculis, quæ magna vi emissa, celeri impetu torquētur, planè similes sunt. Serratus pulsus is est, cùm nō omnes arteriæ partes æquè dilatātur: sed alia magis, minùs alia, duritie arteriæ dilationem prohibente. Hic Græcis ἐμπρίων dicitur. In neruosarum partiū morbis hūc fieri pulsum nō rarò cernimus. Pulsuū differētias ferè omnes tractauimus, significationes modò tradamus: causas.n. in præsens explicare nō est animus, quòd eā nunc medicinæ partē tractemus, quæ de signis est. Celer pulsus in sanis quidem, calidius temperamentum: in ægris cùm virium robur, tum caloris præter naturam copiam, & necessitatem refrigerij cordis ampliorem, & instrumentorum mollitiem demonstrat. Vbi enim robusta facultas est, calórque in corde copiosior, instrumentúmque obediens, vsúsque multus, tum magnitudine id præstare non potest, mox celeritate succurrere satagit. Celeritas itaque pulsuū, & vsus necessitatē auctā, & viriū consi-

Lib.1.de diff.puls.

cõsistés adhuc robur ostendit, vt Gal. lib. de diff. respir. & 1. de pul. causis exactissimè docet. Tardus huic contrarius, contrariũ omnino indicat: frigidus inquã téperamentũ in sanis, in ægris caloris inopiã, & paucã omnino refrigerij cordis necessitaté, viriúmque nõ satis firmũ robur. Mediocris inter hæc pro ratione omnia moderata ostendit ad alterutrũ extremorum collata. Magnus pulsus in corporibus iis quæ inculpata sanitate feruntur, téperiem hominis probam, bonámq; corporis habitudinem, firmúmq; viriũ robur declarat. In ægrotãtibus calidũ esse morbũ, in quo is appareat ostẽdit. Paruus pulsus facultatis imbecillitaté, aut instrumẽtorũ duritié, aut vius remissioné significat. Vehemés, seu fortis à facultatis semper (vt ait Gal.) robore fit: & quo fortior fuerit, eo facultatis robur amplius significat: vti contrà languidus perpetuò deiectas vires demonstrat. Frequens, seu creber, & vsus necessitatem multam, & calorem putribus excrementis pluribus redundare demonstrat: vti contrà rarus refrigeratum calorem, exiguúmque vsum, aut fumosa imminuta excrementa esse arguit. Eurythmus, seu ordinatus, virtutis tenorem, & instrumentorum obedientiam planè demonstrat. Arythmus contrarium. Ordo enim, vt æqualitas, naturæ si quid aliud, familiaris esse solet, vt Gal. sub finem lib. 2. de pulsuum causis asserit. Itaque cum ordinati pulsus certis quibusdam orbibus ęqualitatem tueantur, inordinati, confusi vndequaque sint, efficitur vt ordinatus pulsus virium firmitatem, inordinatus imbecillitatem, & eiusdem ab excrementis fuliginosis oppressionem quandam indicet. Ordo nanque (vt Gal. més est) fixam quodammodo causam & perpetuam esse indicare videtur. Perturbatio ordinis variantem, nec in vna manenté, vel magnitudine, vel specie, vel regione. At verò cum interdũ in incommoda inæqualitate ordo in pulsibus inuenitur, tum haudquaquam virtutis firmitatem, sed contra extremam nonnunquam imbecillitatem significat: vt exempli gratia, si ordo cum intermittente pulsu coniunctus sit, exitium tum certè significat, quòd ordo fixam & manentem semper causam demonstret, vti antea dictum. Æqualis pulsus, qui in quiete & motu ęqualitatem seruat, & probam totius corporis temperiem, & virium robur demonstrat. Inæqualis pulsus, omnino contrarium. Quin & in morbis æquales, bonam de ipsis spem, naturæque ad concoquendum morbum firmi-

li. 1. de præsagatione expul.

libr. 2. de præsag. ex pulsi. ad finem.

tatem declarant. Inæquales verò, vel vasorum oppilationes, instrumentorúmque compressiones, aut humorum abundātiā, ad facultatē quidē collata ea, aut demū cordis inæqualem intēperiē arguunt, vt Gal. lib. 2. de præsagatione ex pulsibus, bellissimè docet. Deficiens item, & intercidens pulsus, facultatis oppressionem, & veluti aggrauationem quandam indicant. Sed intercidens minorem, deficiens verò maiorem facultatis noxam denotat. Incurrens porrò, à copia humorum cor oneratum esse instrumentáve obstructa, aut in arctum coacta promittit: quod etiam intermittentes faciunt. At dissident hac in re inter inter se quod intercurrentibus pulsibus repugnat, decretáque cum noxiis causis facultas. In intermittentibus (quod ait Gal.) facere hoc illam piget. Itaque in vehementibus morbis iudicationem sæpe intercurrentes pulsus attulerunt, natura vtique pugnæ intenta. Reciproci deficientes, vt intermittentibus (quod ait Gal.) affines, sic etiam magnum naturæ laborem, magnámque facultatis imbecillitatem, cùm contentione tamen quadam, & pugna aduersus noxias causas indicant. Fiūt. n. vbi in duobus, tribúsve, aut pluribus spatiis. Plurimum motu arteria non moueri visa, iterū moueri incipit. Id autem & magnum à morbificis causis naturæ negotium inferri, & eo labore defatigari contentione naturam, demonstrat. Mutili, & decurtati pulsus, imbecillitatem consequuntur facultatis, à qua creantur. Ob id vbi tales apparent virium defectionē arguant. Caprizans, cordis inæqualem intemperiem, & validos eius visceris affectus significat: quanquam non perpetuò cum intemperie talem coniungi pulsum (vt bellè ait Gal.) oporteat, sed interdum vel ob humorum immodicam copiam, oppilationem, aut compressionem instrumentorum, talem fieri pulsum. Dicrotus, seu bispulsans, vt ex magna intemperie originem ducit, sic & eandem in viscere cordis subesse, arteriæque duritiem declarat: nonnunquam humorum tum copiam, tum crassitudinē, (autore Gal.) Cordis etenim, & arteriarum inæqualem intemperiem is pulsus consequitur. Vndosus interdum facultatem non firmam esse significat, non statim tamen infirmā: interdum etiam mediocriter validam cùm præsertim decretorium sudorem in acutis morbis polliceri videtur. In humidis enim, & pituitosis potissimum inuenitur morbis, cum ipsa solida corpora nimia humiditate madentia, emollita sint.

li. 2. de præsag. ex puls.

li. 1. de dif. pul.

libr. 2. de cau. pul.

Ver-

Vermiculans verò pulsus, non modo non validam, sed & infirmam facultatem perpetuò denuntiat. Vt enim vndosus pulsus ex humida, mollique arteria, simúlque ex facultate modicè affecta oritur, sic vermiculans ex molli quidem arteria, verùm ex debilitata insigniter facultate prouenit. Quę docta Gal. lib. 2. de præsaga. ex pulsibus sentētia est. Formicans facultatē extremè deiectam esse planè significat. In hūc enim facultate magis collapsa, vermiculans decidere solet. Vibratus, arteriæ duritiem, & naturæ in explodendis quę molestant contentionem, interdum etiam neruosarum partium affectus declarat. Conuulsiuus huic proximus, neruorū principium affectum esse, atque inflammationis, aut validæ obstructionis vim sustinere planè demonstrat: vti serratus, qui & ipse inflammationis neruosarum partium fidissimus testis esse solet. Quod in pleuritide, indubitata sensuum fide experimur.

De pulsibus, Hippocratis, & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

PVLSVS venarum, & respiratio spiritus, iuxta ætatē, & consonantia, & dissonantia sunt, & morbi, & sanitatis signa. *lib. de alimento.*

ANNOTATIO.

PLVRA de pulsibus non tradidisse Hipp. locupletissimus testis Gal. haberi potest, qui primo de pulsuum differētiis libro, nomen quidem pulsus, Hippoc. omnium primum prodidisse: artis tamen eam partem, quæ de pulsibus est, intactam reliquisse, plena fide testatur. Sic enim profectò se res habet. Omnia enim, quæ in hanc vsque ætatem, Hipp. monumenta extant, si quis diligenter euoluat, paucicissima omnino de pulsuum natura, differētiis, causis, dignoscendi modo & præsagatione est omnino inuenturus: quod eam partem attingere ipse aut non curarit, aut aggredi de industria noluerit. Quam partem Gal. vnus omnium amplissimè, atque doctissimè pertractauit.

GALENI.

PVLSVS nomen Hippoc. litteris prodidit: hanc tamen artis partem reliquit intactam. *lib. 1. de pul. differen. ad principium.*

Pulsus nomen non eundem apud autores omnes vsum habet. *lib.6.de placit.Hipp.& Plat.*

Pulsus nomen veteribus variè vsurpatum. *lib.4. de ratione vict. acut.com.25.*

Pulsus clara significatio est. *lib.4.de puls.differ. ad principium.*

Pulsum veteres, non omnem arteriarum motum dicebant, sed sensibilem tantum, qui ipsi prorsus vehemens homini esset. *li.Quod animi vires corp.temp.sequuntur.cap.8.*

Pulsum vocauit Hipp. motum arteriarum omniũ, qualiscunque esset, eiúsque consuetudinis idem primus omnium autor fuit. *eo.li.& c.*

Pulsum Praxagoras, & Herophilus, omnem arteriarum sensibilem motum appellabant. *li.1.de pul. diff.ad principium.*

Pulsum appello (ait Gal.) proprium cordis motum. *lib.6.de placit.Hip.& Plat.*

Pulsus non omnis operatio cordis est. *Li.6.de placit.Hip.& Plat.ad principium.*

Pulsatilis vis,non è neruis,sed è corpore cordis oritur:neque neruis cor ad suam obeundam functionem indiget. *li.6.de anato.administr.*

Pulsatio cordis,& arteriarum ita se habet,vt quando cor attollitur,arteriæ demittantur,& quando cor demittitur,arteriæ attollantur:quod ex anatome dignoscitur. *lib.7.de anato.administr.*

Pulsus in generatione positus est,qui,vt cæteri motus,diu fit est. *li.4.de diff.pul.*

Pulsus est compositus arteriarum motus. *Lib. de vsu pulsuum.*

Pulsus autor,& origo est cor. *lib.de vsu pulsuum.*

Pulsus quatuor partes sunt,distentio, contractio, & duæ quietes. *lib.3.de dignos.pul.cap.de rhythmis dignoscendis.*

Pulsus per se partes non sunt,externa,& interna arteriæ quies. *li.1 de dignos.pul.cap.vlt.*

à pulsibus ei,qui per totum animal dispersus est,calori vtilitas manat,vti à respiratione ei qui circa cor est calori. *lib.de difficult.respir.& lib.de vsu pulsuum.*

Pulsuum vsum duplicem esse docuimus.Primum, atque maximum tutelam natiui caloris: alterum, animalis spiritus generationem. *Libr. 1 de præsagat. ex pulsibus, ad prin-*

principium.

Pulsus,& respirationis vnus visus,finisque est.*lib.de vsu pulsuum.*

Pulsum conditum esse, caloris in quaque parte custodiendi gratia.*lib.de pulsuum vsu.*

Pulsus ac respirationis dissimilitudines, ex instrumentis partim,tum ex facultate vtriusque effectrice sunt. Alia namque respirationis,alia pulsus organa sunt, & respirationis facultas animalis est pulsuum opifex vitalis.*lib.de diff.respir.*

Pulsus à respiratione vna tantum re dissidet,nempè quod respiratio ab animali facultate:pulsus à vitali manat. *lib.de vsu puls.ad finem.*

Pulsuum priuationes, & pulsus vitiosi, circa pulsuum actionem sunt symptomata.*lib de sympt.diff.cap.4.*

Pulsuum scientiam Gal ad Hipp.dicta adiecisse se confitetur. *lib.de præsag.ad Posthumum.*

Pulsuum scientiam solam Hipp.non attigit.*ibidem.*

artem de Pulsibus eo institutam esse, vt præsentia complectamur,& impendentia prouideamus ægrotis, nô vt quid quoquo nomine appellemus.*lib. 1.de pul.diff.cap.1.*

Pulsus est motus arteriarum.*li.4.de puls.diff.*

Pulsuum nulla est definitio prorsus essentialis.*li.4.de differen.pulsuum.*

Pulsum definiuit Erasistratus, motum esse arteriarum, per distentionem,& contractionem,quem facultas efficit. Vitalis,& animalis,ad implendas arterias spiritum continentes vitalem.*li.4.de differen pulsuum.*

Pulsum definiuit Asclepiades, motum esse arteriarũ, per distentionem,& contractionem,quæ spiritu implentur, cùm extenuantur:cum concidunt eorum tunicæ, euacuantur.*eodem lib.*

Pulsum definiuit Gal actionem esse peculiarem præcipuè cordis,deinde arteriarum, quæ distensione, & contractione mouentur à facultate vitali,quo caloris natiui mediocritas retineatur, generetur autem in cerebro spiritus animalis.*li.4.de differen.pulsuum.*

Vide eodem ipso libro omnium antiquorum pulsuum definitiones,Heraclidis,Alexandri,Demosthenis, Bachi,Aristoxeni,Zenonis,Chrysermi,Agathini,Archigenis, Magni Æthenei,Asclepiadis,Moschionis, Erasistrati, discipulorũ Erasi-

ſtrati, & quorundam aliorum.

Pulſuum octo qualitates eſſe, non rectè dicitur, ſed generum primorum differentias. *li.2.de diff pul.*

Pulſuum differentias quaſdam eſſe, rectè dici. *li.2.de.differen.pulſuum.*

Pulſuum tot ſunt primæ, & generales differentiæ, quot ſunt cauſarum. *li.1.de cauſ.pulſ.*

Pulſum amatoriè moueri, quod quidam aiunt, nugæ ſunt, cùm amoris nullus ſit pulſus. *Libro de præcognitione, ad Poſthumum.*

Pulſuum genera prima, ſeu differentiæ primæ ſumuntur aut è motu, & quiete arteriarum, vtroque duplici: aut è contractionis ac diſtentionis quantitate, circa ſingulas trium arteriæ dimenſionum contingente, aut è contentionis qualitate, item è pleno, & vacuo, quæ circa capacitatem arteriarum internam ſunt, aut è duritie & mollitie arteriarum, aut ex æqualitate horum inter ſe, aut inæqualitate, & è contractionis ac diſtētionis temporum porpotione quibus duæ accedunt aliæ collectiuæ appellatæ. *li. 2. 1. de diff. pul.*

Pulſuum primi generis, quod è motu, aut quiete arteriarum ſumitur, differentiæ ſpecificę ſunt, celer ſeu velox tardus, mediocris; & cuiuſque horum definitiones. *lib .1. de differen. pulſuum. cap.4.*

Pulſuum generis primi, quod è diſtentionis quantitate ſumitur, differentiæ ſpecificæ, longus, latus, breuis, anguſtus, altus, humilis, & ſingulorum definitiones *lib.1. de diff. pulſuum cap.4.*

Pulſuum generis, quod in contentione conſiſtit, differentiæ ſpecificæ, vehemens, imbecillus, & eorum definitiones. *lib. de diff. pulſuum. cap.5.*

Pulſuum generis, quod circa capacitatem eſt arteriarum differentiæ ſpecificę, plenus, vacuus, medius, & horum definitiones. *lib.1. de diffe. pul. cap.5.*

Pulſuum generis, quod circa tunicas arteriarum conſiſtit differentiæ ſpecificæ, durus, mlolis, medius, & eorum definitiones. *Eod. li. cap.5.*

Pulſuum differentiæ quietis tempore conſiſtentium, velox, tardus, medius, creber, rarus, medius, & horum definitiones. *lib.1. de diff. pulſi. c.6.*

Pulſus eſſe multos, qui propriū requirāt nomen. *eo. li. c.4.*

Pulſuum

Pulsuum ictus, & vehementiæ, differentię quæ sint, & de pulsuum ictu dignoscendo. *lib.4. de dignos. pulsib. cap.* 1.

Pulsuum vehementer ferientium duo tantum genera, vehemens, & durus. *eod. lib. & cap.*

Pulsuum dignoscendorum ars egregiè nauos, industrióſq; non voluptarios quęrit. *lib.1. de dignos. pul.*

Pulsuum dignoscendorum ratio, ex notis seu signis habetur *eod. lib.*

in Pulsuum dignotione perdiscenda, mirā adhibuit Gal. diligentiam. *lib.1. de puls. dignos.*

Pulsuum dignosendorum magna difficultas, quòd tempus exigat longius, & tactu opus sit exercitato. *lib.1. de dignos. pul. ad principium.*

Pulsus cuiusque contrectationem appositam inuenturus, singulari prudentia esse, & expertum in dignosendo oportet. *lib.3. de dignos. pulsib.*

Pulsibus manum applicandi modi tres, palpatio, compressio, applicatio. *lib.1. de dignos. pul.*

in Pulsibus tangendis numerus digitorum, quibus motus est occursurus, suus cuique arteriæ est. *lib. 2. de præsag. ex pulsibus.*

Pulsuum dignoscendorum elementa quatuor, distentio, contractio, quietes binę. *lib.1. de digno. pul. & item lib.3.*

Pulsuum simplices differentię, primò seorsum cognoscendę, deinde iunctim. *lib.2. de diff. pul.*

in Pulsibus dignoscendis, primum distentionis quantitas, deinde qualitas, & tempus motus, tum mouentis eam contentio facultatis, posteà ipsius tunicę, arterię status, omnia sunt cognoscenda. *lib.1. de dign. pul.*

in Pulsuum contractione, pręter illa, que in distentione, tempus inter vtranque medium, quo quiescit cognoscēdum. *eod. lib.*

ad Pulsum exactissimam & absolutissimam cognitionem, requiri totam humanam vitam putem. *eod. lib.*

Pulsuum non solùm distensionem, sed ictum animaduertit tactus *eod. lib.*

in Pulsibus contractionem non posse sentiri, Agathinus dixit. *li.1. de dign. pul.*

in Pulsibus contractionis cognoscendæ ratio, à Galeno explicatur. *li.1. de dign. pul.*

Pulsus vehemẽtes, quo ipsorum deprehendatur robur, requirunt, vt qui tangunt digitos valdè infigant. *lib.1.de dign. pul.c.5.*

Pulsus vehementes, omnes sensibilem habent contractionem: languidorum nullus. *eod. li. & cap.*

Pulsus maximus, & vehementissimus, atque durus apertissimam habet contractionem. *lib.1 de dign.pul.c.5.*

Pulsus non cuiusuis sentiri contractionem posse, nec quorum possit, perinde omnium esse claram. *ibid.*

Pulsum magnum, & vehementem habent omnes, qui sunt moderato corpore, & natura temperata, & ætate florenti, maximè vere ex anni temporibus, regionémque qui incolunt temperatam, robustique sunt, & omni mœrore, metu, saturitate, motu vacui. *lib.1. de dign.pul c.6.*

in Pulsuum contractionibus, tãtum solet arteria descendere, quantum in distentionibus ascenderit, *eod.cap.*

Pulsus magnos, & vehementes habent, qui laborant syncera tertiana, vel ardente miti, & simplici. *ibid.*

Pulsum paruum, languidúmque habent, qui syncopa corripiuntur, & qui de vita decedunt propè omnes. *eod.lib.c.8.*

Pulsus externa, & interna quies, arteriæ non propriè nec per se, nec per accidens pulsus partes sunt. *eod.li.c. vlt.*

Pulsus celer est, qui in pauco tempore motum finit: tardus, qui multo, *Libro 2. de digno. pulsuum. cap.1. & libro 3.c.1.*

Pulsus formicans sensum, quod dignoscatur exactum quærit, quippe qui in extremam recidat remissionem. *eod.lib. & c.*

Pulsus vermiculantis extremus delapsus formicantem gignit. *ibid.*

Pulsuum cuilibet generi vnum assignare moderatum pulsum, probabilius est, magísque consonum vsui, *lib.2.de dign.puls.c.2.*

de moderato Pulsu inueniendo. *vide ibi longam à Galeno dissertationem.*

Pulsum exercitatio mutat. *ibid.*

Pulsum moderatum seu medium optima natura habet, ad quem alij collati, excessuum, & defectuum nominibus appellantur. *eod.li.c.3.*

Pulsibus paruis, & imbecillibus hic tangendi modus accommodatus imprimis omnino est, vt omnino tangens non premat, imo sæpe leniter contrectet, & veluti suspendat manum *li.3 de dign.pul.c.2.*

Pulsuum rythmus in comparatione temporis distentionis, cùm contractionis tempore consistit. *li.3, de dign.pul.c.3.*

in Pulsibus vehementissimis solis, rythmos dignosci in aliis omnibus, aut prorsus incognitos esse, vt in languidis, aut longè ab absoluta notitia abesse. *eod. li. & c.*

in Pulsibus , in distentione arteriæ est quidam veluti ictus, qui, cùm tangimus, tactum ferit. *li.4. de dign.pul.c.1.*

in Pulsibus quicunque motus tactum protrudunt, & submouent longè violenti, hi speciem ictus repræsentant. *li.4. de dign.pul.c.1.*

Pulsus celer simul & paruus, non longè tactum impellit. *eod. li. & c.*

de pleno, & vacuo Pulsu, vide longissimam differtationē à Gal. *li.4. de dign.pul.c.2. & 3.*

Pulsum plenum , Galenus ex ipso arteriæ corpore, ex qualitate substantiæ quam continet, ex natiui spiritus facultate, quæ in arteria est, expendendum iubet. *eod. li. c.3.*

Pulsuum causæ partim generationis , partim alterationis, eorum sunt. Generationis tam vsus cuius gratia fiunt, quàm facultas abs qua, tum instrumenta per quæ distenduntur: alterationis cæteræ omnes, & quæ præcedentes appellātur, & quæ his succedunt externæ. *lib.1. de pul. cau. c.1.*

Pulsuum causa continens generationis ipsorum est. *ibid.*

Pulsuum alterandorum, non generandorum causæ sunt, humorum crassitudo, abundantia, lentor, acredo, quæ efficere non valent pulsus, alterare valent. *eod. li. & c.*

quæ Pulsus molitur causa, quæcunque illa sit , licet eius nos fugiat essentia, quòd facultatem habeat pulsus efficiendi, facultatem illam vocamus. *lib.1. de cau.pul. c.1.*

Pulsuum vsus is est, quòd tuendi causa caloris vniuersi corporis creati sunt pulsus, quem refrigerent, & si quid sit fuliginis ex succorum adustione contractum, id excernant è vestigio. *eodem lib. & cap. & lib. de vsu pul.*

Pulsuum gignendorum prima continens causa, facultas, secunda vsus pulsuum , tertia ipsum est arteriarum corpus. *eod. li. c.1. & 2.*

Pul-

Pulsuum tot sunt primæ & generales differentiæ, quot sunt causarum. *li.1.de cau.pul.c.2*

Pulsus naturales, mediocritates efficiunt. *Ib.*

Pulsuum celeritas, peculiaris robori facultatis est, & caloris abundantiæ. Præterea mollitudini instrumentorum, tarditas contrariis. *ibid.*

Pulsuum magnitudo validę facultati, & copiæ caloris, & mollibus instrumentis est familiaris, paruitas contrariis. *ibid.*

Pulsuum crebritas magis propria facultatis est imbecillitati, copię caloris duritiei instrumentorum. *eod. loco.*

Pulsuum raritas magis ad contraria spectat, non annexa illi est perpetuò tamen. *eod. loco.*

Calor, magnos, celeres, & crebros efficit pulsus. *eod. li. c.3.*

Defectum natiui caloris comitantur pulsus paruus, tardus pręcipuè, mox etiam rarus. *eo. li. c.4.*

Breuibus, & longis interuallis distingui crebrum à raro pulsu. *eod. li. & c.*

Pulsum naturaliter ad vnguem comparatum, in animāte esse spectandum, in requiete posito, omnium magnarum, ac validarum alterationum. Validam autem alterationem, ira, exercitatio, vinum concitant. *eod li. & c.*

Vino potato modicè, pulsus apertè cùm maiores, & celeriores, tum vehementiores euadunt, in ira verò, & modicis exercitationibus, non perinde apertè. *ibid.*

Infantes paruum prorsus pulsum habent, nec vehementem, tum mirè crebrum, & celerem. *Ex Archigene, lib.1.de pul.cau.c.4.*

Pulsus celeres & tardos dicimus esse, non ægrotis modò, verùm etiam valentibus nonnullis. *ibi.*

Temperatus homo si calidior solito euaserit, atque hac re sit tantùm alteratus, in magnitudinem, & celeritatem pulsus vertet; interim etiam in crebritatem, prout magis vel minus calor increuerit. *eod. loco.*

Si frigidior iusto is homo factus est, primùm raritas perspicua erit, deinde tarditas, postremo paruitas. *eod. li. & c.*

Quando omnino facultas prostrata est, tunc planè pulsus minimus erit, intermittétque, & deficiet frequenter. *eod. li. c.5.*

Molle instrumentum, quoniam promptè extenditur, in omnem partem facilè extenditur: durum non absque negocio

tio. Iam comes est promptitudinis, distentionis, magnitudo, reuisus & contumacię, paruitas. *eod. li. c. 6.*

Pulsus maiores, & celeriores à mollitudine, minores tardioresque è duritie fieri dicemus. *li. 1. de pul. cau. c. 6.*

Pulsus omnes naturales, inter excessus medios, moderatósque esse: non tamen quicunque moderati sunt, etiam naturales omnes esse. *eodem li. & c.*

Pulsus mutantur in paruitatem, & tarditatem, languida existente facultate, & remisso vsu. *eodem li. c. 8.*

Pulsus ex defectu crebriores fieri. Eod. li. & c.

Pulsus minores redduntur, & ob facultatis imbecillitatem, & ob vsum remissum, & duritiam instrumentorum. *eod. li. & c.*

Pulsus minimos efficit, facultas extremè deiecta. *ibid.*

Languente facultate, aucto vsu, duróque instrumento, pulsus potissimum ad crebritatem, deinde ad paruitatem, vergere videbis. *eod. loco.*

Pulsus longè magis ad magnitudinem, quàm in celeritatem increscunt vbi infirma facultas est, maior vsus, & instrumentorum mollitudo. *ibid.*

Pulsus minores creat valida facultas, vbi durum est instrumētum, & minor vsus, non tardiores tamen nec crebriores necessariò. *eod. li. & c.*

Pulsuum generationis tres sunt continentes causę, instrumentum, facultas, vsus. *li. 2. de pul. cau. c. 1.*

Pulsum variare in nostra potestate non est. *Lib. 1. de diff. resp.*

Pulsus vna causa est, naturalis caloris auctio, diminutióque: altera quę ex animalis spiritus mutata quantitate spectatur, tertia quæ ex firmitate, infirmitatéque naturalis virtutis accipitur; quarta quę ex instrumenti ipsius malo affectu ęstimatur. *li. 2. de san. tuen.*

Pulsum exercitatio, cibus, potus, balneum, alterare possunt. *li. 2. de dign. pul. c. 2.*

Tumor si quidem ingens sit, quod lędatur facultas, vel alteretur vsus, pulsus reddit inęquales. *li. 2. de pul. cau. c. 1.*

Pulsus efficit æquales, & pares facultas, cùm imperat omnibus instrumentis. *eod. loco & c.*

Pulsus item inæquales, instrumentorum vitia efficiunt. *ibid.*

tatem declarant. Inæquales verò, vel vasorum oppilationes, instrumentorúmque compressiones, aut humorum abundātiā, ad facultatē quidē collata ea, aut demū cordis inæqualem intēperiē arguunt, vt Gal. lib. 2. de præsagatione ex pulsibus, bellissimè docet. Deficiens item, & intercidens pulsus, facultatis oppressionem, & veluti aggrauationem quandam indicant. Sed intercidens minorem, deficiens verò maiorem facultatis noxam denotat. Incurrens porrò, à copia humorum cor oneratum esse instrumentáve obstructa, aut in arctum coacta promittit: quod etiam intermittentes faciunt. At dissident hac in re inter inter se quod intercurrentibus pulsibus repugnat, decretáque cum noxiis causis facultas. In intermittentibus (quod ait Gal.) facere hoc illam piget. Itaque in vehementibus morbis iudicationem sæpe intercurrentes pulsus attulerunt, natura vtique pugnæ intenta. Reciproci deficientes, vt intermittentibus (quod ait Gal.) affines, sic etiam magnum naturæ laborem, magnámque facultatis imbecillitatem, cùm contentione tamen quadam, & pugna aduersus noxias causas indicant. Fiūt.n. vbi in duobus, tribúsve, aut pluribus spatiis. Plurimum motu arteria non moueri visa, iterū moueri incipit. Id autem & magnum à morbificis causis naturæ negotium inferri, & eo labore defatigari contentione naturam, demonstrat. Mutili, & decurtati pulsus, imbecillitatem consequuntur facultatis, à qua creantur. Ob id vbi tales apparent virium defectionē arguant. Caprizans, cordis inæqualem intemperiem, & validos eius visceris affectus significat: quanquam non perpetuò cum intemperie talem coniungi pulsum (vt bellè ait Gal.) oporteat, sed interdum vel ob humorum immodicam copiam, oppilationem, aut compressionem instrumentorum, talem fieri pulsum. Dicrotus, seu bispulsans, vt ex magna intemperie originem ducit, sic & eandem in viscere cordis subesse, arteriæque duritiem declarat: nonnunquam humorum tum copiam, tum crassitudinē, (autore Gal.) Cordis etenim, & arteriarum inæqualem intemperiem is pulsus consequitur. Vndosus interdum facultatem non firmam esse significat, non statim tamen infirmā: interdum etiam mediocriter validam cùm præsertim decretorium sudorem in acutis morbis polliceri videtur. In humidis enim, & pituitosis potissimum inuenitur morbis, cum ipsa solida corpora nimia humiditate madentia, emollita sint.

li. 2. de præsag. ex puls.

li. 1. de dif. pul.

lib. 2. de cau. pul.

Ver-

Vermiculans verò pulsus,non modo non validam, sed & infirmam facultatem perpetuò denuntiat. Vt enim vndosus pulsus ex humida, mollique arteria, simúlque ex facultate modicè affecta oritur, sic vermiculans ex molli quidem arteria,verùm ex debilitata insigniter facultate prouenit.Quę docta Gal.lib.2.de præsaga. ex pulsibus sentẽtia est. Formicans facultatẽ extremè deiectam esse planè significat. In hũc enim facultate magis collapsa, vermiculans decidere solet. Vibratus,arteriæ duritiem,& naturæ in explodendis quę molestant contentionem,interdum etiam neruosarum partium affectus declarat.Conuulsiuus huic proximus, neruorũ principium affectum esse, atque inflammationis, aut validæ obstructionis vim sustinere planè demonstrat:vti serratus, qui & ipse inflammationis neruosarum partium fidissimus testis esse solet.Quod in pleuritide,indubitata sensuum fide experimur.

De pulsibus,Hippocratis,& Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

PVLSVS venarum,& respiratio spiritus, iuxta ætatẽ, & consonantia,& dissonantia sunt,& morbi,& sanitatis signa: *lib.de alimento.*

ANNOTATIO.

PLVRA de pulsibus non tradidisse Hipp.locupletissimus testis Gal.haberi potest, qui primo de pulsuum differẽtiis libro,nomen quidem pulsus, Hippoc. omnium primum prodidisse:artis tamen eam partem,quæ de pulsibus est,intactam reliquisse,plena fide testatur. Sic enim profectò se res habet.Omnia enim, quæ in hanc vsque ætatem, Hipp.monumenta extant,si quis diligenter euoluat,paucicissima omnino de pulsuum natura, differẽtiis,causis,dignoscendi modo & præsagatione est omnino inuenturus : quod eam partem attingere ipse aut non curarit,aut aggredi de industria noluerit.Quam partem Gal.vnus omnium amplissimè, atque doctissimè pertractauit.

GALENI.

PVLSVS nomen Hippoc.litteris prodidit : hanc tamen artis partem reliquit intactam. *lib.1. de pul.differen.ad principium.*

Pulsus nomen non eundem apud autores omnes vsum habet. *lib.6.de placit.Hipp.& Plat.*

Pulsus nomen veteribus variè vsurpatum. *lib.4.de ration. vict. acut. com.25.*

Pulsus clara significatio est. *lib.4.de pulſ.differ. ad principium.*

Pulsum veteres, non omnem arteriarum motum dicebant, sed sensibilem tantum, qui ipsi prorsus vehemens homini esset. *li.Quod animi vires corp.temp.sequuntur.cap.8.*

Pulsum vocauit Hipp. motum arteriarum omniū, qualiscunque esset, eiúsque consuetudinis idem primus omnium autor fuit. *eo.li.& c.*

Pulsum Praxagoras, & Herophilus, omnem arteriarum sensibilem motum appellabant. *li.1.de pul. diff.ad principium.*

Pulsum appello (ait Gal.) proprium cordis motum. *lib.6.de placit.Hip.& Plat.*

Pulsus non omnis operatio cordis est. *Li.6.de placit.Hip.& Plat.ad principium.*

Pulsatilis vis, non è neruis, sed è corpore cordis oritur: neque neruis cor ad suam obeundam functionem indiget. *li.6.de anato.administr.*

Pulsatio cordis, & arteriarum ita se habet, vt quando cor attollitur, arteriæ demittantur, & quando cor demittitur, arteriæ attollantur: quod ex anatome dignoscitur. *lib.7.de anato.administr.*

Pulsus in generatione positus est, qui, vt cæteri motus, dū fit est. *li.4.de diff.pul.*

Pulsus est compositus arteriarum motus. *Lib. de vsu pulsuum.*

Pulsus autor, & origo est cor. *lib.de vsu pulsuum.*

Pulsus quatuor partes sunt, distentio, contractio, & duæ quietes. *lib.3.de dignoſ.pul.cap.de rhythmis dignoscendis,*

Pulsus per se partes non sunt, externa, & interna arteriæ quies. *li.1 de dignoſ.pul.cap.vlt.*

à pulsibus ei, qui per totum animal dispersus est, calori vtilitas manat, vti à respiratione ei qui circa cor est calori. *lib. de difficult.respir.& lib.de vsu pulsuum.*

Pulsuum vsum duplicem esse docuimus. Primum, atque maximum tutelam natiui caloris: alterum, animalis spiritus generationem. *Libr. 1 de præsagat. ex pulsibus, ad prin-*

principium.

Pulsus,& respirationis vnus vsus,finisque est *lib.de vsu pulsuum.*

Pulsum conditum esse, caloris in quaque parte custodiendi gratia.*lib.de pulsuum vsu.*

Pulsus ac respirationis dissimilitudines, ex instrumentis partim,tum ex facultate vtriusque effectrice sunt. Alia namque respirationis,alia pulsus organa sunt , & respirationis facultas animalis est pulsuum opifex vitalis.*lib.de diff.respir.*

Pulsus à respiratione vna tantum re dissidet,nempè quod respiratio ab animali facultate:pulsus à vitali manat. *lib.de vsu puls.ad finem.*

Pulsuum priuationes, & pulsus vitiosi, circa pulsuum actionem sunt symptomata.*lib de sympt.diff.cap.4.*

Pulsuum scientiam Gal.ad Hipp.dicta adiecisse se confitetur. *lib.de præsag.ad Posthumum.*

Pulsuum scientiam solam Hipp.non attigit.*ibidem.*

artem de Pulsibus eo institutam esse, vt præsentia complectamur,& impendentia prouideamus ægrotis, nõ vt quid quoquo nomine appellemus.*lib. 1.de pul.diff.cap.1.*

Pulsus est motus arteriarum.*li.4.de puls.diff.*

Pulsuum nulla est definitio prorsus essentialis.*li.4.de differen.pulsuum.*

Pulsum definiuit Erasistratus, motum esse arteriarum, per distentionem,& contractionem,quem facultas efficit. Vitalis,& animalis,ad implendas arterias spiritum continentes vitalem.*li.4.de differen pulsuum.*

Pulsum definiuit Asclepiades, motum esse arteriarũ, per distentionem,& contractionem,quæ spiritu implentur, cum extenuantur:cum concidunt eorum tunicæ, euacuantur.*eodem lib.*

Pulsum definiuit Gal. actionem esse peculiarem præcipuè cordis,deinde arteriarum , quæ distensione, & contractione mouentur à facultate vitali,quo caloris natiui mediocritas retineatur , generetur autem in cerebro spiritus animalis.*li.4.de differen.pulsuum.*

Vide eodem ipso libro omnium antiquorum pulsuum definitiones,Heraclidis,Alexandri,Demosthenis, Bachi,Aristoxeni,Zenonis,Chrysermi,Agathini,Archigenis, Magni Æthenei,Asclepiadis,Moschionis, Erasistrati, discipulorũ Erasi-

strati,& quorundam aliorum.

Pulsuum octo qualitates esse,non rectè dicitur,sed generum primorum differentias.*li.2.de diff pul.*

Pulsuum differentias quasdam esse,rectè dici. *li.2.de.differen.pulsuum.*

Pulsuum tot sunt primæ , & generales differentiæ,quot sunt causarum.*li.1.de caus.puls.*

Pulsum amatoriè moueri,quod quidam aiunt,nugæ sunt, cùm amoris nullus sit pulsus.*Libro de præcognitione , ad Posthumum.*

Pulsuum genera prima,seu differentiæ primæ sumuntur aut è motu,& quiete arteriarum,vtroque duplici : aut è contractionis ac distentionis quantitate, circa singulas trium arteriæ dimensionum contingente , aut è contentionis qualitate , item è pleno, & vacuo , quæ circa capacitatem arteriarum internam sunt , aut è duritie & mollitie arteriarum,aut ex æqualitate horum inter se, aut inæqualitate , & è contractionis ac distētionis temporum porportione quibus duæ accedunt aliæ collectiuæ appellatæ.*li 2. 1.de diff.pul.*

Pulsuum primi generis,quod è motu,aut quiete arteriarum sumitur,differentiæ specificę sunt,celer seu velox tardus, mediocris, & cuiusque horum definitiones.*lib .1.de differen. pulsuum. cap.4.*

Pulsuum generis primi , quod è distentionis quantitate sumitur, differentiæ specificæ, longus, latus, breuis,angustus, altus,humilis, & singulorum definitiones *lib.1. de diff.pulsuum cap.4.*

Pulsuum generis,quod in contentione consistit,differentiæ specificæ , vehemens , imbecillus , & eorum definitiones. *lib.de diff.pulsuum.cap.5.*

Pulsuum generis,quod circa capacitatem est arteriarum differentiæ specificę, plenus,vacuus,medius, & horum definitiones.*lib.1.de diffe.pul.cap.5.*

Pulsuum generis , quod circa tunicas arteriarum consistit differentiæ specificæ, durus, mlolis,medius,&eorum definitiones.*Eod.li cap.5.*

Pulsuum differentiæ quietis tempore consistentium, velox,tardus,medius , creber,rarus,medius,& horum definitiones.*lib.1.de diff.pulsi.c.6.*

Pulsus esse multos, qui propriũ requirãt nomen.*eo.li.c.4.*

Pulsuum

Pulsuum ictus,& vehementiæ, differentię quæ sint,& de pulsuum ictu dignoscendo.*lib.4.de dignos.pulsib.cap.*1.

Pulsuum vehementer ferientium duo tantum genera, vehemens,& durus.*eod.lib.& cap.*

Pulsuum dignoscendorum ars egregiè nauos,industriósq; non voluptarios quęrit.*lib.1.de dignos.pul.*

Pulsuum dignoscendorum ratio,ex notis seu signis habetur *eod.lib.*

in Pulsuum dignotione perdiscenda,mirā adhibuit Gal. diligentiam.*lib.1.de puls.dignos.*

Pulsuum dignoscendorum magna difficultas, quòd tempus exigat longius, & tactu opus sit exercitato.*lib.1.de dignos. pul.ad principium.*

Pulsus cuiusque contrectationem appositam inuenturus,singulari prudentia esse, & expertum in dignoscendo oportet.*lib.3.de dignos.pulsib.*

Pulsibus manum applicandi modi tres, palpatio, compressio,applicatio.*lib.1.de dignos.pul.*

in Pulsibus tangendis numerus digitorum, quibus motus est occursurus, suus cuique arteriæ est.*lib. 2. de præsag. ex pulsibus.*

Pulsuum dignoscendorum elementa quatuor, distentio, contractio,quietes binę.*lib.1.de digno.pul.& item lib.3.*

Pulsuum simplices differentię, primò seorsum cognoscendę, deinde iunctim.*lib.2.de diff.pul.*

in Pulsibus dignoscendis, primum distentionis quantitas, deinde qualitas, & tempus motus, tum mouentis eam contentio facultatis,posteà ipsius tunicę,arterię status, omnia sunt cognoscenda.*lib.1.de dign.pul.*

in Pulsuum contractione,pręter illa, que in distentione, tempus inter vtranque medium, quo quiescit cognoscēdum. *eod.lib.*

ad Pulsum exactissimam & absolutissimam cognitionem, requiri totam humanam vitam putem. *eod.lib.*

Pulsuum non solùm distensionem,sed ictum animaduertit tactus *eod.lib.*

in Pulsibus contractionem non posse sentiri, Agathinus dixit.*li.1.de dign.pul.*

in Pulsibus contractionis cognoscendæ ratio, à Galeno explicatur.*li.1.de dign.pul.*

Pulsus vehemétes, quo ipsorum deprehendatur robur, requirunt, vt qui tangunt digitos valdè infigant. *lib.1.de dign. pul.c.5.*

Pulsus vehementes, omnes sensibilem habent contra-ctionem: languidorum nullus. *eod. li. & cap.*

Pulsus maximus, & vehementissimus, atque durus apertissimam habet contractionem. *lib.1 de dign.pul.c.5.*

Pulsus non cuiusuis sentiri contractionem posse, nec quorum possit, perinde omnium esse claram. *ibid.*

Pulsum magnum, & vehementem habent omnes, qui sunt moderato corpore, & natura temperata, & ætate florenti, maximè vere ex anni temporibus, regionémque qui incolunt temperatam, robustíque sunt, & omni mœrore, metu, saturitate, motu vacui. *lib.1. de dign.pul c.6.*

in Pulsuum contractionibus, tãtum solet arteria descendere, quantum in distentionibus ascenderit, *eod.cap.*

Pulsus magnos, & vehementes habent, qui laborant syncera tertiana, vel ardente miti, & simplici. *ibid.*

Pulsum paruum, lãnguidúmque habent, qui syncopa corripiuntur, & qui de vita decedunt propè omnes. *eod.lib.c.8.*

Pulsus externa, & interna quies, arteriæ non propriè nec per se, nec per accidens pulsus partes sunt. *eod.li.c. vlt.*

Pulsus celer est, qui in pauco tempore motum finit: tardus, qui multo. *Libro 2. de digno. pulsuum. cap. 1. & libro 3.c.1.*

Pulsus formicans sensum, quod dignoscatur exactum quærit, quippe qui in extremam recidat remissionem. *eod.lib. & c.*

Pulsus vermiculantis extremus delapsus formicantem gignit. *ibid.*

Pulsuum cuilibet generi vnum assignare moderatum pulsum, probabilius est, magisque consonum vsui. *lib.2.de dign..puls.c.2.*

de moderato Pulsu inueniendo. *vide ibi longam à Galeno dissertationem.*

Pulsum exercitatio mutat. *ibid.*

Pulsum moderatum seu medium optima natura habet, ad quem alij collati, excessuum, & defectuum nominibus appellantur. *eod.li.c.3.*

Pulsibus paruis,& imbecillibus hic tangendi modus accommodatus imprimis omnino est,vt omnino tangens non premat,imo sæpe leniter contrectet,& veluti suspendat manum *li.3 de dign.pul.c.2.*

Pulsuum rythmus in comparatione temporis distentionis,cùm contractionis tempore consistit. *li.3.de dign.pul.c.3.*

in Pulsibus vehementissimis solis,rythmos dignosci in aliis omnibus,aut prorsus incognitos esse,vt in languidis, aut longè ab absoluta notitia abesse. *eod.li.& c.*

in Pulsibus , in distentione arteriæ est quidam veluti ictus,qui.cùm tangimus,tactum ferit. *li.4.de dign.pul.c.1.*

in Pulsibus quicunque motus tactum protrudunt,& simouent longè violenti,hi speciem ictus repræsentant. *li.4.de dign.pul.c.1.*

Pulsus celer simul & paruus, non longè tactum impellit. *eod.li.& c.*

de pleno,& vacuo Pulsu , vide longissimam dissertationẽ à Gal. *li.4.de dign.pul.c.2.& 3.*

Pulsum plenum , Galenus ex ipso arteriæ corpore ,ex qualitate substantiæ quam continet,ex natiui spiritus facultate,quæ in arteria est,expendendum iubet. *eod.li.c.3.*

Pulsuum causæ partim generationis , partim alterationis,eorum sunt. Generationis tam vsus cuius gratia fiunt, quàm facultas abs qua,tum instrumenta per quæ distenduntur:alterationis cæteræ omnes,& quæ præcedentes appellãtur,& quæ his succedunt externæ. *lib.1.de pul.cau.c.1.*

Pulsuum causa continens generationis ipsorum est. *ibid.*

Pulsuum alterandorum,non generandorum causæ sunt, humorum crassitudo,abundantia,lentor,acredo,quæ efficere non valent pulsus,alterare valent. *eod.li.& c.*

quæ Pulsus molitur causa,quæcunque illa sit , licet eius nos fugiat essentia,quòd facultatem habeat pulsus efficiendi, facultatem illam vocamus. *lib.1.de cau.pul c.1.*

Pulsuum vsus is est, quòd tuendi causa caloris vniuersi corporis creati sunt pulsus,quem refrigerent,& si quid sit fuliginis ex succorum adustione contractum,id excernant è vestigio. *eodem lib.& cap.& lib.de vsu pul.*

Pulsuum gignendorum prima continens causa,facultas, secunda vsus pulsuum , tertia ipsum est arteriarum corpus. *eod.li.c.1.& 2.*

Pul-

tio. Iam comes est promptitudinis, distentionis, magnitudo, reuisus & contumacię, paruitas. *eod. li. c. 6.*

Pulsus maiores, & celeriores à mollitudine, minores tardioresque è duritie fieri dicemus. *li. 1. de pul. can. c. 6.*

Pulsus omnes naturales, inter excessus medios, moderatósque esse: non tamen quicunque moderati sunt, etiam naturales omnes esse. *eodem li. & c.*

Pulsus mutantur in paruitatem, & tarditatem, languida existente facultate, & remisso vsu. *eodem li. c. 8.*

Pulsus ex defectu crebriores fieri. Eod. li. & c.

Pulsus minores redduntur, & ob facultatis imbecillitatem, & ob vsum remissum, & duritiam instrumentorum. *eod. li. & c.*

Pulsus minimos efficit, facultas extremè deiecta. *ibid.*

Languente facultate, aucto vsu, duróque instrumento, pulsus potissimum ad crebritatem, deinde ad paruitatem, vergere videbis. *eod. loco.*

Pulsus longè magis ad magnitudinem, quàm in celeritatem increscunt vbi infirma facultas est, maior vsus, & instrumentorum mollitudo. *ibid.*

Pulsus minores creat valida facultas, vbi durum est instrumētum, & minor vsus, non tardiores tamen nec crebriores necessariò. *eod. li. & c.*

Pulsuum generationis tres sunt continentes causę, instrumentum, facultas, vsus, *li. 2. de pul. can. c. 1.*

Pulsum variare in nostra potestate non est. *Lib. 1. de diff. resp.*

Pulsus vna causa est, naturalis caloris auctio, diminutióque: altera quę ex animalis spiritus mutata quantitate spectatur, tertia quæ ex firmitate, infirmitatéque naturalis virtutis accipitur; quarta quę ex instrumenti ipsius malo affectu ęstimatur, *li. 2. de san. tuen.*

Pulsum exercitatio, cibus, potus, balneum, alterare possunt. *li. 2. de dign. pul. c. 2.*

Tumor si quidem ingens sit, quod lędatur facultas, vel alteretur vsus, pulsus reddit inęquales. *li. 2. de pul. can. c. 1.*

Pulsus efficit æquales, & pares facultas, cùm imperat omnibus instrumentis. *eod. loco & c.*

Pulsus item inæquales, instrumentorum vitia efficiunt. *ibid.*

Pulsus inæquales efficiunt arteriæ compressio, vel obstructio. *ibid.*

Pulsus abolitio, à pulsu deficiente eò distat, quòd illa veluti defectus quidam est, vt sensus indicat totius functionis, huic dimidiatæ amissio. *eod. li. c. 3.*

Pulsuum intermittentium ordo, deficientium statum præcedit. *ibid.*

Pulsus vibratus fit, vbi valida sit facultas, instrumentum durum, vrgeatque vsus. *libr. de pul. cau. c. 6.*

Pulsus dicrotus, seu bisferiens fit, vti partes arteriæ quas attingimus duriores fuerint, frigidioresque. Itaque difficilius etiam moueantur partes vtrinque, quas non attingimus, ac deinde partem mediam præ ipsis in distentione concitatam retrahunt intrò, iterumque secum attollunt, bis necesse est feriatur tactus. Eiuscemodi pulsus dicrotus est. *eod. li. c. 6.*

Pulsum dicrotum ex magna intemperie oriundum esse, paruáque duritie arteriæ in eum modum motæ planum est. *ibid.*

Pulsuum vndosorum, & vermiculantium causæ sunt facultatis imbecillitas, vel copia humorum, vel summa instrumentorum mollitudo. *li. 2. de pul. cau. c. 8.*

Pulsus decurtati imbecillitatem consequuntur facultatis à qua pulsus creantur. *eod. li. c. 9.*

Pulsus conuulsiuus ex ipsa specie, & affectu quẽ solet denotare nomen rectè inuenit. *eodem li. c. 12.*

Pulsus altos in ira, & ab indicationibus comperio fieri: latos plurimum in decretorijs excretionibus. *eod. li. 13.*

in Pulsibus ordinatis, causam quæcunque inæqualitatem efficiat, semper firmam, & fixam esse; in pulsibus inordinatis non fixam. *libr. 2. de pul. cau. c. 14.*

viri mulieribus Pulsum ferè habent lõgè tum maiorem, tum vehementiorem, paulò tardiorem, satisque rariorem. *li. 3. de pul. cau. c. 2.*

Pulsum habent calidi natura multò maiorem, celeriorẽ, crebriorem, vehementiorem non item multo. *eo li. c. 3.*

Pulsum graciliores maiorem, rarioremque multo vehementiorem paulo habent. *eod. libr. cap. 4.*

Pulsus infantis creberrimus est, rarissimus senis. *eod. lib. cap. 5.*

Pulsus iuuenum, in vehementiæ & magnitudinis differẽtia,

tia,maximus est.*eod.li.c.5.*

Pulsibus magnis egent pueri,quòd calore non pauco prę diti sint:substantiam quoque,quæ refrigeret illum,non paucam requirunt *eod.lib.& cap.*

Pulsus vere vehementissimi,& maximi,& cur.*eod.li.c.6.*

de Pulsibus æstatis,& hyemis,vide eod.c.6.

Pulsus pro regionibus,perinde vt pro temporibus, statū suum sortiuntur.*eod.li.c.7.*

Pulsus prægnantium maiores, crebriores, celerioresque sunt.*eod.li.c.8.*

Pulsus somni initio minores, languidiores, tardiores,rarioresque reddunt:posteà tarditatem pedetentim augent,& raritatem,præsertim à cibo.*eod.li.c.9.*

qui expergiscuntur,è vestigio Pulsus magnos vehementes,celeres,crebros, & cum quadam vibratione habent, qui mox mediocritatem assequuntur.*eod.li.c.10.*

exercitationes moderatæ,Pulsus magnos, celeres, vehementes,& crebros efficiunt.*eod.li.cap.13.*

balneæ calidæ dum sunt moderatæ, Pulsus creant magnos,celeres crebros,vehementes;immodicæ paruos, & languidos,tamen adhuc celeres,& crebros.*li.3.de pul.cau c.14.*

Frigidæ balneæ illico paruos, ac languidiores & tardos, rarósque pulsus efficiunt.*eod li.c.15.*

Cibus largus,vt etiam grauet facultatem,pulsus inęquales,atque inordinatos concitat.*eod.lib.c.16.*

vinum Pulsus,vt cibus variat:hoc vero interest,quòd illico immutet, & citius mutatio à vino profecta recidat, quàm illa quæ à cibo:quòd item celeritatem amplius,& magnitudinem,quàm vehementiam & crebritatem augeat. *eod. lib. cap.vlt.*

Pulsus iræ altus est, magnus, vehemens, celer, creber. *li.4.de pul.cau.c.2.*

Pulsus lætitiæ magnus,rarus,& tardus est. Tristitiæ paruus,languidus,tardus,& rarus. Timoris recentis & vehementis,celer,vibratus, & inordinatus, inæqualisque. *eod. lib.cap. 3.4.&*

Dolor dum paruus est, at que initio pulsum ædit maiorem, vehementiorem, celeriorem, crebriorem. Auctus & validus,vt etiam vitalem contentionem offendat, minorem, languidiorem,celerem,crebrum. *li.4.de pul.cau.c.6.*

Pulsum veluti serrantem habet inflammatio omnis.

Pulsuum inæqualium duæ causæ, facultatis quæ arterias mouet, ob nimios humores, qui ipsam degrauant imbecillitatem, præterea ob ipsorum instrumentorum affectus, oppilationes inquam, & cõstrictiones, atque tensiones, pressúsque Quare nihil est noui, si inæquales in arteriosis partibus inflammatis pulsus fiant. *li. 4 de pul cau. c. 7.*

Pleuriticorum celer pulsus est, & creber. *Ibidem, capite 8.*

suppuratorum Pulsus initio statim pulsum refert, vigescentis inflammationis nonnunquam inæqualis est, & inordinatus: sed omnibus hecticus. *lib. 4. de puls. cau. c 9.*

Pulsus hecticus quis sit, *vide eodem ipso c. 9. 10. 11. & 12.*

phthisici Pulsum, facultatis imbecillitate paruum, & languidum habent. *eod. li. c. 12.*

Peripneumonicorum magnus est pulsus, & languidus, mollísque. *eod. li. c. 13.*

lethargicorum Pulsus similis peripneumonicorum est, magnitudine, remissione, mollitudine, sed eò tardior est, rariórque, ac minus inæqualis, intermittens potius, quàm intercurrens. *eod. lib. c. 14.*

phreniticorum paruus Pulsus est, durus, & neruosus est, mire est celer, & creber. *eod. li. c. 15.*

cathocorum Pulsus lethargicis similes sunt, magnitudine, tarditate, crebritate. *eod. li. c. 17.*

conuulsorum Pulsus, vehemens quoque, & magnus videtur esse. *eod. li. c. 18.*

paralyticorum pulsus & languidus, tardúsque est. *Ib. c. 19.*

comitialium, & attonitorum similes sunt Pulsus. *eodem lib. cap. 20.*

anginæ Pulsus tensione quadam præditus est conuulsiuo persimili: magnus est & vndosus. *eod. li. c. 21.*

Orthopnœa acuta, inæqualem, & inordinatum pulsum habet, & nonnihil deficientem. Quæ mediocriter grauis est, crebrum & languidum. Quæ violentissima, tardum & deficientem. Quæ iam perimit hominem, crebrum, & languidũ. *eod. li. c. 22.*

vteri suffocati Pulsus, vt si conuelleretur, protensus est, & rarus. Quod si extialis sit suffocatio, creber, inordinatus, & nonnihil deficiens. *eod. li. c. 23.*

de

de ventriculi affecti variis Pulsibus, vide capit. 24.

Pulsus vermiculans oppressæ facultati peculiaris. *eod. lib. cap. 24.*

Pulsus in aqua inter cutem ascite, paruus, crebrior, subdurus cum quadam tensione est. Tympanitæ longior non imbecillus celerior, creber, subdurus, cum quadam tensione In anasarca, vndosus, latior, mollisque. *libr. 4. de puls. cau. c. 25.*

Elephantiasis pulsus, paruus, languidus, tardus, crebérque est. *eod. li. c. 26.*

Ictericorum pulsus est, si absit feb ris, minor, durior, crebrior, non languidus nec celer. *eod. li. c. 27.*

Pulsus dignoscere, magnæ difficultatis esse. *lib. 1. de dign. public. cap. 1.*

De cognoscenda contractione arteriæ *vide c. 3. 4. 5. & 6.*

Crassis parui insunt pulsus *eod lib. cap. 8.*

de quietibus Pulsuum dignoscendis. *eod. lib. cap. 10.*

Motus distentionis principalis pars est. *lib. de dignos. pul. 2. cap. 1.*

Optima natura moderatū pulsū habet, ad quem alij collati excessuum, & defectuū nominibus appellantur. *lib. 2. de digno. puls. cap. 3.*

vide declarationem celeris & tardi pulsus longissimam *li. 3. de dignos. pul. cap. 1.* & de rhythmis dignoscendis cap. 3. & de ictu dignoscendo. *lib. 4. c. 1.* De pleno pulsu, *eod. lib. cap. 3.*

Pulsuum præsagationis disciplina bipartita est, altera ex peculiaribus facultatibus eorum, altera ex ipso affectu. *li. 1. de præsagat. ex pul.*

Pulsuū causarū tria genera, naturale, præter naturam, & non naturale. *eod. lib. & cap. & lib. 3. de puls. caus. cap. 1.*

Pulsum non mutari posse, nisi etiam effectrix eius facultas, vel tunica arteriæ, vel vsus quamobrem fit, in aliqua sint mutatione, & alteratione. *eod. lib. & cap.*

Magnus pulsus, in corporibus quæ sunt inculpata sanitate, & temperamentum hominis, & corporis habitudinem demonstrat. *lib. 1. de præsagat. ex pul. cap. 1.*

Minor solito fit, aut cùm imbecillior facta sit facultas, aut instrumenta duriora, aut vsus remissus. *eod. lib. & cap. 2.*

in Pulsibus si motus occultetur omnis, atque in omnibus id partibus accidat, omniū arteriarū ἀσφυξίαν, id est pulsus priuationē, appellat affectū. *li. 1. de præsag. ex pul. c. 3.*

Vermiculans ex molli quidem, verùm ex debilitata insigniter facultate proueniens, solet largis vacuationibus succedere. *eod. lib. & cap.*

Multi in tangendo respiciendi pulsus, comparandique inter se accuratè motus. *eod. lib. cap.* 10.

Pulsus aboletur bifariam, vel quia prorsus non pulsant arteriæ, quod extremum malum sit: vel quia pulsat quidem, sed ita languidè, & parum, vt sensum fugiant. *eod. lib. & cap.*

Carpi arteria ferè solet tangi. Eod. lib. cap. 11.

Pulsus tremulus facultatis imbecillitatem significat. *eod. lib. cap.* 12.

Ordo in pulsu fixam & manentem causam: perturbatio ordinis variantem denotat. *eod. li. cap. vlt.*

Cur in pestilentia plerique bono pulsu, per vniuersum morbi decursum præditi perierint. Vide longam enarrationem, *lib.* 3. *de præsag. ex pul. cap.* 3.

Vide signa pestilentis febris, & quòd ex vrina solùm dignosci non possit. *eod. lib. cap.* 4.

De febribus per pulsus dignoscendis. *eod. lib. c.* 7.

Libro quarto continentur pulsus, qui ad varios partium corporis omnium affectus cõsequuntur, & de facultate vitali cognoscenda, & de indicationibus per pulsus præsagiendis. Hi præcipui de pulsibus ex Gal. loci, quod si qui supersunt, eos in lib. de pulsuum vsu & de pulsibus ad tyrones, & de diff. respirationis, prudens lector requiret.

De vrinis, & earum significatione. CAP. X.

CVm de pulsibus sit à nobis superiore capite diffusè tractatum, postulare ipse tractationis ordo videtur, vt de vrinis quoque tractationem aggrediamur. Nam & eæ in plerisque morborum dignoscendis, non minimum momẽti habent. De vrinis itaque hæc docebimus, vrina quid sit, & quonam ipsa pacto generetur: vrinæ quid portendant: & qua facultate ad renes vrina trahatur: tum super qua facultate & super quibus locis vrinæ indicent, in quibus item morbis attendendæ, & in quibus non: deinde de vrinarum differentiis ex colore, substantia, & contentis, & quomodo sit ex his præsagiendum. Postremo de vrinæ sedimento, & illius generatione nonnulla subnectemus. Vrinam porrò serum esse hu-

cõ.1.a. 3. li.de mor. vul.rex.6 Actu. li.1 de dif.v-rin.c.4.

morum in venis contentorum, conceptis verbis Gal.expressit. Actuarius autem sanguinis colaturam esse dixit Equidem cùm in sanguine ipso (cuius effectiua potestas hepati à natura tributa est) multiformis appareat humorum substantia, cùm sit heterogeneum quiddam, id quod sanguinem vocamus, partem quandam in eo tenuem, & flauam, abundéque calidam inuenire licet, quam & ipsam bilem vocamus: alteram crassam, fæculentam, planéque terream, quam succum melancholicum rectè appellat Galen. Qui probè verò temperatus, calidúsque moderatè ac humidus in vasis à facultate hepatis elaboratus subest humor, hunc sanguinem iure appellandũ omnes censent. Sed huic pars serosa quædam confusa, & planè immista aliquandiu ad quædam certè naturæ felicius obeunda munera manet: quam & ipsam modò serũ sanguinis modò illius colaturam appellamus. Hoc ipsum vrina est, de qua modò agimus. Gignitur autem mira quadam naturæ industria. Nam cùm ex ventre in venas, adeóque in vniuersum tandem corpus trãssumi chymum eum, qui ex cibis est, in sanguinem iam hepatis virtute mutatum oporteat: neque id commodè fieri possit, ni comes illi tenuis quæpiam, serosa humiditas, quę facilè per angusta loca permeet, ceu vehiculum quoddam permisceatur (est enim natura crassior, & compactior sanguis, quàm vt facilè pertransire venas quæ sunt in hepate, & multæ, & angustæ possit) hanc vtique serosam humiditatem natura ob eam vtilitatem, magno animalium commmodo creauit, vt illius ductu sanguini crassiori in angusta loca, vasáque minima aditus pateret. Distribui nanque ex ventre id quod nutriturum erat non potuit, nisi ab aliquo quopiam, & aquoso humore deductum. Quem sane humorem Hippoc. ὄχημα τροφῆς, hoc est, vehiculum nutrimenti appellauit, eo quidem nomine vsum eius indicans. Meritò igitur aliquandiu tenuis hic humor, vnà cum sanguine, ad id quod diximus opus, intermistus relinquitur, qui vbi satis munus expleuit suum, sanguinémq; in angusta loca deduxit, mox onus alienum futurum venis secerni à sanguine ipsum oportet, & aliquo trudi, vt inde commodè via aliqua extra corpus ferri possit. Cuius vtilitatis gratia renes, emulgentes vocatæ venæ, atque vreteres, tum & vesica creata sunt, vt fusissimè Gal. 4. & 5. de vsu partium demonstrauit. Vrinæ itaque

itaque generatio, vti & sudoris, ex bibito humore constat excalfacto simul in corpore, & biliosæ nonnihil substantiæ adepto, vt prodidit cùm lib. 10. de simpl. facultatibus, tum quarto de vsu partium cap. 5. Gal. Ad hanc, inquit, vtilitatem, gignendi scilicet huiusmodi humoris, famulatur animalibus aqua. Ad hunc itaque modum, & ad eos quos protulimus vsus, gignitur in corporibus nostris serosus is humor quem Græci οὖρον, hoc est vrinam, vocant. Quid modò vrinæ portendant, explicandum. Hæ verò autore Galeno, partium hepatis renúmque, & vesicæ, tum & vasorum sanguinem continentium affectus præcipuè indicant, & virtutis succos generantis, tum robur, tum imbecillitatem demonstrant. Eant nunc, qui ex vrina de omnibus omnium partium affectibus sese certa pronuntiaturos temerè iactitant, & hac impostura præstantium sibi medicorum nomen falsò assumunt, miserísque mortalibus fucum faciunt, cùm vel Gal. sententia admoniti, id animaduertere debuerant, venosi tantùm generis, partium hepatis, renum, atque vesicæ, vrinam signum esse certissimum posse, aliorum minimè. Qua vero facultate ad renes vrina trahatur, multis in locis expressit Gal. Trahitur porrò in renes vrina, ab propria renum tractoria facultate, quæ in id illis à natura tributa est: non enim per se eo vrina fertur, neque eam venæ contractæ, circumplexæque in renes protrudunt: sic enim, non vrinam modò, sed etiam omnem qui in ipsis continetur sanguinem, simul cum ea impelli à venis in renes oporteret. Quod cùm non fiat, sed serosus tantùm humor eo trahatur, à facultate renum attractrice id fieri est omnino existimandum. Nisi enim (sicut Hip censuit) renibus eiusmodi qualitatis trahendæ vim quandam dederis, nullam aliam inuenies. Iam verò super qua facultate & locis vrina indicet, prodendum. Id vero pulchrè à Gal. lib. 2. prognosticorum Hipp. com. 26. dictum est. Vt enim, inquit, facultatis in ventre agnoscuntur indicia ex iis quæ quotidie deiiciũtur, sic facultatis in iecore, ac venis ex vrina. Itaque num probè elaborati in hepate, ac venis succi sint: ex vrina deprehendimus: quæ si optima fuerit & conditos in venis humores probos itidem fore, & hepatis facultatem probè suo munere functam esse, declarabit: sin minus, tãtò deteriores in vasis cõsistere succos ostendet, quanto ipsa ab optima deflexerit. Facultatis igitur hepatis cõcoctricis, atq; venarũ vrina certissima

com. 2. in 1. li. Prorrhetic. textu 2.

Inignaros medicos.

li. 1. de nat. facul. & li. 4. & 5. de vsu par. & li. 6. de loc. aff. c. 3.

nota semper est habita. Qualis nanque apparuerit, tales intus succos subesse demóstrat. Quib⁹ vero in morbis attédendæ maximè vrinæ sint, nos bellè Gal. lib. 1. de crisi. cap. 7. docuit. In febribus quidem omnibus, quoniam venosi generis sunt passiones, ad vrinas præcipuè attendere oportet. Quin & in laterali morbo, sputa quidem primùm, secundo loco vrinas itidem spectare oportet: perindè atque in ventris affectibus, si quidem cum febre coniuncti fuerint. Nam si sine febre constiterint, solis excrementis, quæ aluo deiiciuntur intédere sat est. Ob id autem in venoso genere spectandæ vrinæ sunt, quòd concoctionis eius, quæ in ipsis fit, certum nobis indicium præbeant, perinde atque sputa, eius quæ in spirandi fit instrumentis, & egestiones eius quæ in ventre obitur. In aliis autem morbis, qui ad venosum genus minimè spectant (si renum & vesicæ dempseris) vrinis fidere non oportet. Quicunque enim morbi sine febre affligunt, aut in cerebro, aut in membranulis, aut in thorace, aut in pulmone, ex aliis indiciis autore Gal. dignoscere oportet, siue mitiores breuioresque futuri sint, seu etiam periculosi, atque diutini. Sed iam ad vrinarum explicandas differentias propius accedamus. Petútur autem eæ ex colore, substantia, & contentis. De colore primùm, deinde substantia, postremo loco de contentis agemus. Ergo vrinæ colores, vt multiplices, ac varij sunt, sic sanè diuersissima demonstrant. Sunt autem ij in vniuersum, albus sub quo crystalinus, niueus, & aquæ puræ, qui omnes summæ cruditatis sunt indices. His subsunt Lacteus, glaucus, charopus, albi quidem omnes, sed alij aliis intensiores remissioresve. Intensæ albedinis sunt crystalina, vrina, niuea, & aquæ puræ speciem referens: quæ ob id aquosa iure nuncupatur. Remissæ albedinis lactea, quæ lactis colorem repræsentat, & glauca, quæ instar cornu pellucidi spectatur, & chæropa vocata, quæ pilis subalbidis camelorum simillima est. Atque eæ omnes albi coloris differentiæ sunt. Sequuntur subspiceæ & spiceæ vrinæ, quas nonnulli subpallidas, & pallidas nominant. Fiunt autem huiusmodi, cùm tincturam à colore vegetiore accipiétes, coctiores fieri incipiunt à cruditate secedentes: spiceæ coctionem exactiorem, subspiceæ mediocrem indicant. Coloré nanciscuntur spicarum flauescentium, vel iam omnino maturitatem adeptarum. Vbi verò coctionis vberiora vestigia in vrinis apparuerint, tum tinctura coloratior apparebit, fientque

que

quę vrinæ subfuluæ, siue subaureæ, hoc est puri auri colore paulò inferiores. Has sequitur aurea, seu fulua vocata, auro puro, ac puto in colore simillima. Inde subcrocea floris carthami colorem repræsentans, quam sequitur crocea, à croci colore nuncupata. Apparent item subrubeæ, atque rubeæ vrinæ, sanguinis interdum saturatum ruborem præ se ferentes, aut rubentium cerasorum, quas consequitur vinea vocata, inde nomen sortita, quòd vini meri crassiusculi in nigredinem inclinantis, colorem referat. Passea vrina intensiore, & obscuriore colore vineæ præstat: similis enim passo est, quod ex vua nigra decocta perficitur vel cerasi ad nigredinem vergentis colorem imitatur. Inde vero venetus sequitur color, quem & cæruleum appellare iure possumus, Actuarium imitati Fit is nigro, atque albo ęqua lance confusis, vt si calci cerussæve lectissimæ atramentum, aut picem, pari pondere misceas, venetus inde insurget color, qui in vrinis sæpissimè apparet. Virides quoque, oleaceæ, & liuidæ, postremo nigræ non rarò visuntur virides, vel dilutiores, vel saturato virore obscuratæ, non rarò spectantur. Oleaceæ, quę olei nitorem repræsentant. Liuidæ plumbi colori simillimæ euadunt. Fiũt vbi nigredo albedinem plurima ex parte in mistione superarit. Nigræ vrinæ, omnium exitiosissimæ, & ipsę quoque apparent, ipsoque atro colore, extinctis carbonibus simillimo omnibus notissimę. Hi vrinarum omnes colores sunt, ex quibus preuidentię indicia certa sumi queunt: qui & ipsi in tabella descripti haberi debent, vt ad eos inspicientes colorum in vrinis apparentium veram speciem oculis subiicere valeamus. Substantię vrinæ modo differentias explicemus. Sunt autem eæ in vniuersum tres, tenuis, crassa, mediocris. Quę vt probè à medico discernantur, eam vrinam, quæ & sani hominis, & optima dicitur, pro scopo habere omnino oportet: vt ad quam intuentes, reliquę omnes, vel tenues, vel crassę dici merentur. Quæ enim illa tenuioris consistentiæ est, tenuis ea optimo iure appellatur: quæ crassioris, ea crassa dicetur. Est autem optima vrina, quę substantię neque tenuis, neque crassæ est, sed mediocris, quę item quantitate sua bibitorum quantitati respondet, colore autem subspiceo, hoc est, subflauo apparet, sedimentum habens album lęue, & ęquale. Ad hanc intuentes de tenui & crassa vrinæ consistentia diiudicare facilius, atque commodius poterimus. De differentiis

Substãtiæ vrinæ differentiæ.

in vrinis contentorum, paulo nunc pleniùs dicendum. Contenta porro, vel in superficie vrinę, vel in vasis medio, vel ima in parte, fundóque matulæ consistentia apparent. Quæ in superficie spectantur, nubes à medicis appellari solent: quę in medio, eneoremata, seu sublimia: quę fundo hærent, hypostases, seu subsidentię rectè dicuntur. Itaque locus primum in quo contenta apparent imprimis attendendus, quod ex eo in iudiciis vrinarum plurimum super naturæ actione in coctionibus perficiendis, momenti nanciscamur. Color subindè substantiaque contentorum attentè consideranda. Sunt autem iidem contentorum prorsus, qui & vrinarum colores. In vrinis autem, quæ secundum naturam sunt, subalbida contenta esse debent, quæ ab hac decidunt mediocritate, vel lactea fiunt, vel spicea, flaua, rubra, cruenta, veneta, liuida, nigra. Sed & substantiæ eorum varię sunt, nempe, crassa, tenuis, mediocris. Contenta, quæ mediocri sunt substantia, crassiora sũt ipso toto vrinę humore: quod & visus ipse discernit. Tenuia quę sunt & quæ magis cum dolore vrinæ consentiunt, ea minus conspicua esse solent, quàm quæ magis à calore corporis vrinę dissident. Quę verò ad crassitudinem contenta vergunt ea visu facilius iudicari queunt: & à corpore vrinæ plurimum differunt. Contentorum porrò alia orobea, alia similaginea, alia farinę speciem referentia, alia squammarum, sabulosa nonnulla, quemadmodum & purulenta, & putria, est in vrinis spectare. Nunc verò quonam pacto ex vrinarum coloribus, consistentia, & contentis sit presagiendum, compendiò explicabimus: is enim est ex vrinarum inspectione pręcipuus fructus. Ab albo calore iudicia auspicabimur. Alba itaque vrina in sanis apparens, vel multam vini tenuis, & olygophori potionem, pręsertim si copiosa emittatur, vel frigidam quãdam iocinoris intemperaturam demonstrat. In senibus verò alba admodum vrina, obscuram, & occultam habens hypostasim spectari solet. In iis item qui renum, & internorum viscerum obstructionibus tenentur, & qui aqua inter cutem laborant, apparere item huiusmodi vrina solet. In acutis verò febribus si apparuerit, delirium portendit, biliosique humoris ad cerebrum raptum, iuxta diuini Hipp. sententiam. At verò vrinę omnes albę fiunt, absentia humoris biliosi vrinã tingentis, & significant in vniuersum, vel humorũ crudorum crassi-

vrina alba quid significet.

crassitiem & copiam, aut potus exuberantiam, aut cruditaté, aut auersionem & raptum alio tingentis humoris, vel frigiditatem senilem, vel morbosam tandem denuntiant: aut etiã abscessum in his partibus, quæ sunt infra septum transuersũ, vel Hipp. 2. prognost. testimonio. Sequũtur subspicea, & spicea vrinæ, quæ vt minoré cruditatem, coctionisque carentiã indicant, ita naturam concoctioni humorũ indulgere demõstrant, caloréque natiuum paulo esse vegetioré, vt qui coctionem iã aggredi in humorib. valeat. Quod si tingatur magis vrina, substantiaque mediocri spectetur, subaurea, & subcrocea fieri incipit: qui sanè colores perfectæ concoctionis, & fœliciter obitæ testes sunt. Illud autem animaduertendum in iis qui bona natura præditi sunt, probósque humores habent, vrinã sub subauream apparere: iis verò quib. flaua bilis secundũ naturã redundat, subcrocea magis apparet: vti in melancholicis atque pituitosis ad albũ inclinare coloré vrina videtur. Aurea, & crocea, auctũ præter naturã caloré, calidęq; materiæ copiam demõstrant. Hoc autem inter ambas interest, quod aurea caloris incrementum ex materiæ calidæ redundantia ciborum inquam, aut medicamentorum calidorum, aut humorum similium. Crocea verò auctum quidem interdum calorem, sed sine affluxu calidę substantiæ indicat. Apparet enim non rarò in magno mœrore affectis, curis, laboribus, vigiliis, æstu defatigatis hominibus. Rubeæ quæ sunt, aut subrubeæ, crassæ quidem frequentiùs, sed & tenues quandoque apparere solent. Quæ rubea est, rubeæ quoque bilis redundantiam indicat. Nonnunquam serosam sanguinis superfluitatem in vasis redundare, ob id in febribus sinochis ex sanguinis copiosioris feruore, aut putredine genitis tales plerunque spectari solent. Ad hæc dilatis iis, quæ in renibus sunt vasis, ruptisve, atque scissis tales spectantur vrinæ, sanguine, inquam cum ipsis mixto, atque confuso, ob venarum vel appertionem, vel scissuram, cúmque affectum, seu potius pathema, mictum sanguinis appellare medicinam factitantes solent. Sed affectum hunc, sedes affecta, locúsque dolens indicat. Nam lumbos dolor & grauitas occupat, móxque sanguineum quiddam micturiunt. Interdum vero vasis sanguinem excolantibus raritate nimia, vel ob laborem, vel æstum, vel humorum eò labentium copiam affectis contingit vrinas huiusmodi emitti. Hi autem colores in vrinis appa-

Texto. 34

Subspicea & spicea vrina.

Aurea & crocea.

Vinea vrina. parentes mediocre quidem malum, at non exitiale, sed vt plurimum salubre demonstrant. Vineus sequitur vrinæ color, qui conspicuus, bonum assari humorem, præcipuè sanguinem à calore immodico, & ad atrabiliarium degenerare assatione nimia protendit. Quod cùm fit, peiora omnino in morbis expectare oportet, qui enim vel à bile incensa, & super assata, vel ab ab atra bile prodeunt affectus, ob humorũ acrimoniam, sæuissimi esse solent. Quod si cũ eo colore aliquid sediminis boni apparuerit, non æquè malum id fuerit. Ex eo.n. naturæ molimen, atque conatus in cõcoquendo humore designatur. Sin verò aut mala contenta adfuerint, aut prorsus contentis vrina vinea caruerit, imbecillitatem virtutis magnam significat. Apparet eiusmodi vrina (quod à me sæpe est animaduersum) in sanis hominibus, qui se vehemẽti agitatione, & motu, aut celeri equitatione, & diuturna exercuerunt. Passeus color in vrina apparens, grauiorem omnino affectum significat: multóque virtutis robore indigere, vt ad bonum transmutetur. *Passea vrina.* Indicat enim biliosum humorẽ aduri. Hęc vrina arquato morbo peculiaris esse solet. Viridis vrinæ color, etsi rarissimè spectetur, vbi tamen conspicitur, ad magnum ægrotanti inferendum malum expeditum esse colorem eiusmodi, conicere omnino oportet. Demonstrat enim vehementer assatos esse, planéque igne absumptos humores, vel prasinam, æruginosámve bilim (præsentissimum malum) in vasis dominari. Vtrumlibet autem si adfuerint, in difficili rem ægrotantis esse prædicere iure possumus. Vt in summa dicatur, vrina viridis exustam esse omnem natiuam humiditatem à calore febrili demonstrat. Oleacea pingue corporis liquari ab vehementi calore, eoque pręter naturam indicat Ab vrinæ oleaceæ, interdum pinguis vniuersi corporis liquefacti: interdum renum tãtùm signum sunt, cùm eorum pingue ab affectu aliquo colliquescit. Si enim sensim huiusmodi vrinæ appareant, calórque præter naturam corpus infestet, colliquatiua febris inde conicitur fore. Sin verò affatim tales apparuerint vrinæ, calorque non vniuersum, sed renes tantùm præhenderit, renum pingue fundi, atque eliquari indicat. *Veneta, liuida, nigra* Veneta, liuida, & nigra, sese inuicem intentione, & remissione tingentis vrinam humoris consequuntur. Veneta minus, liuida magis, nigra omnino mala, si in acutis morbis apparuerit. Indicat autem venetus color, vel tinctu-

tincturam mediocrem melācholici succi, vel frigiditatem in toto vincentem, vel tandem natiui caloris mortificationem. Liuidus vero, eadem ipsa, sed paulò intensiora demonstrat. Nonnunquam etiam plagas, atque verbera homini incussa esse declarat. Nigra vero instar carbonis extincti, caliditatem vrentem ad summum progressam esse portendit; præsertim si aut viridis, aut passea, vineave præcesserit. Significat interdum extremam natiui caloris mortificationem, atque ob id frigiditatem summam. Itaque vt extremus est color hic inter colores, sic sanè extremum in acutis morbis malum adfert. Dissoluit nanque corpus, non potens tolerare immodestiam qualitatis. At non tamen in vniuersum niger color exitium minatur, quin non rarò salutaris decretorij morborum melancholicorum indicium certum existit. Quartanæ enim plurimæ, lienisque obstructiones decernere vrinarum nigrarum mictione visæ sunt. Quod & ipse in plerisque ægrotis animaduerti, præsertim in quodam iuuene Ioannis Ruffi Pharmacopęi filio, qui cùm liene laboraret, post intēsos ea in parte perceptos dolores mox iis remissis, ingens vrinarum nigrarum mictio, per plures dies consequuta est, absque vlla ægri noxa, vllove doloris sensu, túmque & lien detumescere ęgro cœpit, ipséque æger in bonum habitum demutari. Erant autem vrinæ instar atramenti nigerrimi, copiosissimę, multóque sedimine crasso, ac nigro constantes, instar amurcæ olei. Nonnunquam ab cibis, & potibus vrinam eo colore inficientibus, prouenire huiusmodi vrinę solent, vt Actuarius historia enarrata famuli, ab epoto pharmaco nigras vrinas mingentis, planum facit. Ad hæc de iudicio ex coloribus vrinarum sumpto dicta sufficiant. De substantia iam dicamus. Triplex nobis posita est vrinarum substantia, tenuis, crassa, mediocris. Priores duę, ceu extremę, à mediocri valdè, & substantia, & significatione differunt. Producuntur enim tenuis, & crassa, cùm ab scopo coctionis eius, quę in venis fit, aberratum fuerit. Cùm enim quæ secundùm venas fit concoctio probè obita fuerit, tum sanè vrinæ substantia mediocris apparet, quantò verò infelicius coctio in venis processerit, tanto vrinæ substantiam a mediocritate deficere consentaneum est. Quoniam vero cruditas omnis, aut ob infirmitatem natiui caloris succos concoquere non potentis, aut ob aliquem humoris excessum, natiuum calorem obtundentem,

efficitur quæ à priore causa ortum ducit, tenuẽ in vrina substantiam parit, quæ verò cruditas excessum humorum sequitur, crassam gignit in vrina substantiam. Nec verò solùm errata concoctionis substã tiæ eæ consequuntur, sed & ad meatuum opilationes, deopilationésve consequi, in aperto est. In obstructionibus enim, veluti in meatibus coangustata materia, crassæ vrinæ continentur partes, vnde tenues apparere vrinas est omnino necesse. Non enim transcolantur in oppilationibus crassæ partes, sed tenues tantùm trãsmitti queũt. In deoppilatonibus verò, reseratis vasis, crassas apparere vrinas oportet, natura vtique expellente meatuum amplitudine, non solùm concoctas superfluitates, verumetiam ea, quæ nondum probè elaborata fuere. Tenuis itaque vrina, aquosáque crudos in vasis subesse humores, autore Galeno, indicat: idque si nihil subsidens habeat. Vbi autem concoqui crudi ij succi cœperint, nubeculæ quædam desuper tenues superstare visuntur. Hæc verò interdum in his qui inediam passi sunt, spectatur, sed subcrocea tum apparet, aut nullis, aut exiguis contentis prędita. Sic & in magnis vacuationibus sanguinis: alui profluuiis, & vrinæ albã, ac tenuem absque sedimine vllo est videre, perinde atque in tabitudine, & naturali senio. Ad hunc igitur modum de tenui vrinæ substantia præsagire arte poterimus. Imbecillitatem caloris ea denuntiat.

Tenuis vrina. Lib. 4. de sadi. tu

Crassa vrina.

Crassa verò si fuerit vrinę substantia, aut humorum copiam, aut coctionis in humoribus principium, præsertim vbi tenuis præcesserit, demonstrat, in his quidem morbis, qui à crudis humoribus nascuntur. At verò si turbida simul ac crassa, quadam iumentorum apparuerit, crudis tum quidem refertas esse venas ostendit; non tamen cessare in concoquendo naturam, sed eos valenter conficere. In huiusmodi autem vrinis, id non raro vsu venit, vt crassi à liquido separatio celeriter fiat, subsidátque sedimen album, leue & æquale. Quod cùm accidit, & coctionem probè obiri, & superari à natura succos abundè declarat. Sin cùm mingitur pura est atque conspicua, protinus verò turbetur iam crudorum coctionem aggredi naturam docet. At si interposito tempore, non confestim turbetur, paulò post aggressuram concoctionem naturam insinuat. Si verò turbidarum nulla omnino fiat separatio, vel quod subsidet mali moris sit, imbecillitas naturæ ex eo iudicatur, egentis ope aliqua ad succos percoquendos. Nunquam enim

enim in vrinis subsidentia vlla apparet, ni naturæ robur adfuerit. Diximus de vrinæ substantia, quonam pacto sit ex ea prædicendum. De contentis modò agamus. In quibus quantitas, color, substantia, leuitas, & æquabilitas præcipuè sunt spectanda. Contenta igitur, aut copiosiora, aut minora, aut mediocra quantitate esse contingit. Si subsidentia quantitate maior quàm pro ratione fuerit, hominem humorum copia redundare, saginaríque, atque ocio, & vita molli vti, multísque cibis impleri declarat: vti si minor paucos intus subesse humores, hominemque minime saburrari ostendit. Tenuis vero subsidentia, si conspicua sit, in vase nonnunquam humoris crudi attenuati signum esse perspicitur. Quod hinc discernas licet: nam si matulam modicè vacuaris, ipsa contenta citò attolluntur, leuitásque protinus dissipatur. Crassa contenta, vel crassorum humorum copiam, vel naturam in crudis succis coctionem moliri demonstrant: nonnunquam verò etiam sequestrationem superfluitatum, quæ sunt in venis, à natura fieri, cumulatę materię nimietatem vacuante, indicant. Quod hoc indicio deprehendas, si huiusmodi contenta per decretoria morborum apparuerint: tum enim sequestrationes noxiorum humorum à natura fieri solent. Quòd si per initia morborum appareant, febrium pręsertim, vt praua inspectare oportet, maximè verò si male colorata visantur. De colore verò contentorum sic diiudicare oportet. Quę alba vehementer sunt, humorem pituitosum multum, cuius veluti ramenta ipsa sunt aut pus exactè elaboratum, atque concoctum ostendunt: hoc verò an illud indicent ex fœtore, aut fœtoris carentia planè dignosces, pus enim malè olet, pituita minimè. Si subspicea apparuerint, non omnino mala hæc existimare oportet: mediocria nanque censeri possunt, videlicet à mediocri bile colorata. Si tamen biliosa & flaua appareant, mala habenda talia sunt, quippe quæ auctā esse bilem demonstrant in vasis. Peiora sunt omnino nigricantia, contenta, quæ id indicant, à copia prauorum humorum superari naturam. Nisi enim natura robusta sit, extraneos huiusmodi humores superare nequicquam potest. Itaque contenta jam eo censentur deteriora, quo magis à mediocritate discesserint. Quo in genere cùm nigra extremum sibi vindicent locum (longissimè namque à mediocritate distant nigra quæ

Tenuia cōtenta.

Crassa cōtenta.

ſunt) efficitur vt exitium quoque apparentia portendāt: præſertim vbi in acutis febribus apparuerint. Liuida verò & veneta vt nigris inferiora ſunt, ſic minus quoque mala habenda, cùm & ipſa tamen, graue ægro mortificationis natiui caloris impendere periculum minentur. Subrubea aut rubea contenta, cruditatem quidem quandam in vaſis ob rubræ ſeu flauæ bilis redundantiam demonſtrant: periculo tamen

Cruenta. vt plurimum vacant. Cruenta verò quę ſunt, non elaboratū omnino fuiſſe ab hepate ſanguinem oſtendunt: rubeis quidē peiora, ſed liuidis, aut nigris incolumiora, diuturnúmque vt plurimum morbum ſignificant. Nonnunquam verò ardentē nimium & eliquantem calorem indicant, diſſoluentem humores eos, qui naturæ maximè familiares ſunt: vaſáque reſerantem, quod cùm fit, extremum malum putandum eſt, vir-

Orobea. tutem in opere ſuo defatigari indicans. Orobea ſi ſubſidat hypoſtaſis, carnes corporis eliquari, pingui iam omni conſūpto, declarat. Interdum verò pinguedinis renum eliquationem: quod tum accidit, cùm renes immodico calore afficiuntur. Si verò febris adſit liquari vniuerſum corpus atque exta

Furfurea. beſcere ſignificat. Furfurea hac multo deterior, febrem in profundis vaſis veluti infixam eſſe inſinuat, planéque habitudinali febre hominem corripi. Non rarò autem veſicæ ſcabiē,

Laminea. prauóſque illius affectus talis hypoſtaſis ſequitur. Laminea tum apparet, cùm febris procedens ſolidas corporis partes deuſſerit, vt à quibus veluti laminæ quędam deciduę, vna cū

Similacea vrina proferantur. Similacea omnium harum peſſima eſſe creditur, quòd mortificationi caloris natiui proxima eſſe videatur. Febris nanque perſtans, & ad ſummum perducta, amplas corporis partes depaſcens, ſimilaceam producit hypo-

Ramenta ſtaſim. Ramenta interdum in vrinis ſubſident crematos ab v-

Capilli. rente calore humores indicantia. Capillamenta quędam alba in vrinis ſpectantur, quæ à renibus manare nimio calore

Li.4.aph. affectis Hippocrates exiſtimauit. Carunculæ interdum cum

76. vrina exeunt, quæ vel ſcabiem renum, aut veſicæ, aut vlcera,

Carunculæ aut totius eliquationem demonſtrant: vti ſi arenoſa ſubſiſtāt, calculo laborare veſicam (alba ſi fuerint) aut renes (ſi rubra)

li.4.aph. demonſtratur, vel Hippocratis teſtimonio. Sanguis excre-

79. tus, aut pus ſubſidens, vel ſquamulę, veſicæ exulcerationem,

eod.lib.81. autore Hippocrate, declarant. Contenta porro ſi continua, & leuia fuerint, non nihil humoribus accidiſſe, ſed concoctionem

nem rectè fieri significant. vbi verò aspera, ac veluti dispersa in matula apparuerint agitatum in humoribus quendam productum esse, violentúmque spiritum conturbantem, & dimouentem materiam (vnde illi diuulsio accidit) planè declarant. Bullæ verò vrinis innatãtes, & adulterinum spiritum, hoc est flatum humoribus intermistum, & ebullitionem in humoribus, conturbationémque quandam designant: quæ si superficie consistant, capitis dolorem indicant, præsertim si vrinæ concolores sint: si enim albæ sint, remissiora omnia portendunt. Quinetiam in iis qui seminis fluore tentantur, bullę densius secundum coronam in vrinis apparent. Corona, extrema, eadémque summa vrinæ pars est, quasi circulum dicas ambientem, vnde illi coronę nomen inditum est: quod extremam vrinæ partem ambiat: veluti corona caput circumplecti solet. Ea interdum eiusdem cum vrina coloris est, interdum diuersi. In aureis, rubeis, & coloratis vrinis si alba fuerit corona, bonum portendit, naturam inquam incipere dominari. At in viridi, veneta, & passea vrinis, si similis, aut liuida appareat, à malo est, prauos dominari in vasis humores indicans, eósque naturę dominari. Si veluti aranearum filamenta aut guttæ oleaceæ vrinis innatent, colliquationis hæc signa esse putandum est. Odor verò malus in vrinis perceptus, putredinẽ intus subesse abundè declarat. Interdũ si praua fuerit vrina, mortificationem totius corporis is odor indicat. Vrinæ verò absque hypostasi cuius tandem vis coloris fuerint, prauę semper existimatę sunt, obstructionem vasorum, vel debilitatem naturæ indicantes: atque ob id cruditatem. Vrinę sedimentum (quod vltimo loco dicendum nobis est) nihil prorsus aliud est, autore Galeno, quàm alimentum naturę refugiens confectionem. Vt enim lac in mammillis & in genitalibus semen vi naturæ producuntur: sic & in vrina sedimen, quod quadantenus solidioribus assimilatur partibus nempe conceptaculorum tuniculis, neruis, copulis, ac membranis, chartilaginibus, ossibúsque. Eadem itaque causa quę efficit, vt pus candidum nec malè olens appareat (victoria inquam natiui caloris concoquentis, & in membrorum natúram assimilare tentantis) eadem inquam sedimen producit in vrina optimum, album, leue, & æquale. Ob id Isaac Israëlita, sedimen fundamentum esse tertię coctionis rectissimè dixit. Sedimen (ait Galenus) velut pus obtinet generationem, quod

Bulla.

Corona.

Aranearum filamentum.

Odor malus.

Sedimen quid.

Lib. I. prædic. 16. vl.

proportione respondeat, inter id & naturales humores. Alimentum enim (subdit) quod naturæ refugit confectionem subsidet in vrina, neque vt sanguis ab ea commutatū, neque vt pus præter naturam causæ particeps. Hæc Galenus, vnde perspicuè videre licet sedimen quid sit, & à quo generetur. Est enim tertiæ coctionis, quæ in vasis fit, excrementum à natura vnà cum vrina ad renes, vesicámque deductum, vt & Isaac libro vrinarum bellissimè affirmauit. Gignitur verò à calore membrorum concoquente, & assimilationem membris vnde deducitur quadantenus moliente: vnde sedimen, si optimum sit, album, æquale, leue (quod eas qualitates naturæ vis non impedita ei excremento ingeneret) apparere est omnino necesse. Illud verò coronidis loco adiiciemus, quid in inspiciendis vrinis medico sit obseruandum, ne tractationi deesse quippiam videri possit. In vrinis itaque inspectandis, hæc necessaria, autoribus Auctuario atque Isaaco Israëlita esse videantur. Vas in quo vrina reponatur, locus & tempus congruum, in quo spectari vrina debet. Ergo matula vitrea, atque pellucida esse debet, ex vitro tenui, pellucido, albo confecta. Quæ enim ex viridi vitro constant ineptissimæ habendę sunt, quod pellucidę non sint, & vrinarum colores viriditate sua demutent, hoc est, subdola specie, quasi virides sint, oculo repræsentant. Ad hæc forma oblongæ, protensæ fundo in orbicularem formam tornato, vt vesicę similitudine quadam expressa, videri quàm simillimè queant, esse matulæ debent. Locus verò inspiciendis vrinis idoneus, neque omnino opacus, & vmbratilis, neque nimium illustris, aut splendore coruscans esse debet, sed inter hęc medius. Opacus enim colores discerni non sinit: nimium illustris visum hebetat. Transferenda itaque matula propè solem, loco mediocriter lucido, inspicientis verò oculus non radiis solaribus obiectus, sed in aëre ab iis illustrato cōsistere debet: sic enim meliùs vrinæ inspiciuntur. Tempus verò idoneum, id est, vt non protinus, vt emissæ vrinę sunt spectentur, sed aliquantò post, vt non solùm colores sed & substantia, & contenta inspici probè possint. Neque validè agitandę sunt, ne dissipentur contenta: vrinę verò post somnum, & diluculò factę potissimùm inspiciendæ. Eę namque ad iudicium proferendum de humoribus, aptiores.

Quæ in inspiciendis vrinis obseruanda.

Matula qualis esse debeat.

Locus.

Tempus.

De vrinis, Hippocratis, & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

QVIBVSCVNQVE disparatæ vrinę sunt, his vehemens turbatio in corpore est. *lib.7.aphor.33.*

Quibuscunque febricitantibus, in vrinis subsidentię crassiores polentæ partes referentes fiunt, longum morbum significant. *lib.7.aph.31.*

Quibus vero biliosæ subsidentiæ ab initio tenues, acutum morbum significant. *eod.li.aph 32.*

Quibus in vrinis bullę superstant, renum affectiones significant, & morbum fore longum. *lib.7.aph.24.*

Quibus verò pingue est id quod superstat, & aceruatum, his renum affectiones, easque acutas significat. *eod.lib.35.*

Vrinæ multæ, tenues, nihil neque iudicatorij, neque boni habentes fiebant in constitutione febrium ardentium popularium. *lib.1.de popul.morb.sec.3.*

Vrinæ producẽtes (inquit Hipp.) multę quidem erant, non pro potus ingesti ratione, sed multum excedentes. Verùm quidem multa malitia vrinarum eiectarum erat, neque enim crassitudinem, neque concoctiones, neque purgationes bonas habebant. Nam in multis morbis purgationes per vesicã a fientes, bonę sunt. Significabant autem plurimis colliquationem, & turbationem, & dolores, & nullam iudicationem. *eod.lib.& sec.3.*

Vrinã iuxta potionis copiam mingere oportet, & semper æqualem, & quàm maximè aceruatim, & momento paulo crassiorem, quàm id quod potu acceptum fuit. *lib.2.prædic.*

Vrina si fuerit aquosa, & copiosior quàm pro eo quod bibi imperatum est, significat hominem non obedire, sed copiosiore potu vti: aut non posse renutriri, quandiu talem vrinam facit. *eodem.lib.*

Vrina si paulatim stridat, aut medicamentis hominẽ opus habere significat, aut morbum aliquem circa vesicam habere. *ibidem.*

Sanguinem mingere rarò quidem, & sine febre, ac dolore nihil mali significat. *lib.2.prædic.*

Vrina crassa albam subsidentiam habens, aut circa articulos dolorem aliquem, aut tumorem significat. Aliæ verò omnes subsidentiæ in vrinis, eorum qui exercentur, à morbis

circa vesicam fiunt. *Ibidem.*

ex Vrinis coniectare oportet id quod futurũ est. *lib.4.de rat.vic. acut.textu 45.*

Vrinę si crassiores, & pallidiores sint, meliores sunt. *eod. li.textu 45.*

Vrinæ si tenuiores, & nigriores, deteriores. *ibidem.*

Vrinę si mutationes habent, temporis diuturnitatem significant: & necesse vt morbus, & ad deterius, & ad melius inæqualitatem permutet. *lib.4.de rat.vic.acut.textu 46.*

Vrinę rubræ, velut erui loturę cum subsidentia multa, alba, postea subrubra apparuere, in tussicula populariter grassante, in Charite ęgroto. *lib.7.de pop.morb.*

Vrinæ tenues multæ subsidétię, densæ, & conturbatæ, in polyphanto febriente apparuerunt. *eodem lib.*

Vrina per renes percolatur, ac secernitur à sanguine: quapropeter etiam rubra existit. Spongiforme est enim renum corpus ad vesicam. *lib.de oßium natura.*

Vrina illa optima est, in qua per totum morbi decursum residet album, leue, ęquale. Hęc nimirum securitatem, breuémque morbum significat. *li.2.præsag.26.& lib.de iudic.*

Vrina subrubra, in qua subrubrũ, leuéque residet, quanquam superiore, morbum diuturniorem, eundem tamen salubriorem fore declarat. *eod.lib.27.*

mala est Vrina, in qua subsidentię crassiores, polentę partes seu farinę apparent. His autem peiores sunt laminosæ: albæ verò & tenues valdè malæ sunt: verùm his deteriores sunt furfuraceæ. *eod.lib.28.*

nubeculæ in Vrinis suspensæ, albæ quidem bonæ, nigræ verò malæ. *eod.lib.29.*

quandiu fulua fuerit Vrina & tenuis, morbum incoctum esse significat. *lib.2.præsag.30.*

Vrina perniciosissima est, quæ mali odoris, & diluta, & tenuis, & crassa est, *eod lib.32.*

nigræ Vrinæ, tum in viris, tum in mulieribus pessimę: in pueris autem aquosæ. *eod.lib.33.*

quicunque Vrinas tenues, & crudas mingunt multo tempore, si alio veluti superstitibus futuris signis fuerint, his abscessum expectare oportet ad locos infra septum trãsuersum. *eod.li.35.*

Vrina cui pinguedo telis araneorum similis innatat, non leuiter

leuiter terrere nos debet. Quippe quę hominem tabe consumi significat. *eod.li.35.*

considerare conuenit in Vrinis, in quibus nubeculę sunt, an supernè, an infernè sint, & quales habeant colores. Et quæ quidem deorsum feruntur, cum coloribus relatis, eas bonas esse putare, ac laudare: quę verò sursum feruntur, cum coloribus relatis, malas esse, & tales damnare: *eod.li.36.*

nec verò decipiat te, si vesica morbum aliquem habens, eiusmodi Vrinas reddiderit. Nō enim totius corporis signum est, sed ipsius per se vesicę, *eod. lib.37.*

quibus in febribus ab initio vertigines, & capitis pulsus fiunt, & Vrinę tenues, in his expectare oportet, vt ad iudicationes febris exacerbetur *li.4.de rat.vic.acu.37.*

quibus incipiente morbo Vrina crassa est, aut veluti nubeculę in ipsa suspenduntur, eos purgare conuenit, si nihil obstiterit. *eod.lib.38.*

qui tenues Vrinas ab initio mingunt, medicamento purgandi non sunt. *eod.lib.38.*

Vrina optima est, quę habet albissimam subsidentiam, & leuem ac ęqualem, per totum tempus, donec iudicatus fuerit morbus. *lib.de iudicationib.*

concoctione Vrinarum paulatim maturescentes, si in iudicatoriis diebus concoctæ fuerint, morbum soluunt. *Lib. de indic.*

ex Vrinis si quidem, id quod mictum est, purum fuerit, subsidentiā autem albam, & leuem habuerit, diuturnior fit morbus, & minus quàm optima secura est hęc vrina. Si verò & vrina subrubra fuerit, & subsidētia subrubra, leuis & diuturniorem quidē hæc morbum, quàm prior significat, sed valdè salutarem. *lib.de indicationibus.*

si Vrinæ ab initio non similes fuerunt, sed ex tenuibus crassæ fiant, & penitus tenues, tales ęgrè iudicant, & inconstantes sunt, *eod.lib.*

Vrina in febribus, si mutationes habet, diuturnitatem temporis significat, & necesse est ægrotum mutari, & ad alteram partem. *eod.lib.*

plerumque, si crudę sunt Vrinę in febribus, & alia signa secundum rationem eueniant, morbus in die iudicatoria recidiuat. *eod.lib.*

Vrina crassa, qualis est alba in quartanis delassatoriis,

liberat ab abſceſſu.*eod.lib.de indicationibus.*

de Vrinis rurſus multa Hippocrates.*Lib.4.aph. ab aphoriſmo ſexagiſimo nono eius libri, vſque ad octogeſimum tertium, qui eiuſdem libri vltimus eſt.*

Vrinæ in turbulentis, vigilibúſque, decolores, nigræ, ſublime petentes, atque in ſudore, phreneticæ. *libro 1.prorrhetici 4.*

Vrinæ excretio, in non recordantibus pernicioſa. Excernatur ne & his tanquam ſubſidentiam retutbaueris. *lib.1. prorrhet.28.*

ſurditas, Vrinęque abſque reſidentia prærubrę, & ſublime petentia, mentis aberrationem portendunt. *lib. prorrhet.31.*

ſi quippiam in Vrina ſublime petierit, oculrato coxæ dolore, delirium portendit.*Eodem lib.textu primo ſecũdi commentarij Galeni.*

Vrinarum in morbis acutis ex refrigeratione interceptionis peſſimæ.*eod. lib. 16.ſecundi com.Gal.*

Vrinæ incoctæ in febribus acutis malæ. *lib.1.prorrhet.24. ſecundi com.Galeni.*

Vrinæ detentio, & quibus rigores, ex his conuulſiones, vt & ipſa vbi inhorruit, ſudauit.*eod.lib.com.3.Gal.textu 17.*

aquoſa Vrina in acutis, delirium indicat: *eod.lib. 39. com.3.Gal.*

Vrinæ quibus abceſſus poſt aures fiunt, ſi celeriter & exiguè concoquuntur, vitioſæ, & ita refrigeſcere, malum.*eod.li. 59.com.3.Gal.*

ſuppreſſæ cum rigore Vrinæ, malæ.*eod.lib.*

Vrinæ ſtillicidium accidit, recto inteſtino, aut vtero inflammationem patiente.*li.5.aph.58.*

GALENI.

VRINA eſt ſuperfluitas excolata ſanguinis, in magna vena, quæ per renes, & vreteras, in veſicam delabitur.*In definit.medi.*

Vrina ſerum eſt humorum in venis contentorum.*com.1. ad li.3.de pop.morb.ſuper textu 6.cuius initium, Hippocrates.*

Vrinam per renes percolari eſt perſuaſum. *lib.1.de nat. facul.cap.15.*

Vrinæ trahenhæ facultas renibus attributa eſt, Hippo-

cratis assertione *lib. 1. de fac. nat. c. 15.*

Vrina, & sudor eãdem habent materiam, & eundem generationis modum. Siquidem vtrique ex bibito humore constat generatio ex calfacto simul in corpore, & biliosæ nonnihil substantiæ adepto. *li. 10. de simpl. facul. cap. de sudore.*

in Vrinis tanta est diuersitas, quanta in animalibus bilis diuersitas fuerit. Atq; omnes quidem facultate sunt calidæ. *Eodem li. cap. de vrina.*

Vrina hominis aliarum omnium vrinarum propè est imbecillima, & extergendi vim obtinet. *eod. li. cap. de vrina humana.*

ex Vrina pueri confectum medicamentum, ad vlcera sanatu difficilia optimum. *Eod. lib. & cap.*

Vrinam, sanguinis totius excrementum esse, non renum; ostendunt aliquot vini congij à quibusdam poti, & emicti. *lib. 1. de nat. fac. cap. vlt.*

Vrinæ secretio, si quomodo fiat reminisceris, mirabilem tibi in regendis animalibus prouidentiam indicabit. & vide ibi admirandam naturę, in vrinę instrumentis fabricandis, industriam. *com. 5. in li. 6. de pop. super tex. 14. cuius initium, Lotij deiectio.*

cum Vrina expurgantur gibbæ hepatis partes, & quotquot sunt his superiores. *lib. 6. de loc. aff. cap. 4.*

Vrinæ partium hepatis, renúmque, & vesicæ affectiones indicant, vasorúmque sanguinem continentium, & virtutis succos generantis, tum robur, tum imbecillitatem. *Comment. 2. in primum prorrhet. super textu 2. & 2. præsagationum, commen. 26.*

Vrinæ quæ sanis similes sunt, venosum instrumentorum genus satis robustum esse demonstrant: quę verò crudiores sunt, eiusdem imbecillitatem significant. *lib. de crisi. cap. 6.*

Vrinæ color, nunc potum, nunc succos inde generatos. *com. 5. ad lib. 6 de popul. morb. super textu 11.*

Vrina, eorum tantùm succorum qui in vasis continentur, nota est. *li. 4 de san. tu.*

Vrinæ tum consistentiam, tum colorem æstimare oportet. *lib. 4. de san. tu.*

de Vrina, quæ dura mingitur, mox turbatur, vel quæ turbida mingitur, & de cita tardáve crassi à liquido separatione, vide longam enarrationem, quid hæc omnia si-

gnificent. *eodem li.4. de san.tu.*

Vrinas, coctionis eius quæ in venis, signa statuere oportet. *li.1.de crisi.cap.7.*

Vrinæ non indicant in morbis qui sine febre affligunt, aut in cerebro, aut in mēbranulis, aut in thorace, aut in pulmone. *libro 2.præsag.com.26.*

Vrina assiduè faciens sedimentum, qualedixit Hipp. securitatem, id est, morbum esse sine periculo, atque integrè exoluendum *eod.lib.& com.eiusdem 26.*

euenit sæpissime, vt aliquis emittens Vrinam secunda nocte inculpabilem, alteram sequenti nocte inculpabilem reddat *ibidem.*

Vrinę in febribus acutis tanta vis est, vt soli ipsi credendum sit. *Com.1.ad li.6.de pop.morb.super textu* 10.

Vrinarum differentię ex colore, substantia, & contentis enarratę à Gale. in com. *ad lib.2.præsag.Hip.5.cap.noua versionis.vel à numero 26.vsque ad numerum 37.& lib.de vrinis,& li. 1.de crisib.cap.12.*

de densis Vrinis nullam Hip. mentionem fecit, cùm in prognosticis omnes vrinarum differentias, quę in acutis morbis fiunt enarrauerit. *Com.2.ad 1.prorrhet.super textu 3.*

in Vrinis putridarum febrium apparentes formę, differentiis putredinis in abscessibus respondent. *lib. 1. de diff. feb. cap.6.*

Vrina optima, quæ ad coctionem ex putrescente humore à continente vase suscipiente perficitur, est quæ album, & leue, & æquale, & minimè fœtidum sedimentum habet. *lib. 1.de diff.feb.cap.6.& lib.de vrinis, cap.vltimo. & lib.1.de crisib. cap.12.*

Vrinæ indicia magnam vim habent in febribus, ad concoctionem morbi, aut cruditatem significandam. *li.2.de diff. feb.cap.7.*

Vrinę interdum deteriores redduntur in hepatis affectibus, viscere per eas purgato. Quibus imperiti medici nonnunquam decepti, grauis morbi periculum subesse arbitrantur, *li.5.de loc.aff.cap.2.*

Vrinæ qualiter in morbis, qui extra venas sunt, inspiciendæ. *Com.2.ad lib.3.de pop.morb.super textu 8.*

Vrina non semper totius, sed vesicæ ægrotantis, aut renum, aut abscessus per ipsam expurgati, signa refert. *li.2.præ-*

sag-

sag.com.37.

Vrina in qua subsederit aliquid album, leue, & æquale, & continuum perfectam coctionem significat. Debilis autẽ coctio est, quando ex aquosa, mediocriter subpallida facta fuerit.*li.1.de crisib.cap.17.*

Vrina coctionis perfectæ tempus indicat, quæ rufa est. *li.2.de san.tu.*

Vrina colorata, & mediocriter crassa omnium longè est optima: & quæ lethalis vrina sit.*lib. de totius morbi tempo- ribus.*

Inculpata vrina sola,siquidem vna est, quæ colore quidẽ subluteo mediocriter fuerit,& substantia moderata, quæ scilicet tum crassæ,tum tenuis vrinæ medium obtinent. *Com.1. in primum lib.prorrh.textu* 1.

Vrina optima,quæ vrinæ sanorum simillima est. *li.1. de crisib.cap.12.& lib.1.præsag.com.26.& lib.1.de diff.f.b.cap.6.*

Vrina in morbo omni celeriter, & exiguè concocta, deinde verò cessans, vitiosum quippiam indicat. *Com.3. in lib.1. prorrh.textu* 59.

Vrinæ cruditas,& concoctio alternantes, aliquos indicabant humorum concoqui,aliquos permanere crudos. *Com.3. ad 1.de popul.morb.textu* 23.

Vrinæ non optimę,differentię omnes expositę,ac earum in morbis significationes enarratæ.*lib.1.de crisib.cap.*12.

Vrinæ colorum differentiæ omnes expositæ.*li. de vrinis. & lib.1.de crisib.cap.*12.& eorundem colorum generatio,& significatio.*eodem lib.de crisib.cap.item.*12.

Vrinam nigram,quod fuerit crassior, eo deteriorem haberi obseruauimus.*li.2.præs.com.*32.

Vrina nigra, & aquosa, in omni ætate exitiosissima est. *eod.lib.com.*33.

Vrinas nigras ob serum bilis atrę vnà cum excrementis aquosis emissum procreari demonstratum est. *Com.1.ad lib.1. prorrh.textu* 4.

Vrinę nigrę in turbulentis, & peruigilibus apparentes, phrenitidem arguunt *Com.1.ad li.1.prorrh.textu* 4.

Vrina nigra,non solùm cruda, sed etiam lethalis est. *li. 1.de crisi cap.*5.

Vrina nigra,etiam absque aliis signis,perniciosa est. *com. 1.ad li.1.prorrh.textu* 3.

Vrina nigra non lethalis in Herophonte apparuit: qui, autore Galeno, præter expectationẽ superstes fuit. *Com. 3. ad li. 1. de pop. morb. super textu 20. Et rursus com. 3. ad lib. 3. de pop. morb textu 84.*

Vrinarum tenuitas, & nigrities, periculosum signum. *com. 3. in lib. 3. de popul. morb. textu 82.*

Vrina turbata, multa, mala (inquit Hippoc.) Galenus verò vrinas fuisse turbatas ita accipit, vt dudum cùm diceret, alui turbatæ. Nam ad renes, quibus vitiatus humor defluit, iis necessario vrinæ turbabantur, hoc est, cum mordicatione, & dolore excernebantur, *com. eod. text. 15.*

Vrina aquosa, fœtida, nigra, crassa, iunctim, ac seorsim exitiosę sunt *lib. 2. præsag. com. 32.*

Vrinę subnigrę, in qua subnixa pendebant dispersa, Methone apparuerunt, qui tamen iudicatus est. *Com. 3. ad 1. de pop. morb. text. 24.*

Vrinę colorum, rubeum salutarem quidem, sed diutinũ esse vult Hip. *lib. 4. aph. com. 71.*

Vbi amplior semicrudus sanguis, per vrinam expellitur, rubram eam efficere, atque ideo diuturnum fore morbum, quod requirat scilicet ad cõcoctionem longius spatium sanguis. *com. 1. ad 3. de pop. morb. textu. 6. & lib. 2. Præsagiorum cõ. 27.*

De vrina rubra, subrubra, prærubra, eodẽ loco. Quid verò eę omnes significent, *vide com. 2. in 1. prorr. text. 25. in comment. Gal.*

Vrina tenuis, & rufa, crudam esse significat ægrotationẽ. *li. 2. præsag. com. 30.*

Vrina naturalis modicè crocea est, vtpote ex humore consistens concocto, qui flauæ bilis parum recepit. *Eod. lib. & com.*

Sublimamentum appellat nubeculam Hip. *libro 2. præsag. com. 29. & 36.*

Nubeculam nigram meritò criminatur Hipp. siquidem nigredo, aut ob vehementem accidit frigiditatem, aut propter exuberantem calorem. *com. eod.*

Quale pinguioribus iusculis refrigescentibus supernatat, vocata à multis vetula, tale in vrina ex consumptione existit. *li. 2. præsag. com. 35.*

Vrina colore subrubra apparet, quoties sanguinis serum pariter cum vrina excernitur. Indicat autem exuperantiam san-

sanguinis, non exquisita ratione confecti. *ead. lib. com. 27.*

Vrina quę aquę speciem pręfert, crudum adhuc in venis esse indicat succum eum qui à ventre summittitur. Quæ verò rufa, biliosáque est, iamdudum coctum esse huiusmodi succũ: quę modicè pallet, peractę modo secundę concoctionis est signum. *lib. 2. de sanit. tu.*

Vrinæ albicantes, spumosæ, & pericholæ, in acutis malę. Iecur enim aut obstructione, aut inflammatione dispositione laborare demonstrant. *Com. 2. in 1. prorrh. tex t. 18.*

Vrinæ albę, graueolentes, abscessus malos significant. *co. 3. ad 1. prorrh. text. 68.*

bonus Vrinarum color in his, qui humorum affluentia laborant, maximum est signum, salutis futurę subintellige. *com. 3. ad. 3. de pop mor. text. 80.*

Vrinas tenues, sed boni coloris ob coloris bonitatem salutem promittere, planum est. *Commentario 3. ad primum de pop. morb. text. 27.*

Vrinam è linguę coloribus diiudicari. Etenim lingua, sicut & vrina, succorum affectiones detegit. *Com. 5. in sextum de pop. morb. text. 10.*

Vrinę aquosę, & materiam repręsentant tenuem, & colorem album. *com. 3. in 3. de popul. morb. text. 76.*

Vrina aquosa, in puero exitiosissima. *libro 2. præsag. commment. 33.*

Vrinę aquosę in quibus alba sublime pendent, coctum morbum esse indicant, vti quę absque albis pendentibus, incoctum esse morbum. *Commentario 3. ad primum, prorrh. text. 68.*

Per Vrinas tenues crudum esse morbum significatur, vt etiam per crassas, vbi non subsidunt. *Com. 1. in tertium de pop. morb. text. 6.*

Vrina tenuis, aquosáque cernitur, vbi crudus fuerit in vasis sanguis. *lib. 4. de sanit. tu.*

Vrinę ostendunt cuiusmodi sit sanguis qui in vasis continetur. *eod. lib. 4. de sanit. tu.*

Vrinam, & suspensiones nubilosas Hip. appellat, quę nec colore sunt albo, nec planè nigro, cęterùm horum medio. *Com. 1. ad 3. de popul. morb. text. 4.*

Vrinę oleosę mortem significant, vt Hip. historia Dromedę vxoris testatur, & confirmat Gal. *Com. 3. ad primum de*

pop.morb.textu antepenultimo, & comment.3. ad tertium in historia Parij ægrotantis.

Vrina turbida, instar turbidarum aquarum, vel subiugalium vrinis similis est. *com.2 ad 1.prorrh.text.4.*

Vrinę conturbatę, sed dum depositæ sunt subsidentes: cōcoctionis alicuius indicant initium. *Com.1. ad 3. de pop.morb. text.6.*

Vrina turbida, qualis veterinorum, crudis succis refertas venas indicat; non tamen cessare naturam, sed eos valenter concoquere. *lib.4.de sanit.tu.*

Vrina si cùm mingitur pura sit, protinus verò turbetur, iam crudi succi concoctionem aggredi naturam docet. *eodem libro.*

Vrina si interposito tempore turbetur, non protinus, sed post naturam concoctionem aggressuram insinuat. Eod.lib. Vide ibi longa serie de crassi à liquido, sera aut cita separatione in vrinis, quid vtraque indicent, nempe naturam concoctionem, aut molliri, aut iam aggressam esse, & idem rursus *lib. 1.de cris.c.12.*

in Vrinis turbatis, si nulla omnino separatio fiat, vel id quod subsidit malum sit, imbecillitas naturæ significatur. *lib. 4.de sanit.tu.*

Vrina, succorum quę in vasis sunt qualitatem prodit. Albiores enim à pituita superāte fiunt, vti pallidiores bili abūdante, quod si meracior bilis sit, etiam flauiores. *eod. lib.*

Vrina purulenta, aut per renes pus expurgari, vomica scilicet in loco dolente erupta, aut in vesica suppurationem cōsistere. *lib.6.de loc.aff.cap.4.*

Vrinę saniosę in phlegmonarum solutionibus fiunt. *lib.de caus.procatarct.*

Vrina seminis speciem referens, iudicatoria est, & ab affectibus abdominis extrahi oportet. *com. 2. ad lib. 6. de pop. morb.text.37.*

Vrina valentibus aliquando multò amplior, quàm pro naturæ modo fit, non solùm nulla actione læsa, sed etiam cū virtutis robore, & prouidentia de animali salute. *lib. de sympt. diff.cap.vlt.*

in Vrinis sedimenti formam maximi esse momenti. *com. 3.ad lib.1.de pop.morb.text.23. & vide ibi sedimentum, album & crassum,*

crassum, in lethali morbo interdum apparere, vt ex Sileni Historia docet Galenus, com. eod.

Vrinæ sedimentorum differentiæ, & cuiusque harum generatio, & quid quæque significent. *li. 2. præsag. com. 28.*

In vrina quod in imo consistit, sedimẽtum dicitur, quod in medio sublimamentum, quod in summo nubecula appellatur. *lib. 2. præsag. com. 26.*

Sedimentũ vrinæ, est quicquid alimenti in sanguinis generatione, naturę refugit concoctioné, neque vt sanguis à natura commutatum, neque vt pus præter naturam causæ particeps. *li. 1. præsag. com. vlt.*

Sedimentum vrinę, candidum ob id est, quod quodammodo solidioribus assimiletur corporibus, veluti semen, & pus, quæ à natura ducuntur in solidiorum corporum colorem, quæ & ipsa alba sunt. *eod. com.*

Sedimentum id æquale dicitur, quoties totum similare existit. Proprium enim concocti integrè sedimenti est, esse æquale. *lib. 2. præsag. com. 28.*

Vrinæ sedimentum in febribus putridis, puri quod in apostematibus fit, proportione respondet. *libro 1. de diff. feb. c. 6.*

Vrinæ sedimen fabaceæ pulticulæ simile crudorum est nota humorum. *lib. de plenit.*

Vrina nullo pacto sedimentum habet, si tenuiter: copiosum, si largius, exiguum verò, si modicè. *libro secundo præsag. com. 16.*

Quod vrinæ sublimamentum est appellatum, id solet Hippocrates appellare nubeculam. *libro secundo præsag. comment. 36.*

Cum vrinis, in otiosis magnam excerni copiam subsidentiæ, muco simillimæ. *li. de nat. hu. com. 2. text. 22.*

Vrinæ excretio, in non recordantibus perniciosa. *libro 1. prorrh. com. 1. text. 28.*

Crudus succus propriè nuncupatus, talis est, quale id apparet quod in vrinis subsidet, puri quandoque adsimile. *li. 1. de alim. facult. cap. de tritico.*

In vrina crassamenti subsidentis priuatio, simulque crassiora quædam tota vrinarum substantia, sublime petere visa, perturbationem in venis, vnà cum caliditate præter naturã demonstrant. *lib. 1. prorrh. com. 31.*

Vrinarum excretiones, veluti arenulæ, interdum tu-

bercula suppurata: interdum citra hęc fiunt, vbi crassus, aut perquam viscosus humor, qui lentè permeet, à loci calore co gatur desiccatus *com.2.ad lib.de nat.hu.tex.23.*

Quibus vnà cum vrina crassa, carunculæ aut tanquam pili effluunt, his excernuntur hęc de renibus. *eod.com.text.25.*

Quibus, vnà cum crassa vrina furfureum quid expellitur his scabiosa est vesica. *eodem com.tex.26.*

Vrinæ sublimamentum intelligo, id, quod corpulentius, candidiusque in vrina neque summis eius, neque in fundo vasis, seu in media sede sublime existit. *com.2. ad lib.præsag.text.26.*

Vrinæ nubeculam vocat Hippocrates, quod sublimamentum dicitur, in media sede vasis apparens. *ibid. & lib.2. præsag.com.29 & 36.*

Vrinę enæorema optimum est, tum album, tum leue, tum æquale. *com.1. in primum prorrhetici, text.1.*

Vrinæ enęorema, id est quod sublime petit. *eod.loco.*

Vrinę enæorema prauum, sublime petens, interdum delirium significat. *ibid.*

Vrinæ nubecula si candida est, bona est: si nigra, vitiosa est *lib.2.præsag.com.20. & vide ibi* de nigræ generatione, & quid ipsa significet.

in Vrina suspensiones appellare nubilosas Hipp. videtur, quæ nec colore sunt albo, nec etiam planè nigro, sed horum medio. *com.1.ad lib.3.de popul.morb.text.4.*

Nubis nomen, solent medici ab aëre ad vrinas transferre pro certa eorum quæ pendent in vrina specie. *ibid.*

Vrinæ pingue desuper natans araneorum speciē habens, damnandum est; consumptionem enim indicat. *lib.2 præsag. com.33.*

Vrinę fermentatę fiunt, perturbatis, agitatisque crudis humoribus *com.2.in prorrhet. textu* 40.

Vrinæ spumosæ, siue ob colliquationem, siue ob perturbationem quandam, flatuosūmque spiritum exoriantur, suspectæ ad conuulsionem existunt. *com.3.ad 1. prorrh.text.*20.

Vrinæ quæ cum labore excernuntur, rubra in his epanthismata, ac eruginosa, mala. *com.2.ad 1.prorrhet.text.25.*

Vrina multa interdum nihil boni significat quòd nonnū quam abundantis in corpore serosi humoris, sint vrinæ symptomata. *com.3.ad lib.3.de popul.morb.super text.41.*

Vri-

Vrinæ quę sanis similes sunt, venosum instrumentorum genus satis robustum esse demonstrant, quæ crudiores sunt, eiusdem imbecillitatem significant. Quęcunque verò superantis causæ prauitatem ostendunt, veluti nigræ, hæ sunt penitus exitiales *lib. de crisib. cap 7.*

Vrinarum inspectionem Erasistratij deridebát, tinctores appellantes eos, qui ex vrinis aliquid cognoscere conantur. *li. de caus. procat.*

Vrinæ retentio, naturalis actionis est culpa, inuoluntarius eius effluxus, actionis voluntariæ. *lib. 2. de sympt. caus. cap. 2.*

Vrina octo modis supprimitur, phlegmone, scirrho, sanguinis conglobatione, resolutione, calculi prociden tia, renum consensorio affectu, vlceratione, calculari morbo. *lib. definit. medi.*

de Vrinæ suppressione, & stillicidio vide Gal. *lib. 6. de loc. aff. cap 4. & li. 2. de sympt. caus. ca. 2. & rursus lib. 3. de sympt. caus. cap. 2.*

Vrinarum in morbis acutis ex refrigeratione, interceptiones pessimæ. *com. 2. in 1. prorrh. tex. 16.*

Vrina si citra vesicæ tumorem supprimitur, necesse est, cùm sic retenta est vrina, vel vreteras, vel renes esse obstructos. *lib. 1. de loc. aff.*

Vrinarum retentio cum dolore capitis, conuulsionem quandoque significat. *com. 3. in 1. prorrh. text. 28.*

Vrinæ retentio quibus rigores, ex his conuulsiones. *com. 2. in 1. prorrh. text. 17.*

ab Vrina tanta signorum in febribus acutis vis est, vt & soli ipsi credendum sit. *com. 1. ad lib. 6. de popul. morb. text. 10.*

Vrina, aluo multa excernente supprimitur. *eod. com. & com. vlt. 4. li. aph.*

Vrinæ suppressionem vtili rigori antecessisse, Sabinus, & Rufus frequenter viderunt. *com. 1. ad 6. de popul. morb. text. 10.*

Vrina exquisitè aquosa veluti desperatæ coctionis accidens, venosæ naturæ, quæ talis est, passionem significat. *lib. 1. de crisib. cap. 12.*

Vrinæ profluuium *διαβήτης* vel *ὕδερος* Græcè dicitur. *ibid.*

ex Vrinæ acrimonia, vesicæve, imbecillitate, stranguria accidit. *li. de sympt. caus. 3. cap. 2.*

Vri-

Vrinæ profluuium quomodò fiat.*eod.lib.& cap.*

Vrinæ stillicidia fiunt,& propter acutiem vrinę, & propter virtutis expulsiuæ,quæ est in vesica,imbecillitatem,*li.3.aph.com.16.*

ab acritudine Vrinarum,aperi ora arteriarum, quę sunt in renibus atque ita excerni spiritum aliquem,qui cum vrinis exit,& bullas facit.*li.7.aph.com.34.*

Vrinæ profluuium ex colliquatione nasci interdum,succis in serosam saniem solutis,renibus trahentibus, & ad vesicam assiduè mittentibus.*lib.3.de sympt.cauf c.1.*

Vrinæ retentio,& stillicidium,à quibus causis fiant. *libr. 6.de loc.affe.cap.4. & 3.de sympt.cauf.cap.2. & in introductorio seu Medico.*

Vrinam cientia medicamenta, ex acrium genere esse docet Galen.*lib.5.de simpl.med.facul.cap.13.*

Vrinam cientia medicamenta,puris ex thorace eductioni aduersantur.*eod lib.& cap.*

Vrinam cientia quo pacto agant,& qualia sint.*eod.lib.& cap.*

Vrina & eius vires in medicina.*lib.10.de simpl.facul.cap. proprio.*

Vrinæ sedimentum crassum,& album inter remedia scriptum esse à nonnullis,id erysipelati mederi dicentes.*lib.10.de simp.facul.cap.de vrina humana*,& vide ibi medicamen ex vrina pueri,chrysocolla appellatum.

Vrinæ potum ad orthopnoicos non probat Gal.ceu abominandum,nec magni in curando affectu momenti.*lib.10. de simpl.facul c.eod.*

Vrinam cient vina alba,tenuia,aquosa.*lib.2.aph.com.11.*

Vrina optima,quando sedimentum album,læue,& ęquale fuerit in tempus omne, morbus exterminetur,significat enim salubrem securitatem, ac morbum pauco tempore duraturum.*lib.1.aph.com.12.*

Vrina superfluente extenuatur corpus.*lib.2.aph.com.28.*

Vrinæ fiunt difficultates in aquiloniis constitutionibus, vesica flatu aquilonis ob frigiditatem offensa. *libro tertio.aph com.5.*

de Vrinæ stillicidio quomodo fiat,quando ægritudo, & quando accidens fit,& vrinarum acritudines vnde fiant.*lib.3. aph.com.16.*

Vri-

Vrinæ stillicidia autumno fiunt, propter frigiditatem & siccitatem,& temporis inæqualitatem.*lib.3.aphor.com.22.*

Vrinæ abducunt serosam totius superfluitatem. *lib.4. aph.com.2.*

Vrinæ multæ in diebus iudicatoriis incipientes, bonæ.*lib. 4.aph.com.36.*

Vrinæ excretiones prauæ si benè exeunt, ad bonum terminantur. *lib.4. aph com.47.*

Vrinæ crassę,grumosæ,paucæ, secūdùm aliquos cœnosæ, non sine febre multitudo ex his veniens, tenuis iuuat: fiunt autem & sine febribus vrinæ tales, natura expurgante per renes totius corporis superfluitates. *lib.4.aph com.69.*

ex Vrinis ab initio tenuibus, in febribus fit ad crassiores conuersio.*eod.com.*

Vrinæ quæ in principiis morborum crassius habēt sedimen, bonum signum non est, sicuti aliis, quę ab initio tenues existentes, ratione totius morbi, coctionis sedimen capiunt.*lib.4.aph.com.69.*

Vrinæ crassæ sunt multitudine paucę, vt quæ vix renes pertranseant. *ibid.*

Vrinæ secundum naturam,neque simpliciter tenues, neque crassæ, sed medium tenēt inter vtrumque excessum.*lib. 4.aph.com 69.*

Vrinis pertubatis, capitis dolores necessariò aut adsunt, aut aderūt,quoniam spiritus flatuosus vnà cum calore promptè fertur ad caput.*lib.4.aph.com.70.*

Vrinæ conturbatæ sunt veluti iumentorū, & tales fiunt materia crassa, ac densa à calore agitata.*com.eod.*

Vrinæ iumentorum maximè, & ab extrinseca caliditate in spiritum soluuntur, sicut bitumen, pix, atque resina. *ibid.*

Vrinæ aliquæ diu perturbatæ manent:nonnullæ verò citò sedimen crassum habent, & citò morbum solutum iri significant.*com.eod.*

Vrinæ quę non resident, si viris adfuerint, longum fore morbum ostendunt: si imbecillitas adsit, ægri mortem prænuntiant.*com.eod.*

Vrinas pertubatas, non necessariò adesse oportet, dolenti caput.*com.eod.*

Vrinę fiunt crassę in declinatione, tendente iam morbo ad

ad solutionem.*li.4.aph. com.69.*

Vrinę secundum rationem, in quarto apparentes, crisim in septimo futuram indicant.*li.4.aph.com.71.*

Vrina habens nubeculam rubram in quarto die, ostendit in septimo iudicationem futuram.*ibi.*

Vrinæ non solùm ostendunt iudicationem, sed & alia signa.*ibid.*

in Vrinis non solùm rubra nubes apparens, anteà non visa iudicationem indicat, sed & alba multo plus ipsa, adhuc autem magis sublimamentum album, ęquale, atque consistens.*li.4.aph.com.71.*

Vrina tenuis, si mediocriter crassa efficitur, & si alba rufa fiat, in tali morbo iudicationem significat.*ibid.*

in Vrinis albæ nubes frequentissimè apparent, & sunt signum coctionis manifestum, rubeę verò raro fiunt.*ibidem.*

Vrina subrubea, & sedimen subrubeum & leue, longum morbum, sed salubrem significat.*eod.com.*

Vrinę rubrę, rarò pręter quartum, & quibus diebus iudicationes secundum ipsas ostenduntur. *libro quarto aphor. com.71.*

Vrinę albę perspicuę, malę, presertim si in delirantibus appareant.*lib.4.aph.com.72.*

Vrinę perspicuę albę extremam cruditatem significant.*ibid.*

Vrinę albę & perspicuę in deliriis pernitiosę: nullum etenim vidit Gal. delirantem, in quo talis vrina apparuisset, saluatum. *com.eod.*

Vrinę aquosę (tales enim sunt albę atque perspicuę) magnam cruditatem ostendunt, & prætereà flauam bilem ad caput solummodo rapi.*ib.*

Vrinę possunt esse perspicuę, & non albæ tenuem habētes substantiam, colorem verò biliosum.*ibid.*

Vrinas apparere biliosas, si totus morbus est biliosus, melius est.*com.eod.*

Vrinæ multitudo impedit, ne illis suspensis, murmurantibus, lumborum dolore superueniente, alui humectentur. *lib.4.aph.text.73.*

per Vrinas nonnunquam spiritus flatuosus excernitur.*li.4.aph.com.73.*

Vrina multa, crassa & alba, soluit abcessum futurũ post aures, aut articulos. *lib. 4. aph. com. 74.*

euacuatio per Vrinas exigit plures dies. *com. eodem.*

in aliquo Vrinæ meatuum facto vlcere, pus & sanguis per vrinam exit. *lib. 4. aph. com. 75.*

Vrinarij meatus exulcerantur, quando à lapide aliquo acuto, aut admodum aspero, in ipsis intercepto excoriantur. *com. eod.*

sine Vrinis interdum pus exit, & sanguis, quando vlcera in pene fiunt. *ibid.*

cum Vrinis aliquando exit pus, disrupto abscessu in aliquo aliorum locorum. *com. eod.*

Vrina crassa existens, si carunculas paruas habeat, aut veluti capilli vnà exeunt, iis à renibus excernitur. *lib. 4. aph. com. 76.*

Vrina si sit tenuis, totum venosum patitur genus. *Ibidem.*

Vrina habens veluti capillos, in qua capillis similia ferũtur, morbum renum significat, quem capillitium nominát. *li. 4. aph. com. 76.*

Vrina in quodam tam longos habebat capillos, vt dimidij cubiti longitudinem ęquarent. *com. eod.*

Vrina crassa est, si debeant exire veluti capilli. *Ibid.*

Vrina crassa ab Hipp. dicitur (ait Gal.) quæ est mediocris, respectu tenuis. *Ibid & com. 77. eiusdem lib.*

in Vrina crassa, si furfurea quædam exeant, vesica scabie laborat. *li. 4. aph. com. 77.*

Vrina quando tenuis fuerit, haud secundùm naturam venæ sę habent. *ibid.*

cùm ex venis Vrina veniat, in renibus autem percoletur, in vesica verò aggregetur, quicquid in ea pręter naturam apparuerit, aut venas, aut renes, aut vesicam male se habere indicauit. *com. eod.*

Vrina quę mediocrem habuerit substantiam, ea quæ simul cum tali vrina excernuntur, circa renes aut vesicam passionem ostendunt. *ibid.*

Vrinę cur furfureę, & quot modis furfurea generari contingat. *vide com. eod.*

cum Vrinis vna exeunt arenosa, siue in vesica, siue in renibus calculi generantur. *lib. 4. aph. com. 79.*

Vrinę seruientia instrumenta,vesica,renes, vrinarij meatus.*lib.4.aph.com.*80.

Sanguinem & pus vbi quis minxerit,omnium instrumétorum,quæ vrinę obseruiunt,sunt signa communia. *li.4. aph. com.*81.

Vrinaria fistula,est meatus in pene.*li.4.aph.com.*82.

Vrinam retineri interdum contingit , ob tuberculum in vrinaria fistula contentum.*ibid.*

in Vrinaria fistula existens tuberculum suppuratione, & eruptione sanatur.*com.eod.*

Vrina multa noctu facta paruam significat deiectionem. *lib.4 aph.text.vlt.*

Vrinæ stillicidium quomodo fiat,vnde sit,& quid sit. *li.5. aph.com.*58.

Vrinæ stillicidium nominatur, quando aliquis parum,& frequenter mingit , & fit aliquando ex imbecillitate potentię retentiuę in vesica , nonnunquam verò ex acritudine vrinę.*lib.5.aph.com* 58.*& lib.6.aph.com.*1.

Vrinę difficultatem venæ sectio soluit.*libro 6. aphor.comment* 36.

quibus ex Vrinę stillicidio ileos superuenerit, in septem diebus pereunt, nisi febre superueniente satis vrina fluxerit. *li.6.aph.text* 44.

Vrinarum retentarum euacuatio , si crassæ & plurimæ vacuentur , multitudinis humorum crudorum cum frigiditate,medicina sunt.*com.eodem.*

Quibuscunque febricitantibus , in vrinis fiunt sedimina, veluti farina crassior longam ægritudinem fore significat.*lib.* 7.*aph.text.*31.

Vrinam similem farinæ crassiori qui mingit,si saluari debeant,tardè liberantur.Quicunque vero exitialiter se habēt, contigit hos quàm citò interire.*li.7.aph.com.*31.

Vrina aquosa,cruda est,& diuturna.*libro.7.aph.comment.* 32.

Vrinam cuius sedimē biliosum esset,pars verò superfluitans aquosa,nunquam vidit Gal.*com.eodem.*

Vrinarum sedimina,quando ab initio tenuia sunt, postea verò biliosa fiunt,acutum morbum significant.*ibid.*

quibuscunque Vrinę distantes sunt , iis turbatio fortis in corpore fit.*lib.7.aph.text.*33.

Vri-

Vrina est semper sibiipsi continua, nullum spatium vacuum habens interiectum. *lib.7.aph.com.33.* & cur vrinæ distãtes, id est inæquales fortem indicent turbationem. *vide com. eodem.*

Vrina tenuis, id est aquosa, (sic enim consueuit tenuis appellatione vti Hipp.) ait Gal. *li.7.aph.com.32.*

quibus in Vrinis bullæ subsistunt, morbum renalem, & longum significant. *li.7.aph.tex.34.*

bullæ in vrinis fiunt, extento humore spiritui flatuoso. *li. 7.aph.com.34.*

cùm spiritus flatuosus vnà cùm Vrinis excernitur, signũ est frigidæ ęgritudinis renum. *com.eod.*

Vrina pinguis colliquatione adipis fit. *lib.7.aph.com.35.*

Si quis sanguinem minxerit & grumos, & stillicidio vrinę laboret, & dolor inciderit in femur, & imum ventrem, pectinémque, quæ circa vesicam, malè se habere significatur. *lib.7. aph.text. & com.39.*

Vrinæ stillicidium, & mingendi difficultatem, vini potio, & venæ sectio soluit. *lib.7.aph.textu & com.49.* & vide ibi quid vrinæ stillicidium significet, & vnde fiat.

Vrinæ difficultatem faciunt, inflammatio, abscessus, vlceratio, inæqualis intemperatura, spiritus flatuosus. *Eod. lib. & com.49.*

per Vrinas aquosus humor in aqua inter cutem interceptus excernitur. *lib.7 aph.com 55.*

Quæ per vesicam excernuntur, inspicere oportet, si talia qualia sanis excernuntur. Quæ igitur minimè similia sunt his, hęc morbosiora. Quæ vero sunt sanis similia, hęc minimè morbosa. *li.7.aph.text.64.*

in Vrinis prompta est, atque expedita subsistentium cognitio, non ita in alui excrementis. *li.7.aph.com.65.*

in Vrinis & ipsum vas ex vitro factum ostendit eorum quæ subsistunt naturam. *ibid.*

Vrinæ non habent aliquid simile strigmentis, sed bene alui excrementa. *com.eod.*

Vrina cur in balneo frigida, foris calida appareat. *Lib. de simpl fac.3.c.8.*

Vrinæ mucosæ sunt, eorum qui in otio degunt. *com. 2. in li.de nat.hum.text.21.*

Vrinæ in puerperio nigræ, & infectæ, vt si fuligo quę-

piam in ipsas incidisset, apparent *com.3.ad 3.de pop.morb.*

liber porrò de Vrinis (quem ego Galeni germanum esse censeo) ipse sibi indicis vice est, ex quo omnia de vrinis accipere beneuolus lector poterit.

hi sunt de Vrinis præcipui loci, omnes enim recensere, & immensi laboris, & iusti voluminis opus esset.

De deiectionibus, & earum significatione.
CAP. II.

ABsoluta quæ de vrinis est tractatione, congruum videtur, vt ad eam quæ de deiectionibus est, sermonem conuertamus. Deiectionum itaque omnium naturam, differentias, & ex ipsis significationes in morbis, hoc capite ostendemus, earum generationis modum, & à qua facultate fiant indicantes: sic enim vniuersam deiectionem expleuisse materiam videbimur, si hæc ordine pręstabimus. Ergo quę per aluum euacuantur, quoque per aluum exeuntia sũt, deiectiones, aut subductiones, consueuit Hipp. (vel Gal. testimonio) nominare. Scholę egestiones vocare in vsu habent: quod quę aluo subducuntur egeri propriè dicantur. Gignuntur porrò alui excrementa hæc, quæ deiectiones nuncupamus, ex residuo alimenti, quod confici minimè potuit, sed tanquam alienum relictum in ea detruditur, instrumenta quæ illi natura ad id omne excipiendum quod alienum esset, & oneri naturæ futurum creauit Equidem cùm propter insitum in nobis calorem, nõnulla substantiæ nostræ portio assiduè defluat, nec illius iustum aliter sit seruare modum, quàm cibi, potionis, respirationis, & pulsuum ope, nec quicquid in alimoniam accipitur transire in aliti substantiam possit (in omni enim concoctione vnum aliquid omnino reperi tur, quòd naturæ actionem, transmutationémque in corporis substantiam refugiat, quòd (autore Gal.) non quale erat ipsum quod effluxit, tale prorsus adiungi agglutinaríque corpori alendo potest, efficitur profectò, vt quod nec confectum, nec prorsus assimilatum sit id corpori nec adnascatur, nec accrescat, sed vti onerosum, ac superuacuũ per laxos naturę meatus errabũdũ cõsistat. Hinc quod tale est meritò Græcis περίττωμα, id est excrementum, seu superfluum nũcupatur

patur. Huius & gignendi, & continendi instrumenta intestina facta à natura sunt: etsi in ipso per intestina transitu nonnihil coctionis accipiat adhuc cibus, nedum in ventre, vt voluit iiij. de vsu par. libro Gale. Itaque vbi abundè quod ex alimento vsui naturæ futurum est, concoctum, & transumptum fuerit ventriculi & intestinorum ope, quod transumi non potest, nec confici, id veluti alienum relinquitur: quod & ipsum tandem propulsoria intestinorum facultate abactum egeritur, ne multitudine sua nidoréque corpus lædat. Hinc fit, vt quoties excrementa hæc diutius in corpore detinentur, magna excitent corpori mala, colicos cruciatus, vaporantes spiritus, murmurilla, rugitus, fluctuationes, eructationes, capitis grauedines, atque dolores, voluulos, & innumera varij generis symptomata, vt diffusè Gal. lib. 3. de sympt. cau. Detinentur porro triplici ex causa, aut partium quæ excrementa expurgant imbecillitate, aut viarum angustia, aut excrementorum malitia. Imbecillitaté, partium intemperies aliqua parit, vti viarum angustiam obturatio, aliquísve instrumẽtorum tumor. Excrementorum autem malitia est, aut multitudo, aut crassities, aut viscositas ipsorum. Hæc itaque excrementorum alui generatio est. Sed vbinam isthæc generentur, in ventriculo ne, an intestinis, dubitatum à quibusdam video. Alteratione quadam non solùm vtilem succum, quem chylum vocát, sed & stercus quoque ipsum creari voluit alicubi Galenus. De hac enim re ex professo agens libr. de natur. facult. 3. ad hunc modum disserit. Monstratum (inquit) suprà est, nihil in contrariam qualitatem totum simul migrare. Ergo quomodo fiet sanguis ex pane, quomodo ex beta, fabáve, aut reliquis id genus, nisi hæc alteram prius mutationem sint adepta? Iam quomodo (subdit) in tenuibus intestinis, confestim creabitur stercus? Quid enim quęso in his efficacius ad alterationem dicas his quæ sunt circa ventrem? Num tunicarum numerũ, an circumpositorum viscerum vicinitatem, an morę spatium, an innatum quendam in instrumentis calorem? Atqui nullo horum superant intestina ventrem. Cur igitur vbi panis tota sæpe nocte moratus est in ventre, etiam seruari eum volunt, ac pristinas suas qualitates tueri vbi semel intestinis incidit, statim effici stercus? Hac quidem serie duo demonstrare satagit Galenus, excrementorum ex cibo assumpto prouẽtum, & locum generationis alui recrementorum. Prouenire

Quæstio de excremẽtorum generatione libro 3. de fac. nat.

autem inde excrementa demonstrat, quod nihil quicquam in contrariam qualitatem totum simul migrare possit: vnde cibus, cùm initio nobis valdè dissimilis sit, ferèque contrarius, abeatque in diuersissimam sui qualitatem, vbi concoctus est, in sanguinémque mutatus, & tandem in nostri corporis substantiam assimilatus, efficitur profectò, vt in eam qualitatem totus omnino mutari non possit, quin aliquid non mutatum relinquatur, quod contrarietate quadam excipere alterationem animanti familiarem (quam concoctionem vocat Gal.) minimè queat. Id verò quod tale est, in alienam quandam, & naturæ odiosam qualitatem, substantiámque degenerat, quam excrementum, & stercus nominare solemus. Alterum porrò, quod hîc à Gal. monstratur, est generationis excrementorum locus. Vult autem conceptis verbis non in ventre, sed in intestinis alui recrementa, & stercora gigni. Si enim in ventre horum generatio fieret, ventriculi ipsius munus omnino peruerti, corrumpíque chylificationem ipsam, nidoréque ventriculum impleri, & ad vomitum assiduè excitari, tam tetræ substantiæ præsentia, prorsus oporteret: vt in lethalibus voluulis, in quibus stercora ore redduntur, experiri licet. Intestina igitur ipsa, sua ipsorum virtute, peculiaríque, & *vbi suprà.* sui generis alteratione, stercus gignendi (autore Gale.) potestatem habent: vbi abundè quod vtile corpori futurum esset, ex chylo exsuccarunt. In intestinis igitur, vbi in ipsa chylus incideret, statim effici stercus, conceptis verbis voluit, memorato loco Gal. Nunc verò super qua facultate deiectiones in- *lib. 2. Præsa. com. 26* dicent doceamus. Id autem in aperto est. Cõstat n. vel autore Gal. facultatis eius quæ in ventre est, indicia ex iis quæ quotidie deiiciuntur, dignosci perinde atque eius facultatis, quæ in iecore, ac venis est, ex vrina. Deiectiones autẽ, cùm de genere excrementorum sint, & eorum quæ naturæ vsui esse non possunt, à vi expultrice agi, constans omnium assertio est. Equidem cùm partibus singulis vis excretoria alienorum propultrix insit (omnis enim particula quæ nutriri debet quatuor omnino facultatibus, attractrice, retentrice, alteratrice, & ex- *libro 3. de facul. na.* pultrice, vel Gal. testimonio constat) ea profectò est, quæ & sudores iudicatorios facit, & profluuia sanguinis, & alui inferioris deiectiones molitur, vt lib. 7. aph. com. 21. conceptis verbis affirmauit Gal. Deiectionum modò differentias, eorúmque in morbis significationes promamus. In differentiis porrò

rò recensendis, ab ea quæ inter deiectiones optima est inchoandum, vt quæ reliquarum sit veluti comparationis regula. Optimam verò eam esse Hippocrates, Galenúsque volút, quæ & mollis, constansque sit, eoque tempore secreta, quo per secundam valetudinem excerni consueuit, quæ & eadē proportione ingestis cibis respondeat. Quæ enim talis extiterit, imum ventrem optimè se habere demonstrat. A consistentia nanque, qualitate, tempore, & quantitate, optimæ deiectionis notæ sumi debent, veluti & vitiosæ ab iis ipsis, adiectis tamen colore, & odore, & sonitu inter excernendum reddito, vti ex Hip. serie 2. prognost. est exactè videre. In consistentia autem egestionum, illud attendendum, vt quæ excernuntur, neque dura sint, veluti lapides, neque adeò humida, vt instar aquæ diffluere queant, sed ita mollia sint, vt constare sibi, vnitáque permanere possint. In tempore obseruandum, vt consueto valetudinis tempore, etiam per morbum prodeant, ac pro ratione ingestorum copiæ respondeant. Deiectiones namque, quæ tales fuerint, non solum quæ ad imum ventrem pertinent bene se habere, sed etiam ex visceribus proximis nihil in eum decumbere planè demōstrant. ventris autem inferioris nomine ventriculum ipsum ieiunum intestinum cum reliquo omni intestino intelligi debere, Galen. ipse docet. Ab optima porro deiectione deficiunt, quæ madens est, quæ liquida, aquosa, glutinosa, spumans, dura: quæ omnes differentiæ à consistentia sumuntur, perinde atque à colore subruffa, candida, crocea, liuida, nigra, versicolor, cruenta, porracea. Ad copiam pertinēt multa & exigua. Madentem eam dici conuenit, quæ humidior est, ac veluti nimio humore imbuta. Talis fit, vel quòd à ventriculo in iecur, deductio cibi non fiat, vel quod de iecore, aut liene in ventrem excremētitium aliquid defluxerit, quod madidā, ac liquidam reddere deiectionem potuerit, vt doctè Gale. 2. Progn. sententia est. Hæc in morbis, autore Hip. ex vsu est, si nec stridula sit, neque crebro, & paulatim excernatur: frequens enim desidendi labor (quod idem ait) insomnium facit. Quæ vero vniuersim, & sæpe deiicitur, periculum defectionis animæ adfert: talis interdum bona est, corpus, viscera à vitiosis succis expurgari indicans: sed & vires validas esse oportet, nec crebro, nec sensim talia excerni, ne frequentia desidēdi labascant vires. Liquida & aquosa, male esse consueuerunt:

eruditatis nanque indices sunt. Glutinosa, lentorum & viscidorum humorum copiam: spumans vero, interdum spiritum flatuosum humori tenaci intermistum: quandoque verò caloris copiam indicat. His enim duabus ex causis spumam fieri, in exterioribus cernimus. In mari nanque spiritu multo aquis inserto, ac fluctuante, spumam nasci videmus: In lebete verò, iniectis polentis, liquoréve aliquo ad ignem admotis, spumescere prę caloris copia, quod iniectum fuerit experimur: Dura porrò & solida deiectio exsiccatas nimis fæces, calorémque adurentem vt plurimum demonstrat. Qui enim excarnes, macilenti, aridíq; sunt, aut qui calore viscerum nimio abundát, dura & compacta egeri consueuerunt. Ad colores iam transeamus. Subruffa quæ est, nec admodum graueolens, in malis non est habenda. Illud namque pro constanti haberi debet, naturalem deiectionem subruffam esse debere, vt quæ modicam de iecore decumbentem bilem excipiat. Si enim aut syncera, aut multa in ventrem influat bilis, iam non subruffa, sed flaua deiectio reddetur. Si enim nulla ad intestina permeet bilis, veluti in regio morbo ab obstructione laborantibus, candida tum deiectio planè fiet: quæ & ipsa obstructione viscera laborare indicat. Viridis, aut crocea, vel bilem flauam plurimam calorísque retorridi copiam, vel æruginosum porraceúmve succum redundare in ventrem demonstrant. Liuida porrò, optima, nigra, inter exitiosas habentur, præsertim si fœtidæ sint: Nigra enim deiectio (nisi à cibo ita tingatur) atram bilem in ventrem decubuisse multam significat: qui humor perniciē suapte natura adferre solet. Vnde est illud Hipp. Deiectiones nigræ qualis est niger sanguis, sponte venientes, siue cū febre, siue sine febre pessimæ, & difficultas intestinorum si ab atra bile inceperit lethalis. Liuida modicā admisceri atrā bilem demonstrat, eóque nigra minùs exitialis est. Pinguis verò tum deiicitur, quoties pinguedo ab ignito calore consumitur. Huiusmodi verò deiectionibus si graueolentia accedat, ingens malum est, putredinísque nota. Si verò varia, aut versicolor fuerit egestio, diuturniorem quidem, sed malignum indicat morbum. Plures namq; subesse intus affectiones declarat, quæ multo tempore concoqui postulent. Vnde illud rectissimè ab Hip. dictum videri potest, in deiectionibus quantò plures fuerint colores praui, maius malum esse. Cruēta sanguinis manationem, vlceráque inte-

inteſtinorum ,aut hęmorrhoidarum apertionem deſignat. Multa vero deiectio,& facultatis propultricis robur,& ingeſtorum copiam indicat.Pauca omnino contraria,vel aliò regeri vacuationis modum à natura:quod eo aphoriſmo expreſſit Hippocra. mictio noctu plurima facta modicum ſeceſſum ſignificat , & è conuerſo. Quę verò cum flatu, & ſtrepente ſono emittitur , flatuoſum ſpiritum plurimum inteſtinis inſertum declarat : doloréque vt plurimum flatuoſo hominem affligi. Citę nunc, & tardę deiectionis , aut etiam ſuppreſſę cauſas poſtremo loco adferamus.Citam porrò deiectionem nuncupare eam licet,quæ conſtitutum à natura morę tempus pręuenit :quod fieri cernimus,vel quia ventriculus nimio ciborum onere veluti ſaburratus grauetur,vel à re quapiam mordente pungatur,ac vellicetur:quam vti alienam ſibique minimè familiarem expellere totis collectis viribus nititur.In ſumma, celeris deiectionis cauſę ſunt,nimia plenitas,qua ponendi oneris gratia ad excernendum inferne ventriculus cogitur , mordicatio rei pungentis,& ad excretionem proritantis , tum & humida ciborum,molliénſque aluum natura.Vnde eſt illud Hipp.in aphoriſmis: Eorum quæ vniuerſim,& velociter nutriunt,veloces quoque exeretiones fiunt , vel deiectoria facultas cibis quibuſdam indita , vel ventriculi contentiua potentia imbecillior facta,vel expultrix validior reddita ,vel intempeſtiuus à cibo motus,potúſve exuberans. Vniuerſa inquam hæc celerem deiectionem ,ſicuti contraria tardiorem efficere ſolent. Tardius enim,quàm pro conſuetudine excretiones fiunt,aut ob inteſtinorum,vel imbecillitatem ,vel obtuſum ſenſum,aut ob alimentorum,tum paucitatem , tum adſtringentem qualitatem. Quippe quę imbecilla ſunt,protrudere excrementa non poſſunt : quibus verò ſenſus obtuſus eſt,non facilè percipiunt ea,quæ ipſis moleſta ſunt.

Suppreſſæ porrò deiectionis, vel abolitus inteſtinorum ſenſus,vel tumor aliquis effatu dignus, vel extrema facultatis expultricis impotentia, in cauſa eſſe ſolent.

HIPPOCRATIS.

DEIECTIO optima est mollis, & cohærens, & secundùm horam, in qua etiam à sano egerebatur. Iuxta copiam vero pro ratione ciborum ingestorum. Si enim talis excernitur, inferior venter bene valet. *lib.2. Prædic. text.13.*

vide rursus eod. lib. omnem Deiectionum materiã, à numero 14. vsque ad numerum 24. quę ego breuitati consulens adscribenda hîc minimè duxi.

In perturbationibus ventris spontinis, si talia purgentur qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt: sin minus, contrà. *libro 1. aph.2.*

Deiectiones non multitudine sunt æstimandæ, si talia deiiciantur qualia conueniunt, & ægri facilè tolerant. *lib.1. aph.23.*

Si qualia oportet purgari, purgentur, confert, & facilè ferunt: si contra, difficulter. *lib.1. aph.25. & li.4. aph.3.*

Eorum quæ vniuersim, & velociter nutriunt, veloces quoque fiunt excretiones. *lib.2. aph.18.*

Quibus iuuenibus adhuc aluus humecta est, iis senescentibus exsiccatur. Quibus verò iuuenibus adhuc aluus sicca est, iis senescentibus humectatur. *libro 2. aphorism. 20. & eodem li.53.*

Alui profluuia fiunt in pluuiarum multitudine. *li.3 aph.16.*
Æstate alui profluuia fiunt. *libro 3. aphorism.21.*

Dentire incipientibus pueris alui profluuia fiunt. *eo. li.25.*

Deiectiones nigræ, qualis est sanguis niger, spontè venientes, siue cum febre, siue sine febre, pessimæ: & quanto colores magis praui fuerint plures, peius. *li.4. aph.21.*

Morbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis vel suprà, vel infra exierit, lethale. *libro 4. aph.22.*

Quibuscunque ex morbis acutis aut diuturnis, vel ex vulneribus, siue quouis alio modo extenuatis, nigra bilis, siue vti sanguis niger, desuper exierit, postridie moriuntur. *Libro. 4. aphorism.23.*

Quibus biliosę deiectiones, superueniẽte surditate, cessant: & quibus surditas, superueniẽtibus biliosis deiectionibus cessat. *lib.4. aph.28.*

Mictio noctu plurima facta, paruam significat deiectio-

nem.*lib.4.aph.vlt.*

Mulieri in vtero gerenti si aluus plurimũ profluat, periculum est ne abortiat.*lib.5.aph.34.*

A longo alui profluuio habito spõtaneus vomitus superueniens morbum soluit.*lib 6.aph.15.*

Lippientem alui profluuio corripi, bonum.*eod.li.17.*

Balbi ab alui profluuio maximè capiuntur. *lib 6.aph.32.*

In morbo diuturno fastidium cibi,& deiectiones synceræ, malum.*lib.7 aph.6.*

A deiectione syncera, difficultas intestinorum, malum. *lib.7.aph.23.*

Qui alba pituita detinetur, si fortis ventris fluxus superuenerit, à morbo liberabitur.*lib.7.aph.29.*

Quibus in alui profluuiis, excrementa spumosa fiunt, iis ex capite pituita defluit.*lib.7.aph.30.*

Quibus deiectiones si stare permiseris, & non moueris, veluti strigmenta subsistunt.*lib.7.aph.65.*

Qualia fuerint vesicæ, aut alui excrementa, &c. *lib.7. aph.76.*

Ventris valdè rubens proluuies, mala quidem in omnibus morbis,non minimè verò in prędictis, scilicet phrenitide, & comatosis. *lib.1.prorrhet.text.2.*

Phreniticis alba deiectio mala est. *lib.1.prorrhet.tex.13.*

In biliosis, syncerísque deiectionibus, spumosus veluti sursum erumpens flos, malus, tum aliàs, tum ei qui lumbis ante doluerit,atq; huiusmodi deiectiones intestina permearint.*li.1.prorrhet.text.21.*

Quibus aluus liquida, lassitudo, capitis dolor, sitis, vigiliæ, obscuritas & impotentia fuerit, vt hi mente moueantur spes est.*eod.lib.prorrhet.com.2.text.3.*

Si intercepta aluus, parua, nigra, & in spiras circunducta ad necessitatẽ dimiserit, & per nares eruptio fiat,malum. *eod.lib.& com.text.6.*

Deiectiones in spumosas,syncerásque desinentes,exacerbant,*eod.lib.& com.textu 15.& eod.li.com.3.tex.18.*

In acutis biliosis, albicantes, spumosæ, & pericholæ deiectiones, malæ.*eod.lib.com.2.tex.18.*

Quibus coma spumosis prodeuntibus oritur,febris accedit acuta.*lib.1.prorrh.com.3.tex.1.*

Ventris circuntepsio ad necessitatem liquida dimittens,

cito intumescens,conuulsiuum quippiam habet.*eo.li.& com. 3.text.7.*

Ventris deiectiones subliuentes cum perturbationibus, suspicionem habent.*eod.li.& com.3.textu 15.*

Arenidæ,& liquidæ deiectiones , non sine febre vitium habent.*eod.li.& com.3.text.24.*

Quæ in acutis morbis vomendo trahuntur vitiosa,atque albæ deiectiones difficiles.*eod.li.& com.3.text.25.*

Post sanguinis eruptionem,deiectiones nigræ malæ:prauæ autem & impense ru bræ.*eod.li & com.3.text.35.& 48.*

Frequentes,& paruæ surrectiones sufflauæ, lentæ, stercoreum exiguum habentes cum hypochondrij dolore, & lateris,morbi regij participes existunt.*Eodem.lib.& comment.3. text.54.*

Ventre nigra,stercorosáque deiiciẽte,coma superueniens parotidas excitat.*eod.li.& com.3.text.72.*

Alui turbatæ,& biliosæ erát,ac pauca mera,tenuia,mordicantiáq; deiiciebant,& assiduè desidebant.*lib.1.de pop.morb. text.25,& 33.& rursus. Eod.li.Com.2.Gal.text.7.*

Morbos ex deiectionibus cogno. *li.1.de popul.morb.Com.3. Gal.text.1.*

Aluus Sileno ægrotanti primo die biliosa, mera,spumosa,affatim multa reddidit,vndecimo die obiit. Li.1.de popul. morb.in historia Sileni *com.3.in Gal.in eundem li.*

Herophon pauca,& nigra quinto die excreuit : iudicatus est ad decimum septimum diem. *eod.li.& com.in historia Herophontis.*

Epicratis vxor,è partu febre acuta correpta, pauca,biliosa,tenuia,mera deiiciebat.Iudicata est die octogesimo. *eod,li. com.3,Gal.in historia eius mulieris.*

Metoni ęgrotanti aluus recremẽta tenuia, biliosa,subrubra reddidit,quinto iudicatus est. *Eod.li. & com, in historia Metonis.*

Critoni deiectiones biliosæ,meræ,plures fuerunt. Periit postridie quam ægrotare cœperat. *Ibidem in historia Critonis.*

Clazomenio febrienti deiectiones ab initio ad diem vsque decimumquartum,multę,tenues,aquei coloris:vigesimo die iudicatus est,*eod.li.& com.in historia Clazomenij.*

Aluus in quodam languente innominato irrita, liquida, turbida,cum lumbricis excreuit, vndecimo defunctus est. *lib. eod.*

eod. & com.

Melidæ mulieri aluus biliosa, mordacia, admodum pauca, nigra deiecit. Iudicata est die vndecimo. *eodem libro. & com. text. vlt.*

Pythioni quarto die aluus pauca, mera, biliosa, deiecit, tertio die iudicatus est. *li. 3. de popul. morb. text. I.*

Vide rursus in historia eius, qui in Dealcis decumbebat horto de alui deiectionibus plenioribus, nigris, spumosis, & sexto die recrementis pinguibus, nigris, spumosis, viscosis, virulentis, quadragesimo iudicatus. *Ei m libr. de pop. morb.*

Vide rursus toto eo lib. 3. de popul. morb. Item sexto innumeros locos de deiectionibus varij generis, quæ ægris contingebant ad quos locos breuitati parcentes, lectorem remittimus.

Galeni.

Deiectionis optimę notionem, Hipp. à consistentia, qualitate, & tempore, quo deiectiones excernuntur, fecit. *li. I. progn. com. 13.*

Deiectionis deterrimæ notio, non ex consistentia solùm, qualitate, & tempore: sed à colore quoque, & odore, sumendã esse voluit Hipp. *eod. li. & com.*

Deiectionis consistentia per naturam est, vt neque dura sit quemadmodũ lapides, neque extremè humida, vt diffluere queat. *Ibid.*

Deiectionis copia, ingesto cibo proportione respondere debet. *com. eod.*

Deiectio optima, ventrem inferiorem secundum naturã se habere indicat, non tamen contraria deiectio pręter naturam se habere indicabit. *ibid.*

Deiectio naturali simillima, indicat non solùm inferiorem ventrem bene valere, sed ętiam nihil in eum decumbere ex visceribus prædictis. *ibidem.*

Madens deiectio fit propterea quòd non fuerit ex ventriculo deductio ad iecur, vel quia de iecore, aut liene aliquid defluxerit in eum. *li. I. prognost. com. 14.*

Madentem fieri deiectionem interdum bonum est, quoties expurgetur iecur, aut lien, aut omne corpus per iecur. Non bonum vero quoties accidentis ratione fiat, deductio-

neà finibus concidente, aut iis quæ de iecore eunt in ventrem bonę affectionis signa non habentibus. *Eodem lib. & com. 14.*

Frequens desidendi labor insomnium facit, & sępe & multum excernere, ceu vires exoluens criminatur Hipp. *Ibid.*

Corpulenta redditur deiectio, si aquosa, ac tenuis, haud quaquam corpulenta, duraque existat. *Li. 1. de præsag. com. 16.*

Deiectionem naturalem subrufam esse, suscipientem de iecore bilé, decũbenté in ventrem, modicã quidé qualitate, paucam verò quantitate clarum est, & omnibus medicis cõspectum. *eod. li. com. 17.*

Flaua & rufa redditur deiectio, si syncera, aut multa decumbat bilis. Si verò nullo modo permeet ad intestinum, vt in arquatis, candida, deiectio erit. *eod. lib. com. 17.*

Si natura cùm ceteris excrementis, lumbricos teretes pellit deorsum, melius est, quàm si sursum. *Eodem lib. comment. 18.*

aquosa Deiectio cruditatis indicium est. Candida haud quaquam decumbere croceam de iecore bilem in ventris sedes significat: viridis aut crocea bilis croceę copiam permistã esse, aut rubiginosę significabit. *eod. li. com. 20.*

Spumans deiectio, interdum spiritum fla tuosum humori permistũ esse solutu difficili, quandoque caloris copiam indicat, *eod. li. com. 20.*

Exigua, glutinosa, candidáque deiectio, pinguedine absumpta ab igneo calore, non tamen vehementer maligno efficitur, subcrocea verò, ac leuis absumpta quoque pinguedine consistit. *eod. li. com. 21.*

Viridis deiectio, à rubiginosa bile, vehementis consumptionis indicium est. *ibid.*

Deiectio sensim secreta, si glutinosa sit, modicæ tribuitur consumptioni. *com. eod.*

Deiectio viscola, graueolentia ab humore crudo interstinguitur, qui graueolens non est. *com. eod.*

Nigra deiectio ab atra bile sincera tingitur: liuida verò vbi modica modicè permiscetur: optima deiicitur, quoties pinguedo ab ignito calore consumitur. Graueolentia verò putredinis indicium est. *eod. lib. com. 22.*

Deie-

Deiectio versicolor, multas haberi indicat affectiones, & ob eam rem actu temporis eget, ad concoctionem. *eod. lib. com.23.*

Deiectiones alui à vi aliena excernente fiunt. *lib. 7. aph. com.21.*

Facultatis in ventre indicia, ex iis quæ quotidie deiiciuntur agnoscuntur. *li.2.prognost.com.26.*

Euacuationes aliquando fiunt per medicamenta totum corpus expurgantia, & per vomitus, & deiectiones. *lib. 4.aph. com.2.*

Deiectio præter naturam, significat ventrem interdum solùm esse affectum, sæpe verò decumbentis aliundè materiæ in eum indicia habet, *li.2.prognost.com.13.*

Deiectionis celerius consueto factæ, causæ sunt, vel degrauatus venter, veluti à liberalius assumptis, vel demorsus, & compunctus, veluti à mordacibus, vel tãquam alienum amoliens, *li.3.de sympt.caus.cap.2.*

Serius quàm ex consuetudine excernit imus venter, vel propter intestinorum imbecillitatem, vel hebetem eorum sensum, vel ob ciborum paucitatem, qualitatémve. *li.de symp. cau.c.2.*

Deiectio tardatur, non solùm propter intestinorum imbecillitatem, sed etiam musculorum abdominis, potissimum cùm excrementa duriora euaserunt. *eod.lib.& cap.*

Deiectio minor fit, quàm pro multitudinis comestorum ratione, cùm ex iis in corpus plus est diductum. Contra plus quàm pro sumptorum portione deiicitur, alias ob diductionis defectum, alias confluentibus supernè aliquibus, in ea quæ circa ventrem sunt loca. *li 3.de sympt.cau.c.2.*

Assiduæ excretiones fiunt, vel propter imbecillitatẽ, vel demorsum. *eod.li.& ca.*

Deiectionum retentio, naturalis, actionis est culpa: inuoluntarius earum effluxus, actionis voluntaria. *li. 2.de sympt. caus.c.2.*

Deiectiones ætatis ratione, vt mutari contingat. *li. 2.aph. com.20.*

lentor in Deiectionibus sæpenumerò fit, vbi quædam calefacta supra modum sint. *li.2.prognost.com.21.*

è Deiectionibus in acutis morbis, vt præsagire oporteat. *lib,2.prognost.à com.13.vsque ad com.24.inclusiuè,*

Deiectionem morbis in iudicationem euntibus, corpulentam esse decet. *lib.2.prognost.com.16.*

Deiectiones, quę in spumosas ac synceras desinunt, exacerbandum morbum iudicant. *lib.prorrh.com.15.*

Deiectiones syncerę appellantur, quæ duntaxat vnum qui excernitur humorem, cæteris impermistum habent. *eod. lib. & com.15. & lib.7.aph.com.23.*

Deiectio exigua, glutinosa, candida, subcrocea, leuis, in morbis acutis mala. *lib.2. prognost.com.21.*

Deiectio spumosa naturis omnibus mala est. *lib.1.prorrh. com.18.*

Deiectio subuiridis de rubiginosa bile, vehementis consumptionis indicium est. *li.2.prognost. com.21.*

Deiectiones ventris subliuentes prauæ sunt. *li.1.prorrh.com. 2.Gal.text.15.*

Deiectiones biliosæ soluũt surditatem eam, quæ repentè in febribus fit recurrente ad cerebrum bile: cùm verò hinc ipsam natura expellente, ad excretionem peruenerit, soluit surditatem *li.4.aph.com.28.*

alui Deiectio molienda non est, quibus sanguis bonus exiguus est, crudi verò humores plurimi. Deiectio nanque in talibus tormina, & rosiones creat, & animi deliquia: cum eo quod nec notatu quippiam dignum educit. *li.4.de san.tu.*

Deiectiones fiunt & rubræ, & nigræ, talésque vt plurimum apparent in pestilenti morbo: non tamen in principio scilicet, & incremento. *li.4.aph.com.21.*

Deiectiones nigrę nunquam ab initio ad bonum sunt, magnam visceris læsionem ostendentes: ad morbos verò consistentes sequuntur sæpius, natura superfluitates expurgante. *li.4.aph.com.21.*

nigra Deiici assumpto medicamento, quòd vim habeat nigra purgandi, nihil absurdum significat. *eod.lib. & com.*

Deiectiones nigræ sunt veluti sanguinis limus, qualis vinis crassioribus solet subsidere, quam fæcem nominãt. *lib.4.apho. com.21.*

Deiectiones nigrę ab atra bile differunt, quòd nec acre, & corrodens, & acidum habeant, neque in terram effusę bulliant vti atra bilis, *eod.lib. & com.22. & 23.eiusdem li.*

Deiectiones nigrę generantur ex superfluitate alimenti splenis, hanc ad ventrem expellẽtis vnà cum aliis superfluitatibus

tibus excernendam, vel cùm neque splen bene expurgauerit: & ille qui in hepate continetur sanguis multum huius limosæ superfluitatis habuerit, accrescet debilitas visceri, ita quod non continebit in seipso superfluitates: & nunc illæ quę nigræ vocantur, fient deiectiones. *li.4.aph.com.21.*

Nigra bilis, siue vti sanguis niger, si desubtus exierit, in iis qui ad extremam extenuationem peruenerint postridie moriuntur, & cur. *vide lib 4.aph.com.23.*

Deiectiones exiguæ multam significant mictionem, & è contrario. *lib.4.aph.com. ult.*

alui Deiectionem minorem fieri ventris humore distributo, vnicuique manifestum est. *ibid.*

Quibus biliosa deiiciuntur, lac nocet. *lib.5.aph.com. 64.*

Pituita salsa, aut acris, intestina mordens inuitat ad deiectionem. *li.6.aph.com.33.*

prauæ Deiectiones cum cibi fastidio in morbis diuturnis, prauum est signum *li.7.aph.com.6.*

Deiectiones synceras vocat Hipp impermistas aquosæ humiditati, quoniam solus humor euacuatus deiicit. *eod. li. & com. & rursus eodem li.com.23.*

Deiectiones synceræ exustam esse omnem natiuam humiditatem à calore febrili demonstrant. *ibid.*

Deiectionem puris, faciunt suppurationum ad intestina ruptiones. *li 7.aph.com.8.*

in Deiectionibus synceris, nihil mirum si aliquod intestinum exedatur. *libr. 4.aphor.com 23. & 72.*

Deiectiones quibus strigmenta subsistunt, si paucæ, paucus est morbus: si multæ, iis confert alui purgatio. *lib. 7. aph. com.65.*

Deiectiones, ac subditiones, solet Hip. nominare per aluũ exeuntia. *eod.li. & com.eod.*

Deiectionis causæ in vniuersum, citæ, tardę, suppressę, exiguæ, multæ. *li.3.de sympt.cau.c.2.*

Euacuationem solet Hip. nominare ab euentu, vasorum inanitionem. *lib.1.aph.com.2.*

Siue à natura, siue à nobis euacuatio fiat, omnino metiri oportet, quantum sit euacuandum. *li.1.aph.com.23.*

Si qualia oportet purgari purgentur, confert, & facilè tolerant in perturbationibus ventris spontinis. *li.1.aph.com.ult.*

Cibis vniuersim, & velociter nutrientibus inest celeriter

tendere ad excretionem.*lib.2.aph.com.18.*

Excretio propriè dicitur solùm de ea quæ fit per ventrē *li.2.aph.com.18.*

Excretionem vel subductionem dicere differt. Subductio enim solùm de iis dicitur, quæ per aluum deiiciuntur. Contingit autem excretionis vocabulum esse commune ad eam quæ fit ex toto corpore euacuationem.*ibid.*

Deiectiones variantur ætatum ratione, secúdum eas, quę in corpore mutantur dispositiones, ex quibus aluus siccior humidiórve fit.*li.2.aph.com.20.*

Plusquam modo conueniat, fit aluus humidior, quando cibus in chylum cōuersus, in ipsa parcius distribuitur. Siccior verò rursus omni humore in ipsa contento, ad hepar relato. *eod.li. & com.*

Alui profluuia in temporibus pluuiosis eueniunt, cùm humorum superabundantia per aluum expurgatur. *lib. 3. aph. com.16.*

Ventris profluuia, bile ad inferiora defluente fiunt.*li.3.aph. com.21.*

Alui profluuia in pueris dentire incipientib. consequuntur, quoniam alimentum non bene coquitur, neque distribuitur.*lib.3.aph.com.25.*

Euacuationes interdum fiunt per deiectiones. *Li. 4. aph. com.2.*

Deiectiones nigræ vocantur à priscis, quæ bilis nigræ exquisitè non sunt, & quo ab atra bile differant. *lib. 4.aph.com. 21 & 23.*

Deiectiones nigræ, qualis sanguis niger, iis qui ad extremā extenuationem venerint, si apparuerint, postridie moriūtur. *Li.4.aphor.com.23.*

Si quid excernitur, quando aliquis morbus incipit, nihil tunc excernitur naturæ ratione, sed sunt omnia casus præter naturam earum quæ sunt in corpore dispositionum.*li.4.aph. com.22.*

Difficultas intestinorum, quæ ab atra bile fit insanabilis est, quòd nihil differat à cancro vlcerato.*li.4.aph.com.24.*

Biliosæ deiectiones surditatem, febribus superuenientibus curant, bilem per excretionem natura soluente. *Li.4.aph. com.28.*

Ratione euacuationis, periculum est abortus, si mulieri in v-

in vtero gerenti aluus primùm profluat. *li.5.aph.com.34.*

Alui profluuium in lippientibus bonum, quia humorum abundantia simul euacuatur, atque ad inferiora retrahitur. *li.6.aph.com.17.*

Balbi cur alui profluuio maximè capiantur, quòd scilicet aut cerebrum habeant humidum, aut linguam, aut vtrumq;, indéque à cerebro multas par est defluere superfluitates, atq; inde fluentes in ventrem suscipi: vnde & longis profluuiis homo capitur. *li.6.aph.com.32.*

Synceras deiectiones nominat Hipp. impermistas aquosæ humiditati, quoniam solus humor euacuatus deiicitur. *li.7. aph.com.6. & 23.*

in Synceris deiectionibus, si intestinorum aliquod excedatur, nihil mirum. *li.7.aph.com.23.*

A forti, vel diuturno alui profluuio, solui albæ pituitæ superabundantiam, commune est ad multa alia ab Hip. dicta. *li.7.aph.com 29.*

Fiunt aliquando excrementa spumosa, spirituosa, humore ex capite ad ventriculum defluente. *li.7.aph.com.30.*

per aluum exeuntia, solet Hip. deiectiones, ac subductiones nominare, *li.7 aph.com.65.*

Multa prætereà de deiectionibus Galen. in commentariis ad librum Prorrhetici, locis à nobis citatis in Hippocratis locis recensendis: adhæc in commentariis eiusdem ad libros primum & tertium de pop. morb. ad quæ lectorem breuitati consulens remitto.

De sputis, & earum significatione.

CAP. XII.

NOn minus & sputa quoque ipsa, perinde atque egestiones, & vrinæ de futuro in morbis quibusdam euētu significationem præbent. De his itaque hoc capite agemus, id indicantes super quarum partium morbis ex sputis significatio petenda. Quæ in sputis attendenda medico sint (sunt autem in his spectanda maximè sputorum substantia, color, & screandi modus, num citus, facilis, promptus, absque dolore, morbíque alleuatione, num contra tardus, difficilis, cum dolore) postremò de sputorum differentiis, & corū præsagiis in morbis agemus. Sputa igitur ipsa, pulmones, thoracemque malè affici, morbóque aliquo premi indicant: atque ob id in earum partium affectibus summopere (vel Gal. testi-

monio)expendenda. Siue enim defluxione, siue inflammatione, aut vlcere partes eæ tenentur, magnam profectò est ex sputis sumere indicationem, vt millies in mille locis confirmauit Gal. Quemadmodum enim renum, & vesicæ, iocinorisque affectus, venosique generis ex vrina, ventris ex alui deiectionibus, sic pulmonum, thoracisque ex sputis indicia sumimus, quòd ab his partibus screationes manēt. Qualia itaque sputa prodierint talem profectò de morbo ipso significationem dabūt. Sputum nanque omne in omni dolore qui affligat circa pulmonem, & costas vt citò promptéque screetur necesse est. Citò autem screari, si inter initia morbi erumpat (autore Gal.) intelligimus prout promptè screari, pro eo quod est facilè & propensè, hoc est sine dolore summáque facilitate screationem prodire. In sputis porrò attendenda sunt, substantia, color screandi modus. In substantia, eæ differentię insunt, sputum tenue, crassum, aquosum. Colores varij crientum, flauum, ruffum, viride, liuens nigrum. Ad screandi modum pertinent facilitas, aut difficultas in screando, promtitudo, doloris carentia, aut illius incrementum, tussis inter screandum grauitas, aut remissio, morbi denique ex screatu aut alleuatio, aut in deterius lapsus. Hæc si quis in thoracis pulmonumque morbis ritè spectet, exactam poterit ex sputis facere præsagitionem. Ergo sputum id optimum est, quod & mediocriter constans, neque admodum crassum, nec liquidum fuerit, adhęc flauæ bili, vt vult Hip. permixtum, facileq; & mox inter initia morbi eductum: tale nanque coctionis morbi certissima nota est perinde atque summæ cruditatis vel nihil omnino expui, vel tardè difficultérque, præsertim si vel candidum, glutinosum, rotundum, flauum, aut syncerum, appareat. Huiusmodi nanque screationes (autore Hip.) inutiles esse solent. Ex sputis igitur, lateralis morbi tempora deprehendi facillimè possunt. Vbi nihil omnino expuitur à principio, tunc morbi initium iurè quis dixerit. Nihil autem toto morbi decursu expuisse, lethale meritò Celsus dixit. Vbi autem humida quædam, & ad coctionem tendentia screantur, morbi tum incrementum est. Vbi exactè cocta, plurima, facillimèque educuntur, morbum ad suum vigorem peruenisse existimandum est. Cùm verò exactissimè cocta, amoto dolore, paucioráque emittuntur, in declinatione consistere morbum censendum meritò est: præsertim si & leuis spiratio

nio:

morbíque tolerantia, nulláque tussis adfuerint. Ab optimo autem sputo declinant, sputum nimium tenue, aut viscidum admodum, & crassum, flauum, syncerum, viride, spumosum, nigrum. Eę enim screationum differentiæ sunt, si Hip. & Gal. creditur, à quibus præsagia de futuro euentu in laterali morbo, aliisque thoracis, & pulmonum affectibus sumere licet. Huius nanque generis screationes in malis habendæ sunt. Tenue nanque sputũ cruditatem subesse indicat: viscidum crassum, spumosum, vitiosos intus & lentos conditos succos denotant, qui difficultatem in screatu pariant, aut aërem substantiam multam aquosæ humiditati intermistam, vnde spumosum reddatur sputum. Flauum autem redundare bilim plurimam indicat, vti viride, aut nigrum assatos humores, atramque bilim: vnde ægrotationes reddi quoque difficiliores autore Gal. solent. Synceram autem excretionem omnem malam esse, in confesso, vel Hip. assertione omnibus est, nedum sputum syncerum omne, quod & quoque malum esse idem autor in prognost. affirmauit: exustam enim esse omnẽ natiuam humiditatem à calore immodico demonstrat, atque ob id exitialem fore morbum, vbi talia apparuerint omnino declarant. Ad congruam autem ex sputis prę sagitionem non minimum facit, si hæc in thoracis, pulmonúmque morbis mox ab initio, aut paulo post appareant. In morbo laterali (inquit Hippocrates, si citra initia statim sputum appareat, morbum abbreuiat: si vero posteà appareat, producit, idque optima ratione. Cito enim manans sputum & virium robur, & materiæ obedientiam indicat. Post apparens, aut viriũ imbecillitatem aut materiæ educendæ ineptitudinem ostendit: vnde ad facilem, & citam manationem, morbum breui finiri, ad tardam produci, consequens omnino est.

De sputo, Hippocratis, & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

SPVTVM in morbo laterali, si circa initia statim appareat, morbum breuiat: si verò posteà appareat, producit. *li. 1. aph 12.*

Qui tabe molestantur, si sputum quod extussiunt graue olet iniectum carbonibus, & capilli à capite defluunt, lethale. *li. 5. aph. 11.*

Quicunque ſpumoſum ſanguinem expuunt, iis à pulmone eductio fit. *lib.5.aph.13.*

Quicunque ex morbo laterali ſuppurãtur, ſi in quadraginta diebus purgantur, à die qua fit ruptio liberãtur: ſin verò non, ad tabem tranſeunt. *li.5.aph.15.*

à ſanguinis Sputo puris ſputum, malum. *lib.7 aph.15.*

à puris Sputo phthiſis, & fluxus. Cùm vero ſputum retinetur, moriuntur. *lib.7.aph. 16.*

Excreationes in febribus non intermittẽtibus liuidę, cruentæ, fœtidæ, omnes malæ, & billioſæ. *lib.4.aph.47. & lib.7. aph.66.*

Screatio in omni dolore, qui affligat circa pulmonem, & coſtas, citò promptéque ſcreetur neceſſe eſt. *lib.2. prognoſt. textu 43.*

Pexmixta appareat flaua bilis admodũ ſcreationi, oportet. *eod.lib.44.*

Si multò poſt ab initio doloris ſcreatur flaua, aut candida, aut rufa, aut multam inferens tuſſim, aut non admodum permixta, deterior eſt. *eod.lib.45.*

Screatio flaua, ſi ſyncera eſt, cum periculo eſt. Candida verò glutinoſa, ac rotunda inutilis eſt. *eod.lib.46.*

Si viridis, & ſpumans admodum eſt: mala eſt. *eod.li.47.*

Si ita ſyncera fuerit, vt nigra appareat, hæc difficilior, quàm illa eſt. *eod.lib.48.*

Screatio flaua non multo permixta ſanguine, in pulmonis morbo, ſi inter initia excernitur, ſalutaris admodum eſt, ſi ſeptimo die, pigriúſve, minùs ſecura eſt. *Lib.2. prognoſt.50.*

Omnis ſcreatio mala eſt, quæ non ſedat dolorem: quæ verò ſedat dolorem, omnis melior eſt. *eod.lib.51.*

Vide rurſus eodem lib.2. Prognoſt. de purulentis à textu 52. vſque ad textum 56. incluſiuè, & rurſus textu 62. & 65. eiuſdem lib.

Screatus frequens, etſi aliud quodpiam ſignum adfuerit, ſunt phrenitica. *lib. Prorrh.1 textu 6.*

Si in phreniticis, frequens cum refrigeratione ſit ſcreatus, nigra reuomuntur. *eod.lib.30.*

Lateris dolor ex ſputis biliofis, ſi abſq; rationę euanuerit, in furorem aguntur. *eodem lib. Prorrh.5.com.3. Galeni.*

Lumborum dolor, cum & capitis, & ſtomachi dolore, atque

atque screatu violento, conuulsiuum quippiam habet, submutúmque cum iudicatione rigorem. *Eod. lib. 14. com. 3. Galeni.*

In sudore sputa preterfluentia, febricitanti ægro leuia. *eod. li. 30. com. 3. Galeni.*

Tussiculæ cum frequēti sputo abscessum post aures tollunt. *eod. li. Prorrh. 72. com. 3. Gal.*

Omitto volens, & sciens quæ ab eodem autore, in variorum egrotantium de sputis obseruatione, in popul. morb. (vt li. 1 3. & 6. est videre, idem Hipp. attulit. Ad quos locos, breuitati consulens, lectorem remittere visum est.

Galeni.

Si sputum in laterali morbo, statim post apparuerit in morbi principio, eum facit breuiorem. *li. 1. de crisi. cap. 7. & li. 1. aph. com. 12.*

Sputum cùm fuerit exquisitè simili illi, quod aduenit sanis, integram sanitatem instrumentorum, quibus vis spirandi est demandata significat. *li. 1. de crisi. cap. 7.*

Sputum si quo modo impediatur, atque à naturali recesserit habitu, tantùm inspirãdi instrumēta lęsa esse demōstrat, quantū ipsam formam naturalem amiserit. *li. 1. de crisi. c. 7.*

Sputum quod illi, quod secundum naturam est, maximè contrarium existit, crudum, magnam ostendit membrorum imbecillitatē. *eod. li. & c.*

Sputum quod vitiosæ causę aliquod signum habuerit, quemadmodum nigrum, perniciosum hoc est. *Eodem libr. & cap.*

Sputum simpliciter crudum, id est, quod album est, ac tenue, quod aquosum nominamus. *li. 1. de crisib. cap. 5.*

Ex pectore, & pulmone, ab aliis alius secundum humorū cognitionem spuitur humor, spumans quidem, cùm pituitosus est, palludus cùm biliosus, niger cùm melancholicus, sicut & ruber cùm sanguis defluens purus fuerit. *li. 6. de popul. morb. com. 3. aph. 41.*

Sputa rotunda delirium significant: & eorum materialis causa est crassitudo, atque tenacitas humorum in fibris pulmonum collectorum: causa veluti effectrix est loci caliditas. *com. 3. ad li. 6. de pop. morb. aph. 36.*

Sputum sanguineum reiicientibus, quantum omnino

ad hoc pertinet, secanda vena est.*com.3.ad lib.6.de pop.morb. aph.vlt.*

Sputa varia, & subrubra in aliis morbis quàm pleuritide, & peripneumonia accidere possunt.*com.1.ad 3.lib.de pop.morb. aph.4.*

nihil educi cum Sputo,in laterali morbo sufficiens est morbi coctione carentis indicium. *lib.1.de crisi.cap.5.* Item si educatur quidem sed non bonum.

Sputum duplex,vel quod caret coctione,vel quod etiam prauum existit.*lib.de crisi.cap.5.*

id propriè Sputum appellatur, quod coctum est,quod & ipsum & à crudo, & à prauo separatur.*eo.lib. & cap.*

Sputum sanguineum, biliosum, atque spumosum quod est,non sputum,sed spuitiones nominamus.*lib.1.de crisi.cap.5.*

Cùm verò neque sanguini, neque bili pallidæ, vel nigrę commistum fuerit, id quod tale fuerit, iam sputum vocamus.*Ibid.*

Si quid prauum expuitur, imminere periculum significat: si quid autem malignum fuerit,morbum minatur. *ibid.*

Vide eodem capite,lõga serie de spuitionibus,quæ bonę, quæ prauæ,& periculosę,& interpretationem dictorum *Hip. in Prognostico.*

nigrum Sputum præter id quod crudum est,etiam mortem portendit. *lib.de.crisi.cap.5.*

Sputorum in substantia, & ex colore differentię,& eiusdem signa coctionis & cruditatis, atque mortis. *lib.1.de crisi. cap.5. & lib.2.progn.com.45.46.47.48.*

ex Sputo, temporum morbi vniuersalium, in thoracis & pulmonum affectibus dignotio,*lib.1.de crisib.cap.18.*

Nihil omnino expuere, sed tussim tantummodò siccam habere, tale quiddam est, quale in vrinis extremè crudum, quod aquosum nominamus.*lib.1.de crisi.cap 18.*

Sputum indicat terminum,quo lateralis morbus iudicari debet. *lib.1.aph.com.12.in historia Anaxionis.*

Crudissimus morbus est (de laterali loquens Galenus) in quo nihil omnino expuitur.*lib.1.aph.com.12.*

Sicuti igitur sputum perfectæ coctionis signum est,quando album fuerit & leue, æquale cõsistentia, neque nimis humidum, neque nimis crassum: eodem modo integram cruditatem ostendit,quod nullo modo expuitur.*com.eod.*

Vide

Vide eodem commentario, de ſputis malis & pernicioſis, de ſputo bono, debilis coctionis & mortali.

Sputum ſanguinis, & tabem adoleſcentes non ſecundùm ætatis naturam patiuntur, ſed ſecundùm aliquid quod eis accidit, nempe ob incōtinentiam, non ob ętatis imbecillitatem. *li.3.aph.com.29.*

Sputa ſignificant iudicationes, ſed non ſemper bonas. *li.4.aph.com.71.*

per Sputa factam euacuationem humorum facientium morbum lateralem, ſolet Hippocrates purgationem, ac repurgationem nominare *lib.5.aph.com.8.*

Expuiſſe ſanguinem ſpumoſum, carnoſam pulmonum ſubſtantiam vlceribus affectam eſſe indicat. *lib.5.aph.com.13.*

Per ſpuitiones ſuppurati ex morbo laterali, niſi in quadraginta diebus puris euacuatio fiat, neceſſarium eſt pulmonem excedi. *lib.5.aph.com.15.*

Sputum indicare à quo humore morbus lateralis fiat. *lib.6.aph.com.33.* Nam flaua & rufa, à bile: ſpumoſa, à pituita: nigra, à melancholico humore: rubra à ſanguine fieri demonſtrant. *ibid. & li 5.de loc.aff.cap.2.*

Spuitio ſanguinis, longus eſt morbus. *libro 6. aphoriſm. commen.47.*

per Sputum expurgatur omnis humor noxius in morbo laterali, ſi mitis fuerit inflāmatio: in pernicioſis verò, antequam coſtæ patiantur, ſtrangulat ægrum. *libro 7.aphor. com.11.*

non omne Sputum ſanguinis, ſequens habet ſputum purulentum, ſed quod malignum exiſtit, *li.7.aph.com.15.*

cùm Sputum retinetur in phthiſicis, moriuntur. Intus enim manens, obſerantur quidem viæ ſpiritus, patientes verò ſtrangulantur. *li.7.aphor.com.16.*

ad Sputorum eductionem, idonea auxilia melicratum, oxymeli, ptiſana, vinum dulce. *lib.3.de rat.vict.acu.com.2.*

Spui ſanguinem, è variis partibus contingit, *lib.4.de loc. aff.cap.6.*

Spuitione contenta in thorace, in aſperas pulmonis arterias recipiuntur, atque tuſſiendo excreantur. *li.5.de loc.aff. cap.2.*

Spuitiones ſanguinis incipientes, ſecta vena prohibuit *Gal.lib.6 aph.com.47.*

qui ex pulmonibus laborant, Sputum expuunt inter tussiendum alio atque alo colore infectum. *Lib. 2. de loc. aff. cap. 3.*

De sanitate tuenda, hoc est, ea medicinæ parte, quam Græci ὑγιεινὴν, Latini salubrium scientiam dicunt.

CAP. XIII.

EX quinque medicinæ partibus, suprà capite tertio recẽsitis, tres iam absoluimus, eam nimirum quæ de natura, eam quæ morbos, causas, & symptomata tractat, eã item quæ ex signis, vel præsentia, vel præterita, vel futura ostendit. Supersunt reliquę duæ tractãdę, sanitatis cõseruatrix, & morborum depultrix: quarum Gręci alteram ὑγιεινὴν, alteram θεραπευτικὴν, nos salubrium sciẽtiam priorem, & curatricem posteriorem nuncupare solemus. De his nobis agendũ ordine est, à sanitatis conseruatrice exorsi: quã ob id meritò salubriũ scientiam dicimus, quòd ea medicinæ parte, quænam ad vitam bene, salubritérque degendam salutaria, vtiliáque sint, doceamur. Quã sanè artis partem omniũ prę̃stãtissimã esse, longéque vtilissimã, summoru autorũ prę̃iudicatę autoritatis assertione est cõfirmatũ, Hippocratis dico, Polybi, atque Galeni. Sic nanque libro de diệta Hippocrates, de sanitatis vtilitate, ac commodis, scribens. *Hac* (inquit) *porrò multitudinis commonenda gratia, ac vulgi hominũ ea ipsa prodo, qui ex necessitate vitam temerè transigunt, neque licet ipsis aliorum negligentes esse, ac suã ipsorũ sanitatem curare. Quibus verò iã hoc certũ, ac percognitum est, quòd neque diuitiarum, neque corporis, neque vllius alterius rei vlla vtilitas est, citra sanitatem.* Polybus verò libro itẽ de salubri dięta, virũ prudentẽ, id secũ reputare oportere dixit, quòd res preciosissima sit sanitas, ac proinde scire, vt ex suo ipsius consilio in morbis vtilitatẽ percipiat. Galenus verò, seu quisquis eius libri, qui medicus inscribitur autor fuit, id multo prę̃stare asseuerauerit, morbũ prorsus non admittere, quàm admissum curare. Bonam nanque valetudinem commendans grauissimus autor Plutarchus, sanitatem maximè diuinum longéque blandissimum esse vitæ condimentum: preciosissimamque rem, bonam valetudinem esse, vt grauissimè, sic certè doctissimè affirmauit. Nimirum igitur,

igitur, si ea artis pars, quæ sanitati tuendæ dicata est, eámque seruare docet, in primis, atque præcipuis sit habenda. De ea ipsa hoc capite tractabimus, docebimúsque sanitas ipsa quid sit, & in quo maximè sita: quibus rebus ipsa seruetur, quę prę cepta pro temporum anni, ętatum, ac temperamentorum ratione sint obseruanda. Sic enim valetudinis tuendę methodum tradidisse videri poterimus. Ergo sanitatem Galenus, omnium corporis partium naturalem constitutionem, seu a- *Libr.1.de* ctionis causam esse merito dixit. Ea siquidem corporis consti- *morb.diff.* tutio, in qua nec doloribus cruciamur, nec in vitæ actionibus *cap.21.* expedimur, sanitatis nomine venit appellanda, vt rectè Gal. lib.1.de san.tuenda dixit. Scitum nanque medicinale, axio- *Gal.li.1.* máque illud est, omnes homines sanos se esse arbitrari, cùm *de morb.* partium corporis adminiculo, muniis ad vitam necessariis, *diff.cap.2.* fungi citra vllam noxam possunt. Tum verò ægrotare, cùm muniis obeundis, actionum naturę deprauatione minimè valent. Definitionũ medicinaliũ autor sanitatem definit, humorum primorum qui secundum naturam in nobis sunt, probam temperiem, aut naturalium virium actionem non impeditam, tametsi hæc secunda definitio, qua naturalium viriũ actionem minimè impeditam sanitatem esse dixit, minimè Gal. sensis congruere videatur, qui sanitatem non in actione ipsa, sed in habitu potius, ac constitutione corporis positam esse, efficacissima demonstratione lib. 1. de morborum differentiis docuit. Nihil enim dum nobis agentibus, nullique àctioni intentis, sanos nihilominus nos esse, vel altum dormientibus, vel in vmbra degentibus, nemo vnquam negauerit illud, vt intelligamus, non in actionibus ipsis, sed in ipsa corporis proba constitutione, sanitatem consistere: ipsámque non ab actione, sed à potentia potius (vt rectè Gal. affirmat) *Gal.lib.1.* esse definiendã. Quid sanitas sit, & in quo sita, iam ostendi- *de mor.* mus. Quibúsnam rebus ipsa seruetur (quod secundo loco ex- *differ.c.2.* plicandum proposuimus) doceamus. Id Hippocrates vnica eáque breuissima, sed arguta sententia, lib. 6. Epidemiorum *parti.4.a* in hęc verba declarauit, ἄσκησις ὑγιεί[illegible] ἀκορίη τρο- *phor.20.* φῆς, ἀοκνίη πόνων: quod est, Sanitatis studium est, non satiari cibis, & ad labores impigrum esse. Rectissimè profectò vtrumque Hippocrates, non satiari cibis, & strenuè obire labores, sanitatis studium complecti dixit. Satietas nãque & ingluuies, morborũ omniũ seminariũ, atque origo est. Inde nan-

que cruditates, viscerũ obstructiones, mali habitus, putredines, tandem febres, articulorum dolores, nephritides, & malorum omne genus, à cruditate nempe (quæ satietatem ferè semper insequitur) malorũ omniũ colluuies, autoribus Gal. & Auicenna nasci solet. Ac proinde Celsus grauissimus autor, nunquam non inutilem nimiam satietatem, verissimè dixit. Laborum verò & exercitationis vis, in firmanda optima valetudine magni ab omnibus momenti esse censetur: vnde est illud Hippocratis, πόνοι σιτίων ἡγείσθωσαν, hoc est, Labores cibos præcedant. Quæ vero commoda ad temperatos labores, opportunámque exercitationem sequantur, bellissimè, lib. 2. de tuenda valetudine expressit Galenus. Ab exercitatione inquam tempestiua, tria omnino consequi in corpore necesse est, membrorum duritiem ex mutuo membrorũ attritu, natiui caloris incrementũ, & spiritus citatiorem motum, à quibus magna firmandæ valetudini cõmoda accedunt. Ex mẽbrorũ duritia, vt minus ex labore corpora lædãtur, & ad impigrè obeundos labores robustiora, firmioráque accedent. Ex caloris incremento deducendorũ in corpus validior attractus, immutatio magis expedita, feliciórque nutritio, & mẽbrorũ ex alimento attracto perfusio quasi quædam: à qua & solida mollescere, & humida tenuari, & exiguos corporis meatus laxiores fieri, planè contingit, sicuti ex spiritus citatiore motu, valentioréque impetu, qui per exercitia fieri solet, purgari meatus omnes, & excrementa expelli, est omnino necesse. Quoniam verò digestionem per corpus exercitatio promouet, atque adiuuat, ea cùm obitur, non debet aut crudi, incoctique cibi, aut succi multitudo, vel in ventre, vel in vasis contineri, ne cruda illa in omnem corporis habitum, exercitij viribus rapiantur. Quatenus verò exercitatio ipsa & meatus expurgat, & excrementa propulsat, ex vsu est ante ciborum assumptionem, pro Hipp. sententia, adhiberi. Labores nanque cibos præcedere ordine debent, si quis seruandæ valetudinis fuerit studiosus. Magna itaque ratione Hippocrates sanitatis studium in ciborum temperantia, & commoda exercitatione positum esse adstruxit. Sunt enim hæc duo seruandæ valetudinis solidissima fundamenta, quibus inniti sanitatis studiosũ decet. Vniuersam verò sustentandæ valetudinis rationẽ, vnus omniũ optimè tradidisse Cicero Latini eloquij & pater & princeps, lib. officiorum 2. est

Gal. li. de const. artis

Auic. fen. 13. 3. tra. 2 cap. 4.

Lib. 1. c. 2.

li. 6. Epi. par. 4. aph vlt.

Exercitationis commoda.

visum.

visus. *Sustētatur valetudo (ait) notitia sui corporis, & obseruatione earū rerū, quæ res aut prodeſſe soleant, aut obeſſe, & continentia in victu omni, atque cultu corporis tuendi causa, & prætermittendis voluptatibus: postremò, arte eorum, quorum ad scientiam hæc pertinent.* Quid hac serie diuinius, copiosius, elegantius, dici à quoquam possit, plane non video, vt qua, vniuersæ seruandæ valetudinis ratio lepidissimè explicetur. Hanc ego dignissimam semper sum arbitratus, quæ eorum mentibus inhæreret, qui sanitatis studiosissimi sunt. Quoniam verò & bonæ valetudinis præcepta vniuersa, ea sententia concludi animaduerto, & ad hanc quam ingressi sumus de sanitate tuenda tractationē, non minimum eam facere, non indignum putaui fore, si ea à me paulo fusius explicetur. Notitia igitur sui corporis sustentari valetudinem cuiusque, & verissimum certe est, & Galeni nostri assertione confirmatum Sua (inquit Gal.) cuique natura satis est ad proprias, conuenientésque excitandas appetitiones, quibus sanitatem salutemque tueatur. Hoc si quidem est, sui quenque corporis notitiam habere, penitus spectare, diligentérque attendere quid cuiusque natura ferat, quib⁹ delectetur, iuuetur, augeatur seruetur cibis, potionib⁹, locis, aëre, motu, quiete, somno: à quibus lædatur, quæ amica & familiaria, quæ exosa, & inimica habeat, vt illa prosequi, hæc fugere sciat. Ergo rectissimè dictum est, valetudinem sustentari notitia sui corporis, hoc est, cognitione virium suarū, membrorū, facultatū, propriæque qualitatis, qua ad aliquid vnum vel naturali appetitu mouemur, vt amplectamur, vel naturali odio refugimus vt abhorreamus. Quam hominum aliam, atque aliam proprietatem in rerum delectu, Græci ἰδίοσιν κρισίαν, vocant. Hæc ipsa efficit, vt alius bubulam, suillam alius, caseum, poma, vel impensè amet, summáque auiditate prosequatur, illisque iuuetur, vel illa extremè oderit. Vt sunt occultæ quædam rerum inuicem consensiones, atque discordiæ, non solùm inter alimenta & ea quæ ali debent corpora, sed & inter plantas, vel autore Theophrasto, huiusmodi dissensus, cōsensúsque naturarū est inuenire. In id igitur profuerit suę quéq; naturę cognitorē fore, vt sciat quibus illi vtēdū à quibus cauendum. His vtimur, à quibus natura ipsa iuuatur, & reficitur: ab his cauemus, à quibus noxā nos sentire percipimus, idque duce, & magistra natura:

lib. 1. de san. tu.

Sui queq. corporis notitiam habere quid.

lib. 2. de caus. plāt. c. 25. & li. 3. c. 15. & li. 5. c. 22.

Cice.li.de senect. quæ (vt Cato dixit) dux vitę nostrę est optima, multis ipsa signis declarans quid velit, quæ quęrat, quæ desideret, quæ abhorreat, omnibúsque modis facilè vim suam in nobis potestatémque indicans, cuique ipsi repugnare nihil prorsus aliud est, quàm gigantium more cum Diis pugnare. Ostendimus quid sit notitia sui corporis valetudinem sustentari, nempè rerum quæ nocent, aut quę prosunt obseruatione vti. Illud modo doceamus, quarum rerum obseruantia sanitas conseruetur. Eas res his verbis expressit Cicero: Continentia in omni victu atque cultu, prætermittendis voluptatibus, & arte eorum, quorum ad scientiam hæc pertinent. Continentiæ in victu is fructus est, ne excrementa in corpore redundent, ne cruditates, obstructiones, viscerúmque à copia infarctus oriantur, vt meatus liberiores sint, vt natiuus calor singula corporis membra liberè permeans, ea viuificet, foueat, roboretúndéque vegetum corpus, salubre, firmúmque reddatur. Eadem præstat voluptatum contemptus Est enim (vt Plato inquit) voluptas esca malorum. Hanc itaque voluptatem in cibis, cùm pariant varia condimentorum, varia salsamentorum, esitiorum, cupediarum genera, quibus gula vltra quàm naturæ necesse est lacessitur, dum pruritu desiderij amplius, vel certè de singulis parua libantur, an non varietatem hanc, apparatúmque multiformem blanda voluptate vitam, valetudinémque irretienté fugiemus? procúlque à nobis arcebimus? Hinc Socrates profecto suadere solitus erat, illos cibos, potúsve vitandos, qui vltra sitim, famémve sedandam producerent appetentiam, quod ea, voluptate nos inescantia magnis malis inficerent. Nocet nanque empta dolore voluptas. Quo modo enim non turpe sit, prorsúsque detestandum, prudentissimum animal hominem voluptatis illecebris ita irretiri, vt neglectis valetudinariæ artis præceptis, ciborum varietati, ac multitudini inhians, totum se tandem podagræ, articularibus morbis, calculo, coli, cruciatibus deuouendum præbeat? an nō hæc præclara incontinentiæ & incauti victus, voluptatísque imprudenter admissę sunt præmia? alienis manibus gestari, suis vti non posse, doloribus contabescere, appetentia priuari, clamare, vigilare, torqueri, angi, nullo consistere loco? Sentio ego cum Galeno satius esse (si cui vllum omnino sit pectus) sexcenties malle mori, quàm tali vita viuere. Prætermittendis itaque voluptatibus non in ciborum tantùm lautitia, copia

Cōtinētia in vita cōmoda.

in Philebo de summo bono.

Plut ars.si do tu.vale

pla,& appararatu,sed in reliquis rebus,quarum ope & præsidio viuitur(quas res medici non naturales vocare solent)bonam tuendæ valetudinis partem consistere præfata sententia monstratum est. Nec solùm hisce rebus seruatur vitæ incolumitas,sed & arte medicinæ,cuius hæc scire interest. Etsi enim pro Galeni supr à memorata sententia sua cuique animanti natura satis est,ad proprias,conuenientésque excitandas appetitiones,quibus sanitatem,salutémque tueamur:medicorum arte tamen maximopere indigemus, tam in temperatis hominum naturis,quàm etiam in intemperatis. In illis quidem,non vt natiuus eorum appetitus,qui sanè optimus est,tantum appetens,quantum conficere valet, moderetur. Nō enim is arte moderante eget,neque assumendorum modum metiente,vt rectè Galenus in arte medicinali ait,sed vt qui à concupiscitiua noscitur potentia appetitus,qua præceps in tam varia,& diuersa fertur, etiam non natura desiderata, coërceatur:vt noscat quid vtile & conueniens,quid contrà. In temperatis autem hominum naturis ars prodest,vt qui in his ab intemperata natura nascitur appetitus quàm optimè regatur,artis beneficio ad meliora redactus. Appetunt enim intemperatæ naturæ similia,à quorum vsu facilè lædi: iuuari verò contrariorum moderato vsu,rectissimè dixit Galenus. Ne itaque à similium vsu in morbos intemperata corpora incidant(quæ salubria,vt nunc iure à medicis vocantur) arte egent eorum valetudinem procurante. Si nanque calidi natura,calidis item cibis ac potionibus vniuersáque victus ratione ad calidum inclinante (in quam suaptè natura ferentur) vsi fuerint, in morbum profectò delabuntur,item si frigidi frigidis,humidi humidis,sicci siccis vsi fuerint cibis, simili nimirum ad simile addito,quod vt ne contingat contrariis omnino regenda talia corpora,prudentissimè suasit Gal.excessum omnem contrario excessu esse emendandum affirmans vt arte imminens in morbum lapsus prohibeatur:& vt etiam concupiscentię in eis vis,arte medica reprimatur. Medicorum itaque ars hac ratione tum temperatis,tum intemperatis naturis prospicit. Si enim(quod ait Gal.impatibile nobis,nec vlli affectioni obnoxium corpus esset,nullam desideraret artem,quę eius tutelæ præesset, ita nunc fragilem nacti naturam,numerosissimísque affectibus expositi cùm simus,arte nobis opus est,quę & omnia corporis nostri incom

li.1.de sa. tu.

Galen.in arte me.

In arte medic.

lib.2.aph. comm 34. & in arte medic. & lib.1. de san.tu. li. item 5. In arte medic. & li.1. de sa. tu.

moda perſpicere,& ipſum ab his tueri poſſit. Ea ars eſt,quæ de ſalubribus tractat,& ſanitatem ſeruare docet. Rectè igitur illud à Cic.dictum eſt,arte eorum,quorum ad ſcientiam ratio ſeruandæ valetudinis pertinent,valetudinem bonam ſuſtentari. Non medici autoris bene medicam ſententiam,& in omnium ore habendam paulò plenius explicauimus: Foueri inquam ſanitatem,ac ſuſtentari notitia ſui corporis,& obſeruatione earum rerum,quæ res aut prodeſſe ſoleant,aut obeſſe,& abſtinentia in victu omni,atque cultu corporis tuendi cauſa,prætermittendíſque voluptatibus poſtremò arte eorum ,quorum ad ſcientiam hęc pertinent. Hanc vniuerſam ſeruandæ valetudinis regulam , vnica ferè voce exprimere poſſumus,ſi dixerimus,mediocritate omnino ſeruari ſanitatem. Sic enim Hipocrates, Labor(inquit)cibus,potus,ſomnus,venus,omnia mediocria ſunto. Mediocritas profectò eſt quę ſanitatem cuſtodit,quæ corpus vegetat,quæ firmum,ac validum,miniméque morbis obnoxium reddit,quæ excrementa gigni prohibet,quæ vitam denique tutatur, & prorogat. Quod ſi ita eſt(vti profectò eſt)quorſum attinet Siculis mēſis,& Genialibus cœnis,variis obſoniis,ſalſamentis , intinctibus,placentis,cruſtulis,conditis,pulmentis,eſitiis,patinis, ferculis,frictellis, tortis, libis , & portentoſis gulæ irritamentis viſcera ſaginare? exquiſitíſque culinæ ,& operoſis artificiis appetentiam irritare,naturámque ad ſui internecionem ,atque perniciem cogere? Hominúmne hęc ſunt,an potius beluarū & eorum qui ventri tantùm ſeruiunt? Bruta videmus animātia ſimplici,ac puro pabulo contenta,pratenſi herba,ſaluberrimè degere(quod Diſſarius medicus apud Macrobium doctiſſimè diſputat)nos,ſi Diis placet , omni ciborum genere ventrem diſtendimus,vt huic ſaburrando,non montes aut latè patentes campi,non ſyluę,non horti , vineę,non maria denique omnia,flumina,ſtagna,lacus ſufficiant:vt etiam in intima terrę viſcera itum ſit,ad exquirendos in hominum necem boletos,tubera,fungos. In ſumma,vt nunc ſunt corruptiſſimi mores,ne elementa quidem intemperantię noſtræ explendę ſufficiunt. Cùm contra priſcis illis ſeculis paruo viueretur,non ad luxum,ſed ad neceſſitatem,non ad implenda viſcera,ſed ad ſedandam famem ſitímque pellendam. Vnde eſt illud Horatij:

Me paſcunt oliuæ,

Me cicorea, leuésque malua,
Frui paratis, & valido mihi
Latoe dones. Et alibi:
Dapes inemptas apparet:
Non me Lucrina iuuerint conchylia,
Magisue rhombus, aut scari:
Si quos Eois intonata fluctibus
Hyems ad hoc vertat mare:
Non Afra auis descendat in ventrem meum,
Non attagen Ionicus
Iucundior, quàm lecta de pinguissimis
Oliua ramis arborum
Aut herba lepathi prata amantis, & graui
Malua salubres corpori.

Martialis profectò festiuissimus Poëta, conuictum facilem, & sine arte mensam, in partem beatę vitę reponit. lib. 10. Epig. Nos itaque si sapimus, luxum procul omnem abdicemus, temperantiæ, & sobrietati fidissimis vitæ tutricibus nos dedamus: nec patiamur sensuum illecebris corpus ad voluptatem concitari, vitæ & valetudinis pestem. Quoties igitur rarum aliquod, aut nobile cibi genus fruendum appositum fuerit, magis ita quærenda gloria erit, vt abstineamus, quàm vt fruamur, memores (quemadmodum dixit Simonides) nunquam se pœnituisse quod tacuisset, quòd locutus esset, sæpè: ita nos quoque nũquam pœnituisse, quòd obsonium recusauerimus, aut voluptati obsecuti fuerimus. Sed iam vnde digressa est oratio redeat, sanitatem inquam moderatione, & mediocritate rerum quibus viuitur fouendam, & sustentandam, commodis inquã exercitiis, & ciborum parcitate, vt Diuinus Hippocrates monuit lib. Epidemiorum 6. Quibus rebus sanitatem sit conseruare, docuimus. Illud modo doceamus, quonam pacto ipsa, pro ętatum temperamentorum, ac temporum anni ratione, sit seruanda: quod vbi expleuerimus, capiti huic finem imponemus. Ergo à prægnantis sanitate, quæ fœtum gestat exordiemur: inde ad infantiæ, pueritiæ, reliquásque hominis ætatates progressi. Vtero gerentem Plato atque post eum Paulus, censent lenibus in ambulationibus exercendam, totóque ęo tempore, quo fœtum gestat in tranquillitate, quiete, suauitatéque vitę continendam: cauendúmque maximè, ne aut animi, aut corporis dolorib. aut perturbationibus affligetur.

Id enim fœtui exitiale esse omnes existimant. Quoniam verò primis gestationis mensibus ob detentos, vitiosósque intus congestos humores pica morbo laborare solent, quo in rerũ extranearum appetitionem feruntur, vt aliæ carbonibus, cinere aliç, terra, creta, carne cruda, & id genus aliis corrupta appetitione vescantur, vomitúque vrgeantur, compescere vomitum eiusmodi minimè oportebit, nisi admodũ superfluat, & vires labefactet, excitandáque earum appetentia acidis interdum, & acribus cibis, oxalidis inquam, & malorum punicorum succo. Conueniunt & cappares ex oxymelite, atque colymbades oliuæ, maláque cydonia deuorata. Profuerit etiã ventriculum exonerasse vel vomitu, vel cataporiis ex picra, tum tantillo rhacomatis. Vbi verò prægnans parturire cœperit, leni erit illi motu vtendum, quò sensim ad ima infans delabatur. In partu verò, enixúque ab obstetricibus adstantibúsque iuuanda, & ad fortiter se gerẽdum cohortanda, quoad enixu valido rubentem è vulua emiserit infantem. Qui vt primum in lucem editus est, ploratúque miser alienam opẽ implorat, calente vino detergi à sordibus debet, in quod rubentes rosæ, vel myrti folia indita maduerint. Sale inspergendum infantuli recens nati corpus iussit Gal. quò cutis eius solidior, densiórque redderetur. Sed salis acrimoniam ferre nostræ ætatis infantes minimè possunt, satque fuerit, si vino (vt mox dixi) eorum tenera corpora confirmentur. Inde verò lineis pannis quàm mollissimis inuolui, fasciísque deligari, & in cunis reponi infans debebit: indito in os pueri melle, quod dulcedine sua facilè ad lambendum infantem exci- tet, & detersoria quam habet vi, pulmones, ventrémque repurget, præbeatúrq; tum opportuno tẽpore lac ad sugendũ: Debet autẽ ipsa quæ peperit mater eadem & sui partus nutrix fidissima esse. Est enim, vel Gal. testimonio, lac maternũ iam edito infanti saluberrimum, quòd qui matris lacte aluntur pueri, ij iam non solùm consueto, verùm etiam maximè proprio alimento vtantur. Equidem cum sanguine matris dum adhuc in vtero gestantur infantes ali ipsos certissimum sit, ex sanguine verò lac gignatur, exiguam in mammillis mutationem adeptum, constat profectò, fœliciorem procedere nutritionem quæ lacte matris obeatur. Nec permittendum, vt alieni lactis contagio (si benè modò temperata sit mater, salubréque corpus nacta) infici puerum sinamus.

Infantis recẽs nati sanitas vt custodienda.

li. 1. de sanit. tu.

Magna

Magna sanè ratione à summis Philosophis assertum video, vnà cũ lacte, vel vitiosos, vel ingenuos imbibi in pueris mores: vt ad fingendas tam animi, quàm corporis dotes, non tam naturam seminis, quàm lactis, & alimenti valere existimarint. Quæ itaque matres pueros peperere, suadendæ ipsæ sunt (si modò integris viribus, si probo & copioso lacte abundent, sintque sufferendis laboribus aptæ) vt quos gestarunt, eædẽ & ipsos propriis vberibus, proprio lacte alimẽto scilicet puerulis quos gestarunt maximè familiari alant, & foueant: & quæ se matres gestando præbuere, eædem alendo, molliter tractando sese integras præbeant matres. Quod Phauorinus Philosophus apud Gellium in delicatulas mulieres stylum acuens, publica detestatione dignum haberi confitetur, iam perfectum, iam edictum, iam filium factum, iam matris officia implorantem, ab sese abiecisse, propriíque ac consueti lactis alimonia priuare. Quòd si vel mollicie, vel virium imbecillitate, vel lactis vitio, mater filiũ alere ipsa non possit, quærenda probata aliqua mulier erit, quæ & corpore bene temperata, & ingenuis moribus prędita, in matris vicem, vt optima nutrix, lac puero præbere queat. In qua sanè deligenda, hæc de Galeni, Pauli, & Aëtij sententia obseruanda erunt, vt nutrix quæ ad puerili educationem suscipitur, neque natu grandior sit, nec viginti annis minor. Latiore pectore, corpore firmo, atque quadrato, colore suaui, & viuido, mediocribus mammis & minimè rugosis, papillis neque conniuentibus, nec curuitate auersis: hilarem præterea, & bene habitam (nã bonum corporis habitum boni quoque mores, autore Galeno, sequuntur) esse oportere volunt. Quæ talis est, pueris apta, & maximè opportuna nutrix, ab omnibus censetur. Infantes hæ ita curare solent, vt non solùm papilla ori infantis admota, lac ad alimoniam prębeant, sed etiam moderato in cunis motu, vocisque modulatione pueris blandiri consueuerint, ploratúsque mederi. Quibus sanè præsidiis non solùm dolorem puerorum mitigant, verùm etiam conciliant somnum. Lacte ali pueruli ad biennium vsque Paulo autore, debent: quo elapso ad lenes panis micas, aqua vel iure madefactas, sensimque ad pleniora cibaria traduci debent. Vnde dãnandus is mos est, quo malè feriatæ nutrices quædam in vsu habent, post semestre tempus offis, & intritis paruulos infantes alere, cùm solidum ipsis nutrimentum ferre non possint,

lib.12. noctium atticarũ. c.1.

Nutricis delectus.

Gal. lib.1 de sa. tu. Paul. li.1. cap. 2. Aetius li. 4. c. 4.

lib. Quod animi mores corporis temperaturam sequãtur.

lib.1. c.5.

& lacte tantùm sit illis opus, ob exiguam concoquendi tum facultatem. Vbi verò iam ablactati infantes fuerint, liberiore eis modo, & suo ingenio in hilaritate, relaxato vtcunque animi fręno, viuere sinendi sunt. Exercitia ludicra, & lusus illis permittemus, leuioráque alimēta dabimus: verùm simulatq; sextū, septimúmve annum attigerint, mitioribus magistris in disciplinam tradendi sunt. Tales enim cum animi remissione & gratia docent, tenellósque puerorum animos cum literis, tum morib. imbuunt. Et certè animorū securitas, relaxatióq; haud parum ad vegetam corporis educationem momenti adfert. Duodecimo anno altioribus disciplinis imbuendi iam sunt, & ad annum vsque vigesimum Mathematicis disciplinis & Philosophiæ studiis exornandi: pluráque illis tum, & grauiora exercitia imperanda, quo animum simul ac corpus validè exercentes à veneris stimulis (quibus ea ætas tentari plurimum solet) coërceantur. Vini illis vsu, per totam pueritiæ adolescentiæque ætatem interdicendum ad annum vsque duodeuigesimum. Nam haustum vinum præterquam quòd & humectat nimium, & calefacit corpus, tum caput halitu replet, vt docta Gal. sententia est. Sed ob id præcipuè Plato submouendum iuuenibus vinum cōsuluit, quòd furiosum iuuentutis habitum cauere maximè oporteat, sitque vino vti, ignē igni, ea in ætate addere, atque accumulare. Quid itaque mirum si hoc æui, vt sunt corruptissimi instituentium mores, luxu & mollitie iuuenes perdentium, ingenia puerorum refractaria, difficilia, dura, indomita, aspera, superba plerunque cernamus? dum vino incalescentes pueri insaniunt, nec pudoris, nec obseruantiæ, decorive, aut officij sunt memores? Itaque quod rectè dixit Gal. nec caput pueris repleri vtile est, nec ipsos suprà quàm par est humidos, calidósque fieri, quorum vtrumque vinum præstat. In summo verò ætatis incremento, florentíque ætate, absoluta & exquisita victus ratio, tum animi tum corporis obseruanda est. Proinde nullo non exercitiorum genere vtendum, potissimum cui operam dare singuli cōsueuerunt. Cibos tum pleniores, & inculpatæ alimoniæ præbere ex vsu erit. Declinātibus autē, & vigoris ætatem transgressis, moderatiora conueniunt. Exercitia enim qualiacunque fuerint, pro ætatis iam inclinantis ratione minuere certè oportebit, & de alimentorum copia detrahendum, cùm senum habitus frigescere iam incipiat, indéque

Quæ ætate pueri in disciplinā tradendi.

li.1. de sanit. tu.

li.2. de leg.

li.1. de sanit. tu.

déque (vt rectè dixit Hipp.) à multis cibis extingui eorum calor soleat, atque paucis ob id fomitibus eos egere. Vino senibus maximè vtendum, id enim & siccitatem eam, quæ solidis partibus proprio ætatis temperamento prouenit, si quid aliud, emendat, & robur viresque addit, &, vt Plato ait, ad vegetum quendam florem hilaritatémque eos deducit. Dei nanque munere hominibus vinum quasi remedium aduersus senectutis duritatem est largitum, vt reiuuenescere senes videantur, & mœstitiæ eos obliuio capiat, ipsáque affectio animi, sicut ferrum in igne ex duritie in mollitiem deducta flexibilior fiat, vt idem Plato censet. Nec solùm vinum senibus remedio est, sed multo magis id quod ex melle constat, quod mulsum appellamus: id enim senibus accommodatissimum esse perhibetur. Multos nanque senectam longā mulsi tantùm nutricatu tolerauisse, neque vllo alio cibo, loc uplerissimus testis Plin. est, vel celebri Pollionis Romuli exēplo, quem centesimum annum excedentem cum Diuus Augustus hospes interrogaret, quanam ratione maximè vigorem illum animi, corporísque custodisset, ille respondit, Intus mulso, foris oleo. Nec mirum profectò his duobus, ceu antidotis quibusdam, senum foueri naturam. Mel nanque & calfaciendi, & detergendi maximam potestatem habet: oleū verò molliendi, atque humectandi, quibus isanè omnibus senibus senes indigent. Ob id Antiochus medicus, & Telephus Grammaticus, annosi senes, Attico melle ex pane, alicáve excepto, plurimum vtebantur: quos Gal. lib. 5. de sanit. tuend. ceu exempla vitæ senum, quibus esset optima victus ratione illæsa senecta, proponit: Melle itaq; senibus plurimò vtēdum consulo, si modo suæ ipsorum valetudinis rationem habere velint, illæsámque senectam in multum ęui producere. Quoniam verò imbecillus senum calor est, & ob id imbecilla etiā cōcoquendi facultas, paucis fomitibus egét, quia à multis extinguitur (vt Hip. ait) eorū natiuus calor, tutius erit imbecillo seni exiguū cibi dare, ter die, vt monet Gal. Sit autem qui offertur cibus, optimi succi, concoctu facilis, & qui obstructiones minimè pariat, quibus senes valdè obnoxij sunt. Quāobrem pinguia laudatarum carnium iura optimè faciunt, carnésque altilium, gallinarum, caponum iuuenū, pullorúmque, turturum pinguiuscularum, & columborum volare incipientium. Ad hæc vitulinæ hædinæque carnes senibus vtilissimæ

li.1.aph.4

lib. 2. leg.

vbi suprà.

li.22.nat. hist.c.24.

perhibentur. Sint autem elixa omnia potius quàm assa. Vino vtantur generosiore, calidioréque, quale ex Græcis olim Aruisinum & Lesbium, vel ex Italicis Falernum, & Surrentinũ habebantur, & ex Gallicis nostris Galliæ Narbonensis vina, præsertim Arelatensis soli, & Castrinoui secus Auenionem, senibus accommodatissima esse censendum, vt quæ & abundè calida sint, & tenuitate sua vrinas mouere queant. A vinis crassis, dulcibus, adstringentibus, senes omnino caueant. Lenibus ante cibum deambulationibus, vel vectatione in equo, lecticáve, eorum corpora dimoueantur, ne insitus in eis calor desidia extingui periclitetur, tametsi quieto quàm valentiore agitatu senes magis indigeant. Somno vtantur productiore, etiam post cibum, vt Homerus consuluit hoc carmine:

Vt lauit sumpsítque cibum, det membra sopori.

Nanque hæc iusta seni. Vigilię senibus aduersissimæ, vt quæ siccandi potestatem summam habeant, quo nihil seni perniciosius accidere solet. Hæ itaque cauendæ, somnus omnino seni conciliandus. Animi etiam perturbationes omnes procul arcendæ. In summa, etsi senum sanitati preęsse (vt Gal. ait) difficillimum sit, quoniam ob virium infirmitatem ex leui momento in morbum decidunt, hæc tamen methodus regendorum senum fuerit, vt & eorum frigidum siccúmque habitum, solidásque ipsorum partes tum calefacere, tum humectare, tentemus. Excrementa autem serosa, & pituitosa quibus ipsi abundant, emittere aptis medicamentis satagamus. Ea porro sunt, quę & leniter aluum mouere, & pituitam detergere possint, qualia sunt mercurialis decoctum aut brassicæ marinę, quam vulgò soldanellam dicunt, cnici seminis item decoctum, pruna item damascena, caricæve pingues ex mulso incoctæ. Quin & oliuas quandoque ante cibum sumpsisse, ex vsu erit. Omnia autem vincit terebinthina resina, nucis ponticæ magnitudine assumpta, quæ non modò aluum soluere citra noxam potest, sed & viscera omnia, iecur, lienẽ, renes, pulmonésque abstergere ipsa valet: ob ídque senibus congruentissima, prout & medicamentum id, quod ex caricis pinguibus, & carthami medulla pari pondere tusis, conficitur. Atque de vita senum, déque sanitate ætatis meritò seruanda, hæc dixisse sufficiat. Quibus verò pro temporum anni ratio-

li.5. de san. tu.

Methodus regendorum senum.

ratione, & vario temperamento sanitas tueri possit, iam promendum. Ergo hyeme quidem esse plura, bibere autē quàm parcissimè conueniet. Vinum sit & generosum hyeme, & potens, cibi solidiores. Assata potius quàm elixa sumantur: temporis nanque conditio frigida humidáque est. Oleribus fructibúsve non vtendum. Sic enim corpus maximè siccum calidúmque reddetur. Vere mollioribus, paucioribúsque cibis vtendum, potúmque paulò ampliorem, vinū autem dilutius, minúsque generosum assumere, & ex assatis ad elixa trāsire. Æstate, potu vberiore, tenuíque & aquoso vino plurima aqua diluto, mollioribus, humidioribúsque cibis, oleribus, fructibus, elixis, leuibúsque carnibus, quàm parcissimè verò solidioribus cibis vtendum. Æstate nanque difficillimè, & autūno cibos ferunt homines, vt Hipp. dixit. Curandum verò imprimis est æstate, vti corpora frigida, molliáque, atque humectiora reddantur. Tempus nanque est calidum & siccū, corporáque æstuosa, atque squallida reddit. Ob id quiete multa, suaui otio, tranquilitatéque vitæ, resarciendus corporum lāguor erit. In autumno verò, rursus ad paulò plenioré cibum transeundum erit. De potu verò plurimùm remittendum: parcius nanque tum, & meracius quàm æstate, bibere ex vsū erit. Quod ad motum verò exercitationésque pertinet, hyeme quidem celeriter, contentéque ambulandum: æstate autem leniter remisséque, nisi per solis æstum iter sit faciendū, tum enim maturare fugā oportebit, ne à solis ardore incalescamus. Itaque hyeme in sole apricísve locis, æstate in vmbra exerceri conueniet. Porrò qui calida sunt natura, vt ne fumida biliosáque gignant excrementa, balneo aquarū dulcium vti debēt, motu vti qui exiguus sit & lentus, multus nāque & celer iis aduersissimus est. Boni succi cibis vti, in quibus nihil insit acre aut mordax conueniet, vitandáque illis generosa vina, acuta omnia, acria, nidorosa, aromatica. Quamobrem nec bulbis, alliis, cæpis, radicula, pipere, zinzibere vescentur. Solem, iram, cogitationem, ceu infestissima illis vitare studebunt. Mollioribus cibis, auiculis, hædina, vitulináque carnibus victitasse conuenientissimum. Potus sit cùm amplior, tum dilutior: vinum leue & pauciferum, quies multa, vt Hip. rectissimè dixit. Qui frigido sunt tēperamēto contraria postulāt, motū quidē valentiorē, victū vero tenuiorem, calidiorémque: potum parciorem, sed vini generosioris

Victus pro tēporū anni ratione.

Victus hyemis.

Victus æstatis.

lib. I. aph 18.

Victus autumni.

Calidorū victus.

li. 6. Epid.

Frigidorū victus.

Humida temperamenta victus rationem exsiccantem deside rant. Assis itaque potius quàm elixis, eiusmodi temperamenti hominibus erit vtendum, parciore cibo potúque, valentiore motu, omninóque attenuante victu. Fluxionibus nanque huiusmodi corpora obnoxia sunt, ob id siccari plurimum postulant. Siccis quies, humida victus ratio omnino ex vsu est: contrariis nanque (vt bellè Gal. ait) excessus omnis est corrigendus. Itaque celerem omnem motum, aut vehementem, vigilias, iram, mœrorem, curas, intenta studia, sed omniũ maximè venerem, sicco qui sunt temperamento vitare studebunt. His enim aduersissima venus. Elixa omnia sunto, vinum lene sit, suaue, tenue, odoratum, fuluum, probè dilutum: somnus multus, vitę tranquillitas multa: Quicunque porro graciles, pingues fieri volunt, ieiunos nullum laborem subire oportebit, molliter cubare, suauiter, lauteq; viuere, obsoniis, ferculis, iuribus pinguissimis, cibo multo (modo concoquat) vti somnóque productiore, plenioréque potu. Contrà attenuari qui cupiunt, contraria omnino efficient. Ieiuni labores, eósque quàm valentissimos obibunt, cibum à labore adhuc anhelantes sument, strato duro cubabunt, semel in die reficientur, insuauem, & pauci alimenti cibum capient, assis, salsísque vtentur. Parcissimo potu, vinóque generoso, aut aqua potius sitim sedabunt, vigiliis, curísque sese dedent. Hæc qui fecerit, gracilescere eum omnino oportebit. Illud porrò coronidis loco capiti huic adiecisse ex vsu fuerit. Num ad tuendam valetudinem sanis hominibus copiosior cœna prandio, num contra prandium cœna copiosius esse debeat. Qua in re non solùm priscorum sententiæ, & rationibus, sed & obseruationi quoque multò amplius inhęrendum censeo. Itaque si Hipp. Gal. atque Celsi præiudicatæ opinionis virorum sensa sequimur, fateri nobis omnino necessarium erit, cœnam prandio copiosiorem esse debere. Id nanque Hipp. cùm lib. 3. de dieta, tum primò de victus ratione acutorum voluisse, conceptis penè verbis est visus, idque tum sanis, tum etiam ægris. Victus nanque rationem docens, qua in morbis iis sit vtendum, in quibus iudicatio facta est, matutino quidem tempore sorbitionem tantùm exhibendam, vespere ad alios etiam cibos esse transeundum monet. Idémque rursus eadem præcipiens eius tractationis lib. 4. textu 39. vbi aquam mulsam dilutam potui dare (matutino quidem tempore, vt censendum ex iis quæ sequuntur est) vesperi autem ptisanæ cremo-

rem sorbere iubet. Constat autem, sorbitionem longè tenuius esse alimentum ptisana, aut solidioribus cibis, quos idem autor ad vesperam sumendos præcipit. Libro verò de Dięta tertio, congruam victus rationem sanis instituens, per anni tempora, hyeme quidem semel tãtùm in die cibum sumere, nisi quis ventrem valdè siccum habeat. Quod si id fieri minime possit, modicum prandere iubet. Idémque in ea anni parte, quæ inter ver, æstatémque interest, atque etiam in ipsa ęstate obseruandum perpetuò monet, parum scilicet vt prandeatur. Nec verò ab Hipp. sententia alienus it Celsus latinus eius interpres, *tempus quidem anni considerari in victu instituendo oportere dicens, atque hyeme semel die cibum capere, nisi si nimis venter adstrictus est. Si prandet aliquis* (subdit) *vtilius est exiguum aliquid & ipsum siccum, sine carne, sine potione sumere.* Gal. verò lib. 7. Meth. med. id ipsum conceptis verbis apertissimè expressit, siccitatis ventriculi curandæ methodum docens. *Primo* (inquit) *loco sumendum his leue nutrimentum est, quo videlicet, & concoquatur celerrimè, & excrementum eius discedat, & vacuus, purúsque ventriculus secundũ excipiat. At quoniã nõ solum quies & somnus, sed etiam longius tempus huius naturalẽ administrationem excipit, rationabile est, vt valentiores ciborũ hoc maximè tempore offerantur. Itaque* (subdit) *etiam athletæ omnes sic faciunt, qui eum vsum non solum aliqua ratione inuenerunt, sed etiam longa experientia comprobarunt*: idipsúmque rursus idem Gale. lib. 1. de rat. vic. acut. com. 17. plenissimè affirmauit. Autor insuper libri de dissolutione continua atque Haliabbas, cœnam prandio laudabiliorem, eámque antiquis prandio antelatam dixerunt; quòd quiete & somno, aërísque nocturni frigiditate collecto in viscera natiuo calore, concoctionem cibi meliorem operetur. Rasius quoque lib. ad Almansorem 4. horas sumendo cibo idoneas esse dixit, cùm quis ingesto cibo, & quieti, & somno indulgere potest. Auicenna quoque cibum indigere quiete & somno, vt bona fiat concoctio (quam & ipsam motus & vigilię impediunt) fen. decimatertia tertij canonis, conceptis verbis affirmauit: illud scilicet vt intelligamus, priscos omnes cœnam prandio copiosiorem esse debere voluisse, quòd & longiùs superesset ad coctionem tempus, ob noctis longitutinem, & somni ratione probior fieret acceptorum concoctio, & nocturni aëris frigiditas, quiésque longior, natiuum calorem veluti in suo

munere obeundo adiuuantes accederent. Qui enim interdiu cibi plurimum ingerere solent, cùm in die exercitationes, & illa quæ cum exercitatione affinitatem habent, adire necessarium habeant (quod maxima pars hominum negotiis implicitam vitam agens, sua magno labore curare interdiu habeat) efficitur profectò, vbi maius quidem prandium, cœnam tenuiorem acceperint, vt in ea incommoda incurrant quæ quidem his qui se exercent, antequam alimentum in ventriculo & hepate sit confectum, euenire medicinę autores dicunt: indéque cruditates, obstructiones, mali habitus, & innumera alia mala nascantur. Itaque pręstabilius certè est, cœnam prandio copiosiorem esse. Verùm quoniam consuetudinis tanta vis est, vt ea naturę loco habēda sit (vt Gal dixit) cōsueuerint autem nunc homines lautius prandere, tenuius cœnare, seruandam eam consuetudinem censeo iis, qui ita viuere assueti sunt, idque tutius esse pro indubitato habendum est, cùm bis die impleri cibo insalubre sit, & morbosum. Ex longo nanque tempore consueta, etsi deteriora sunt, insuetis minus molestare consueuerunt, vt diuinus dixit Hipp. & lib. 2. de rat. vic. acut. longa serie explicauit, longè vtilius esse non sanis modò, sed etiam ęgris, vitiosam victus rationem seruari, quàm illam subitò, vel in meliorem commutari. Quod & li. 5. de san. tuen. confirmauit Galen. Itaque qui copiosius prandere quàm cœnare consueuerunt, eos morem eum seruare omnino expedit, etsi id sanitati tuendę minus, quàm illius cōtrarium congruat, nisi sensim à consuetudine illa praua decisscere studeant. Illi quoque à copiosiore cœna excipiendi sūt, qui ciuilibus negotiis delegati, nocte quidem vigilare, & se grauibus curis implicare, negotiáque obire coguntur. Vt qui principibus inseruiunt, militaribúsque laboribus exercitam vitam agunt, interdiu verò quiescere illis liceat. Tales enim cùm contrariam aliis vitam ducant, contrariam quoque victus rationem postulant, vti Rasius lib. 6. ad Almansorem de regimine iter agentium bellissimè dixit, oportere eos si nocte incedendum sit, cœna abstinere, differendámque cibationem in id tempus, in quo se diu posse quietem agere sperent. Excipiantur verò ex ęgris ij qui aliqua periodica ęgritudine affecti, nocturnas patiuntur accessiones. Copiosiorem nanque cœnam nocturnæ accessiones non admittunt. In accessionibus nanque, vt iubet Hippoc. abstinere oportet

portet,nam cibum dare, nocuum est.Huiusmodi itaque ægris cœnæ prandium anteferre magis expedit. Reliquis vero seu sanis, seu etiam ægris, parum prandere,multum cœnare modo probè cōcoquant, magis certè expedit:etsi oppositum Apponensis Conciliator, & Andreas Turinus, alter edito in id libello aduersus Curtium, alter differentia 121.senserint. Quorum rationes pulcherrimè Odus de Odis, in eius tractationis,qua de nunc agimus,diluit.Atque hic capitis finis esto.

De sanitate,Hippocratis,& Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

SANVS equidem homo maximè est,vbi temperamētum humores inter se habuerint moderatum, tum facultate,tum copia,& vbi maximè fuerint permixta.*li.de nat.hum.*

Sanus homo est,& ęgrotat per humores:hęc enim sunt ipsi corporis natura.*eod.lib.*

Sanitas,alimentum,& augmentum ab his oriuntur quę natura domare possit:ab his enim quę à natura superari non possint,si ingesta sunt, dolores,morbos,ac mortes oriri.*li. de vet.medicina.*

Sanis atque ęgris si idem victus conuenisset,nemo medicinam quęsiuisset.*li.de vet.med.*

Sanum hominem & ęgrotum,fortissima edulia lędunt *li.de vet.medicina.*

Sanorum,& ęgrorum victus collatio.*eo.li.*

vt sani sint homines oportet & ad ętatem,& ad tempus anni, & ad corporum species,ac habitus diętas constituere.*li. de salubri dieta.*

Virum prudentem id secum reputare oportet,quòd res pręciosissima est sanitas,& proinde scire,vt ex suo ipsius consilio in morbis vtilitatem percipiat. *lib. de salubri dieta.*

Sanus homo,cur,& quomodò degat.*li.4.de morbis.*

Sanitatis studium,est,vesci citra saturitatem,& non refugere laborem.*li.6.de Popul.morb.sec.4.aph.*20.

Sanitas & mors,omnibus hominibus, atque etiam morbi fiunt,partim secundum dies,partim secundum menses.*li. de septim.partu.*

ad Sanitatem conferunt cibi, & labores inter se mixti. *li.1.de dieta.*

Sanum facit medicina,id à quo homo ægrotat, auferens. *lib.1.de dieta.*

Sani perseuerant,qui naturã habẽt ex igne & aqua bene temperatam.*lib.1.de dieta.*

Sanissimi pueri sunt,quod ad ætates attinet, deinde adolescentes, morbosissimi autem senes.*eod.lib.*

Sanitas in calida natura,in aquæ accessionibus contingit. *li.1.de dieta.*

Calidi natura, senes facti, sanissimi sunt.*eod.li.*

Frigida & sicca natura sana est in vere, & in vicinis temporibus:morbosa in autumno.*ibid.*

Sani tum sunt homines corporibus, & sapientes, cùm aqua defectuosiorem vim, quàm ignis accipiat, quum aliis syncerum temperamentum habeant.*eod.li.*

si Sanum fuerit corpus, & non ab aliquo alio perturbetur,animi temperamentum sapiens existit.*lib 1.de dieta.*

citra Sanitatem, neque diuitiarum, neque corporis, neque vllius alterius rei, vlla vtilitas est.*li.3.de dieta.*

qui Salubritatem corporis habent, per medicamenta euacuati, citò exoluuntur, & qui prauo vtuntur cibo.*li.2. aph.36.*

ciborum ad Sanitatem tuendam,item potuum,exercitationum,frictionum, balnei, vnctionis,& victus rationem omnem, qua cuique sit vtendum per statas anni constitutiones, ver,æstatem,autumnum,& hyemẽ,quomodo rursus symptomatis quibusdam,quæ sanitatem euertere possent,occurrendum sit,déque salubri, & ventorum, & regionũ, morbosave natura, lege tres illos verè aureos de diæta Hip.libros,item de aëre, aquis, & loc. de salub. diæta, quem Gal. Polybo adscribit.

Sano siccum proprius est, & humidum non sano.*lib. de vlcer.*

Sanas carnes habentibus,helleborus periculosus, facit enim conuulsionem.*li.4.aph.16.*

quicunque Sani dolore capitis repentè capiuntur, & statim muti fiunt, & stertunt, in septem diebus pereunt,nisi febris apprehenderit.*lib.6.aph.51.*

GALENI

GALENI.

SANOS esse dicunt, qui nec parte aliqua corporis dolēt, & ad vitæ munia haudquaquam sunt impediti. Pari modo & corporis statu illæso esse, cùm neq; ab externis occasionibus facilè in morbos incidunt, nec ab internis. *lib.6 de san.tu. & li.1. de mor.diff.c.2.*

Sanus homo est, primis vnde constat elementis, & secundis vnde formatus est, quatuor humoribus, tum quantitate, tum qualitate mediocriter inuicem contemperatis: solidis autem partibus ex quibus compositus est, nec diuersis, nec condensatis, nec è loco suo motis: spiritibus, nec intensis nimium, vt in phreniticis, nec dissolutis, vt in lethargicis. *in introductorio.*

Sanus homo conseruandus est consuetis exercitiis, & cibis patriis, quolibet anni tempore obseruatis: copia eorum solùm vitanda est, ex qua cruditates oriuntur, quæ morbos pariunt. *in introductorio.*

Sanitas est humorum primorum, qui secũdùm naturam in nobis sunt, proba temperies: aut naturalium virium actio minimè impedita, vel commoda quatuor elementorum temperatura. *in defin. med.*

Sanitas est omnium corporis partium naturalis constitutio, siue actionis causa. *lib.1. de mor. diff. c.2.*

Sanitas est affectus secundùm naturam, ad faciendam actionem idoneus. *li.1. de sympt. diff. cap.1.*

Sanitatem, functionis causam esse statuimus. *li.1. de sympt. diff. c.4.*

Sanitatem similarium partium, calidi, frigidi, humidi, & sicci symmetriam, id est conuenientiam inter se quandam esse: instrumentalium verò similarium ipsarum compositione, numero, magnitudine, figuráque constare. *lib.1. de san. tuenda.*

Sanitatis habitum discerni, functionibus secundùm naturam obeundis. *lib.1. de san. tu.*

Sanitas quędam optima est, & vt sic dicam, consummata, atque summa: quædam deficiens ab hac, nec plenè absoluta perfectáve, atque hanc latitudinem non paruam habere. *li.1. de san. tu. & in arte med. c.8.*

Sanitatis symmetria duplex, hæc quidem exacta, optima, absoluta, & summa illa paulo ab hac deficiens, non tamen

eatenus, vt animali sit grauis. *lib.1.de san. tuen.*

Sanum quod dicitur, magis, minúsque tale esse videtur. *eod. li.*

Sanitatem affect[illegible]m, constitutionémque partium, cuius ope functiones secun[illegible]um naturam edimus, ab omnibus Græcis appellari, ostensum à nobis est. *li.1.meth.med.*

Sanitati accidunt pulchritudo, boni habitus, integritas. *lib. defin. med.*

Sanitas & morbus, sub eodem sunt genere. *lib.1.meth. meden.*

Sanitas, robur, pulchritudo, integritas corporis, virtutes sunt. *in defin. med.*

Sanitas à bono habitu eo differt, quòd sanitas, bonus habitus est commoderatus, habitus autem bonus sanitas intensa, *in defin. med.*

Sanitas modestiæ proportione respondet. Est enim sanitas media primorum temperatura, constitutióque. Modestia autem est purũ ab omni affectu animũ reddere, nempe metu, voluptate, tristitia libidine, quam ob causam animi motus imperturbatos, tranquillósque exhibet, éstque hæc animi constitutio, ac sanitas. *In defin. med.*

Sanitas, affectio naturalis est, actionem perficiens, morbus contrà. *lib.1. de san. tuen.*

Sanitas omni sectæ symmetria quædam est. *lib.1. de san. tuenda.*

Sanitatem in corporis affectione, constitutionéque consistere, non in actione. *li. de san. tuen. & li.1. de morb. diff. c.2.*

Sanum est animal, primis elementis moderatè confusis. *lib.1. de morb. diff. c.4.*

quorum Sanitas moderatio est, eorundem morbus est immoderatio *lib.1. de morb. diff. c.2.*

Sanitas & dignitate, & tempore morbum præcedit. *lib.1. de san. tuen.*

Sanitatem efficit elementorum iusta moderatiò. *Com.1. ad lib. de nat. hum. super text.* Valet quidem pr[illegible]cipuè.

Sanitatem à morbo distinguit, operationis læsio sensibilis. *in arte medic. 88 & c.8.*

Sanitas neque angustum quippiam est, nec insectile, aut simplex. *lib. de opt. corp. nostri const.*

constitutionis corporis Sanitate fruentis notio est, a-

ctiones naturales habere integras.*lib.de artis med.const.*

Sanitatis latitudinem quandam esse, & in ea quamplurimæ sanorum corporum differentiæ, in aduerbiorum magis, & minùs ratione contineri. *li. de artis medicæ const.& in arte medic.cap.8 li.1.de morb.diff.cap.4.& lib.1.de temp.& li.de bona habitudine.& li.1.de sanitate tuenda.*

Sanitatis, & distemperentiæ, quæ intra sanitatem consistit latitudo tanta profectò est, quantum est interuallum inter id quod perfectissimè functionem obiit, & id quod manifestè actionem aliquam habet oblęsam. *lib.2.de temp.*

cùm Sanitatis causæ sint, omnia quæ sanitatem efficiunt, vna certè earum est quę auxiliū, remediúmve vocatur, quod pro veris rationibus & prima & vltima causa sanitatis rectè dicitur. *li.1.meth.med.ad princ.*

quod per excellentiam Sanum est, siue similare sit, siue instrumentarium, commoderatum omnino est: quod autem ęgrotat, immoderatum, *lib.de artis med.const.*

membra tunc in Sanitate consistunt, cùm vires valentes fuerint, & meatus, qui materiam inutilem excernunt, secundùm naturam se habuerint. *lib.2.de diff.feb.c.11.*

non omnia corpora, vel sana, vel ægra, æqualiter affecta esse existimare debemus. *li.1.de morb.diff.c.2.*

quædam corpora etsi Sana dicantur, non tamen boni sunt habitus. *li. 1.de mor.diff.c.2.*

Sanitas animi, ad sanitatem corporis collatio pulchra. *li.5.de plac.Hip.& Plat.*

Athletas aduersus Hippocratis præcepta de sanitate tuenda facere, dum se & cibis nimiis implent, & nimis laboribus indulgent. *in oratione suasoria, ad bonas artes.*

Sanitatis est temperies naturalis *lib.4.apho.com.39.& li.2.aph.com.4.*

Sanitas moderantia quædam est. *li.1.aph.com 17.*

Sani hyeme sufficienter euacuantur, quoniam plus habent innati caloris. *lib.1.aph.com.17.*

Sano cibus robur est: auget enim sanis robur, morbum vero laborantibus. *lib.7.aph.com.63.*

omnia quæ sunt Sanis similia in toto corpore, bonum aliquod significare, quæ vero dissimilia, contrarium. Dictum est ab Hipp. *li.7.apho.com.64*

Sanis hellebòrus periculosus est, quia conuulsiones facit.

li.4.aph com.16.

Sani magis sunt sicci humidis.*li.6.aph.text.& com.2.*

Sanari quod debet,quiete indiget.*li.6.aph.6.*

quibus Sanis dolor in capite repente aduenerit,causam referre oportet in primis ad spiritum flatuosum, sed iam & ad influentis vniuersim materię multitudinem.*lib.6.aph.51.*

Sanatos plures,quàm mortuos nouimus,nisi sit pestilens constitutio.*li.2.aph.13.*

Sanis nõ sunt præcipienda exercitia cum inedia.*li.2.aph. com.16.*

in Sanis & ægris cibandi modus quandam accipit à temporibus indicationem.*lib.1.aphor.com.18.*

qui Salubritatem corporis habent, non absque ratione in euacuationibus citò exoluuntur. Contabescunt enim,non purgantur.

Artis corpori hominis tuendo dicatę, primæ ac maximæ partes duæ sunt: altera sanitatis tuendæ, altera morbi profligandi *lib.1.de sa.tu.ad princ.*

partis de Sanitate officium est statum corporis tueri. *eod.lib.ad princip.*

Saluberrimum atque optimũ esset,si quale erat id quod effluxit,tale prorsus adiũgere, agglutinaréq; per totum liceret.*lib.de san.tu.*

Sanitatem determinat facultas ad necessarios vsus minimè impedita. Non enim functionum imbecillitas, morbi statim nota est.*li.1.de sa.tu.*

Sanitatis habitum discerni functionibus secũdum naturam obeundis.*lib.1.de san.tu.*

omnium qui Sani sunt,membrorum constitutio, in symmetria consistit.*lib.1.de san.tu.*

Sanitatis, ac dyscrasię, sensus iudex est.*lib.1.de san.tu.*

Sanitatem, & morbum in affectione, constitutionéque consistere, minimè in actione.*li.1.de san.tuen.*

Sanitatem præsentem seruare,& omissam restituere,medico propositum est.*lib.1.de san.tu.*

Sanitas, non ea tantùm quæ absoluta, & insectilis est, sanitas dicenda, sed ea quæ ab hac deficit, modo tamen vsibus nostris adhuc non sit inepta. *li.1.de san.tu.*

Sanitatem mutilam nemo proculdubio, sed quàm fieri potest absolutissimam, perfectissimámque exoptauerit.

li. an ars san. tu. ad medicinalem artem spectet.

Sanitatis, & boni habitus dicrimen. *eod. li.*

Sanitas enim affectionis cuiusdam nomen est, boni verò habitus nomen, non affectionem simpliciter, sed quod in ea optimum, permauénsque est, manifestat. *ibid.*

Salubris victus tres scopi, alter eius quod exhaustum est reficiendi, alter excrementa expellendi, tertius ne animal pręproperè senescat, duos iam dictos necessario comitatur. *li. 1. de san. tuen.*

Si corpus nostrũ impatibile, omnísque affectionis expers esset, sicut adamas, aut quiduis id genus, minimè artem vllam requireret quæ ei tuendo pręsideret. Sed quoniam duplices corruptionis causas, alteras internas & à se, alteras extrinsecus incidentes habet, necesse est curam, prouidentiámque non paruam desideret. *lib. 1. de san. tu. & in arte medi. c. 84.*

Si varia eduntur opera, vtique varia est elementorum in singulis symmetria, quam esse sanitatem supra proposuimus. *li. 1. de san. tu.*

Sanitates multæ, variæque, non ipsa communi omnium forma, vnde dictæ sanitates sunt, sed maioris, minorísque ratione inter se dissident. *eod. lib.*

Sanitatem omnes requirimus, tum ad vitę functiones, quas planè morbi impediunt, atque auferunt, tum verò vt molestia careamus. *eod. lib.*

Sanitatem appellamus, eam corporis constitutionem, in qua nec doloribus cruciamur, nec in vitæ actionibus impedimur. *eod. lib.*

Sanitatis notioni adiecisse oportet, quòd causæ rationem, ad aliquod opus edendum obtineat. *libro de sanitate tuenda.*

Sanitatis latitudinem permagnam esse, nec eam in omnibus nobis æqualiter prorsus inesse. *eod. lib.*

Sanitas bifariam considerata, altera quidẽ medij sit temperamenti, nec vlli vitio obnoxia, hęc ceu intemperata, vitióque exposita. *eod. lib.*

Optimum temperametum, si cui vnquam optima natura prædito contigit, certè ne momento quidem durauit, *eod. li.*

qui intra Sanitatis terminos sunt, intemperies corrigere oportebit: vt quę iusto sicciores naturę sunt,

humidiores reddas: quæ humidiores sunt ficciores. *eod. li.*

Sanitas optimæ naturæ, vt conseruanda. *eodem lib.*

Ipsa victus recta ratio in sanitate, probos mores reddit. *eod. li.*

Infantis recens editi educatio salubris, qualis esse debeat. *eod. li.*

Seruatur similibus vnum quodque, alteratur contrariis. *eod. li.*

Lac matris infantibus omnibus optimũ quod ij non solum consueto, verum etiam maximè proprio vtantur alimẽto. *eod. li.*

Infantes ad musicam, & exercitia suapte ingenio esse propensos. *eod. li.*

Sua cuique animanti natura satis est, ad proprias, conuenientésque excitandas appetitiones, quibus sanitatem, salutẽque tueatur, *eod. li.*

Qui optimo corporis habitu sunt, porrò his animi quoque mores citra vitium esse par est. *li. 1. de san. tu.*

Corrumpũtur animi mores praua consuetudine cibi, potionis, exercitationis. Videndi, audiendi, totius denique musices. Itaque peritum eorum omnium esse medicum oportet, qui sanitatis tuendæ curam suscipiet, nec ea opinione esse, quasi ad solum spectet Philosophum animi mores effingere. *lib. 1. de san. tuen.*

Sanitatis tuendæ studium in tribus generibus consistit, nempe corporibus, causis, signis. *li. 1. de san. tuen.*

Maxima hominũ pars, implicitam negotiis vitam agit, quos etiã lædi ab iis quæ tractant est necesse, nec tamen mutare conditionem licet. *li. 2. de san. tuen.*

artem Sanitatis tuendæ iis non prodesse, qui seruilem vitam agunt, & negotiis impeditam: sed iis qui animo, & optione liberi sunt, quibus præcepisse fas est, quemadmodum & sanitate plurimum fruantur, & morbis minimè tententur, & commodissimè, citráque molestiam senescant. *li. 2. de sa. tu.*

Sanitatis tutela à labore est auspicanda, quem excipere debent cibus, potio, deinde somnus, mox venus *lib. 2. de sa. tu.*

Labor cibum præcedat: & labor, cibus, potio, somnus, venus, omnia mediocria sunto. *lib. 2. de san. tuen. ex Hip. 6. epid.*

Vide eod. lib. longa serie exercitationis commoda, & vtilitates, in tuendæ sanitatis ratione: item & frictionum.

Opt.

Optimum corpus, veluti Polycleti regula est, cui in nostro situ (ait Gale.) vtpote probè temperato non pauca similia videas, cuiusmodi patria Hippocratis est. *libro 2. de sa. tu.*

Sanitatis tuendæ professor, omnium motuum vires noscat. *lib. 2. de san. tuen.*

Optimum corporis statum non alterare, sed planè seruare conuenit. *ibid.*

Optimo corporis statui, ex omni genere mediocritas adhibenda est. *lib. 2. de san. tuen. & lib. item 3.*

Qui tantùm tuendæ bonæ valetudinis causa exercitantur, iis nec necessum, nec vtile planè est, immodicos labores adire. *lib. 3. de san. tu.*

Quæ commoda senserit Galenus, ex valetudinariæ artis præceptis, legendum *lib. 5. de san. tu.* & sponsionem Galen. de hac arte, vide ibid.

de Sanitate tuenda ars id promittit, & ad plurimam perducere senectuté, & sensibus illæsis, ab omni prorsus morbo, doloréque alienum, atque integrum perpetuò seruare. *li. 5. de san. tu.*

In negligentes valetudinariæ artis præcepta, vide inuectiuam Gal. *ibid.*

Sanitatem firmam, constãtémque κατ᾽ ἕξιν: vti fallacem, incertámque κατὰ σχέσιν nominat. Ibidem

Sanitati senum præesse, difficillimum est. *ibidem.*

Vini in senibus commoda, *lege eod. lib. 5, de san. tuen.*

Natura vni medicamento assuefacta, illius vim contemnit. *Ibid.*

Optimè se habenti, similia viribus esse adhibenda: malè affecto corpori semper contraria, *eod. lib.*

Assuetudines ipsæ, tametsi prauæ sunt, displicentibus adhuc sibi corporibus mutandæ non sunt. *ibid.*

Vide congruam victus rationem, cuique temperamento debitam. *ibid.*

Optimum in omni genere rerum vnum est: vitiosa verò plurima sunt. *lib. 6. de san. tuend.*

Senectus ipsa, naturalis esse morbus videtur. *eod. li.*

Senum sanitas, querimoniis non vacat. *ibid.*

Corpora quæ à prima statim genitura, pronum ad morbos statum sortita sunt, ea planè ad senectutem nunquam

perueniunt, aut si quando peruenerunt, vno saltem diutino morbo penitus laborant. *eod. li.*

Qui in rebus ciuilibus versatur, & multis negotiis distringitur, huic tutius est, vt nec tentet temperamentum suũ mutare, sed accommoda sibi nutrimenta sumat. *eod. li.*

Venus siccis temperamentis inimicissima. *eod. li.*

Siccitatis culpa, mortale fieri corpus. *ibid.*

neque sanus est quisquam nostrûm, ea saltem quæ omnino inoffensa, inculpatáque sit sanitate, neque inculpabili esse potest corporis statu. At sanos esse dicunt, qui nec parte aliqua corporis dolent, & ad vitæ munia haudquaquam sunt impediti. *eod. li.*

Experientia normæ vice semper habenda est, eorum quæ excogitaueris, nec scribẽdum pro vtili quicquã est, quod non sis expertus, nisi tamen hoc ipsum testeris, non esse tibi adhuc expertum. *lib. 6. de san. tu.*

Sanitas gemina est, altera secundùm habitum, altera secundum affectionem. *lib. an sanitatis tuendæ ars, & c. ad Thrasibulum.*

Bene valere, est vnicuique membrorum secundum naturam operari. *eod. li.*

Sanitas, artis corpora tuentis, finis est primarius. *eod. li.*

Sanitatis tuendæ ars in his sita, quibus, velimus, nolimus, occurrimus. *eod. lib.*

Sanitatis custos id ob oculos habet, vt in corpore exactè sano, & valido nihil nouare audeat. Cùm verò aliquantulum moderationem transierit, continuò quod deficit, priusquam latiùs malum serpat, resarciat. *li. an ars tuendæ valetudinis.*

ADMONITIO LECTORI.

Præcipuos de sanitate tuenda locos, ex variis Gal. monimentis attulimus. Omnes enim ceu in cumulum aceruasse, infiniti operis sanè fuisset. Residuos autem, qui ad hanc tractationem pertinent locos, diligens lector ex iis, quæ subnectemus eiusdem autoris operibus poterit sibi parare: nempe ex sex illis verè aureis de sanitate tuenda libris: etsi omnes nos huc ferè attulimus. Ex libro item de exercitatione paruæ sphæræ. Ex tribus de alimentorum facultatibus libris, & eo item quo quæritur, an ars tuendæ sanitatis ad medicinam, an ad Gymnasticam pertineat: quo in Libro multa de sanitate cumulare sibi poterit medicinæ studiosus: etsi pleraque nos ex

to opere attulimus. Libros item de bono corporis habitu, & de dissolutione continua, hos enim libros si diligenter quis versarit, omnes ad vnguem, sibi poterit de sanitate parare locos. Non .n. in id medicinæ vniuersa locos tractare ingressi sumus, vt medicinæ studiosos ab Hipp. Galenique lectione auerteremus, quorum nos in hoc opere scita, assertionésque de rebus communibus, feréque de singulis ad medicinam spectantibus delibamus: sed magis vt ad eorum lectionẽ, atque studium acrius incenderemus, dum nostro hoc instituto incitati, possent & ipsi diutina horum autorum lectione, compendium totius medicinæ sibi parare, locósque sibi deligere, (vti & nos fecimus) quorum præsidio de rebus singulis possent aptè, expeditéque dicere, siue illis publicè profitendum, siue scribendũ, siue etiam concertandũ de rebus medicinæ sit. Id vt scires, cãdide lector, admonitũ te volui.

De medẽdi methodo, in vniuersum, hoc est ea Medicinæ parte, quã Græci θεραπευτικὴν, Latini curatricẽ nũcupãt. CAP. XIIII.

MEdendi Methodum, partium medicinæ omnium, vt ordine postremam, sic certe fine, & effectu longè vtilissimam esse, ac veluti reliquarum omniũ finem, & Gal. & omnium medicinæ autorum, constanti assertione patere arbitror. Finem nanque medicinæ sanitatis adeptionem esse, Gal. merito est arbitratus. Ea verò, cùm medendi methodi præsidiis opportunis paretur (vt omnium medicinæ autorum cõcors assensio est) sequitur profectò, partem hanc, quæ curare morbos docet, reliquarum medicinæ partium finem esse. In id enim naturæ omnis, quæ ad hominem spectat, rationem indipiscimur (quod præstat naturæ contemplatio) in id etiã causas, morbos, signa contemplamur, vt tandem morbos, qui noxam corporibus afferunt, curare sciamus. Nisi enim hominis secundum naturam statum omnem cognouerimus, & morborum naturam omnem, discrimina, causas per signa didicerimus, morbos nunquam, vel autore Gal. curare poterimus. Ac proinde rectissimè à nobis dictum est, partem hanc, quæ de medendo rationes tradit, & ordine postremam, & effectione, ac fine longè præstantissimam esse: vt quæ nimirum à morbis liberet, & sanitatem congruis auxiliis, vbi amissa ea fuerit, restituat. Quo bono nullum homini maius, nullum optabilius accidere certè potest. De hac igitur medendi methodo nobis hoc cap. sermo erit, id indicãtes, quodnam ipsius principiũ sit, quis finis: quæ itẽ cõmunissima curãdi ratio, quæ morbis omnibus conueniat: qui curationis scopi, seu indica-

li. qui introductorius seu medicus inscribitur: & lib. de sectis. Gal. li. 10 meth. med

i. 2. meth. med.

tiones,& vnde petendæ:instrumenta insuper curationis in genere quænam sint,quo fine caput concludemus. Ergo primũ vt aggrediar,medendi methodũ Gal.viã quandã curandi certã,atq; exactã esse voluit,quod apertè librorũ Therapeuticorũ inscriptio declarat, sic.n.inscribũtur, Γαλήνου θεραπευτικῆς μεθόδου βίβλια ιδ: hoc est,Gal de ratione curãdi libri quatuordecim,μέθοδος n. Græcis viam quandã,& rationẽ qua quippiã cõmodè fieri possit,significat, μεταφορικῶς disciplinã:ac proinde Gal. lib.4.meth. med.methodũ diffiniuit,viã esse quandã vniuersalẽ, quæ omniũ particulariũ sit communis. Habent.n.singulæ artes rationem communem quandam, qua munia quæque exercere sua valeant, & à qua agendorum, ceu à fonte quodam, singulæ artes rationes capiant, atque scopos. Communis porrò ea ratio,methodus in singulis artib.nuncupatur. Ergo rectissimè id à Gal.dictũ est, methodo quippiã inquirere, inueniréque,ex aduerso opponi ei,quod est fortuito,& temerè reperire.Methodo autẽ quipiã inuenitur,cùm via quadam,& ordine disquisitio fit,ita vt in disquisione aliquid primũ sit,aliquid secundũ,& tertiũ, & quartũ, atque ita de reliquis omnib.deinceps,quoad demum ad ipsum,quod ab initio est propositum, sit peruentum. Huius autem methodi principium,in re medica,autore Gal. morbi est cognitio, finis autem inuenire cuiusque morbi remedia. At vero isthæc,quæ in morborum alleuationem adhibentur remedia, non aliter profectò inuenias, quàm tota tibi morbi natura qualisnam sit explorata perpensáque habeatur.Itaque morborum prius notio habenda est, quàm mederi illis queas: ac proinde rectissimè Galen. principium meth. med. morbi cognitionem posuit:vt à qua omnis nimirum curandi ratio pendeat. Tot itaq; medẽdi methodi erũt,quo fuerint à naturali habitu recessus.Cuique enim morborum speciei, sua quoque peculiaris, & propria est methodi species,vel autore Gal Methodo autem curatiua qui feliciter vsurus est,similis, atque dissimilis notitiam habere eum oportet: vt naturæ similia in suo statu seruare dissimilia contrariorum congruo vsu corrigere, ac emendare possit: quæ docta Galeni sententia libro quarto methodi medendi est. Tanta vero est curatiuę methodi vtilitas, vt sine ea nequicquam curari morbi queant.

li.1.meth. med.

li.2.meth med.

li.4. met. med.

Id

Id nanque pro comperto haberi debet, nemini cuiquam licere vllius artis scientiam nancisci, nisi & methodum quandam habuerimus, per vniuersalia vocata theoremata, & in particularibus nos exemplis exercuerimus. Neque enim sine multiplici in ægris singulatim exercitatione, quod ex vsu sit facere possimus, nec sine vniuersalium cognitione probè exercitatio procedere potest, quippe quod in vniuersalibus methodus, in particularibus exercitatio consistat, vt verè Gal. lib. 9. meth. med. conceptis verbis affirmauit. Quid methodi nomine intelligendum sit, & quodnam illius principium, qui finis, quę vtilitas, dictum à nobis abundè est. Illud explicandum nobis restat. Communissima curandi ratio, quæ ex æquo morbis omnibus congruat, quænam sit. Equidem cum morbis omnibus commune aliquid sit, quo secum ipsi conueniant (esse nanque præter naturam, & actionibus incommodare, vel ex ipsa morbi definitione, omnibus ex æquo morbis conuenit) necessum est & commune aliquid eos habere, quo auferri ipsi possint. Id autem est autoribus Hipp. atque Gal. per contraria ablatio. Hoc his verbis expressit Hipp. vel quisquis libri de flatibus autor fuerit, τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἐστὶν ἰήματα. Contrariorum (inquit) contraria sunt auxilia. Et Gal. Curatio (inquit) vnam præcipuam, ac communissimam habet intentionem, ad id quod est dispositioni auferendæ contrarium. Ex hoc si quidem genere sunt causæ illæ omnes, quæ sanitatem efficiunt. Constat igitur ex citatis à me modo locis curationem omnem in genere, contrario perfici atque absolui. Nempe cùm ea contrariorum natura sit (autoribus Plat. atque Arist.) vt vna esse nequeant, seséque mutuo expellant, efficitur profectò, vt non nisi contrario pelli, curaríque morbi possint. Nam si (quod ait Gal.) immoderatum est omne præter naturam, moderatum verò secundũ naturam: necessum est omnino, vt immoderatum ab immoderato contrario, ad mediocritatem redigatur. Ea causa sanè est, cur calido offectui frigidum quod est, medeatur: frigido affectui, calidum, humido siccum, sicco humidũ remẽdio sit: & ita in coniugatis intemperaturis. Calidæ nanque & siccæ intemperaturæ, refrigerantibus simul, & humectantibus: calidæ & humidæ refrigerantibus atque siccantibus, frigidæ, & siccę, calfacientibus & humectantibus: frigidæ & humidæ, cal

li. de flati. in arte me di. in c. 89. vbi suprà

Plat. in Alc. secundo, de voto. Arist. c. de contrariis. Vbi supà.

facientibus, atque ficcantibus opitulamur. Cùm verò contrario curationem perfici dicimus, de eo intelligi volumus, quod facultate, atque potentia tale, non secundum imaginationem extiterit, hoc est, vt interpretatur Gal. quod reipsa verè tale existit, quale esse dicitur, vt cùm aquam refrigerare, euphorbium calefacere, oleum humectare, siccare gigarta dicuntur. Hæc enim talia profectò, ac reuera sunt qualia dicũtur. Nec verò nunquam non verum erit, contrario curationem perfici, etsi simili quandoque absolui videatur: vt cùm febrim calida interdum data potione curamus. Ea enim nõ qua ratione calida exhibetur, actúque talis est febrim curat, sed qua refrigerandi potestatem habet. Quod enim morbum pellit, illi esse contrarium omnino oportet, non itaque calor calorem curat, sed frigus calorem, etsi ex accidenti id facere quandoque dici possint, vt cum calidis, vel sudorem in febre elicimus, vel vrinam mouemus. Ea enim non per se, & primò, sed secundariò, & ex accidenti (quatenus morbificam causam adimunt) febrem curare dicuntur. Inconcussum itaque maneat illud, curationem omnẽ, eo quod est dispositioni auferẽdę contrarium, perfici, atque absolui: vt Hipp. & Gal. sensere: omissis intereà nugis his omnibus, quas prisci Glossematarij nostri in hac re tractanda texuere. Quas cùm animo reuoluo, non satis eorum stupiditatem mirari possum, qui in re per se plana, atque exposita, nodos inexplicabiles intorquere de industria studuerunt, vt rem tam facilem, atque apertam plusquàm cimmeriis tenebris inuoluerent. Sed hic corrupti seculi mos fuit olim, vt commentitiis, iísque deprauatissimis ineptorum hominum scriptis animum imbuere, quàm vera germanáque doctrina medica ab Hippoc. Galenóque petita mallent medicinę studiosi, dum totos dies Forliuios, Hugones, Sermonetas, Drusianos, & id genus malè feriatos homines manibus tererent, technis, & fallacibus argutiis semetipsos irretientes, relicta interim solida medicina, quam nobis facilem, expeditam, dilucidam, atque apertam, Hippoc. Gal. Paulus, Aëtius, Auicenna clarissima eius disciplinę lumina, reliquerunt. Ex quibus, ceu vberrimo, limpidissimóque fonte, haurire purissimos latices, medicinę studiosos consulo. Sed iam ad institutum redeũtes, quinam curationis scopi sint, seu indicationes, & vnde petẽdę docendũ, cùm præsertim omnis medendi methodus, autore Gal. per indicationem fieri dicatur

in art. medic. ca. 89.

an curatio omnis per contrarium fiat.

tur,& indicatione quippiam inuenire,sit ab ipsa rei natura ordiri,atque ab ipsa quod sequens sit,citra experientiam inuenire,vel eiusdem testimonio.Est nanque indicatio ,sequentis,seu agendi insinuatio quædam.Ergo curationis omnis , vniuersæque medendi methodi scopus vnus,atque præcipuus est,quod ait Gale.vt ægrota corpora in sanitatem vindicemus Id vero est, naturales partium actiones,si quæ vitiatæ sint, corrigere.Primùm nanque methodi medendi propositum est,morbi,qui infestat sublatio , vt nono methodi conceptis verbis habetur.Vt vero auferri methodo morbus queat,morbi ipsius primùm est attendenda natura,vis,atque species autore Hipp.Ignorato enim affectu ,curationis facultas omnino tollitur,vt lib.2.meth dixit Gal.Igitur præcipuus curationis scopus erit,morbum probè iam cognitum auferre.Hunc reliqui multi ad curationem necessarij scopi sequuntur. Si quidem,& corporum temperies,& anni tempora , ac constitutiones,& ętates,& consuetudines,& partium naturæ , ac potestates,& industriæ,& habitus,& animi mores,& sexus discrimina, rectè curanti,causæque vnde morbi nascuntur ,consideranda prorsus veniunt:súntque hæc omnia vnà cum morbo coindicantia,vt millies in mille locis dixit Gal,Ab his igitur ,quę modò diximus, petendæ curandi indicationes sunt: inter quas præcipuæ,à morbo,& eius causa habentur.Remediorum nanque inueniendorum initium,ab ipsa morbi natura proficiscitur:& curatio omnis, vbi causa adest , ab ipsa sanè auspicanda est. Sic enim libro tertio,& quarto meth. med.Gal.Auspicari(inquit)perpetuò oportet ab indicationo quæ ab affectu,cui mederi paramus,accipitur ; æstimare verò ac discernere,an causa quæ affectum excitauit , iam desierit, an nunc quoque ipsum tum faciat,tum augeat vtique si nihil etiamnum fit,affectum tantùm curabimus nihil de causa laborantes,sin verò nunc quoque aliquid fiat,duos tum nobis præponemus scopos,id quod factum est curare;quod autem futurum est prohibere ne fiat,vt in arte medicinali docuit Gal. Hi profectò medendi scopi:hę veræ indicationes sunt:à quibus omnis curandorum morborum ratio pendet. Antequam verò ad instrumenta curationis veniamus,de quibus mox dicemus,ipsas in vniuersum curationis formulas, in morbis tum similarium partium,tum organicarum adiecisse prius,commodissimum visum est.Morbi similarium par-

libr.2.de rat. vict. acut.

lib.3.4.& 7.method meden.& lib.1.ad Glauc.& li.1.de medic.secundum locos.

tium vt curētur, dictum à nobis initio c. est: ad morbos instrumentorum accedemus. In his porrò, vel in figura, seu formatione, vel in magnitudine, vel in numero, vel positu morbi accidere solent. Figura vitiari consueuit, quando à naturali mediocritate recesserit: vt si qua secundum naturam cauitas parti inesse debeat, meatúsve, aut orificium, asperitas, vel lenitas, ea à naturæ habitu, atque forma euariarint. Quo in genere vaciæ, vari, planci, valgi, & quæ luxata dicuntur, reponi iure debent. Horum omnium curatio est ad naturalem formam atque habitum reductio. Blæsæ nanque, varę, & obliquæ partes si mollis, & tenellus adhuc puer fuerit, formatione commoda, atque alligatione in cōtrarium deformatæ partis acta, reduci consueuerunt. Sic quæ luxata sunt, repositione luxatæ partis. Sed si vitia hęc inueterauerint, & duro corpori euenerint, immedicabilia esse putandum est. Quę. n. indurata sunt, emendari minimè possunt: quòd & medicam manū, & medicamentorū vim respuant. In magnitudine vitia contingunt, excessu, & auctu partis, & item defectu, vt cùm in maiorē naturali molē partes attolluntur, vel in minorē quàm par sit, deuoluuntur. Quæ naturalē magnitudinē partes excesserunt, quiete, commoda alligatione, atque cōpressu, adstringentibus, discutientibus & siccantibus medicamentis, item inedia curari solent. Qua sanè arte Asclepiades, medēdi scientia clarus, Nicomachi Smyrnæi corpus immodicè auctum sanitati restituit. Quę vero partes à naturali magnitudine deficiunt, & naturali motu, & frictione moderata, & pleniore, eoque succulentiore cibo, & quibuscunque aliis, plus sanguinis attrahere in partem natura aptis, emendari solent. Sed quæ ex sanguine partes ortum habent, si deficiant, corrigi quidē, & resarciri non multo negotio possunt: quod & materia regenerationi partium deficientium apta copiosáque subsit, & opifex natura, ex sequaci materia reficere quod deficit ipsa possit. In his vero ex semine originem trahunt, si quidem deficiant partes resarciri (nisi admodum rarò, & in tenellis adhuc pueris) minimè possunt: quòd iuxta Galen. sensa, & idonea ad refectionem partis desit materia, & facultas effectrix manca sit (non enim in adultis, aut copiosum est inuenire semen, resarciendis membris spermaticis aptam materiam, aut formatricem etiamdum facultatem, quæ semen, & in vicem & speciem deperditæ partis rursus conformare & effingere

queat) ea sanè ratione fit, vt dissecta quæ ex semine membra sunt, reuniri minimè queant. Qua de re fusissimè nos capite duodecimo huius libri, abundè tractauimus, vt eam hîc denuò repetere opus non sit, ne lectori (quod est in prouerbio) crambe repetita mors sit. De morbis in numero iam dicẽdum. Duas & ij differentias habent, excessum, & defectum. Quæ numero excedunt, his ablatio causa salubris est. Inspicere oportet verò, autore Gal. in quibus id fieri possit. Non enim in omnibus ex æquo fieri id potest. Suffusionem enim pupillæ obiectam, aut vnguem in oculo, adimere non possumus: quod cùm accidit, ea quæ numero excedunt, pro Galeni consilio, transponere aliò tentandum. Quod nos efficimus dum acu suffusionem transponimus, si nullis ipsa remediis cedat: vti & in vesica calculum, si vrinam ob sui magnitudinem ceruici vesicæ impactus supprimat, aliò auertimus, corporis concussu, & agitatu. Quæ verò à decenti numero deficiunt partes, curationem non admittunt, quòd id naturę, non artis sit opus. Quin in eo ipso vitio manca naturæ quoque potestas est. Non enim si cui vnus in manus digitus desit, vel naturę culpa, vel vulnere illato, eum reponere natura potest, materię idoneæ copia destituta. Eadem quoque est morborum in positu ratio. Non enim omnia, quę malum obtinent sitũ, emendari facilè possunt, præsertim si naturæ culpa contingat, vt in eo cui ventriculus rotundus, septo transuerso incumbens noxam adferebat, declarat in arte medicinali Galenus: nullo nanque artificio situs hic ventriculi transferri potuit. Quæ verò malo situ posita, transferri possunt, conuertere ea in oppositum situm omninò oportet: quę non, ceu immedicabilia relinquere conuenit. Tum verò curari mali partium situs queunt, cùm ij à tumoribus, qui curari possunt, originem ducunt. A phlegmone interdum deturbari à naturali positu partes contingit: at ea curata in naturalem mox positum partes reuertuntur. Obstructio verò, cùm & ad partes ipsa instrumentarias pertineat, vt lib. de art. medicæ constitutione à Gal. habetur: & à variis causis oriri possit, varias quoque habebit & curandi rationes. Fit autem obstructio, ex lentis, crassis, multisve humoribus, fit item ab stercore duro, lapide, tumoréque aliquo præter naturam. Vna porrò obstructionibus omnibus cõmunis curatiua intentio est, apertio: quæ & ipsa variis fieri modis deprehẽditur.

in art. medic. c. 87.

vbi suprà immed.

Vbi n. à viscidis, & crassis obstructio nascitur humoribus, detergentibus, atque incidentibus molienda curatio est: vbi ab humorum copia, euacuatio remedio est. Si ab stercore duro quod intestinum intersepsit, mollientibus primùm, humidis, pinguibúsque clysteribus, mox acribus euacuationem moliri oportet. Quæ à lapide fit obstructio, vel transpositionem, si vrinæ meatum impediat (vel integrè quidem sanari si debeat) incisionem, & extractionem desiderat. A tumoribus ortæ obstructiones, eorundem tumorum ablatione, curantur & ipsæ. Si vero ab extranea quapiã humiditate, vt sanie, grumo, aut putrefacto humore, obstructio fiat, sanatio in omnimoda eius quod impactum est euacuatione consistit. Fit autem euacuatio huiusmodi, aut tussi, & excreatu, si quę obstruunt in thorace, pulmonibúsque cõtineantur: aut vomitu, aut secessu, si in intestinis, ventriculóque aut vrinę emissione, si gibba hepatis, renes, vesicáque obstruantur; vomitu vero educuntur quę ventriculum infestant. Quę sub cute hærent, per sectionem, vel ignem, vel adurentia medicamenta. Immodica verò repletio, vasa obstruens, sanguinis missione curatur. In summa quicquid pręter naturam in partibus continetur, sanationis in his intentio est ablatio, vel certè ea si fieri non possit transpositio. Quæ pręter naturam exasperatę partes sunt, lenitate naturali inducta sanare expedit: ossa quidem læuigando, arteriam autem, & linguam leniendo, humidis morsu carentibus, & quę lentorem habeant. Si lenitate nimia partes laborent, asperitas est reuocãda partibus; naturalis, medicaminib⁹ quidẽ, quę sufficiẽter abstergant, & parum adstringãt per euacuationẽ. Abscessuũ porro omniũ cõmunis curatio est ablatio. Fit autem hęc, si aut superfluitas retrocedens, frigidis adstringentibúsque admotis euacuetur: aut si per ipsammet patientem particulam educatur. Retrocędit autem quod influit, vel impulsum, vel attractum, vel transmissum, vno inquã horum aliquo, vel omnibus simul repelli debet, quod in partem pręter naturam influit. Per partem porro, quod molestat euacuabitur, vel suppurato, sensibiliterque educto humore, vel discusso, & in inuisibilem halitum conuerso. Superest, vt eius morbi, qui communis tum similaribus: tum instrumẽtariis partibus habetur, quem, & ipsum vnitatis solutionem vocant, communes curandi rationes tradamus. Omnis itaque continuitatis solutio, vnione in vniuersum desiderat. Ea porro in

Lenitatis & asperitatis curatio.

Tumorum præter naturam curatio.

Solutæ cõtinuitatis curatio.

in instrumentariis partibus perfici nequit, in similaribus vero non omnibus potest, sed quibusdam, nempe carnosis, quę adglutinatione, siue coalitu sanantur. Cur vero instrumentariæ partes, vt brachium, crus, manus, pes, amputata sint, vniri non possunt, in promptu certè causa est. Cùm enim vnionem, & coalitum partium efficere solius naturæ munus sit, ea autem abscissam instrumentariam partem a reliquo corpore separatam, non amplius regat, aut moderetur, fieri sanè non potest, vt ipsam alteri parti adglutinet: vt rectissimè dixisse Galen. sit visus, solutam vnitatem in instrumentis ad vnionem reduci non posse, ob eam scilicet, quæ modo à nobis citata est, causam. Carnosæ autem partes dissectæ adglutinatione curantur, quæ vt fiat, vbi vulnus maius fuerit, diductarum partium cōmissione, atque adductione, adhæsúque est opus. Hanc firmant, stabiliúntque deligatura conueniens, quæ separatas partes coniungat, & sutura, item & fibulæ idipsum quoque perficiunt. Dissidentes porro vulnere partes, ad pristinā vnitatem restituere, naturæ est opus: quæ ex sanguine, tum copia, tum qualitate moderato, carnem in parte dissecta regenerās, vnit quæ dissita erant, diductásque partes adglutinat Medici verò in huiusmodi dissidentiis partium munus est, diductas primùm in vnum cogere partes, mox cōmissas seruare, abhinc prouidere nequid extraneum inter vulneris labra vnionem impediens incidat, postremò partis affectæ substantiam tueri. Diductas partes sutura cogimus, commissas eadem sutura, & ligatura seruamus. Aliena ne incidant, manus opera, & detersione congrua procuramus, atque effluxu. Partis affectæ substantiam mediocriter siccantibus conseruabimus. Hæc solutæ tenuitatis in carne recta curatio. In osse quæ fit, quam fracturam dici omnes volunt, vera quidem adglutinatione, quæ similium partium deperditis restitutione efficitur, curari minimè potest. Non .n. simile fracto ossi regenerari omnino potest (quòd ex semine sit) verùm connexione potest, callo quidem fracti ossis dissidentes partes circumligante, ac vinciente. Cùm enim adglutinari fracti ossis partes ob siccitatem non queant, modum excogitauit natura, quo connecti tamen inuicem possint, glutinis cuiusdam adminiculo dissidentes partes ferruminās. Glutinū id, callosa quędā est substantia, ex ossis nutimento vi naturæ genita, quæ sese partibus fractis applicans, illas cōiūgit, ac copulat: etsi verā agglutinationem non efficiat, quod ea in carne solùm perfici possit. Miscētur enim mollia cū mollibus (quod

In art. medic. c 9

in vera glutinatiatione est necessariũ) nõ dura cum duris. Itaquo humor insitus vtriusque partis solutę carnis miscetur, nõ aliter atque cera mollis, cũ altera molli: deinde mistus glutinatur, ac cõcrescit in specie carnis, quod nihil aliud est, quàm συμφύσθαι, hoc est coalescere, cõcrescereque: quod in carne perfici quidem potest, in osse, ob duritiem, & siccitatem nõ potest. Callo itaque fracturę curantur, cui generãdo proprio ossis nutrimẽto est opus. Neruorũ, & tẽdonis pũctim facta vulnera, ob sentiẽdi pręstãtiã, & cũ cerebro cõmunionẽ, cõuulsionẽ accersere parata sunt: egẽntq; ad curationẽ apertione & exsiccatione, materia quapiã tenui, quę in altum & ad vulneratum vsq; neruũ penetrare possit. Cęsim vero vulnerati nerui curatio siccantibus medicamẽtis perfici debet, vt sexto methodi tradit Galenus. Arterias, venásq; dissectas suere nõ cõuenit. Curari autẽ debẽt, linamẽtis superimpositis, & medicamentis iis, quę emplastica vocãtur: interdum etiã iis quę crustã faciunt. Auersione etiã vtendũ, vt regeratur aliò sanguis, vasíque aperto & digitos admouere (si in aperto vas sit) & deligare, atq, adstringere expedit. Interdũ etiã arteriã si transuersim vulnerata sit, pręcidere ex vsu est. Cõtusę autẽ partes calfaciẽtibus, & modicè siccãtibus sunt attrectãdę, sed præsertim relaxãtib. Ecchymosis n. omnis, quæ ad cõtusionẽ sequitur, vacuationẽ per hęc desiderat. Vnde est illud Hipp. *Si caro aliqua telo tũ contusa, tum cæsa sit, huic ita medendum est, vt quàm celerrime suppuret: nã & minus phlegmone vrgebitur, & necesse est carnes, quæ cõtusæ cæsaque sint, putrefactas & in pus versas liquari, posteà nouam carnem nasci.* Cõtusa itaque suppurari primùm, pro Hip. sentẽtia, mox desiccari modicè (vt iiij. methodi iubet Galen.) postulant. Atque hæc de curatione morborũ omniũ in vniuersum, ex Galeni sensis dixisse sufficiat. Nũc, quod postremum tractandũ duximus, de instrumentis curationis dicamus. Habẽt. n. cæterę artes materiarię omnes, sua quęq; instrumẽta, quibus rectè opera cudant sua. Habet & ars medica sua quoq; instrumenta, quibus pręstitutum finem consequi ipse queat. Ea porro sunt cõgrua victus ratio, quã diætã nũcupãt. Pharmacia, & quę manuum ministerio operatur medicinę pars, quã Chyrurgiã vocant. De his ordine dicemus, ab ea quę victus rationẽ tractat parte, sequenti capite auspicãtes, mox ad reliqua duo quę supersunt, Pharmaceuticen dico, & chyrurgiam, item duobus aliis capitibus sermonem conuertemus. Atque hic capitis finis esto.

libris met. med. & in art. medi.

De curatione, & medendi methodo, Hippocratis, & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

OPORTET non solum seipsum prestare oportuna facientem, sed & ægrum, & assidentes, & exteriora. *libro 1. aph.1.*

Extremis morbis, extrema exquisitè remedia optima sunt. *lib.1.aph.6.*

Concocta medicari, atque mouere, non cruda, modò non turgeant. *lib.1.aph.22.*

In acutis passionibus rarò, & in principiis medicinis purgantibus vti, & hoc cum premeditatione faciendum. *libro 1. aph.24.*

Quicunque morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio, & quicunque ex euacuatione, repletio, & aliorum contrarietas. *lib.2. aph.22.*

Cùm morbi inchoant, si quid videtur mouendum, moue: cùm vero consistunt, ac vigent, melius est quietem habere. *lib.2.aph.29*

Plurimum, atque repentè vacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, siue quouis alio modo corpus mouere, periculosum. Quoniam omne nimis est naturæ inimicum, sed quod paulatim fit, tutum est, tum aliàs, tum cùm ab altero ad alterum transitus fit. *li.2.aph.51.*

Omnia secundùm rationem facienti, si non succedat secundum rationem, non est transeundum ad aliud, stante eo quod à principio visum est *li.2.aph.52.*

Quæcunque refrigerata sunt, excalefacere oportet, exceptis his quibus sanguis fluit, aut fluxurus est *li.5.aph.19.*

Dolenti partem capitis posteriorem, in fronte recta vena incisa iuuat. *lib.5.aph.68.*

Dolores oculorum, meri potio, aut balneum: aut venæ sectio, aut medicamentum epotum soluit. *lib.6.aph.31.*

Quæcunque non sanant medicamenta, ea ferrum sanat: quæ ferrum non sanat, ea ignis sanat: quæ ignis non sanat, ea incurabilia putare oportet. *lib.7.aph.vlt.*

Quoscunque morbos repletio parit, euacuatio sanat: & quicunque ex euacuatione fiunt morbi, repletio sanat: quicunque verò à labore fiunt, quies sanat: qui autem ab otio gi-

gnuntur, labor ſanat. *lib. de nat. hum.*

Medicum ſcire oportet, opponere ſe contrarium inſtantibus & morbis & naturis, & ætatibus, & temporibus,& diſtenta ſoluere, ſoluta diſtendere. Sic enim vel maximè morbum ſedauerit, & mihi ſanè hoc ipſum ſanatio eſſe videtur. *lib. de nat. hu.*

Contraria contrariorum ſunt auxilia. *lib. de flat.*

Si quis cauſas corporis affecti probè cognouit, potens eſt valdè ea adferre quæ corpori cōmodent, nimirum contraria corporibus, morborum natura perſpecta *lib. de flat.*

Huc pertinent quæcunque ad curandi rationem ſigillatim Hippocratis libris quatuor de morbis, lib. de affectionibus, & lib. item de internis affectionibus, & lib. de virginum morbis, & duobus de mulierum morbis,& plurima quæ lib. 6. de popularibus morbis,& tribus libris de rat victus in morbis acutis,& lib. de vulneribus capitis, de fracturis, de articulis, de vlceribus, de fiſtulis, & in chirurgiæ officina tradidit. In his enim libris, ſi ſe diligenter,& accuratè medicinę ſtudioſi exercuerint, innumeram locorum, ad curandi rationē pertinentium ſyluam colligent.

GALENI.

METHODI ab omnibus celebratæ duæ, diuidendi, ac componendi, vna ſimilium, diſſimiliúmque altera: atque harum ignoratio omnes tum medicarum, tum Philoſophorum diſſenſiones peperit. *lib. 9. de placit. Hip. & Plat.*

Methodo inuenire, opponitur ei, quod eſt fortuitò, temeréque inuenire. *lib. 1 meth. med.*

Methodus quæuis leuioribus problematibus priùs exerenda, quàm maioribus manum admoueas. *li. 1. meth. meden.*

Methodo inuenire, eſt cùm quid via quadam, atque ordine diſquiritur, ita vt in diſquiſione aliquid primum ſit, aliquid ſecundum, tertium, ac quartum, donec ad id ſit peruentum, quod ab initio propoſitum erat. *lib. 1. meth. med.*

Methodus num vera ſit, per euidentia confirmatur. Lib. de cuiuſque animi peccatorum notitia, atque medela.

Curandi ratio, ac via ab ægrotantium corporum diſpoſitione auſpicatur,& per contraria in vniuerſum perficitur. *lib. de conſt. artis med.*

Primum curatricis rationis, ac vię eſt communem ſco-

pum omnium reperire, nempe contrarias esse contrariorū medelas. Secundum, substituere in vnoquoque genere contraria. Tertium ad hæc æstimare, quando à nobis aut natura, scopo quem præfert indicatio, suppeditari opera valeat, quando vero aut omnino, aut pro tempore, aut ex parte non possit. Fueritque non minima physicæ pars contemplationis, in qua exercitatus is opportet sit, qui quid pręstari in re qualibet futura queat, aut nequeat, cęperit. *li de artis med. const.*

Methodi medendi principium, & radix, affectuum corporū curatio. Nihil enim est aliud, quod à medicinis curetur. *li.1.meth.med.*

omnis medendi Methodus per indicationem fit *lib.2. meth.med.*

Methodi medendi principium, morbi est cognitio, qualis scilicet is natura sit. *lib.2.meth.med.*

Methodi medendi finis, est inuenire cuiusque morbi remedia *di.2.meth.med.*

Methodo curare, est quod à prima morbi indicatione suggeritur, quod agendum est, inuenire. *libro 4. meth. meden.*

Methodus est via quædam vniuersalis, quæ omnium particularium sit communis. *lib.4.meth.med.*

qui Methodo quiduis molitur, tum similis, tum dissimilis notitiam habeat oportet. *lib.4.meth.med.*

Methodus quędam priuata est sanādi in singulis morbis, commune tamen in omnibus genus est vnum. Auspicari nanque perpetuò oportet ab indicatione, quæ ab affectu, cui mederi paramus, accipitur: æstimare verò ac discernere, an causa quæ affectum excitauit, iam desierit, an nunc quoque ipsum tum augeat, tum faciat. *lib.4.meth. med.*

Methodi medendi propositum est, ęgrota corpora in sanitatem vindicare. *lib.1.meth.med.*

Methodi medendi propositum primum, morbi est sublatio. *lib.9.meth.med.*

Methodi medendi non solùm generalitatem didicisse, sed etiam in singulis eius partibus exercitatum esse oportet. *lib.4.meth.med.*

Cuique morborum speciei sua est methodus curatiua. *lib.4.meth.med.*

Methodi vniuersales non satisfaciunt ad exactam cogni-

tionem,sed in exemplis exercitari quiduis discentes expedit. *lib.9.meth.med.*

Methodus in vniuersalibus, exercitatio in particularibus consistit.*lib.9.meth.medeu.*

vera Medendi methodus potest post tot,tantósque medicos,non solùm meliora medicaméta quàm prius fuère,sed etiam vniuersum curationis modum inuenire. *lib.6.meth. med.*

Methodum constituere artis medicæ,sine causæ continentis actionum cognitione impossibile est.*li.1.meth.med.*

Methodi medendi principia quatuor exposita,è quorum prænotione ad ipsam rectè accedere contingit. Sunt autem hæc,causa,affectio ,actio,symptoma.*li.1.meth med.*

præstat Methodo quiduis,quàm sola experientia facere. *li.3.meth.med.*

Methodus absque exercitatione,non potest perfectos discipulos facere.*li.2.de loc.aff.c.3.*

Methodus curationis in morbis omnibus , idem habet principium & viam quæ ab eo principio ad finem vsque ducit,in omnibus particularibus similem.*li.4.meth.med.*

Methodum curandi primò exactè à Gal.traditam. *li.de comp.medic.secundum genera.*

Methodum curandi primus quidẽ indicauit Hipp.sed ab eo non absolutè traditam perfecisse se testatur Gal.*li.8.meth. med.*

libris.3.4.5.6.Methodi medendi,curandorũ vlcerũ omnis ratio traditur.*Libris.7.8.9.10.11.*

intemperaturæ omnis curandæ ratio,præsertim febriũ. Libro 12.symptomatum curandorum.

Libris 13 & 14.tumorum præter naturam,& abscessum omnium methodi curatiuæ traduntur.

libros Methodi medendi,præcedere debent lib.de elementis,de temperamentis de naturalibus facult.& de vsu partium.*li.2.meth.med.*

Morbos intemperaturæ curare ratione,qui prima corporis elementa nõ norit,impossibile est.*li.6.meth.med.*

Methodus curationis morborũ omniũ similarium partium,generatim exposita,per contrariorum admotionem.*li. 7.meth.med.& lib.*de consti.artis medicæ.& *lib.2.aph.com.22.*

Curare id omnes homines dicunt,præsentes iã affectus tolle-

tollere, siue amouendis iis, quæ naturæ opus impediunt, id fiat, siue per medicamenta quid ipsi moliamur. *li.4.meth. meden.*

Curare duplex est: vnum quidem omnia agere, vt particula patiens ad sanitatem perducatur: alterum autem eam adhibere prouidentiam, quę passioni congruat. *lib.6.aphor. com.38.*

Curatio, rei pręsentis est, eius quod futurum est, prouidentia. *lib.4.meth.med.*

Ad curationem, affectuum dignotio valdè necessaria est. *lib.1. de rat.vic.acut.com.3.*

Ad optimæ curationis inuentionem, morborum dignotio, & futurorum prænotio plurimum conferunt. *lib.1.de rat. vic.acut com.3*

In primis quinam sit morbus cognoscere oportet, atque ita demum curationem ipsius aggredi *eo.li.& com.*

Curatio per se à medicis exercetur, prænotio autem, & dignotio propter ipsam curationem. *libro de rat. vic. acut. com.3.*

Curationem finem esse artis, non dignotionem, aut pręnotionem. *eod.l.& com.*

Curationem intellige in præsentiarum ablationem morbi, non eam quidem, que adhuc fit, sed quę iam facta sit. *ibidem.*

Curationem, vel præcognitionem, propter exteriora plerunque interrumpi. *li.1.aph.com.1.*

Curantur per contraria causæ, quæ morbos committunt. *li.2.aph.com.22.*

Curationem esse non solùm morborum, sed & causarum morbos efficientium abolitionem, vult Galenus aduersus eos, qui contrarium dicebant. *ibidem.*

Curatio sola factorum relinquitur, vbi causa non adest, quæ morbum efficiat. *ibidem.*

Quod iam factum est ex morbo, propriam exigit curationem. *ibid.*

Quę mixta sunt ex pręseruatione, & curatione, proprio nomine carent. *ibidem.*

Ad curationis inuentionem plurimum conferet, & locum dolentem qualisnam sit, perdiscere, & magnitudinem doloris in eo quanta sit, *lib.6.aph.com.5.*

Curare exactè is sanè poterit, qui laborantis naturam à primo ortu exactè cognouerit, & ex qua num causa laboret, & per multas rationes ad minimam vsque cognitas euidentes similitudines, & quæ dissimilitudines esse videntur speculans. *com.3.in libro.6.de popul.morb. aphorism.* 20. *cuius initium, Caput ex ortu.*

Tria sunt vniuersa, in quibus, & per quę curatio conficitur. Primus morbus, deinde medicus, tertius est præter illos ęger. Oppugnant sese mutuò, & inter se depugnăt, ac dimicant medicus & morbus. *lib.1.de pop. morb. com. 2. textu 51.*

Curatio, vbi indicationes fuerint contrariæ ad id quod grauius minatur periculum, est conuertenda. *li. 3. meth. meden.*

Non vno curantur modo medendi, quæ calefaciunt, refrigerant, humectant, & siccant, *com.1.ad li.de nat.hu.*

Curationis consilium à morbosis primùm dispositionibus suggeri, ac cum his vnà patientis particulæ naturam indicari. Præterea aëris nos ambientis temperamenta, constitutionem, ætatem, tempus, locum, vitæ propositum, & mores plures egregij, medici inspiciunt. *lib.de comp. medic. secundùm genera.*

Curandi optimę rationes tripliciter indicantur, tum ex temporis curandi breuitate, tum ex curando citra dolorem, tum ex maximè tuto curando. *li.14.meth.med.*

Vt tutò cures, tria propria sunt, quibus intẽtus sis oportet. Vnum primúmque, vt absolutionem operis consequaris. Alterum, vt sicubi hanc non consequaris, saltem cubantem non lædas. Tertium, vitium vt non facilè reuertatur. *lib.14. meth med.*

Curandi indicatio vt à virtute sumenda. *lib. 8. meth. med.*

In omnibus auxiliis semper ad virtutis modum respiciendum est. *ibidem.*

Curatio, post effectricis causę cognitionem, statim se exhibet. *lib.7.meth.med.*

Prima omnium indicationum est, quę à virtute sumitur. *lib.9.meth.med.*

Ad curationem num conferant ęgrotantis vires, considerasse exacta disputatio. *li.8.meth.med.*

Curationis indicationes ab ipsa partium natura, vnde sumendæ, è temperatura scilicet partis, ab actione eius,

a

à patris figura, à positura, ab acrimonia, aut hebetudine sensus partis *lib.7.meth.meden.*

Curationis indicatio qualiter à situ loci patientis sumitur, item & à formatione. *in arte medicinali,cap.89.*

Curanda sunt prius, quæ magis vrgent, hoc est, quæ maius periculum adferunt. *lib.5.aphor.com.19.*

Curatio omnium communis nulla est. *lib.3.meth.med.& lib.1.ad.Glauc.*

Curationis nullus modus reperitur, cui non etiam contrarius reperiatur. *lib.1.de elementis.*

Curatio, ad ea quæ singulis propria sunt, quoad eius fieri potest, contrahenda. *li.3.methodi medendi.*

Curatio tutior licèt longiore fiat tempore, magis est sequenda, quàm quæ breuior est, & non absque periculo. Colligitur ex dictis Galeni lib. 11. methodi medendi, ad principium: contra eos medicos disputans, qui dolorem confestim sanare aggrediebantur.

Rectè sanare inest medicis ex faciendorum cognitione, & non ex causę inuestigatione, ob quas sunt controuersi, qui de acutis morbi curationes scripserunt. *li.1.de rat.vic.acut.com.13.*

Curatio intestinorum facilior est cęteris medicaminibus per sedem immissis, ad locum affectum attingentibus. *lib.de atra bile.*

non Curare cancros occultos meliùs est, curati enim citius pereunt. *li.6.aph.textu,& com.38.*

Curationem malam medici, in causa interdum esse, cur vlcera insanabilia fiant. Colligitur ex dictis Galeni libro.6. aphorism. comment. 45. trahitur enim id, ex ipsa eius loci serie.

Curatio morborum omnium, vnam pręcipuam, ac communissimam habet intentionem ad id quod est dispositioni auferendæ contrarium, & illius ad singulares curationes adaptatio. *in arte medic.cap.89.& .lib.de consti.artis medic.& li.2.11. meth.med.*

de Curandi ratione per sanguinis missionem, vide quæ à Galeno in eius inscriptionis libro, copiosśimè dicta sunt.

Iam factam ægritudinem, atque existentem curare oportet, sed quæ nondum adest, & futura est, prohibendum est ne fiat, ab ea quæ est in corpore dispositione. *In arte medicinali.cap.88.*

Eius ægritudinis quę adhuc fit, quod quidem factum est curare opus est:quod autem futurum, prohibere ne fiat. *In arte medic.cap.*88.

Curandorum ordo pręscribit quid ante quod , vel quid cum quo,vel quid post quid sanari possit.*li.7.meth.med.*

Constat primam adhibendam esse curam, vt ei quod vices resoluit occurratur *lib.7.meth.meden.*

Curari ad perfectionem nullum affectum posse,manente adhuc ipsa vnde natus est causa.*li.7 meth.meden.*

Ad id quod vrget , vbi à quoquam affectuum non leue periculum instat , dirigi primum curantis consilium debet. *li.7.meth.med.*

Curatio,affectio,& signum,deinceps se habent.*li.4.meth. med.*

Curationem indicantia prima tria sunt, nempe ambiẽs ipse cõgenitus corpori siue affectionibus,siue cõstitutionibus vna naturali, altera quę pręter naturam sit, quę sanè morbus est.*li.9.meth.med.*Hinc cõstare arbitror,tria pręcipua genera,scilicet ab affectu,à corporis natura,seu temperamento, & ab ambiente,hoc est à rebus præter naturam , à rebus naturalibus & non naturalibus, de curando indicationes sumi.

Curationem dupliciter dici. Maximè quidem propria in soluendo morbo intelligitur curatio,sed per abusionem etiam mistum genus, tum ex vera curatione, tum pręuisione. *li.11.meth.meden.*

in omni Curatione agendorum indicationes, in his ad summum tribus consistunt,nempe indicationibus,quę ab affectu,à corporis natura,& ambiente.*li.9.meth.meden.*

Curationem primam ipsius affectus esse, qui actioni accommodet.*li.2.meth.med.*

Curationem propriam cuiusque hominis esse,& ægri naturam considerandam.*libro 3.meth.meden.*

Curatur quidem non homo communis,& generalis,sed nostrûm quisque alius videlicet aliud temperamentum, naturámque obtinens. *li.3.meth.med.& li.1.de arte curandi ad Glau.*

Curationis indicationem ab ipso affectu initium habere.*li.4.meth.med.*

Curationis indicationem sumi ab externa causa,est absurdum.*Ibidem.*

Cura-

Curationis indicatio, à tempore non sumitur. *ibidem.*

Curationis ordo semper obseruandus. Colligitur lib. 11. meth. meden. vbi de liene ex professo tractat.

Curandi rationes simplices quatuor, & totidem compositæ, in excessibus calidi, frigidi, humidi, & sicci. *li. 2. meth. med.*

Curationis indicationum omnium, quæ ex ipso qui curatur morbo accipitur, contrarietatem præscripsit, *li. 11. meth. med. & in arte medicinali, cap. 89.*

Curaturus affectum, æstimare debet, an causa effectrix iam desierit, an adhuc maneat. *lib. 4. meth. meden.*

Vnum commune præceptum obseruabimus, vt vnamquamque prius, quæ efficit causam, rescindamus, deinde ad illam, quæ ab eadem causa facta est, ægritudinem accedamus, causarum salubrium inuentionem faciemus. *In arte medicinali cap. 89.*

Curatio earum, quæ intemperaturam efficiunt causarũ, per euacuationem fit, nam ipsæ intemperaturæ sola alteratione sanantur. *In arte medic. cap. 89.*

Curatio continuitatis solutionis, intentionem quidem habet vnionem, quæ in partibus quidẽ instrumentariis impossibilis est: in similaribus verò, nõ semper possibilis. At quãdoque sicuti in carnosis, sanitas conglutinatione perficitur. *in arte medic. cap. 90.*

Multa rursus de curatione in com. aph. & Epidem. & lib. ad Glauc. & lib. de composit. med. secundum locos, & secundum genera habentur.

De victus ratione, in morbis seruanda.

CAP. XII.

De victu eo, qui sanis debetur, cùm capite proprio suprà à nobis abundè dictum sit, nec minus ægris, quàm sanis congrua victus ratio necessaria videatur, vt sine qua curari nequicquam vllius generis morbi queant, exposcere tractationis susceptæ ordo videtur, vt de victu ægris seruando hoc capite agamus. Quid itaque victus nomine intelligendum sit, primum omnium proferemus; dein quanti proba victus ratio æstimanda in morbis sit, quantíque momenti habenda.

Ad quid respicientes, victum in morbis instituamus, & id quoque explicabimus: mox verò qualis in acutis victus obseruandus sit morbis, qualis in diuturnis, & id quoque docebimus, indicantes quis tenuis victus, quis extremè tenuis, quis conseruans, quis plenus dici debeat, & cur vigente morbo tenuissimus sit instituendus victus. Sic enim absolutam videbimur de victus ratione in morbis seruanda, methodum tradidisse. Ergo victus nomine Galenus de priscorum sententia, non solùm esculenta, poculentáque, verùm etiam reliqua omnia, quæ necessariò nobis occurrunt, & sine quorum ope degere non possumus, intellexisse conceptis verbis est visus. Commentario nanque secundo in librum de natura humana Hippocratis, seriem illam exponens, Morbi alij quidem à victus ratione, alij ab spiritu, quem attrahimus, gignuntur, sic de victus nomine asserit, Διαιτήματα καλοῦσιν ἐνίοτε μὲν, αὐτὰ μόνα τὰ σιτία, καὶ τὰ ποτά· πολλάκις δὲ περιλαμβάνουσιν ἐν τῇ προσηγορίᾳ καὶ τὰ ἐπιτηδεύματα, καὶ νῦν οὕτως εἰρῆσθαι νομιστέον. οὐ γὰρ ἀπὸ μόνων, ὧν ἐσθίομέν τε καὶ πίνομεν, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ λουτρῶν, καὶ γυμνασίων, ἀργίας τε καὶ ἀγρυπνίας, καὶ λύπης, καὶ θυμοῦ, καὶ ψύξεος, καὶ ἐγκαύσεος αἱ νόσοι γίγνονται. πολλάκις δ' ἀπὸ τοῦ πνεύματος μόνου κατὰ τὴν εἰσπνοὴν ἡ βλάβη γίγνεται, καθάπερ ἐν χαρωνείοις ὀνομαζομένοις χωρίοις. Quod est, *victus rationem vocant, nunc quidem ipsa esculenta, & poculenta, sæpe etiam eo nomine vitæ conditionem complectuntur, quemadmodum nunc dictum, accipere oportet. Neque enim cibi modò & potiones, sed & balnea & exercitationes, ocia, vigiliæ & tristitia, & ira, frigus, æstúsque, pariunt morbos: frequenter verò spiritus, quem attrahimus, noxam adfert, vt in locis quæ charoneæ dicuntur*. Ex hoc sanè Gal. loco videre est, victus seu diætæ nomine duo intelligi vel solùm cibũ atq; potum (quæ præcipua est diætæ significatio) modò verò non hæc solùm, sed aërem, motum, quietem, vigilias, & vt in summa dicatur, ea omnia sine quibus vitã ducere minimè possumus, quæ medici, res non naturales vocare solent. Nos hoc capite, dũ congruam ægris præscribimus victus rationem, in pri-

Quid victus nomine intelligendum.

primo significato victus nomen accipi præcipuè volumus, vt scilicet cibi,& potionis modum,tempus,mensurámque significet,qua nobis sit in in ægris victu curandis vtendum. Quanti verò congrua vitæ in morbis ratio facienda sit :quantique momenti habenda, bellè nos Galenus lib.2.de febrium differentiis,capite vltimo docuit,inquiens: *Quemadmodum in sanis prauus victus ægrotandi adfert occasionem,eodem etiam modo multò magis in laborantibus,ex erroribus in victu admissis,grauiores fieri accessiones.* Quamobrem non solùm cùm homines ægrotant,sed cùm à morbo reficiuntur (vt idem eodem loco testatur Galenus,quacunque ex causa , in victu si errauerint, offendi promptissimè consueuerunt. A quo sanè offensionis genere vel circuitus anticipare , aut alios diuersæ naturæ à prioribus suboriri , aut accessionum ordinem,omnino peruerti est prorsus necesse. Et si morbus acutus,grauis,periculosúsque fuerit,si intempestiue cibum exhibeas,mortem profectò adferes. Ob id rectè Hippocrates dicebat, *Non pura corpora,quanto plus nutries,magis lædes. Et in lateris morbo,vbi dolor continuus est*(inquit) *atque calidis fomentis non leuatur,neque procedit sputum, sed lentum,& incoctum est,si tum neque alui dejectione,neque sanguinis missione(si horum auxiliorum alterutrum conferre videatur)dolorem solueris,sed ptisanam sic affectis exhibueris,nihil obstabit quominus præcipiti morte rapiãtur.* Si itaque incongrua victus ratio morbos grauiores(vt vult Galen.proximè citato loco)reddere solet , eadémque etiam ægros in mortis discrimen adducere(vt Hippocrates nos docuit)an nõ magna cura,atque prouidentia curare id frugi medicus debet,vt morbo,naturæ ægrotantis,tempori,atque ætati,quàm conuenientissimam victus rationem præscribat?omniáque in tempore faciat,vt ea instituta viuendi ratione,curari morbus haud magno negotio possit. Ego quidem tanti optimam diætam in morbis facio,vt citra aliud præsidium curari sola victus ratione plerique etiam è grauissimis soleant. Si nanque sola victus ratione curare possimus,prospera euentura sperare oportet,vt & Rasius,& Damascenus conceptis verbis docuerunt. Magnum profectò in morbis auxilium est , cibus in tẽpore exhibitus , vt qui naturæ maximè familiaris sit,neque illi negotium faciat,perinde atque medicamenta solent,quę non alia ratione operantur , vt diuus Mesueus testatur , nisi quia naturæ vim inferunt. Ob id certè tũ Galenus tũ Rasius,

Rasius lib. 6.aph.102 & Dama. lib.1.aph. 103.

atque Mesueus, naturæ familiaria, semper in morbis exhibenda esse, ne naturæ vis inferatur, pro constanti asseruerunt. Pugnandum itaque potius in morbis cauta victus ratione, quàm medicamenorum copia, id Celsus definiuisse est visus, inquiẽs: Initia morborum famem, ac sitim desiderant. Non vlla profectò res magis adiuuat laborantem, quàm tempestiua abstinentia. Ægro enim vehementer nocet, vt idem Celsus tradit, quoties in eius quod assumitur, vel tempore, vel modo, vel genere peccatur. Quanti optima victus ratio in morbis sit facienda diximus. Nunc ad quid respicientes, victum curandorum morborum gratia instituamus (quod tertio loco dicturos nos proposuimus) dicendum est, si prius de vtilitate, & commodis optimè constitutæ diætæ, quæ ab Hipp. breui serie dicta sunt, in medium attulerimus. Locus est lib. 1. de ratione victus acutorum, in hunc modum:

gal. 4. mẽs med. Rasius li. 6. aph. 44 45. 64. 72 Mesueus in cau. vniuers. ca. 1. ex Sil. Celsus lib. c. 16.

φημὶ δὲ πάγκαλον εἶναι τοῦτο τὸ σκέμμα, καὶ ἠδελφισμένον τοῖσι πλείστοισι τῶν ἐν τῇ τέχνῃ, καὶ ἐπικαιροτάτοισι. καὶ γὰρ τοῖσι νοσέουσι πᾶσιν ἐς ὑγιείην μέγα τι δύναται καὶ τοῖσιν ὑγιαίνουσιν ἐς ἀσφαλείην. καὶ τοῖσιν ἀσκέουσιν ἐς εὐεξίην, καὶ ὅτι ἕκαστος ἐθέλει. Dico (inquit) *speculationem hanc esse, & pulcherrimam, & germanitate quadã plurimis, eisdémque per quam vtilibus in arte rebus coniunctã: vtpote qui ægris omnibus, ad sanitatem magnum quippiam potest, sanísque ad securitatem, seséque exercitantibus ad bonum habitum atque ad quodquilibet voluerit.* Contemplationem de victu instituendo, hoc loco Hippocrates valde mehercule commendare videtur, vt quæ ægris ad sanitatem plurimum posse, & sanis ad securitatem, & sese exercitantibus ad bonum habitũ comparandum præstare confirmet. Nam etsi Galenus in eius partis commentario non de victus ratione, quæ morbis debetur, id ab Hippocrate dictum velit, sed de tota arte, mihi tamen propius Hippocratis mentem intuenti sententia hęc non de tota arte, sed de ea tantum artis parte, quæ victum instituere docet prolata esse videtur: siquidem cùm eo in opere in quo de victu acutorum tractatur, sententia hæc sit expressa, ad medicos conuellendos eos, qui in victu instituendo plurimum euariant, aliis solo ptisanæ succo vtendum censentibus, aliis tota ptisana, aliis melicrato solo in acutis morbis: vt ob horum dissidium, ars tota vaticinationi similis effe-

cta

cta esse videretur, ostendere volens. Hipp. partem hanc medicinæ quæ congruum docet morbis instituere victum, magni esse momenti, indicauit ad quę vtilis esset, nempe ad ægris sanitatem comparandam, sanis securitatem & sese exercentibus bonum habitum: atque ob id pulcherrimam, atque congruentissimam, plurimis in arte rebus, contemplationem huiusmodi esse. Quorsum enim attinet (quod tamen vult Galenus) de vniuersa arte id dictum existimare? Non enim tota ars sese exercentibus bonum habitum parat, sed ea tantùm quæ de cibis, & gymnasiis est, nec item tota ars ægris sanitatem præstat, sed ea quæ curationes docet, quam θεραπευτικὴν vocant: nec item sanis firmitatem tota ars, sed ea artis pars, quæ de salubribus est, seu de sanitate tuēda, cùm tamen hæc simul omnia præstet victus instituendi tractatio. Ægris nanque sanitatem confert, sanis firmitatem, sese exercentibus bonum habitum, vt expressis verbis Hipp. præfata sententia demonstrauit. Quæ profectò (si quid tamen iudicij in me est) de ea artis parte, quæ victum instituere docet, non de tota arte prolata esse videtur. Id enim & tota eius loci series, & suscepta ab eo tractationis de victu acutorũ ratio, plena fide cōfirmare videntur. Quæ non ego conuellendi Gal. causa, sed mei iudicij proferendi in medium, optimi, ac doctissimi cuiusque censura examinanda protuli: vt in hac re animaduersionem fecisse me doctis ostenderem, nec cęcis oculis, Andabatarum more præteriisse me planum facerem. Sed iam ad institutum reuersi ad quid intenti, victum, congruum instituamus explicare satagemus. Ad virtutem ægri, morbique statum respicientes, omnem victus rationem dirigere Medicum oportet, vt Gal. lib. aph. 1. com. 8. monstrauit. Hi nanque duo scopi instituendi victus sunt, virium consideratio, ne labantur nimiũ tenui victu, & summus morbi vigor, proximus ne sit an longiore mora post futurus. Vbi nanque morbus peracutus est, statim extremos habet labores & extremè tenuissimo victu vtęndum est, præsertim quando morbus in suo vigore constiterit. Tunc enim Phlegmasiæ maximè vigent, hoc est, magnæ febrium incensiones, tum etiam natura, morbi coctioni tota intenta, & morbi vehementissimis casibus fatigata labascit: quæ & ipsa sinenda id temporis est, muneri suo vacare, hoc est, coctioni morbi inte-

Ad quid intenti victũ in morbis instituimus.

dere,neque distrahere ipsam ad cibos recenter assumptos cõficiendos. Hac quidem ratione,vigente morbo,tenuissimo victu vti oportet,sed ita tamen,vt virium summa semper ratio habeatur. Omnium nanque indicationum prima, atque potissima est,quę de viribus sumitur, vt 9.methodi voluit Galenus. Quamobrem cùm illarum gratia nutriamus,ne exoluantur nimium tenui victu,magna cautione curandum nobis erit.In tenui nanque victu ægri delinquunt. Quicunque autem error committitur magnus,maior in hoc fit, autore Hippocrate,quàm in paulò pleniori victu:ob id tenuis victus, atque admodum exquisitus,eo qui sit paulò plenior, magis periculosus.Est etiam victus tenuis in extremo,qui per solam inediam,vel melicratum ad iudicationis vsque tempus procedit. Tenuis verò qui per pauca alimenta ,aut parum nutrientia,quale est ptisanæ succus,perficitur.Eius terminus, & quasi meta virium est exolutio ,quarum gratia alimenta damus.In sanis quidem corporibus robur naturæ seruare semper vel etiam augere alimentis,non demoliri expedit. In ęgrotantibus autem raro accidit,vt robur corporis maius reddere,quã acceperimus studeamus.In longis quidem morbis, magna ex parte vires fouere paulò pleniore victu properamus:in acutis verò quorum graues sunt,casus & periculi plena omnia ,sat quidem fuerit parum debilitatas, tenui victu conseruare.Si nanque vires quales incipientibus acutis morbis acceperimus,seruare,vel etiam augere, pleniore cibo nitamur,semper addemus ad morbum,natura vtique à concoctione noxiorum distracta,& nouo cibo grauata. Non pura enim corpora quanto plus nutries,tanto magis lædes,si quæ Hip.fides habenda Corrumpitur nanque adueniens alimentum corpori malos humores habenti,vt in eius aphorismi cõmentario affirmat Galenus. Ea profectò est causa,cur in acutis morbis tenui victu vtendum censuerit Hippoc. Qui verò acuti sunt,in quibus tenuissimo sit victu vtendum , expressit Hipp.lib.1.de vict.rat.in acut.Hi(inquit)acuti morbi sunt,quos prisci nominatim perstrinxerunt, pleuritis , peripneumonia,phrenitis,lethargus,causus,& quicunque alij hos consequuntur morbi,quorum febres continuæ interficiunt. Et Gal.quodam loco,ita de acutis,peracutis, & longis disseruit.Morbi(inquit)lateralis & qui peripneumonia, & phrenitis à Grecis nominatur, morbi acuti sunt. Angina autem, iuxta

lib.2.aph. 10.

textu 8.

iuxtangina,& cholera,& distensio neruorum,peracuti: Aqua inter cutem, atra bilis,& suppuratio,& tabes,diuturni. Itaq; in peracutis morbis, in quibus summus vigor,& iudicatio intra quatuor primos dies futura est, modo validæ ægrotantis vires sint,integram inediam imperare debemus,si antiquorum pręceptis insistamus. In quibus verò ad primam septimanam iudicatio protrahitur,forti existente natura, solo melicrato vtendum. Hunc enim victum veteres tenuissimum autore Gal. non tamen in extremo vocabant. Quòd si vires non satis robustę essent, ptisanę succo vtendum veteres censuerunt, quem victum illi tenuem vocabant vti plenum,qui per oua,alicam, & pisces, atque talia huiusmodi fit. Tria nanque in vniuersum statuit Gal. alimentorum genera,plenum,conseruans,& tenue. Plenum quod vocatur,augere vires potens est: conseruans, etsi non augere,ne decidant tamen,prohibere,tenue autem minuendi vires facultatem habet. Plenum vocabimus, carnes,oua, pisces & frumentacea fercula,si tota ingerantur, vinum generosum & potens:vt in summa dicatur, quę plurimum alunt,& sanis conueniunt,pleni alimenti nomen merentur, Conseruans pleno tenuius est,neque ita vires fouère, atquę augere potens,vt si ex cibis probè alentibus,quis modicè sumat,conseruans alimentum id dici poterit,si non ad virium incrementum, sed ad tutelam tantùm ingerantur. Tenue verò id erit,quod vires suapte natura conuellere, minueréq; poterit,vt ptisanę succus,melicratum, leue pulli iusculum, quod ego non paulò plus ptisanę succo alere,iurè existimo, etsi aqua carnis dici mereatur. Istęc enim omnia,cùm modicè alant,vires quidem attenuare,atque minuere, non quidem morbi comparatione,sed earum virium, quę in tempore sanitatis aderant,possunt. Non enim eę tantummodo vocandæ diætę tenues sunt,quę ad extremum tenuitatis accedunt,sed omnes,per quas virium quædam exolutio innascitur, vt Galenus com. 4. libri primi aphor. conceptis verbis planè affirmat. At non ita tamen ex tenuibus diætis vires minui intelligendum, quin ad consistendi vsque vigorem perdurare possint, sed ita exolui,vt infirmiores tali victu reddantur, quam essent secundæ valetudinis tempore, in quo pleno victu,& alimento vtebatur homo. Vt igitur

in acutis probè victum instituas, coniicere signis oportet statim ab initio, quando morbi vigor futurus sit, & quantæ laborantis vires existant. Si nanque vigoris tempori etiam, sine alimenti exhibitione sufficere queat æger, optimum profecto fuerit donec morbus inclinet, à cibo omnino abstinere, vt Galenus libro de totius morbi temporibus asserit. Cùm verò plerunque sufficere ægri nequeant, tenui tum alimento alendi certè sunt: vt sufficere vires ad consistendi vsque tempus valeant. Cibabant itaque veteres, ptisanæ succo, vel melicrato, vt antè dictum. Nostra ab his cibandi ratio longè diuersissima est. Non enim ptisanæ succo, aut melicrato, sed iusculis, vel pane loto, ex iure pulli excepto, vel vt Itali faciunt, intrito pane, ex aqua modicoque oleo, & zaccaro madefacto, vel holusculis, hoc est, lactuca, intybo latiore, oxalide, borragine, cibare ęgros in acutis solemus, nec omnino perperam. Nam tenuem hæc alimoniam præbent, nec naturæ negotium faciunt, & eo victu perstare vires ad statum vsque cõgruè possunt. Monstruosæ autem victus rationes, quib. Galli in morbis etiam acutis vtuntur, carnes, iuscula, vinum & variũ ciborum apparatum, ad excitandam appetentiam, præsertim in proceribus aulicis offerentes, ab omni recta methodo explodendæ sunt: vt quæ & naturam à morbi concoctione auertant, & decretoria, vel omninò perturbent, vel certè plurimùm immutent. Quamobrem mirari non est, cur plerunque morbi grauiores reddantur, & in vitæ discrimen plerique ægrorum tali victu agantur. Hoc Petronæ medico, vitio dat Gal. qui monstrosas victus rationes in acutis præscribebat, carnes, vinúmque nigrum. Sed quod à recta victus ratione hoc ætatis aberratum sit, non tam certè in medicos, quàm in ægrorum mollitiem, & deprauatum viuendi morem, summámque ingluuiem culpa referenda est. Si quidem hoc æui saburrare ventrem assueti in secunda valetudine homines, dũ nimia plenitate, & corruptela humorum in acutos morbos incidunt, abstinere planè non possunt: multæ scilicet comessationi, potionique consuefacti: vt Auicenna kapite de cibatione febricitantium in genere, belle expressit. Queritur Paulus, iam suo tempore mutatum fuisse viuendi morem, ab eo quo Hippocratis, & Galeni tempore homines vterentur; quod & plurimum exerceri, & frugalissimè

Cibandi veterum modus & nostra hoc tempore cibandi ratio.

li. 1. de rat. vict. acut. com. 13. & 17.

Fē. 1. quarti canſ. tra 2. c. 8.

mè victitare tum homines solerent: contra verò suo tempore, exerceri parum, plurimum verò esse. Ex quo peruerso viuendi more factum Paulus arbitrabatur, vt plurimæ essent notæ, & spuriæ tertianæ, collectis scilicet, atque confusis pituita plurima, atque bile, quæ rarissimæ Hippocratis ætate esse solebant, ob exactam tum viuendi rationem, ab hominibus obseruatam. Quid mirum igitur, si nunc quoque, tam in diuersum mutato viuendi more, ocio, crapulę, & intemperantię deditis hominibus, congruus & parcus præscribi à medicis in acutis morbis, victus minimè possit? Eum porro si præscribere doctus, & prudens tentet medicus, iugulari ægrum dicent idiotæ, nec eger ipse dicto audiens fuerit, talia consulente medico. Mox enim vel linqui animo, & deficere viribus ægri solent, si paulò tenuior victus præscriptus fuerit: vel certò talem victum vix biduum tolerare queunt, adeò fracta, imbecilla, mollis, eneruataque est hodie hominum natura. Adde, quòd cùm sit consuetudini in victu instituendo plurimum tribuendum, vel Hipp. & Gal. testimonio: vt quæ adscititia quædam natura sit, efficitur, vt huic non minimum insistere in victus præscribenda ratione debeamus, neque temerè consuetudinem etiam malam, in diuersum repentè mutare: dicente nimirum Hipp. vitiosam victus rationem, quę nunquam variet, longe tutius esse obseruare, quàm subito vel ad meliorem transire. Quamobrem cùm plenissimo victu, pauco autem exercitio vti hoc ęui homines solcant per secundam valetudinem, commode certè fieri non potest, vt derepètè in exquisitè tenuem victum (qualem in acutis obseruandum Hipp. pręcipit solo ptisanę succo, aut melicrato constantem transeant) eúmque tolerare possint. Ea porrò causa est, cur nunc eum victum non præscribant medici, nec id facientes errare, aut ab Hippocratis & Galeni pręceptis deuiare, credendi sint. Nam pręterquam quòd ptisanę vsus hoc tempore exoleuit, nostręque ætatis hominibus est insueta, insuauis etiam, & gustui ingrata est habenda, si ad eũ modum paretur, quo olim parari moris erat: etsi de eo apparatu nihil quicquam, vel ab Hippocrate, vel Galeno sit proditum. Galenus nanque Hippocratè alicubi arguit, quòd aquæ ordei conficiendę modum non docuerit: at in eo ipso est etiam reprehendendus Galenus, quòd id docere non sit aggressus. Nullibi enim (quòd sciam) modum parandi pti-

li. bi. aph. 17.

libr. 2. de rat. vic. acut. tex. 28

ſanæ ſuccum, aut aquam ex hordeo conficiendi docuit: ne in illo quidem libro, qui ab eo de ea re hoc eſt, de ptiſana conſcriptus eſt. Itaque cum inſuetus ſit tempore ptiſanę vſus, iſque cibus ęgrotantibus inſuauis, neque parari commodè à coquis ob inſcitiam valeat, neque hordeum ei vſui aptum habeamus, nimirum ſi aut nunquam, aut raro à medicis in acutis morbis pręſcribatur. Nam pulmentum id, quod vulgus hordeaceũ vocat, quod ex feruefacto aqua hordeo, & ad diſſolutionem vſque incocto, & ſetaceo cribro, vel ex iure capi, vel amigdalino lacte tranſmiſſo paratur, alius longe cibus eſt, quàm ptiſanę cremor, ſuccúſve qui dici Hippocrati, Galenóque conſueuit. Hi nanque pro ptiſanæ ſucco, nihil aliud intelligere potuerunt, quàm expreſſum per ſolam in aqua cocturam hordei liquorem, qui planè & inſuauis, & nauſeabundus, & glutinoſus cibus ad guſtum, re vera apparet, vt eius rei fidiſſimus ipſę teſtis eſſe poſſum, qui eius rei experiundę gratia parari mihi ad eum modum iuſſi, vt qualis cibus eſſet, qui tantopore eſſet à veteribus commendatus ſcire poſſem, tantum mihi profectò, & nauſeę, & euerſionis ventriculi attulit, vt medicamentis mihi ad firmandum ventriculum opus fuerit. Sed vide digreſſus ſum, reuertor. Dico non deeſſe congruum, noſtra hac tempeſtate cibandi ægros modum. Nam in acutis morbis, continua inquam febre, pleuritide, phrenitide angina, peripneumonia, & ſimilibus loco ptiſanæ ſucci, vel leue pullorum gallinaceorum iuſculum, oxalide, lactuca, intybo latiore, borragine, blito etiam, ac ſpinaciis vocatis (quæ ego bliti ſpeciem eſſe, vnà cum Manardo non dubito) in iuſculum ad alterationem, & refrigerationem immiſſis, vel etiam pane loto, & ex aqua ſimplici, & modico zaccharo excepto, vel in leui iure pulli, ſi ampliore alimonia opus ſit, diſſoluto vtendum commodè cenſeo. Panem nanque lotum, valdè Galen. probat. Victum enim continuis febribus inſtituens, lib. 1. ad Glauconem, ait, & ſuccum ptiſanæ, his quibus non aceſcit, & panem ex aqua dari debere, quod & Oribaſius ad Iulianum de febricitantium cibis ſcribens præcipit, admixto quidem ſeminis melonum ſucco. Nec mirum cuiquam videri debet, quòd in cibis acutè febricitantium ſpinacea à noſtris vocata repoſuerim: id enim Auicennæ autoritate motus feci, qui in capite de cibatione

Victus acutorũ morborum noſtra ætate.

lib. 1. artis cur. ad Glau. c. de cura cont. quæ accidentib. carent.

in ſpin aciés.

tione febricitantium,olera febrientibus conuenientia describens,horum conceptis verbis meminit,inquiens: Et tenue in extremo cibationis regimen est prohibitio cibi,& crassum valde est administratio ciborum qui sanis debentur. Regimen verò quod veluti medium est,ad latus quidem tenuis inclinans est,vt sit contentus æger granatorum succo , & iulebo tenui,& post ipsum succus ptisanę subtilis , & post ipsum aqua hordei crassa. Et de holeribus frigidis,& humidis,sicut atriplices ,& spinacea,& bliti,& simisia. Hactenus Auicenna, qui inter olera spinacea vocata,ceu febrientibus salutaria , vt quæ & refrigerent , & humectent ,& aluum emolliant , (de blitorum genere existentia) exhibenda censet,contra vulgarium quorundam medicorum inscitiam ,qui spinacea,ceu acutum quid habentia(quod corũ semen acutum sit,spinosum,& vellicans:vnde spinacea dicta putanda sunt) damnant , nec ea febricitantibus conuenire , contra veri sententiam,arbitrantur. Atque in hoc Auicennæ textu animaduertendus est interpretis error , qui bis aquam ordei inseruit,cùm non aqua hordei , sed succus hordei,seu ptisanæ potius,legi debeat,vti ex Gal.text. tum 1. aph.com.4.tum 1.de rat.vic.acut & ex Hipp.(vnde hic Auicennæ locus desumptus esse videtur,probari apertissimè potest. Vtrobique enim ptisanæ cremor tum,non aqua legitur. Sed hoc frequens est Auicennæ interpreti,vt loco cremoris hordei,aquam scribat,vt suprà citato loco , sæpe pro aqua succum,sicuti vbi eam docet conficere duplici modo , & vbi non esse dandam aquam hordei iubet,quando aluus adstricta est. Hos Auicennæ locos restituere visum fuit , ne quod inepto interpreti iure adscribendum est,id erroris,autori optimo tribui possit. Sed iam quod reliquum est absoluamus. In morbis acutis,valentibus viribus tenuiter alere ægrum oportet,eo victus genere,qui à nobis anteà dictus est : qui & ipse à victu priscorum non abhorret , cùm Galenus in tertianæ cura,& atriplicem, & blitum , & maluam, & cucurbitam & lactucam , ex olerum genere præscribat,& ex alica sorbitiones , saxatiles item pisces, atque ex volatilibus quæ molli constant carne , quales cohortales pulli , iuuenculi , & capi annotini sunt. Quinetiam gallorum testes , & suillos pedes, & porcellorum liquatas carnes, atque oua dare , in ex-

quisita tertiana non veretur Gal. sed id tamen facit concocto iam morbo, & vbi propè est vt morbus soluatur, cùm iam cibi amplius est offerendum. Fructibus etiam non abstinendũ suadet, ad degustandum, vt intelligamus non perperam facere hoc ætatis medicos, qui acutè febrientibus, vel cotoneum malum, vel pirum, incoctis vtrisque, & sublato cortice zaccharo respersis, vel pertigonia vocata pruna delibrata, & zaccharo respersa, vel acidorum cerasorum tantillum degustãdum præbent. Hi enim fructus, & refrigeratione, humectationé que sua valdè febri conferunt, & facilè transmittuntur, nec difficulter coctionem in ventre subeunt: vt haud immeritò dixisse Celsus sit visus, in nullo quàm in his (de fructib. loquens) minus noxæ esse. Itaque non fructuum esum, sed consummationem omnium ciborum, vnà cum fructibus assumptorum nocere, cùm ita plerunque fructus tota die immodicè sumantur, ne quid ex densiore cibo remittatur. Sed si modicè sumantur ad alterationem, & gustatum, potiu quàm ad satietatem conferre eos, vel autore Galeno, dubiũ non est. Si verò morbus acutus fuerit, imbecilla facultas, tum paulò plenius cibandum, contuso inquam, ex caponum carnibus, & succo carnis, modicóque vino tenui, albo, paucifero. Magna nanque semper de virium custodia ratio habenda est quicunque tandem morbus fuerit, seu acutus, seu diuturnus. In longis verò morbis, paulò plenius reficere ęgros oportet: quantò scilicet morbus, acutis mollior fuerit. Potus autem in acutis aqua esse debet, eáque, vt Hip. & Gal. docent, elixa. Quòd si vino vtendum sit, tenue, a[illegible]ũm, lene, minimè potens, aut generosum eligatur. Nam & vino interdum, in acutis vtendum esse, nos Hipp. docuit, pręsertim si album sit vinum. Id enim, eodem autore, omni alio facilius ad vesicam transit, & vrinam ciet, magnúmque semper auxilium in his à morbis afferre (si vt oportet exhibeatur) solet. Quibus vino vti non licet, vel ob febris magnitudinem, vel quòd nondum coctus sit morbus, iis vel aquam elixam zaccharo, vel è violis aut adianto sirupum, iulebúmve ritè paratum, exhibere conuenit. Sint autem omnia, quę ęgris ad victum sumministrantur, munda, nitida, probè parata, exculta, & ęgro grata. Sic enim Hip. lib. 6. Epidemiorum, Galenúsque iubent. Sint etiam ministri ægro grati, assidui, prudẽtes, officiosi, mites: non morosi, asperi, desides, imprudentes: quique & gratificari ægro sine

lib. 1. ad Glauc. c. de cura tertianæ.

li. 6. Epi. par. 3. aphor. 10. lib. 3. de rat. vict. acut. tex. c. 1. vs 9. ad 10.

Part. 3. aph. 9.

ſine noxa poſſint,& vbi res poſcit, reluctari ægro ſciant, ſi quando noxia deſiderarit. Quæ extra ſunt, pro ratione morbi,& conſtitutionis aëris,ſic omnia temperentur,vt in ægri ſalutem omnia dirigantur. Sit aër ęſtate, & in morbis calidis nitidus,frigidus,purus,lucidus,odoratus virentibus herbis, odoratiſque floribus vernans, & multa ſparſa in ſolum aqua humectus. Hyeme,& morbis frigidis calidior ſit aër, cubileque multo igne ex odoratis lignis,vi e, quercu, abiete, libanotide,& ſimilibus accenſo,calidius, odoratiuſque reddatur: prçſertim ſi imbrifera,vdáque hyemis conditio fuerit. Mediis temporibus mediocria obſeruentur, in temperie omnia. Habeatur item in prçſcribendo victu,& ætatum, & regionũ, ac locorum,in quibus viuitur,ratio. Aliam namque pueri, aliam iuuenes,aliam ſenes viuendi regulam poſtulant. Aliam item Europæi,Aſiatici,Aphricani. Non enim tantam Europę incolę,atque Aſiatici,vel Celſo autore,ferre inediam poſſunt,nec tantam Germani,atque Itali, vel Hiſpani, quòd id cæli,& naturæ incolarum conditio non ferat. Id inſuper cauendum,ne in ſummo feruore febris, in acceſſionibúſve, ſed in remiſſionibus cibum præbeamus. In acceſſionibus nanque ſubtrahere cibum oportet,vt Hippoc. iubet, apponere enim noxium eſt. In ſumma rectè cibandi modum, victúſque rationem prçſcribas,& morbo,& virtuti,& vigori ſummo,& ætati,& cæli atque regionis conditioni, & demum conſuetudini intentum eſſe medicum oportet, quem ob id meritò, & prudentem,& exercitatum eſſe debere Galenus pronũtiauit.

De victus ratione, Hippocratis, & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

VICTVS afficit & alterat corpus. Colligitur ex ratiocinatione ab Hipp. facta, *lib. de veteri medicina.*

Eadem diæta vti non debent ægri, atque ſani. *lib. de vet. medicina.*

Victus modum, ex ſenſu corporis menſurari. *lib. de vet. medecina.*

Diæta ſanorum ægris nocentiſſima *eod. lib.*

De victu ægrotantium vario, ex ſorbitionibus conſtante, aut aliis cibis. *Vide. eod. li. de vet. med.*

Victus permutatio mala. *lib. de, vet. med.*

Ex victu ferino morbi nascebantur *li. de vet. medic.*

Huc pertinent quæcunque Hipp. de victus ratione in acutis seruanda, quatuor libris scripsit: quæ de ptisana, de consuetudine, vino, mulsa, oxymelite, & huiusmodi copiosissimè atque doctissimè scripsit, tum & quæ lib. 1. aphor. aph. 4.5.6.7.8.9.10.11.13.14.15.16.17.18.&19 habētur: quæ & ipsa locorum communium instar, erudito lectori esse poterūt. Quæ quoniam fusissima sunt, sat mihi locum citasse visum fuit, è quo ceu vberrimo fonte, assertiones, & locos de re proposita parare quisque sibi possit.

GALENI.

VICTVS non vna omnibus species in consuetudine est. *lib. 7. meth. med.*

Victus cuique corpori suus est perpetuò deligendus. *lib. de salubri. dieta. com. 7. eius lib.*

Victus ratio probatissimum sanguinem gignens, his scripta est, qui liberè, & quietè vitam traducere possunt. *lib. de boni & mali succi cibis.*

Victus recta ratio, animi mores probos reddit. *lib. de san. tuen. primo.*

Victus salubris ratio occasionem præcipitem in sanis nō habet, vt in morbis. *li. 5. de san. tu.*

Victus repentina in sanis mutatio, noxam adfert *lib. 2. de ratio. vic. acut. commen.* 22. & quam noxam, vide ibidem, longa serie.

Victus repentinam mutationem ad abstinentiam faciliùs ferunt, qui parte superiori pituitosi sunt: difficilius verò ferunt, qui parte superiore picrocholi existunt. *lib. 2. de rat. vic. acut. comm.* 29.30.

Victus generis vniuersi, in morbis instituēdi, scopus præcipuus Hip. propositus est, morbi coctio. *lib. 3. de rat. vict. acut. com.* 49.

Victus nobis ineunda ratio est, ad morbi vigorem respicientibus. *com. 3. ad lib. 1. de popu. morb. tex.* 11.

Intemperatas naturas contrario victu ei, quæ vicit intemperaturę cibabimus. *li. 8. meth. meden.* item & cùm malè se habent, contrario item victu vtendum est. *eod loco.*

Victus ratio in ęgrotantibus, ex indicationibus, quę tum à morbo, tum à consuetudine, ętate, natura, regione dumtur, constitui debet. *lib. 8. meth. meden.*

Victus

Victus attenuantis ratio adeò diuturnis morbis confert, vt sola ea fine vllo alio medicamento sublati sint. *lib. de attenuante victus ratione.*

Victus tenuis in extremo, tenuis, & plenus, item conseruans qualis sit. *lib. 1. aph. com. 4.*

Victus tenuis terminus, est virium exolutio, quarum gratia nutrimus. *lib. 1. aph. com. 4.*

In longis morbis fouere vires properamus, in acutis verò parum debilitatas conseruare. *Com. eod.*

In acutis morbis, si vires quales accepimus properemus seruare, vel etiam augere, semper addemus ad morbum. *com. eod.*

Quicunque error accidit ægrotantibus, qui tenui victu vtuntur, hic maximum adfert periculum, & quia natura à victu debilitatur, & quia ad eum transitus est insuetus. *lib. 1. aph. com. 5.*

Victum adhiberi tenuissimum extremis morbis oportet. *lib. 1. aph. com. 6.*

In morbis peracutis, extremè tenuiter victum adhibere conuenit, quoniam victus tenuissimus morbis iam consistentibus est necessarius. *lib. 1 aph. com. 7.*

Victu tenuissimo oportet vti, cùm morbus consistit: quod melius est naturam permittere vacare, circa morbi coctionem, morbo in suo vigore consistente, neque distrahere ipsam ad cibos recenter assumptos conficiendos, quod etiam tunc phlegmasiæ magnæ existunt. *lib. 1. aph. com. 7.*

Vbi morbus in suo vigore consistit victu tenuissimo vtendum est, tum propter casuum magnitudinem, tum propter morbi coctionē. Neque enim distrahere oportet naturam ad alteram nouam coctionem: cùm eo tempore vni humorum noxiorum coctioni fortiter vacet, & haud ita multò post ipsos sit euictura. *lib. 1. aph com. 8.*

in Victus ratione vna indicatio ex morbi temporibus sumitur, altera vero à viribus ægrotantis. *lib. 1. aph. com. 8.* Altera in victu instituendo intentio est, vis ipsa ęgrotantis, cuius gratia nutrimus: neque enim morbi causa nutrimus. *libro 1. aph. com. 9.*

Aliquando morbi in ipso vigore, vbi casus aliquis interuenerit, naturæ robur dissoluens, nutrire cogimur. Totius enim victus rationem in vnoquoque morbo à duabus

intentionibus iubet Hippocrates assumere, ex summo totius morbi vigore, & ex viribus ægrotantis. *libro.* 1. *aphorism. com.* 11.

Cibus dandus non est, cùm iam adsunt accessiones, neque cùm haud ita multo post affuturę sunt, sed cùm declinant, a ut cessant. *eod. lib. & com.*

Particulares ciborum oblationes, ex accessionibus coniecturari oportet, *lib.* 1. *aph. com.* 12.

Ad perfectam, & indeficientem victus rationem, tres sunt intentiones, prima quidem sumpta est ex viribus ægrotantis, secunda ex morbi constitutione, & tertia prȩter has ex particularibus accessionibus. *lib.* 1. *aph. com.* 12.

Totius victus figuram, ad duas respiciens intensiones faciebat Hipp. quarum altera erat vis ægrotantis, altera constitutio morbi. *lib.* 1. *aph. com.* 12.

Ad victus rationem, differentia etiam ætatum aliquid confert. *li.* 1. *aph com.* 13.

Senes facile ferunt inediam, pueri difficulter. Est autem facilitas in non appetendo, & nihil inde mali sustinendo difficultas ex contrariis oritur. *eod. lib. & com.*

Ad victus rationem inueniendam non parum tempora anni conducunt, *lib. aph. com.* 15.

Victus febricitãtibus qualis sit adhibendus, nempe humidus. *lib.* 1. *aph. com.* 16.

Victuum sanorum indicationes, in iis quidem quæ præter naturam sunt, contrarias: in iis autem quȩ sunt secundum naturam, similes facere oportet. *lib.* 1. *aph. com.* 16.

Non hoc solùm cognoscere sufficit, quòd huic plus, vel minus sit offerendum, vel quòd victu exsiccante, vel humectante vtendum sit: sed nunquid semel, aut sæpius qualibet nocte, vel die, cibum offerre oportet. *lib.* 1. *aph. com.* 17.

Ab ægritudine, viribus, anni tempore & ætate nutriendi sumuntur indicationes. *eod. lib. & com.*

Si vires laborantis debiles fuerint, & ea quæ in corpore est disipositio, sit ex corruptione humorum, vel defectu, parum alimenti, & sæpius talibus offeremus. *eod. com.*

Vide eod. com. 17. quando rarò, & pauca dandum: & quando multum, & sæpe, item quando raro & plura, & quando pauca, & ex longo temporis interuallo.

His qui per circuitus accessiones habent, nihil dare oportet.

oportet.*lib.1.aph.comm19.*

In quibus accessiones per circuitus non fiunt,hoc est non ordinatim, in his ratio exquisita inueniendi temporis, quò cibus offeratur, haberi nequit. In quibus verò accessionum ordo seruatur, principia earum oportet obseruare, hoc est, ne eis iam factis, vel non multo post futuris, nutriamus.*lib. 1.aph.com.19*

Tria sunt capita, quibus victus ratio comprehenditur, & quod attinet ad quantitatem, & quod ad qualitem, & tertium quod ad vsus modum.*lib.1.aph.com.19.*

Victus Alexandrinorum qualis.*lib.2.aph com.2.*

Victus genera similia,similes faciunt morbos, dissimilia & contraria naturis dissoluunt, prȩterquam in naturis temperatis, quȩ à similibus iuuantur. *li.2.aph.com.5.*

Ob errata, quæ in victu contingunt morbi fiunt.*lib.3. aph.com.19.*

Ex victu anteacto humorem superabundantem cognosci.*lib.4.aph.com.2.*

Victus antecedens euacuationibus moliendis noxij humoris confert.*ibid.*

Victus exsiccans morbum comitialem sanat. *lib. 5. aph. com.7.*

Victus parcior in prægnante abortum facit. *lib.5. aph. com.45.*

Exquisita victus ratio in prægantibus seruari non potest. *lib.5.aph.com.55.*

Ad hanc partem de victus ratione in morbis seruanda, adferri iure debent, quæcunque Galenus in comment.suis ad quatuor Hippocratis libros, de ratione victus in morbis acutis, non minùs doctè quàm copiosè scripsit. Ea enim omnia, quæ de vsu ptisanæ, vini, mulsæ, oximelitis, quæ etiam de consuetudine, tempore, & cibandi modo prodidit, locorum communium instar haberi debent. Quȩ quoniam & amplissima sunt, & longa nimis serie descripta, citasse ea, non huc transtulisse commodius visum est. Non enim vniuersos libros Hippocratis, aut Galeni describere (quod operosȩ & inanis diligentiȩ, ne dicam stupiditatis esset) sed ex illis communes locos ad res de quibus tractatur, pertinentes excerpere in animum toto hoc operȩ induximus, vt & publicos professores hoc inquirendi

labore commodùm leuaremus, & medicinæ candidatis hac quasi locorum medicinæ communium sylua, compendiosam ad medicinam breui temporis curriculo perdiscendam, viam aperiremus. Vbi enim de singulis rebus quicquid Hippocrates, Galenúsque diffuse tractarunt, compendiosa ratio traditur, profectus ingens studiosis inde paratur. Quæ nobis semper ratio proposita fuit.

De ea medicinæ parte, quam Pharmaceuticen vocant, déque euacuatione, & purgatione, instrumentis ad curationem morborum vtplurimum necessariis.

CAP. XVI.

DE ea Therapeutices parte, quæ victu medetur, quam διαιτητικὴν Græci vocant, superiore capite egimus: de ea modò, quæ medicamẽtis curat, quã φαρμακευτικὴν dici volunt, agedum hoc capite videtur. Quæ profectò, vt non in omnibus morbis necessaria perpetuò est (si quidem citra pharmacorum vsum plerique morborum curari sola victus ratione possunt) sic certè in quibus necessaria ipsa est, præstantissimi vsus, summi profectus, atque momenti non minimi est habenda: vt cuius vnius ope medicamentorum apparatu, ac congruo vsu, ingentibus malis, doloribus, morte denique ipsa, non rarò ægri liberentur. Vnde meritò quæ id facere medicamenta compertum est, à priscis Θεῶν χεῖρες, id est, Deorum manus dicta sunt, quòd præsenti quasi numine quodam ipsa iuuandi celeritate & efficacia alleuare ægros ingentibus periculis videantur: vt de Philonis medicamẽto, & Isotheo vocato, multisque aliis medicamentis exploratum habetur. De hac igitur parte, quæ medicamentis, vti singularibus præsidiis nititur, breui compẽdio agemus, ostendentes quid medicamentum, & quotuplex sit: quomodo vim suam in corpore exerceat, atque operetur, qua ratione auxilium dicatur: tum de euacuatione, & purgatione, idoneis ad curationem instrumentis, agemus. Postremò de medicamentis in vniuersum, quę in hac medicinę tractantur parte, quo fine caput concludemus. Medicamentum igitur Gal. id omne dicitur, quod naturam alterare potest, vti quod substantiam nostram augere potest, nutrimentum.
Et

Et profectò ita res habet. Quæcũque enim suis qualitatibus corpora nostra afficere, alterare, immutaréque possunt, medicamentorum nomine insignienda veniunt. Ob id enim, quod neque augere nostri corporis substantiam possunt, neque omnino à facultate vinci, medicamenta rectè dici merẽtur. Quo in genere non solùm quæ alterationem quandam à corpore adepta, afficere ipsa possunt, sed & quæ nulla substantiæ suæ mutata parte, sed tota seruata integra, corpus afficiunt, medicamenta etiam dici merentur, vt Gal. lib. 3. de temp. conceptis verbis affirmat. Sed huius ordinis quæ sunt, deleteria, & totum corpus corrumpentia iurè dicuntur. Duplex autem in vniuersum Galen. medicamentorum genus est. Alterum simplex, alterum compositum. Simplex id dicitur, quod secundum naturam syncerum est, hoc est, nulla extraria mixtione concretum, sed ea sola, quam à natura adeptumest. Nec verò etsi omne simplex medicamentum, materia, & forma constet, qualitatibúsque elementaribus caliditate, frigiditate, humiditatéque, ac siccitate, ob id compositum dici meretur. Non hæc profectò compositio ea est, de qua in præsens nobis sermo est, quæ tota extrariis rebus, non ingenitis constat, ad syncera naturæ in simplicibus productio. Ita enim natura comparatum est, vt ex elementis omnia constent: nec ob id tamen composita dici, quæ hanc miscellam nacta sunt Ea enim sola composita dici merentur, quæ alienis immista, atque confusa, quam à natura synceritatem nacta sunt, amplius non obtinent. Ergo simplex id erit medicamentum, quod natiua synceritate pollet, nec alienæ substantiæ contagio polluitur: cuique nulla alia substantia medici opera accessit. Compositum verò id erit, cùm aliena quædam substantia, arte, & industria est admista: sic enim compositi nomen in præsens audire oportet: non prout quicquam vel ex elementis, vel materia, & forma constat. Sic enim nihil quicquã simplex inuenire liceat, cùm omnia autoribus Hippocrate, Aristotele, atque Galeno, ex elementis constent, sed ea naturæ mistio, quam rebus ipsis ea ipsa ingenerat, alienis substantiis, & extrariis minimè constat, sed internis, & ingenitis. Vnde etsi interdum simplex aliquod medicamentum, & pluribus, & inter se diuersis, atque contrariis viribus à natura constet (vt in aloe, rhabarbaro, alumine, chalchanto, chalcitide, rosa, agarico, absinthio, ac ple-

Lib. 1. de simpl. fac. cap. 1.

Hip. li. de nat. hum. Arist. lib. 1 phys. & li. 1. de gene. & cor. Gal. in cõ.

ad lib. de risque aliis est videre) nemo tamen composita hæc esse, sed *na.hu.lib.* simplicia, vnà cum Galeno, Dioscoride, Paulo dixerit. Isthæc *1. de Ele.* enim omnia, quæ non aliam, quàm quæ à natura mistionem *& lib.1. de* nacta sunt, obtinent, simplicia vocare medici consueuerunt: *temper.* quod ea mistio non arte, sed natura, non extrariis, & aliundè adiectis substantiis, sed ingenitis, & internis, & à natura productis fiat. Nec solum hæc vocare medici simplicia consueuere, sed & quædam etiam verè composita, si modo eiusmodi sint, quæ paucioribus simplicibus, quàm alia eiusdem generis composita constent. *Lib.4. de san. tu.* Hac ratione diatrion pipereon quoddam simplex Galeno dicitur, quamuis constet trium piperum anadrachmis quinquaginta, & anisi thymi anadrachmis octo. Minus idem fuerit simplex, si zingiberis etiam drachmas octo recipiat. Compositius quoque fuerit, si horũ trium duplum pondus, compositionem ingrediatur. Quod autem diatrion pipereon compositum dicitur, præter hæc omnia recipit ami, seseli, Libysticum, enulam, spicam nardi, casiam, & alia id genus, quæ ipsum valdè medicamentosum, & compositum maximè faciant. Sic Actuario, Mesueo, Nicolao, oxymeli simplex quoddam, aliud compositum dicitur: sic & oxosacchar simplex, & compositum (oxysaccharum Practici vocant) multaque eiusdem generis simplicia medici vocare in vsu habent, quæ reuera composita sunt, & ex diuersis substantiis, arte paratis, atque confusis concreta. Quomodo (opinor) vena, arteria, musculus, Galeno partes vocantur simplices, & primæ, cùm reuera sint compositæ, vena, & arteria ex fibris & membranis: musculus ex carne simplici, fibris neruorum, & ligamentorum, venis, arteriis, tunica, vt libris de inæquali intemperie, de motu musculorum, & in anatomicis passim Galenus. Sed ex paucissimis composita quæ sunt & simplicia videri, & appellari etiam simplicia à medicis solent. Ea igitur propriè simplicia medicamenta dici debent, quibus mistio nulla artificiosa à nobis accessit, etiamsi sint ex substantiis natura diuersis composita. Quæ verò minus à nobis cõposita sunt, catachresticos etiam simplicia vocamus. Cõposita auté medicaméta nobis hoc loco vocantur, quę minister naturæ medicus, ac imitator, ex variis simplicibus diuersa, aut eadem pollentibus virtute, commiscuit: non quidem tota per tota (id enim naturæ solius, ac DEI munus est) sed per partium minimarum viciniam, & contactum nonnunquam tam exa-

exactum, præsertim coctione longa, sed blanda & veluti totius fermentatione, vt à vera mistione parum absit. Est enim compositio hoc loco nihil certè aliud, quàm medicamentorum viribus diuersorum cum ratione à medico facta mistio. Quid medicamentum sit, ac quotuplex, diximus. Quomodo nunc vim suam exerat, & vt in corpore operetur, iam dicendum. Quod vt perspicuè doceri queat, sciendum prius illud est, medicamenta omnia siue qualitatibus suis corpus alterãtia, seu naturæ suæ proprietate humores purgantia, non actu sed potestate talia esse, vt 3. de temperamentis, primo item, atque secundo de simplicium facultatibus habetur. Potestate nanque tale dicitur, quod quale dicitur, nondum est, sed potest tale esse, vt cum euphorbium calidum cicutam frigidam dicimus, intelligere licet: non enim actu euphorbium calidũ est, nec calfaciendi præsertim vim habet, vt ignis, qui actu & calidus est, & calfaciendi præsentem potestatem, non aliũde quæsitam habet: nec cicuta, vt nix, aut glacies, frigida. Hæc enim frigida actu dicuntur. Itaque cùm sint medicamenta omnia potestate, ac vt in futuro talia, exercere vim suam in corporibus nequeunt, ni actu talia fiant, qualia potestate esse dicuntur, egentque principio aliquo aliunde petito, à quo in actum ipsa ducantur. Principium autem id, nostri corporis natiuus calor est, cuius ductu, & ope, medicaméta omnia vires suas in corporibus nostris exerunt, attenuatis quidem & comminutis quæ intrò sumuntur medicamentis, atque natiuo etiam calore nostro excalfactis, vnde est illud Galeni, nihil miri esse, si medicamenta primùm quidem in parua & tenuia frangi postulent, & secundo loco, vt tempore aliquo, tametsi minimo, corpori nostro, quo calida fiant, sint adiuncta. Et illud item, eorum quę in confesso est facultate esse calida, nullum omnino apparere, nos excalfacere priùs quàm in tenuia sit comminutum: miniméque mirandum esse, si quædam medicamenta, primæ quidem mutationis principium à nostro calore nacta, inde iam pergant eum qui mutabat superare. Quæ enim calida facultate medicamenta esse dicuntur, caloris sui principium à nobis accipientia, partim similiter nos recalfaciunt, partim etiam vehementius: idque iure sanè optimo, quòd innata corporibus nostris caliditas, intrò medicamenta ad sese attrahat, & comminuendo extenuet. At verò etsi medicamenta cuiusuis generis omnia, siue

Cap. 11. Cap. 22. Ex Gal. 3. de tẽp.

Libr. 3. de temper.

Gal. li. 1. de simpl. fac. c. 11. & lib. 2. cap. 22.

Libr. 2. de simpl. fac. cap. 22.

Libr.3.de simpl.fac. cap.17.

Medicamenta potestate talia vt in actum ducantur.

Libr.3.de simpl.fac. cap.17.et 20.

Libr.3 de simpl.fac. cap.20.

vbi suprà im mediatè.

calida, siue frigida sint, actionis suæ potentiam, atque principium à nobis accipiant, à calore vtique nostro attenuata, cōminuta, atque attracta (vt proximè citatis è Galeno locis ostendimus) aliter tamen calida, aliter frigida in actum, vi caloris nostri ducuntur. calida quidem non solum attenuationem, comminutionémque suscipientia, sed etiam nonnihil caloris. Impertitur enim aliquid sui natiuus noster calor calidis medicamentis, vt non solùm ea attenuet, & in minima frangat, verùm caloris aliquid adiungat, vnde & calidiora ipsa reddantur, vt lib.3.de temperamentis, & secundo de simplicium facultatibus, cap.22.conceptis verbis expressit Galenus: tum multo expressiùs lib.3.capite 19. cùm inquit: Medicamenta frigida quadantenus refrigerandi potentiam à nobis accipiunt, sicut excalfaciendi calida, tametsi alio modo illa, alio ista. Nam calida præter deductionem, & in minima diuisionem (vt ego quidem ex eiusdem Galeni sensis interpretor) calorem aliquantulum à calore nostro nanciscuntur: frigida non sic, vt quæ à calore nostro deductionem solā, & distributionem, atque in minima diuisionem, non autem refrigerandi principium accipiant. Id enim naturæ repugnare videtur, vt natiuus noster calor refrigerandi impertiatur potentiam, secus in medicamentis calidis, quæ pręter deductionem in corpus, iuuantur etiam ab innato calore in calfaciendo: refrigerandi autem potentiam, quam à nobis accipere medicamenta frigida, dixit Galenus, est ipsa vi natiui nostri caloris deductionem accipere, & in minima attritionem, distribuente scilicet medicamentū natiuo calore, non autem vllam ab eodem calore qualitatē, qua refrigerare ipsa possint. Generale (inquit Galenus) cōmunéque vtrisque est (hoc est calidis, & frigidis medicamētis) nempe alterationis principium, ex passuro corpore, in acturum medicamentum procedens. Nam quæ potestate quidem sunt calida (subdit) alterantur eò duntaxat, quòd incalescant à nobis: at quæ frigida natura, tum quod comminuantur, tum quod adscititium accipiant motum. Cùm itaque ipsis, tanquam frigidis agere absque corporis patientis auxilio non licet, iure potestate frigida dicuntur. Nam vt actu nos refrigerent, non prorsum ex sese obtinent. Verum à nobis prius perpetiantur, vt refrigerent, oportet. Etenim in minuta conteri, & aduentitium motum accipere, affe-

ctus

ctus sunt medicaminum. Hactenus Galenus. Ex quibus sanè verbis perspicere est, quid à nobis medicamenta calida, quid frigida, vt operentur, accipiant. Illa quidem, & comminuuntur & incalescunt à calore nostro, hęc, nempe frigida, comminutionem tantum & adscititium motum, non autem vllum agendi principium, à caliditate nostra innata sibi assumunt: si enim vllum aliquod agendi principium à calore nostro susciperent, præter in minima diuisionem, & adscititium motū, non aliud quàm calefaciendi accipere omnino possent, cùm natiuus calor, non aliud quàm similem sibi qualitatem, nempe calorem impartiri queat rebus in quas agit, Quamobrem oporteret frigida medicamenta quæ sunt, corpora nostra calefacere, si principium suę refrigerationis, prę ter memorata, à calore nostro acciperent. Quod cùm naturę rerum repugnet, vt frigida quæ sunt, per se calefaciant, sequitur omnino medicamenta frigida, vt sese exerant, & id quod potestate sunt, actu efficiant, atque operentur, non aliter id præstare, quàm sola attenuatione, & in minima à calore nostro facta attritione & in partes distributione; quę vbi à nostro calore peracta sunt, ipsamet medicamenta frigida, per id quod in semetipsis habent, refrigerandi principiū, ac facultatem, corpora nostra abundè refrigerant. Atque ad hunc modum quę potestate talia sunt in corpore operantur, vt ex Gal. dogmate probasse me arbitror. Nunc verò quonā pacto medicamenta, auxilia dici mereantur promendum. Auxilium Gal. dicitur, materia omnis, quę corpus quomodolibet alterans, aut etiam nutriens, iuuet. Quo nanque tempore vnum aliquid, vel intro in corpus assumptum, vel foris admotum proficit, auxilium certe vocatur: vnde meritò libri de medica materia à Dioscoride inscripti sunt. Quę enim materię intercedunt, morbo leuando idoneæ, auxilia hæc propriè dici merentur, quod morbum pellant, quòd naturæ periclitanti opem ferant, & auxilientur, vnde id nominis sortita sunt. Ergo medicamenta omnia delectu certo quæsita, & in tempore adhibita, dum iuuant, auxilia planè & sunt, & dicuntur. Fiunt autem interdum, quæ in alleuationem morbi exhibentur, morbificę causæ, vt de sanguinis missione conceptis verbis confirmat 9. methodi medendi Galenus, si ea aut immodicè, aut intempestiuè fiat: idemque de purgatione diuus Mesueus tradit,

li. 11. meth med.

Auxilium quid.

In summa, vt auxilium quippiam dici possit, multa in considerationem veniant oportet, natura morbi, ægri temperies, atque vires, cœli status, atque ambientis qualitas, & cætera huiusmodi. Ad hæc enim inspicientes, admouere præsidia arte oportet, quæ & ipsa, & morbo contraria, & naturæ ægrotantis familiaria (quæ semper autore Galeno ægris adhibenda sunt) & cœli statui, aërisque conditioni aduersantia esse conuenit: alioqui certè auxilia non futura. Ex hoc porrò auxiliorum genere, præcipua curandis de plenitudine morbis, ac maximè idonea habentur, euacuatio, atque purgatio, de quibus dicere initio capitis polliciti sumus. Euacuationem simpliciter Hippocrates, autore Galeno, vocare consueuit, cùm humores omnes æqualiter euacuantur. Purgationem verò, quãdo praua affecti qualitate. Euacuatio autem omnium humorum æqualiter (quæ quidem exquisitissima est) per venæ sectionem fit: cui proxima est, quæ per tibiarum scarificationem, & cucurbitulas, quæ per fortia exercitia, frictiones, & balnea, atque inediam efficitur: euacuare enim isthæc omnia (etsi alia vehementius, alia remissius, alia per se, nonnulla ex accidenti, vt inedia) iure dicuntur. Itaque vbi omnes humores æqualiter redundant, subéstque secundum vasa plenitudo, si ad hæc morbus accidat acutus, florentique ætate sit æger, & viribus abundet, mittere profectò tum sanguinem expedit, dicente nimirum Hippocrate, In acutis affectibus sanguinem detrahe, si vehemens videatur morbus, & infirmus ætate floreat, viribúsque abundet. Sunt nanque profectò mittendi sanguinis in morbis tres ij præcipui scopi, morbi magnitudo, virium robur, floréntque ætas: quos sanè consequuntur, plenitudinis tum quantitas, tum qualitas naturalis totius corporis habitus, tempus, regio, anteacta vita, consuetudo, & excretionum solitarum consideratio, vt Gal. lib. de curandi ratione per sanguinis missionem, bellissimè docet. Morbi autem in quibus sanguinis missio ex vsu est, sunt continentes febres, & aliæ omnes in quibus putrescens subest humor, si modo neque vires, neque ætas impediant: ad hæc viscerum internorum omnium inflammationes, pleuritides anginæ, peripneumoniæ, iocinoris, & lienis phlegmones, ophthalmiæ vehementiores, arthritides, comitiales melancholiæ, furores, phrenitides, sanguinis per os reiectiones, vertigines, lethargi, vulnera grauia, casus è sublimi, suppressi menses, & hæmorrho-

De sanguinis missione.

li. 4. de rati. vi. acu. textu 16.

Gal. li. 11. meth. me.

rhoïdes, & dolores quacunque tandem in parte insederint, si modo acuti & clamosi sint. Leuandis enim doloribus, & incensiuis febribus, nullum præsentius sanguinis missione inuenit Gal. remedium. Itaque in his omnibus memoratis affectibus, sanguinis missio ex vsu est, si modo nihil impediat. Quæ verò mittendo sanguini obstare possunt, sunt puerilis ætas, senilisve, aëris conditio nimium æstuosa, vt in caniculæ diebus, nimia corporis raritas, & mollities, crudorum humorum copia, cùm sanguinis laudabilis exiguitate, fœtus in vtero gestatio, virium infirmitas, & ægri repugnans animus: cùm hęc adsunt, vel prorsus, à sanguinis missione abstinere, aut parum detrahere sanguinis, erit necesse. Quòd si grauis aliquis casus in huiusmodi repugnantiis, ad sanguinis missionem nos adigat, obire id muneris magna certè cautione oportebit, eique intendendum, quod magis vrget, & à quo presentius imminet periculum, reliquo tamen non neglecto. Magnam profectò à morbi magnitudine, & viribus semper indicationem de mittendo sanguine sumere oportet. Vbi enim vehemens morbus fuerit, virésque validæ, incunctanter sanguinem mittere, ex vsu erit. Maiorem siquidem perpetuò à morbo, & viribus quàm à reliquis, quę à missione sanguinis dehortari videntur, indicationem sumere licet. Si enim pręgnanti, vel continens febris incensiua, pleuritisve, aut acutorum aliquis morborum accidat, sitque etiam aëris conditio æstuosa, huic profectò (si modò valentibus viribus sit, ętatęque florenti) modicè sanguinem mittemus: magis de matre periclitante, quàm de fœtu soliciti. Atque in huiusmodi repugnantiis etsi (vt Gal ait) incerta sit succurrendi ratio, præstat tamen, vel Thucydidis monitu, periclitantes aliquid agere. Quibus enim alia salutis ratio non est, & quæ vnica videtur, ea dubia est, necessarium videtur aduersos periculis ire: quod quidem Thucydidis fuisse consilium, Gal. affirmat. In sanguine autem mittendo, & tempus, & hora, & regio, & ætas, & cœli conditio, & vires ægrotantis & morbi natura maximè spectanda veniunt. Vere, iuxta Hippocratis sensa, congruentius sanguis mittitur: æstate vt incommodius, sic certè parcius mitti sanguis debet. Autumno item modicè vacuabimus, hyeme paulo liberiùs nisi ingentia adsunt frigora. Hora, si deligere eam liceat, matutina, post Solis ortum conuenientissima, & ea etiam, in qua morbi remissio, vel quies est: quo sanè tépore mitti san-

li.9.meth. med.
li.10.met. med.
li.6.aph. textu 47.

guis debet,ſin res celeritatem poſtulat,omnis congrua habenda eſt,modò in ventriculo,aut recens acceptus cibus,aut cruditas minimè ſubſit.Nocte ſi quidem intempeſta ſanguinem quandoque miſit Galenus,vt in iuuene paleſtræ perito, & ſynocho laborante feciſſe ſe, lib.nono methodi medendi teſtatur,idémque in melancholicis,& comitialibus Auicenna,& nonnullis aliis,in quibus hora ſomni nocturna, mitti ſanguis debet,affirmat.Quod & à me ſæpiſſimè factum eſſe, in acutis anginis, & pleuritibus,idque fœliciſſimo ſucceſſu, teſtari ipſe ſanctiſſimè poſſum In regióne porro calida, parcius,in frigida audacius,ſanguinem mittimus. Ob id Germanis,& Gallis copioſius:Hiſpanis,& Mauris Aphricam incolétibus,vel etiam Aſianis,parcius omnino mittere ſanguinem, expedit. Ætas iuuentæ multam, puerilis vel ſenilis exiguam vacuationem indicat. Quanquam autem Galenus,puerulis ante annum ętatis decimum quartum ſanguinem mitti vetet,quod difflabilem habeant ſubſtantiam. Nos tamen hoc æui pueris habitioribus,& morbo aliquo acuto tentatis, nono,& decimo,& aliis inſequentibus annis commodè,magnóque ſucceſſu,ſanguinem mittimus,vt in noſtris enarrationum libris exactè docuimus. Sic cœli conditio æſtuoſa copioſam vacuationem non admittit,frigida,vel temperata concedit. Vires ſui cuſtodiam ſemper indicant:verùm vbi valentes fuerint,de mittendo vberius ſanguine, poteſtatem medico faciunt:vti ſi inualidæ fuerint,à mittendo deterrent, etſi morbus nonnunquam exigere id videatur. Cui vero ſanguis mittitur,is à ſomno protinus cauere debet:id enim fractionem in membris,nonnunquam verò ſyncopas, & animi deliquia creat. Supino etiam, & decumbenti venam aperuiſſe,magis quàm ſedenti, ex vſu eſt:ne vitalis deficiat virtus, linquatúrque animo æger: venæ porrò quæ ſecari in brachiis ſolent, tres ſunt,vel Galeni ſententia,exterior,interior,media.Exteriorem humerariam & cephalicam ſcholæ vocare,in vſu habent.Interiorem, baſylicam,& regiam.Media ſuum nomen retinuit.Auicenna his addit funem brachij,& aſcellarem [illegible] catam.Humeraria à ſupernis partibus, quæ ſupra thora[illegible] ſunt,euacuat:interior ab imis,quæ ſubſepto tranſuerſo ſunt media ab vtriſque,vti & quæ ſaluatella vocatur, ſiniſtræ manus,à liene euacuare creditur,quæ in dextra manu eſt,ab hepate

pate. Venæ etiam quæ sub lingua conspicuæ visuntur, secari in angina,& faucium morbis solent: vti quæ sub poplitibus apparent,& in talis prope malleolum (quarum internas saphenas Scholæ vocant) mensibus euocandis, ac renum, vesicæ,& vteri affectibus prodesse omnes censent. Vena frontis postremi cerebri affectibus dissecta vsui esse creditur, iuxta illud Hippocr. Posteriora capitis dolentia recta in fronte incisa vena iuuat. Quæ in malleoli externa parte est, coxendicis doloribus conferre Auicen. dixit. Illud verò in sanguinis missione attendendum, vt per directum, ac rectitudinem semper fiat, quod & Hippocrates,& Gal. faciendum perpetuò iubent: siue reuellere, siue deriuare velimus. Itaque in sanguinis è naribus eruptione, si è dextra nare sanguis fluat, è dextro brachio vena aperienda est, si ex sinistra nare, sinistri brachij venę tundendæ erunt. Sic enim in pleuritide, quę dextrum latus obsessit, è interiore dextri brachij vena, haurire sanguinem expediet. In sinistri lateris inflammatione, è sinistro itẽ brachio hauriendus venæ sectione sanguis erit. Quæ docta & Gal.& Hipp. sententia est. Atque hæc de sanguinis missione, pro compendij,& locorum communium ratione sufficiant. De purgatione nunc agendum. Est autem purgatio, definiente Galeno, humorum qui sua qualitate molestant, euacuatio. Ea profectò vitiosis, corruptis, putridis,& à naturę vsu alienioribus factis humoribus, competit. Sed in ea apparanda, atque probè administranda, magna certè cautione est opus, ne vel quæ purgari conuenit relinquamus, vel quę non expedit educamus, vnde rectissimè illud dixisse Hippocrates est visus, Si qualia oportet purgari, purgentur, confert, & leuiter ferunt: sin minus, contra. Qua quidem sentẽtia medicos hortatari videtur, vt quæ rectè à natura fiunt, etiam in artis operibus medici imitentur. Est autem imitatio (vt Gal. ait) in vnoquoque morbo tales humores euacuare, quales in spontinis euacuationibus prodesse perspectum habemus. Sponte autẽ è corpore euacuari dicimus quæcunque sine aliqua medicatione excernũtur. Ita prout in spontinis,& à natura factis euacuationibus, si qualia purgari conuenit purgentur (hoc est ea quæ corpus infestant) confert,& leuiter ægri ferunt. Quod si aliorum fiat euacuatio,& non eorum, quæ corpora nostra molestant, contrarium omnino eueniet. Nam neque confert euacuatio huiusmodi,& grauiter ægrotantes perferunt.

Purgatio quid ex Gal. li. 1. aph. cõ. 2. & libr. 2. com. 17.

Redundante igitur pituita, purganda hæc, non alius humor erit. Sic & vtraque bile noxam inferentibus, aut pallida bilis, si ea vincat, aut atra, si superet, purganda proculdubiò erit. Qui autem humores in vasis redundent, tum ex colore, tum ex ante acta vita, moribus, cœli, & regionis conditione, facilè cognosces. Quoniam verò non est vna humorum natura, si quidem hi tenaces, glutinosi, lenti, crassi, aut viscidi fuerint, tenuatione, dissectione, detersionéque pro Gal. sententia, indigent. Hoc si quidem est, quod ab Hip. dicitur. Corpora vbi quis vult purgare, oportet prius fluida facere. Erunt autem fluida corpora, si quis crassos, ac tenaces incidat humores, & meatus aperiat eos, per quos transmitti, atque trahi huiusmodi succos à medicamentis quæ vim purgatoriam habent, oportet: sic sanè purgatio rectè procedet. Quod si neglectum id fuerit, difficiles quidem, & grauibus casibus comitatas fieri purgationes est omnino necesse. Hinc tormina, vertigines, nauseæ laboriosæ, secessiones, mali pulsus, deliquia animi, ac dissolutiones, quas in purgationibus oriri haud raro videmus. Si verò humores tenues, aquosi, fluxiles, suapte natura fuerint, quales syncera & exquisita bilis, aut serosus humor esse solet, vacuatione protinus indiget, nec præparatione vlla ad euacuationem humoris eiusmodi, opus esse, vnà cum Galeno censeo. Is enim libro, Quos purgare conueniat, & quibus medicamentis, & quo tempore apertissime id profiteri, conceptis etiam verbis, videtur, dum tenues & serosos humores inter initia morbi euacuandos præcipit, vbi crassi, & tenaces fuerint (quales suapte natura sunt, pituita, & atra bilis) concoctionem esse à medico expectandam: idque ratione sanè optima, quod tenues, & aquosi humores, suapte natura fluxiles sint, euacuationi idonei, vt adminiculo nullo, quo excernantur, & educantur opus habeant. Sed vbi à facultate expultrice, vti medicamenti soluentis irritata, ad vias expulsionis deducti sunt, magna ipsi profectò facilitate educuntur. Ast verò vbi crassi, tenaces, & viscidi, fuerint qui molestant succi, tum profectò ineptissimi ad euacuationē cùm sint, crassitie, lētore, & tenacitate facilem eductionē impediente, ac potiùs remorante, adminiculo egent, quod expulsioni obsequentiores fiat. Adminiculum id erit incisio, attenuatio, & detersio, quæ vi attenuātiū, incidētiū, & detergētiū medicamētorū perfici debebit. Ob id in iis vacuādis expectādā esse à medico cōctionem

li. de conf. art. med. & li. 8 meth. med

An exquisita bilis ante purgationem præparatione indigeat.

Lib. Quos purgare conueniat.

coctionem, meritò Gal. est arbitratus, Hippocratis vetustissimi preceptum illud imitatus, Concocta medicari oportere, atque mouere non cruda nisi turgeant. Concocto nanque humore, & euacuationi parato, adminiculantem tunc habemus naturam, quæ expulsionem facilem reddit, vt metus nō sit, ne grauia inter vacuandum symptomata accidant: quod fieri consueuit, vt crudi euacuantur humores. Itaque vt rectè purgatio procedat, si crassi, viscidi, & lenti fuerint humores, per oxymel, mulsam, cum incidentibus herbis hyssopo, origano, & similibus, Galeni more attenuare, & incidere eos oportebit. Oximel quidem contra viscosos, mulsa contra crassos, valere dicitur. Si verò tenues, & acres fuerint, protinus ab initio (vt anteà de Galeni sententia diximus) euacuandi erūt. In quam item pedibus sententiam eunt Oribasius (lib. primo compendij medicinæ ad Eustathium filium, ca. 16. de catharcticis ex Galeno, & Aëtius lib. 3. cap. 23. de purgatione ex Antylo, & idemmet Gal. lib 3. Prognosticorum Hipp. com. 25. sæpe enim dictum iam est (inquit) vt humores corporis calidiores, tenuioresque paratissimi sint ad excretionem, crudis vero ac crassis, aut per abscessum, aut per concoctionem natura medeatur: & li. 1. aph. com. 24. humores tenues, & nullum lentorem participantes, fluxui paratos esse dixit: vt alio apparatu, ad eorum excretionem opus non sit. Quin & com. 9. libri secundi Aphorismorum, extenuationem humorum, vt purgatio ritè procedat valde commendat Gal. Ergo qui talem extenuationem suapte natura adepti sunt (vti tenues, & serosi humores) ij profectò ad excretionem aptissimi suapte sponte erunt. Septimo rursus meth. med. vitiosos, & tenues succos, in ventriculo impactos, mox picræ vsu purgat Gal. Lētam verò pituitam haud prius, quàm incidentibus medicamentis fuerit dissecta. Hæc volui huc de industria adferre, id vt multis grauissimorum autorum sententiis ostenderem, in tenuibus, aut aquosis vacuandis humoribus, non adhibendā præparationem eam, quæ syrupis, & apozematis fieri creditur, quòd illa non egeant, vtpote fluxui, & excretioni suapte natura paratis, nisi crassities quædam, aut lentor iis sit coniūctus: quo casu prēmittere certè incidentia oportebit. Nunc verò id tractemus, num syrupis vocatis, concoqui humores dici possunt: quod plerisque medicinam factitantium fuit hactenus persuasum. Id vero facilè explicabimus, si & syrupo-

An syrupi vocati humores concoquant. rum naturam, ac potestatem, vnde concoctio in humoribus fiat, de scripto tradamus. Ergo de syrupi significato, in confesso est, vocem eam si à Græcis manarit, quod tamen credi nullo pacto debet, cùm nusquam veteres autores ea vsos sciamus, idem sonare quod trahens succus, deducitur enim ab ὀπῶν, hoc est succis, & σύρω verbo, quod traho Latinis significat: inde syrupi nomen. Sed vocem eam ab Arabum schola ad nos dimanasse, verosimilius haberi debet, quod in eorum interpretibus syrupi nomen passim inueniatur, vt apud Auicen. Mesueum, Serapionem, Rasium, & alios in suis quos vocant Antidotariis est videre. Habent n. peculiarem hi de syrupis tractatum. Itaque ab his, quàm à Græcis potius, & nomen, & vsum ad nos defluxisse credendum. Syruporum porrò vt varia est compositio, sic & varius itidem vsus. Interdum. n. coctionis iuuandæ gratia syrupos Practici nostri conficiunt, quos perperam digestiuos vocant, digestionis voce, pro concoctionis malè vsurpata: cùm nec etiā verè cōcoctionem moliri syrupi ipsi possint, vt quæ à natiuo calore nostro, facultatéque corporis rectrice, non ab arte paratis medicamentis, vel Gal. testimonio fiat, etsi concoctionem quadantenus iuuare medicamenta quædam calorem nostrum roborantia, possint, vt in arteriacæ Diacodion, Andromachi, lib 7. de comp. medicamentorum secundùm locos Gal. docet, & 9. eiusdem tractationis lib. in nardo non exiguam frigidorum affectuum concoctricem vim inesse, vbi de colicis agit, demonstrat. Alter syruporum vsus est, alterare contraria qualitate quæ nocent. Tertius qui Gal. præcipuus est, incidere, detergere, attenuare. Quartus, in aperiendis obstructionibus per diuretica vocata, situs est. Quintus aluum ducētium. Sextus aluum sistentium, & roborantium, atque adstrigentium est. Hi syruporum vsus, eæ potestates sunt. Alterantibus syrupis omnis Arabum, & medicinam factitantium schola frequentius vtitur, quòd in febribus non parum adiumenti, atq; auxilij præstent. Incidentibus, reserantibus meatus & succos attenuantibus magis Gal. Itaque cùm ea sit syruporum facultas, vt vel incidere, detergere, vel alterare, vel meatus infarctu humorum liberare, vel tandem aluum ducere, aut sistere queant, constat profectò, si exactè, ac propriè loqui velimus, syrupis cōcoctionis, humorū efficiēdæ nullā propriè inesse facultatē. Hoc si quidē munus calori natiuo nostro, facultatiq;

Syrupus quid.

lib. 1. de popul. morb. cō. 22. sex. & 4. & lib. 2. aph. cō. 22. & li. 4 aphor. com 22. & lib. quos purg. oporteat.

cor-

corpus regenti, ceu opifici, iure meritóque debetur, vt Gal. millies, in mille locis est apertè testatus. Quod si id muneris naturę debeatur, vt certè debetur, quomodo id syrupis arte factis, neque natura constantibus iure tribui dicemus? Errant igitur toto, vt dicitur, cœlo, qui digeri, id est concoqui humores (vt ineptè Barbari loquuntur, qui digestionis vocem pro coctione, impudenti mendacio vsurpant) ab syrupis arbitrantur: etsi negandum non sit, arte parari posse, quæ concoctionem promoueant, atque adiuuent, vt quies, somnus, calfactio viscerũ mediocris, ciborũ boni succi moderatus vsus, vini generosi potus, & id genus talia. Poterũt quinetiam ij tantùm syrupi concoctionem iuuare, qui calore suo, moderatáque adstrictione natiuum corporis calorem fouere, roborareque poterunt, vt qui ex menta, hyssopo, cotoneorum succo, & citri cortice, ac cynamomo, nardo, croco, & similibus parari arte solent: de quibus multa Gal. lib. 8. de compos. medicamentorum secundùm locos, cinamoni, nardi, & croci facultates recensens. Verùm medicamenta eiusmodi concoctionem quidem, eatenus solùm iuuare queunt, quatenus imbecillum calorem fouere vtcunque possunt. At propriè tamen concoctionem efficere nequaquam ipsa possunt, cum id alterantis humores facultatis proprium, peculiaréq; sit, vt suprà ex Gal. attulimus. Celsus certè antiquos ait medicamentis quibusdam datis concoctionem moliri solitos, quod cruditatem maximè horrerent. Ergo ex syrupis paucissimi certè concoctioni seruire dicendi sunt, nempè soli hi qui, vt anteà dictum, calore, odore, adstringendi vi, vel qualitate naturæ amica, calori naturali (à quo verè, non à syrupis concoctio fit) adminiculum præstant. Quę dotes cum paucis omnino conueniant, efficitur, vt pauci omnino sint, qui vel ex acidenti concoctioni deseruientes dici mereantur, vt perperam faciant, qui syrupos omnes vulgato nomine digestiuos nuncupēt, cum paucissimis id datum sit, idque ex accidenti, vt mox probauimus. Sed an prisci autores syrupis vsi sint, Græci præsertim, haud leuior quęstio est. Nam etsi syrupi nomen apud eos non inuenias, potiones tamen quasdam ab ipsis excogitatas fuisse, quæ syruporum vice esse possint (imo quæ syrupi vere dici possint) nemo quisquã, qui in eorũ sit paulo diutius lectione versatus inficias ire poterit. Nos quidē, vel apozemata conficimus, cùm

li. 3. cap. 4.

An prisci autores syrupis sint vsi.

herbarum succorúmque nobis copia prȩsto est, vel si desint hęc, syrupos in totum annum repositos in seplasiariorum officinis habemus, quibus dum res postulat vti possumus. Simile quid à Galeno obseruatum videmus, qui lib.6. de compo. medic. secundùm locos ex succis nucum, mororum, punicorum, & cotoneorum, varias potiones cum melle componit. Quę etsi inter syrupos propriè numerari minimè possint, cùm sint inspissati succi (quos *robub* Arabes vocant) tamen, vt in totum annum instar syruporum nostrorum vsui essent, melle exceptos, probéque coctos asseruabat Gale. vt non illo tempore solùm, quo expresso fructu, succo vti licet, promptum medicamentum haberemus, sed & per totum annum medicamento sic parato, & reposito vti possemus, quod succi citra cocturam citò corrumpantur: ex melle verò excepti, sufficientérque cocti, durabiliores sint, & ad affectus curandos aptiores, vt de mororum succo, lib.6. de compo. medi. secundum locos cap.1. Galen. ostendit, & lib. item de paratu facilibus. Quin & antiquis propomata, & dulces potiones in vsu fuisse legimus. Testis est Paulus qui libro septimo, integrũ caput de dulcibus suauibúsq; potionibus, inscripsit, quas Græcis προπόματα, quasi præpotiones dicas, apellant. Ad hoc genus referri iulebi, & syrupi nostri commodè queunt, vt Pauli hydrorosatum, verè sit syrupus rosaceus noster, nisi quòd pro zaccharo mel, vt antiquis mos erat, immiscetur: & illius hydromelon, nihil aliud sit, quàm syrupus de citoniis, & rhoberi compositio, syrupus de granatis: & omphacomeli, syrupus de agresta, prout myrtites, syrupus de granis myrti. Quibus fere similes, apud Dioscoridé lib.5. inuenire licet, & Oribasium lib.4 ad Eustathium filium, vbi dulcium, refrigerantium, incidentium, & adstringẽtium meminit potionum, ex melle, aqua, aceto, & fructuum succis. Apud Aëtium quoque de dulcibus, consuetisque in febre potionibus, ex Philagrio mentionem fieri legimus, vnde noster syruporum, & propomatum, in febribus vsus confirmari planè queat. Verba Philagrij, quòd ad hanc rem appositissima sint, subscribere nõ pigebit. *Dulcis* (inquit) *potio, duplicẽ vtilitatem adfert. Primò, quòd iucunditatis gratia libentius à natura amplexetur. Ventriculus enim placidæ rei occurrens, ac circunstans, eam facilius subigere atque conficere potest, inque vires parandas proficere, præsertim si moderata quantitas offeratur,*

Cap.15. [margin, beside "scripsit, quas Græcis…"]
Cap. 39. [margin, beside "Dioscoridé lib.5."]
li.5.c.134. [margin, beside "ctuum succis. Apud Aëtium"]

feratur. Vnde natura refocillata, ac veluti reuiuiscens actiones suas alioqui languidas, & à morbi feritate defatigatas excitat. Secundò quòd ægritudini duobus modis resistat: tum vim illius contrariis qualitatibus opprimendo, tum animalis virtutes suscitando, vt morbi impetum, violentiámque facilè ferat. Hactenus Philagrius, ex cuius verbis dici illud potest, syrupos nostros maximè probandos esse, vt qui dulcium potionum vtilitates, ac commoda amplectantur, nempe virium refocillationem, & morbi alterationem, qui duo scopi in dulcibus potionibus exhibendis, Philagrio propositi fuere: quorum vtrumque syrupi nostri ritè parati perficere queunt, vt in febribus experiri quotidie licet, atque supra hæc plerique ex ipsis attenuare, incidere, & detergere lentos, viscidósque humores possunt itum per diuretica vacata reserare meatus, aluum ducere, aut sistere, pro vario medici scopo. Quæ cùm in morbis curandis vtilissima sint, nemo quisquam syruporum vsum improbare recta ratione poterit, cùm à Gale. materiæ copiam desumamus, & ob memoratas tum à Gal. tum Philagrio commoditates, mellis aut zacchari dulcedinem adiiciamus.

Syrupo rũ nostrorum commẽdatio.

Nempe ob medicamenti conseruationem, ob gustus sanitatem, naturę in his sumendis refectionem, ob proprias denique zacchari, mellísque facultates, quę & ipsæ curandis plerisque morbis non minimum prosunt. Iam verò quid ante purgationem, quid in purgatione ipsa, quid purgato corpore agendum sit, vberiore est nobis sermone promendum. Cùm quis purgatione opus habet, vacuandi humoris & naturam, & quantitatem scire oportet. Id quod partim ex anteacta vita, partim ex colore (siquidem color succorum intus latentium certissima nota est, vel Gal. testimonio) & totius corporis habitu, deprehendi facilè potest. Vbi humoris natura abundè perspecta est, si quidem lentus, viscidus, crassúsve fuerit, tum & attenuante victu dies aliquot, & incidentibus, attenuantibus, ac detergentibus tum cibis, tum medicatis potionibus, pro Galen. præcepto vtendum erit: hoc siquidem est fluida facere corpora. Si tenues serosíve fuerint, initio statim vacuari cõmodè possunt, vt anteà de Gal. sententia diximus. Nec verò humoris tantùm speciẽ, & copiã, verùm & ægrotãtis vires, vel in primis spectare oportet. Qui n. imbecillioríb. virib' prædití sunt, iij & mitioribus pharmacis, & ex lõgiorib' interuallis opus habẽt, neque enim fortia medicamẽta ferre

Quid ãte purgationẽ, in purgatiõe, & post eam agendum.

lib. 1. aph. com. 3. & lib. 4. de sani. tu.

lib. 2. aph. com. 2. & lib. Quos oportet purgari.

Gal. lib. 1. ad Glau.

cap. 7. de causis inflammationis.

imbecillia corpora possunt,cùm purgans medicamentum motu violento(vt diuus Mesueus ait)vacuet : non enim vacuaret nisi naturæ vim afferret. Quamobrem rectissimè Gal.id admonuisse est visus,vt naturæ familiaria semper exhibeamus,siue ea cibi sint,siue medicamenta. At verò vbi validiores ægri vires fuerint,humórque multus, vberius tùm vacuare licebit. Nec vero solum attendenda hæc ipsa sunt, antequam purgationi corpus exponas:sed ætatem,consuetudinem,regionis naturam,cœlique & ambientis statum. Ab his siquidem omnibus de euacuando commodę sumuntur indicationes,vt Gal.Auicennáque testantur.Hęc vbi diligenter perpensa fuerint , spectandum & illud quoque num adstricta aluus sit , eáque lenibus clysteris emollienda erit, priusquam purgans medicamentum exhibeas. Periculum nempe subest,nec minimum,stipato ventre solutiuum dare, Inde colici cruciatus,tormina,vomitus , & animi deliquia oriri sępè solent,dum excretoria vis pharmaco deiectorio irritata ,explodere quæ agitata sunt satagit,impedit verò fæx dura aluo contenta. Præmisisse itaque emollientia aluum, purgationi plurimum certè prodest. Atque hæc quæ diximus,ante purgationem cautè,prudentérque obeunda. In purgatione vero obseruanda quæ mox dicemus. Assumpto medicamento,si ex genere delectu attrahentium fuerit,mox somno se,quietique dare conuenit,sic enim fœlicius consequetur opus;sin imbecillum fuerit medicamentum,& ex eorum ordine,quæ transsumi in alimoniam possint somno abstinuisse præstiterit,ne in alimoniam transeat quod vacuare noxia debet.Sunt enim ex medicamentis quædam,quæ cùm vacuatio frustratur, præter hoc quod nocumentum aliquod corpori non adferunt,in nutrimentum transire etiam,familiaritate nobiscum sua facilè possint:quo in genere pruna, tamarindi, cassia fistula, mel aëreum(quā mannam vocant) serum lactis,rosarum succus,& eius generis medicamenta ,quæ clementer vacuare dicuntur,quæque ob id quòd horum actio nullam corpori noxam imprimit,benedicta vocare diuus Mesueus consueuit Mox verò vbi assumptum medicamentū deiectorium est,stypticum aliquid os ventris roborans deuorare conuenit , ne auersante natura vomitus consequatur. In quem vsum mali cydonij succus deuoratus,cæteris omnibus præstat.Odorata quoque narib.admouisse,vti rosas,myrtum

tum, violas, aurea mala, rosaceum acetum, & id genus talia, continendo pharmaco plurimum confert: veluti etiam extremarum partium constrictio, & in frigidam immersio, tum & quies. Agitatio nanque corporis, autore Hipp. corpora turbat. Ob id ne reiiciatur quod assumptum est, imperare quietem conuenit. Cùm verò iam medicamentum, vi natiui caloris, in suum ipsius opus deductum, mouere cœperit, tum certè blando agitatu mouere corpus (quo plus exagitantur humores) expedit. Commoda tandem vi pharmaci sequuta vacuatione, vbi ad purgationis finem deuentum est, sorbitio dāda est, ex Hipp. præcepto, è ptisanæ cremore. Nos hac nostra ætate illius loco, leue pulli iusculum damus, quod è medicinam factitantibus pleirque sine sale propinandum iubent: sic enim illi lauatiuum barbaro suo more exhibendum, vocādúmque censent. Ego magis modico sale fossili, marinóve respersum propinandum censeo, quòd vel Dioscoridis, Gal. atq; Mesuei sententia, & vim detergendi, incidendi, attenuandi, purgandi, atque adstringendi obtineat, & idipsum eiusdem Mesuei testimonio, purgantibus medicamentis additum, eorum actionem iuuet. Rectius itaque fuerit, salem modicum, quàm sine sale iusculum, purgatione perfecta exhibere. In media nanque purgatione sorbitionem dare vetat Hipp. Modico denique cibo, atque potu, quo die quis purgatur, vti debet, præsertim si vehemens fuerit medicamentum, ne non rectè cōfici quod plus ingestum fuerit (dissoluta vtique aliquatenus ventriculi facultate) queat. A somno item, dum operatur medicamentum cauere oportet. Somnus nanque opus pharmaci sistit, ac ventrem retinet. Si tamen delassatus quis vehementia solutionis fuerit, quieti & somno se credere debet. Nec minus curandum, ne aëris frigidioris admissu, noxa corpori inferatur; quo ei qui purgatur nocentius nihil accidere potest. Stipatur enim corpus, intruduntur in ima corporis succi, dolores, tormina, febres, & non rarò etiam mors (vt a me sæpè visum) inde sequi consueuerunt. A purgatione verò confert, in posterum diem, vel mollem clysterem iniicere, si non satis purgatio processit, vel aliquid ventriculum roborans assumpsisse: vtrumque verò optima certè ratione. Nam iniectus in posterum diem clyster intestina abluit, & relictam à medicamento vehementiori noxam adimit, præsertim si eius generis medicamentum fuerit, quod scammonium

Rasius li. 4. ad Almans. c. 15.

A purgatione quid faciēdum.

accipiat. Id nanque, autoribus Gal. atque Mesueo intestinis noxam afferre, acri quam possidet facultate, solet. Ne itaque particulæ eius, quædam in rugis intestinorum relictæ, vel tenesmum, vel tormina inferre punctione sua possint, clysmate detergente vti conueniet: quemadmodum & partes roborantibus medicamentis, quod hodie medicinam factitantes opiatis, pulueribus, electuariis quibusdam & antidotis probè facere consueuerunt. Dant. n. ab assumpto pharmaco in posterum diem, vel Mithridaticũ antidotum, vel Andromachi theriacen, vel rosarum conditum, & eius generis talia, Gal. in hoc imitantes, qui pluribus locis non solùm euacuare quæ præter naturam sunt oportere dixit, sed partem quoque euacuatam roborare, ac confirmare, quod præstant quæ modo diximus antidota, ritè post medicamenti deiectorij vsum exhibita. Sed iam quonam pacto in morbis euacuandum, & quo morbi tempore, proferamus. Esse autem in morbis euacuandum iis præsertim qui ex plenitudine sunt, ille nos Hip. aphor. docet. Quicunque morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio: & ille item, cùm morbi inchoant, si quid videtur mouendum, moue. Et in acutis passionibus, raro & in principiis medicinis purgantibus vti. Et concocta medicari, atque mouere non cruda. Quin & Gal. hos & Hip. aphor. enarrans, tum in acutis, tum in longis, & temporariis morbis (etsi aliter in iis atque aliis) purgandum esse, perpetua asseueratione confirmat. Quę cùm ita se habeant, experientiáque ipsa fidem faciat, magnam ex purgationibus in morbis (si modo ritè eæ adhibeantur) vtilitatem prouenire, ægrósque inde sanitatem facilè consequi, mirari subit, cur Aloisius Mundella, vir sanè alioqui de re medica optimè meritus, ita purgationes in febribus, acutísque morbis explodat, eásque ita auersetur & damnet, vt vix illis locum in medendo relinquat. Epist. nanque 10. lib. epist. medicinaliũ, rursúsque epistola 22. ita soluẽtium medicamentorum in febribus vsum damnat, vt priore epist. affirmare non vereatur, nullam à Gal. libro XI. methodi medendi, de soluentibus pharmacis mentionem esse factam. Altera autem epistola, ita medicamentorũ soluentium noxas exaggerat, omissis quas præstãt vtilitatib. vt explodere soluẽtiũ vsũ in febrib. planè videatur: cõtra quã & sũmorũ medicinæ principum virorum inconcussa autoritas, Hippocratis dico, Galeni, Pauli, Aëtij, Auicennæ, & (vt in summa dicatur) me-

Gal. li. 7. d e simp. fac. cap. de centaurio maiore, & passim lib. de compẽ. med. secũdum locos. & 2. ad Glauc. c. 7 & lib. 14. meth. med lib. 2. aph. 22. lib. 2. aph. 29. lib. 1. aph. 24. lib. 1. aph. 22.

medicinæ autorum omnium concors assensio, & ipsa experiētiæ fides (quæ instar demonstrationis omnis esse possit) attestari comprobaréque firmissimo testimonio videntur. Vt autem ostendam, Gal. lib. 11. meth. purgationis in febribus meminisse (quod tamen Mundella negat) locos duos ex eo libro adferam, qui id conceptis verbis affirment. Prior sic habet: *Tanquam igitur* (inquit) *in iis corporibus quæ non viuunt, at putrescunt, primùm quantum eorum iam cōputruit, separant, deinde ei quod reliquum est in frigidum aërem sublato, perspirationem remedi fugerantem moliuntur: ita quoque & putredinem quæ in viuis est orta, sanabimus, scilicet id quod iam corruptum est omni ratione vacuantes, quod reliquum est, moderatis motibus, & refrigerante perspiratu, ad exactam symmetriam reducentes, ad vacuationem quidem illius, per vrinam, deiectiones, vomitum, ac sudores moliemur.* Lib. 11. method. med. c. 8.
Hoc quidem loco Gal. quæ putruerunt per deiectiones vacuanda esse apertissimè docet. Putrent autem humores in febribus à putredine ortis, hi igitur per aluum, vt docet hoc loco Gal. purgandi erunt. Alter locus est eod. lib. cap. 10. vbi inquit, *Quę obstruunt, detersa, dissectáque sunt, per aluum, vrinas ac sudorem, ea vacuare tentandum.* Ergo in febribus huiusmodi vbi lenti, crassique humores, à quibus obstructio nascitur, detersi, dissectique fuerint, vacuandi per aluum erunt, si curari febris debeat. Danda igitur in febribus quæ aluum moueant medicamenta, quæque & bilem, si ab hac febris orta sit, & pituitam, & atram bilim delectu trahant, & euacuent, modo hæc neque exagitare humores, immodica sui copia, neque vires labefactare laboriosa eductione sua possint. Nam etsi indicatione à febre sumpta, medicamenta aluum ducentia minimè conueniant, vt quæ potestate ferè omnia calida sint, demptis tamen clementer vacuantibus, quæ benigna suprà nuncupauimus, humoris tamen febrem creantis & officientis causa, purgationem commodè adhibemus: quod (vt ait Gal.) maiorem oporteat ex noxiorum humorum euacuatione fieri vtilitatem, quàm id quod necessario consequitur ex purgantibus medicamentis detrimentum. lib. 1. aph. com. 24. Itaque in acutis quidem febribus purgandum quidem mox ab initio, si materia turget, sed mitibus medicamentis, nec valdè humores exagitantibus, pro Hip. doctrina censeo. Sin diuturnior fuerit morbus, concocto humore. Sic enim Hippocr. & Galen. iubent. Ego profectò non solum in acutis, sed & in aliis morbis lib. aph. 1. 24.

lib.1.aph. texto & com. 24. & 22.

omnibus à plenitudine ortis modo vires adsint, confestim, atque initio priusquam inualescat morbus, vacuandum propè sentio, Galeni sententia persuasus, qui aph. 29. lib. 2. aph. Hippoc. enarrans, ad hunc modum de re tota disseruit. *Circa initia* (inquit) *illorum morborum, in quibus speratur ægrotum conualiturum, tentandum maiora adferre remedia, de quibus Hippocrates dixit. Si quid videbitur mouendum, moue. Sunt autem hæc maximè vena sectio, nonnunquam verò purgatio, quorum nihil oportet morbo iam consistente adhibere. Vt enim in libro de crisibus manifestauimus, coctiones tunc maximè fiunt. Vt igitur hæ citius eueniant, melius est circa principia euacuare, quo minorem iam factam materiam facilius possit natura concoquere. Morbo autem consistente* (subdit) *cùm iam natura concoquit, superfluum est euacuare, tum propter alia, tum quia vis animalis, magna ex parte eo tempore est fatigata.* Quod & rursus longissima, eáque doctissima ferè lib. de optima secta, idem autor plenissimè confirmat, hanc quam modo citauimus Hip. sententiam recensens atque interpretans: illud vt ostendam, non errare medicos eos, qui hoc æui ægris mox ab initio purgantia medicamenta præscribunt, quod plerique morbi à plenitate nimia oriantur, in quam ob deprauatam victus rationem incurrere omnes ferè solent. Id Nitiobrigum schola (quam Mõspelij dicunt) obseruare in suis præscriptis solet, vt mox ex siliqua Ægyptia, catholicone, & ex prunis electuario, cum momento diaphenici vocati, aut eius quod ex rosarum succo paratur, minoratiuum adhibeant: inde apozematis humorum lentori, ac crassitiei, si qua subsit, prospiciat, post ea paulò plenius concoctis humoribus purget. Hoc Manardus vir artis callentissimus: hoc Montagnana, & vt summatim dicatur, quicunque rectius medicinam facere consueuerunt, Hip. atque Galen. authoritate innixi, posteros omnes præclaris monumentis relictis docuerunt. Ipsa quoque experientiæ fides planum facit, ægros inde plurimum iuuari morbósque celerius ad sanitatem perduci. Longum igitur valere iussis, & Múdella & Villonauano, qui contrà futilibus rationibus niti videntur. Hip. & Gal. dogma sequentes, inchoantibus morbis si quid mouendum sit, moueamus, & mox si acutus sit morbus ab initio, hoc est circa primum, & secundum diem (vt interpretatur Galen.) deiectorium demus medicamentum. Sin prolixior fuerit, molliórque morbus, post concoctionem

li.13. Epistol. med. epist.1.

lib.1.aph. com.24. et

id

id facere expediet. At de his satis. Illud postremò explicemus quonam pacto soluens medicamentum humores educat, delectúque certos euacuet. Quæ res, cùm in abditissimis naturæ secretioris recessibus posita sit, magnam certè admirationem adfert, esse medicamenta, quæ suapte natura vnius attrahendi humoris non alterius cuiuspiam (nisi superfluat purgatio) vim habeat, vt scammonium bilim, agaricus pituitam, cyaneus lapis atram bilim attrahere, cæca quadam potestate, educereque dicantur. Nos id ex promptuario prædicatæ autoritatis, in medicina virorũ explicare satagemus. Gal. de ea re ex professo tractans, cùm tertio de simplicium facultatibus libro, tum primo de naturalibus facultatibus, familiaritate, & similitudine quadam, medicamenta purgantia, aut hos, aut illos trahere succos conceptis verbis adstruxit. Eius porrò hæc verba sunt: *Demonstratum (ait) in commentariis de naturalibus facultatibus est, plerasque perfici attractiones qualitatum familiaritate: proinde quanque sigillatim animantis particulam, familiare sibi nutrimentum attrahere. Ad quam sententiam, seu dogma sequitur* (subdit) *medicamenta purgantia esse quidem detrahendis humoribus familiaria, verùm quæ attrahunt quodammodo esse efficaciora, valentioráque, sicut lapis magnes ferro: quippe qui ad ferri naturam accedat, inque ferri metallis reperiatur, eique magnopere specie similis sit, verùm fortior est quodammodo, vt attrahere sit aptior quàm attrahi. Quin nec cnicum quoque à pituita natura alienum esse definiendum est, vti colore suo præ se fert, sed tamen calore ipso quàm pituita valentior est, vt trahere quàm trahi, magis par sit.* Et paulò post, eodem ipso cap. *Sed quia attractiones substantiarum fieri similitudine ostendimus (demonstratum enim subinde est, in purgationibus attractionem esse eorum, quæ purgantibus medicamentis similia sunt, haud verò omnium simul succorum alterationem) similitudinem inesse quandam vtrisque substantiis, & eius videlicet quod purgat, & eius quod purgatur, necesse est.* Eadémque fermè sententia lib. 1. de naturalibus facultatibus, cap. 13. habetur. *Diuus Mesueus initio canonum vniuersalium suorum, theoremate primo, medicamentum purgatorium, non à temperamento, neque vt contrariũ agens in contrarium, neque vt simile trahens, & euellens alterum, sed quia talem, hoc est purgandi facultatem, cælitus sit sortitum, purgandi vim habere, humorésque certos attrahere dixit. Quod omnis res (vt Philosophi produnt) duplici sit dotata, & prædita facul-*

lib. Quos oportet purg.

Medicamenta delecto purgãtia quomodo certos euacuẽt humores.

Cap. 25.

Cap. 13.

Libr. 3. de simpl. fac. cap. 25.

Cap. 25. Libr. 3. de simpl. fac.

tate, elementari quidem vna, quæ calefacit, refrigerat, humectat, siccat, non autem purgat: altera verò cælesti, hâc que vel communi, vel sibi propria, & temperiem illam dirigente, & qua medicamẽtum, hoc est purgatorium illud, hanc vel illam euacuationem prouocat, aliud aliam, atque aliam habet virtutem. Quæ omnia potest medicamentum, à cælesti virtute ad temperaturam accedente. Rebus nanque omnibus natura (vt inquit Plato) proprietates quasdã indidit, quibus hæ ipsæ quod sibi est proprium agunt: idque pro formæ natura, & motione insita, cùm nullius rei actio propria esse possit vlla, nisi quam formæ ipsa excitat, & dirigit. Absurdum itaque fuerit existimare (subdit idem) à simili trahi simile, absurdum à cõtrario: contraria enim mutuò se expellunt, non attrahunt. Prompsimus duorum principum medicinæ (Gal & Mesuei) aduersarias de medicamentorum purgantium actione sententias, vtra verior sit, breuib. disquirendum, etsi id mihi non assumo, vt inter tantos duces, veluti arbiter æquus (qui neque ingenio, neque eruditione, multóque minus iudicio valeam) dari possim: aut pro vno aduersus alterum stans, sistere me patronum in iudicio queam. Verùm cùm pro veritate mihi nunc stãdum esse videam, non verebor & ipse alterius decreta tollere, vt alterius pro veritate firmem, ac stabiliam. Mihi quidem profectò diui Mesuei sententia, quàm Gal. firmior, verior, ac his quæ aparent consentiens magis videtur. Equidem cùm medicamentum purgatorium, abdita quadam vi, cæcáque potestate humorum hunc, illúmve trahat, constat omninò neque similitudine, neque contrarietate, neque temperie sua id facere. Medicamentum autem purgans cæca potestate humorem sibi familiarem trahere, vel ipsiúsmet Gal. assertione firmari potest, qui totius substantiæ similitudine medicamenta purgantia humores trahere, lib. 3 de simpl. facul. cap. 25. conceptis verbis, vt paulò anteà diximus, adstruxit: substantiarum autem similitudine, & sympathia quadam, tacitóque naturarum consensu aliquid fieri, est cæca, abditáq; potestate, occultáque vi procreari, vt cuius effectio in nullam parentium causarum, quæ senibus exploratæ sint, referri omnino possit. Siquidem est tota rei substantia, perfectio & integritas, qua res vnaquæque consistit. Ab hac in singulis rebus totius vocatæ substantiæ proprietates manant, atque oriuntur, quæ neque in temperamentum, neque in materiã reiici verè possunt, sed in speciem & formam cuius sunt. Nihil

Animaduersio in Gal. sent. de medic. purg. attractu.

hil.n.omnium congruentius,quàm species ipsa,& forma, potest tota vel præcipua rei substantia, essentiáve appellari, & quæ substantiæ totius proprietates nuncupantur,hæ ad speciem,& formam pertinere iure dicendæ sunt. Si ergo è tota substantia purgantia medicamenta quæ sunt, operari dicuntur,non profectò quatenus,vel purgandis humoribus similia sint,vel temperamento aliquo prædita id efficient,sed (vt rectè diuus Mesueus ait) quatenus cœlesti virtute, forma, proprietateq; ad hæc consequente dotata,ea sanè ratione id pręstabunt:vnde agarico,& cnico vis deducendi pituitam, scammonio bilim,cianeo lapidi atram bilim: firmissimúmque illud haberi debet,quod est ab eodem autore proditum,rebus omnibus naturam proprietates indidisse quasdam, quibus singulæ quod sibi est proprium agunt, ídque pro formæ natura, & motione insita, atque connata: ac proinde vt in plantis, animantibus, hominibus, varias est intueri formas, sic & proprietates diuersissimas est in iis inuenire.Inde sympathiæac dispathiæ, seu antipathiæ rerum,inde consensus, atque natiua quarundam inter se rerum odia .Inter Herculeum lapidem atque ferrum, consensus quidam secretior est. Succinum paleas trahit. Idem Herculeus lapis,si alij succo illinatur,ferrum trahere desinit, vímque tractricem suam amittit.Brassicæ,& rutæ, in plantarum genere tanta inimicitia est, vt iuxta seri non patiantur. Adiantum etsi fontes & riuos amat, aquam tamen nunquam admittit, perinde vt dipsacos. Pullus,miluum, vel longè conspectum horret,agnus lupum, leo animaliũ fortissimus,gallum (præsertim canentem) refugit,ac reformidat. Rursus consensus in rebus quibusdam admirabiles est intueri. Herculeo lapidi cum ferro tantus est consensus,vt ferrum trahat. Sic electrum surculos pari consensu trahit. Pixidis nauigatoriæ (quam nautæ Labrussola vocant) extremum apiculum magnete temperatum, incredibili distantia ad eas se partes perpetuò conuertit quæ polos aspiciunt: miraculũ sanè antiquis ignotum,Viti,& oleæ,atque populo,amica consensio. Consensu item naturæ quodam,oscitante alio,& nos quoque pariter oscitamus. Vnde autem hi tanti in rerum natura assensus,atque dissensus?certè à proprietate secretiore, quæ rebus inest. Proprietas autem hæc formam sequitur: formę verò & potestates quę à forma sunt,cœlitus immittuntur, à cœlo,

que (vt diuinus in Timæo Plato ait) manant. Formam namque cuique suam, Deus è cœlo, propriis dotibus, atque viribus ornatam, in præparatam materiam immisit, gignendíque atque agendi fœcundam, quæ iuxta eas, quas à cœlo desumpsit vires, ac proprietates, variè item agit: ac proinde iuxta Platonicorum omnium sententiam, cœlum veluti seminarium quoddam formarum omnium tum genitarum, tum etiam gignendarum intelligitur, cuius interior illa, & omnia vegetans facultas, seminales eorum quæ gignuntur omnium rationes comprehendit. Facultatem porro hãc, animam mundi Platonici vocant omnes, à qua vnicuique misto materia sua idoneè præparata, & congrua elementorũ attemperatione instructa, forma conueniens, qualem mistũ ipsum meretur, inditur. Hęc nobilissima, atque efficacissima formarum omnium, & proprietates, & formas rebus, non ex elementari fæce, nec de subiecti temperatione suscitat, sed integram quasi è sinu suo cõfert pręparato subiecto, in quo iuxta vim illi datam exercere munia sua, in eóque illęsa teneri, seruaríque possit. Ex hoc fonte & forma ipsa, totáque substantia, & specifica vocata proprietas defluit, quæ quãquã accidens ipsa sit, à propria tamen forma seiungi, separaríque nunquam potest, vt cuius sit ingenita quędam, & indiuidua perpetuóque hęrens facultas, cuius ope, quęcunque sua sunt, hoc est formę, atque substantię propria, omnia efficere potest. Itaque ab eo cœlesti principio, quod Plato mundi animam, Chaldęi datorem formarum, Arist. vniuersam naturã appellauit, secretiores, & abditæ potestates, atque effectiones omnibus rebus insunt. Hinc efficitur vt purgantia medicamenta (ea dico quæ delectu trahunt) certos quosdam, & nõ alios trahant humores, scammonium bilim, cnicum pituitã, helleborus atram bilim. Cur? quod à cœlo id virium habeant, ea sit proprietas insita, & ingenita ipsis, vt hoc bilim, illud pituitam attrahat. Quo posito ceu firmissimo fundamento, constat Gal. sententiam non satis firmam, aut rationi consonam per omnia esse habendam. Medicamenta inquam purgantia, substantiarum similitudine quadam, cum attrahendis humoribus, illos deducere, atque trahere. Nam etsi detur aliquid consentientis esse inter medicamentum attrahens, & id quod attrahitur, similitudinem tamen substantiarum in vtrisque inesse vix probare Gal. poterit: alioqui si

In Timæo

li. 12. metaph.

Gen. sententia notatur.

qui si similitudine substantiarum attractus fiat aurum aurũ attrahere, ferrum ferrum, lapidem lapidem oportebit, vt rectè Auicenna fen. 4. primi cap. 4. aduersus Galenum probat. Medicamentum nanque purgans, substantia sua densum, solidum, crassum non rarò est: humor verò trahendus, liquidus, tenuis, nihilque planè simile cum medicamento habens. Scãmonium quod præstantissimum est, lactescens esse debet, atque colore subalbum, bilis ipsa flaua est. Agaricus pituitam euacuare dicitur, at substantia sua longissimè à pituita distare videtur, vt qui (si optimus sit) rarus, porosus, frangi facilis, leuis, dulcis primo gustatu, mox amarus sentitur: quid quæso præter albedinem, cõmune cum hoc pituita habet? vt quæ crassa, compacta, viscida glutinosa suapte natura sit. Idẽ medicamentum, autore Mesueo, bilem flauam, & atram purgat. Sed quæso quid illi cum his humoribus simile? cùm neque color, neque sapor, neque substantia his respondeat. Atrę bilis substantia crassa est, colore nigra, sapore acida. Agaricum substantia tenue, rarum, porosum, sapore subdulce, & amarũ, colore album. In quo itaque similitudinem vllam agarico cũ atra bili esse dicemus, cum nec substantia, nec color, nec sapor conueniant? Simile nanque, vel Platonis in Parmenide sententia est, cui aliquid idem accidit. Atqui agarico cum atra bile nihil idem reperitur, non substantia, non color, non sapor, non quicquam aliud: non igitur similitudine atram bilim purgabit cùm eam tamen purgare Mesueus affirmet. Sed Gal. rationes, quibus similitudine substantiarum attractiones fieri contendit, paulò seuerius examinemus. Is lib. 3. de simplicium facultatibus, cap. 25 & lib 1. naturalium facultatum, cap. 13. exemplo à magnete desumpto, tum medicamenta purgantia, tum partes corporis nostri conuenientes, ac familiares sibi succos trahere, ac proinde quod pituitam trahit, pituitosum esse oportere, longa serie affirmauit. Ob id cnicum à pituitæ natura alienum non esse idem arbitratur, quòd pituitam trahat: quódque calore illi persimile sit. Atque eæ potissimè sunt Gal. demonstrationes, quibus attractiones substantiarum similitudine fieri contendit. Verùm si varios attractionum modos nobis explicuisset Galen. non sic absolutè fortasse attractionem omnem substantiarũ similitudine fieri dixisset, cùm non rarò attractus fiant ab his quæ diuersissima, ac prorsus dissimilia sunt substantia,

Mesueus c. de agarico. Gal. lib. 6 de simpl. facul. cap. de agarico.

Cap. de agarico.

Simile quid ex Platone.

Libr. 3. de simp. fac. cap. 25.

cum his quæ attrahuntur. Quod vt planum faciam, varios attractionis modos ab Alexandro Aphrodiseo Peripatetico summo literis depromptos adferam. Is lib. 2. quæstionum naturalium cap. 23. dum inquirit, cur Herculeus lapis ferrũ trahat, hos adfert attractionis modos. Quædam (inquit) vi, & tactu trahunt, & hæc cùm mouentur, mouent, vt quæ tractoriæ machinæ vocantur, vt equi currui iuncti. Nunquam .n. machinæ onera in altitudinem attollent, ni & onera imposita tangant, & motu ab illis indito illa moueant. Atque tractus huiusmodi, & violentus est, & impetu atque molimine factus. Quæ calore, quod intermedium est, trahentia, consequutione quadam quod intermedio coniunctum est, trahũt: quo pacto cucurbitula per intermedium attractum aëra carnem quoque supposita flamma, attrahere conspicitur: & electrum calfactum frictione diutina, surculos trahit. Trahũt & matrix genitale semen, & venæ atque membra nutrimẽtum: trahit & omne concupiscibile, & appetibile quod sibi est vsui futurum, sed longè ab aliis diuersissimo attractionis modo, nempe ingenito, naturali, motúque quodam blando, & naturæ trahentis amico, quo membra, venæ, vterus, quod sibi conueniens est, & familiare ad se alliciunt, prout contrario motu, ea repellunt, quæ molesta, quæ inimica, quæ aliena sunt. Atque hi sunt omnes attractionis modi, ad quorum alterum referre oportebit humorum attractum, qui à medicamentis purgantibus fit. Referri autem iure optimo debet, ad priorem attractionis modum, qui vi, & impetu fit. Quod diuus Mesueus testari apertissimè videtur inquiens: Medicamentum purgans à nostro calore in energiam reductũ, motu violento vacuat. Neque enim vacuaret, nisi naturæ vim afferret: medicamentáque propè omnia purgantia, & deleteria esse, & sua violentia naturæ nostræ grauissima, idem autor conceptis verbis affirmat. Quin & Hipp. lib. 4. de morbis, medicamenta purgantia turbulentum corporis motum facere, etiamsi meliora sint: fortiora verò vrere corpus, hoc est, vehementer calfacere, conceptis verbis est testatus. Quòd si ita est, prout reuera est, an non medicamenta purgantia eò trahere humores dicemus, quòd eos vi, impetu, & violento quodam motu à calore nostro in actum deducta cieant, conuellant, moueant, vt equi currum, machinæ imposita onera trahere iure dicuntur? Quæ autem simili-

Theoremate 1. cans. vniuersalium ex versione Syluii.

similitudine substantiarum trahunt, nunquam vim inferunt: non enim semini genitali vim matrix adfert, illud dum trahit, nec venæ aut corporis particulæ dum familiare sibi ipsis alimentum trahunt, vim vllam inferre conspiciuntur. Quin vel ipsiusmet Galeni testimonio conuinci quòd adstruimus potest, vt palinodiam canere suomet ipse testimonio planè cogatur. Vacuantia præsidia fermè omnia vires lædere, nono methodi medendi adstruxit Galenus: atque ob id raro, nec nisi summa vrgente necessitate, & ex longis interuallis expetenda, lib. 3. aphor. com. 15. idem affirmauit. Quòd si vires lædunt, purgantia medicamenta, quomodo similitudine, & familiaritate trahere succos dici poterunt? Non. n. profectò alia ratione vlla, viribus incommodant, quàm quòd violentò, & turbulento motu humores agitent, vnde nauseæ, deliquia animi, tormina, sæpenumerò in mediis purgationibus apparent: à quibus corporis rectrix facultas (quæ repentinos, & violentos motus, vel Hippocratis & Galeni testimonio, non sustinet) plurimum labefactatur, dissoluto natiuo spiritu nostro, atque calore, dissoluta etiam carnea membrorum substantia, vnde contabescere corpus, atque liquari carnes, ex purgantium medicamentorum vsu videmus. Quamobrem à pharmacorum vsu nos salutari admonitione Plato doctissimus in Timæo deterruit. Rasius quoque & Auicenna ab eorum vsu crebriore cauendum (si saluti, & incolumitati cõsultum volumus) monent, hortantúrque, vt quis ex eis minimùm accipiat, ob eam scil. quam in purgando naturæ vim inferunt. Vt igitur eò redeat, vnde digressa est oratio, ea quæ violentò motu trahunt, quæque mota ipsa alia mouent, similitudine substantiæ id non efficiunt. Nunquam simile simili vim infert, nec ea quę hoc modo trahunt, cum his quæ trahuntur similitudine substantiæ conueniunt. Quæ.n. similitudo inter equos currum trahentes, & attractũ currũ? aut quæ inter machinam onera subleuantem, & quæ attrahuntur onera? nulla mehercule, nisi valde remota, & generica. Ad quẽ sanè modũ medicamenta purgãtia cùm trahere humores dicantur (vt paulò anteà ex Mesueo mõstratũ) fatẽdũ sanè, non substãtiarũ similitudine id efficere medicamẽta, verùm tacita potiùs quadã facultate, & proprietate quæ in ipsis est, quã cœlestẽ facultatẽ, virtutẽ, ac proprietatẽ Mesueus vocauit. Gal. substãtiæ similitudinẽ appelladam cẽset, sed quàm

lib. 2. aph. 51. Gal. in art. medic.

Lib. 4. ad Alm. c. 15. Auic. fen. 4. primi c. 5.

rectè viderit ipse. Nec mihi satis ea Gal. ratio probatur, quæ cnicum, eò quod pituitosum quid habeat, pituitæque colore simile sit (albû enim est) ob id pituitam trahat. Indigna mihi Gal. ea ratio semper visa fuit, quòd ex colore solo similitudinem in rebus deducere velit, nec in quibus pituitosum quid inest, ea omnia trahere pituitam dicenda sunt, Caseus, pinguis & mollis, albus, viscidus, lentus, glutinosus, instar pituitæ est, multámque cum eo humore sympathiam habet, at quis caseum pituitam trahere nisi insanus dicet? Scio hîc quid mihi à Gal. responderi possit: Pituitosi quidem plurimùm in caseo inesse, sed poten tia vincere pituitam non posse, atque ob id à caseo pituitam non attrahi. At multa est inuenire huiusmodi talia, quæ & lenta sunt, & alba, & calore suo pituitam vincentia, quæ pituitam tamen non trahant. Pitides (quos pinorum fructus, & nucleos pineos nostri vocant) lentum quid in se habent, coloréque pituitam imitantur, & ad caliditatem declinant, nullus tamen eos pituitam vnquam trahere dixerit. Cynosorcis radix bulbosa, alba, lenta & vehementer calida est, non tamen pituitam trahit, multæque sunt eius generis. Non igitur cnicum ob id pituitam trahere dicendum est, quòd illi aut colore simile sit, aut pituitosum quid habeat, sed quòd ea sit facultate cœlitus illi impressa preditum. Quin mirari denuo subit, quid sibi Gal. velit, pituitam pituitę eandem quidem esse, similem verò non item, aut cnicum pituitæ similem. Si enim pituitæ pituita eadem est, specie inquam, an non sibipsi simillima erit? Quæ enim specie eadem sunt, ipsa sibi inter se vel experientia duce, quàm simillima esse solent. Ob id homo homini, equus equo, leoni leo, ouum denique ouo (vt est in prouerbio) simillimum est. Quod vel ex ipsa similis definitione à Platone prolata, constare potest. Simile (inquit) est, cui aliquid idem cum altero accidit. At quibusnam magis idem cum altero conuenit, quam his quæ specie eadem sunt? vt in quibus & substantiæ identitas, & proprietates eæ omnes, quæ substantiã consequũtur, inueniantur? ob id risibilis omnis homo est, & hinnitum omnis equus edit, mugitum bos grunnitum sus. Atque in his cùm similitudo consistat, vel Platonis sententia, quid magis simile alteri dicemus, quàm quod specie cum altero idem est? Quamobrem cum pituita pituitæ specie omnis eadem sit, non solùm eadem pro Gal. mente pituitæ pituitam, sed

Diosc. li. 1. cap. 74.

Libr. 3. de simpl. fac. cap. 23.

Plato in Parmenide.

sed simillimam quoque vnâ cùm Platone dicemus. Atq ue hæc ego,non aut mei ostentandi,aut conuellendi causa Galeni(quem in omni medicinę dogmate,ceu optimum ducem sequi imitarîq; oportere cēseo)in mediū attuli:sed illud cùm viderem,in hac ipsa re disquirenda , Gal.extra medicinæ pomœria latius euagatum,non satis his quæ apparent consentientia dixisse:haberémque Platonem,Auicennam,Mesueum causæ meæ patronos , qui & ipsi plenius(& vt puto etiam verius)aduersus Galeni sententiā rem tractarunt,cum illis pro veritate stādum magis,quàm iurare in verba magistri æquius duxi.Veritatis enim causa decreta quenque sua tollere licet, vt lib.1.ethicorum Arist.tradit:qui plus vni veritati,quàm Socrati & Platoni præceptoribus,tribuendum meritò censuit. Idémque aduersus Hip.pręstitit non rarò Gal.quem sæpenumero pro veritate deserit,vt lib.5.enarrationum medicinaliū mearum enarratione secunda ,à me longa serie demonstratum fuit. Itaque hoc mihi perpetuò in meis lucubrationibus obseruandum duxi,vt fidei dogmatum,ac veritati nunquam non inseruiam,vt liberè quæ à veritatis sinu manant,quæque sunt grauium autorum sententia firmata,ea promam atque in scriptis dem.Sed iam hîc capitis finis esto.

De Medicamentis, Hippocratis,& Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

MEDICAMENTA sunt omnia,quæ præsentem statum transmouent.*li.de locis in homine.*

Omnia fortiora transmouent.*ibid.*

Medicamenta fortiora à natura,in debilibus morbis dare non oportet,neque paucitate medicamēti debilitas ipsius facienda est.*eod.lib.*

Medicamento transmouere si velis,licet:& rursus si velis alimento ac cibo.*eod.lib.*

Fortibus pharmacis,fortibus natura vtendum est : debilibus verò pharmacis,non fortibus.*eod.li.*

Medicamentum patiendum non est ,sed singulis secundū naturam debilibus quidem debilia à natura : fortibus verò morbis,fortis naturæ pharmaca exhibenda sunt. *eodem libr. de loc.in homine.*

Si Medicamenta morborum clara sunt & manifesta , velut,equidem arbitror , non expectant sanè fortunam ad sa-

nandos morbos, si quidem sunt medicamenta. Si verò cùm fortuna exhibere ipsa prodest, non magis medicamenta ea quæ non sunt medicamenta vnà cum fortuna sanos faciunt. *eod. lib. de locis in homine.*

si homini alicui Medicamentum dederis, quod pituitam ducit, pituitam tibi vomet: & si pharmacum dederis bilem ducens, bilem tibi vomet. Eadem ratione & bilem atram purgabit, si medicamentum exhibueris, quod bilem atram ducit. *li. de nat. hum.*

Vide in superpurgationibus, qui humores primò, qui secundò, qui postremò educantur. *lib. de nat. hum.*

in Medicamentorum vsu, talia ex corpore ducere oportet, qualia etiam spontè prodeuntia commoda sunt: contrario autem modo prodeuntia, sedare. *li. 4. aph. text. 2.*

Medicamentis purgare oportet, æstate quidem superiores magis, hyeme verò inferiores. *lib. 4. aph. 4.*

Medicamentorum purgationes sub cane, & ante canem molestæ sunt. *li. 4. aph. 5.*

Medicamenta aluum subducentia, si potus in pulmonem procederet, si in potu sumantur, extra ventrem procederent. *li. 4. de morb.*

Quæcunque medicamenta purgatoria sunt, aut supernè, aut infernè, aut vtrunque præstant, ea hæc faciunt, omnia valdè vrunt, & fortia quidem ex ipsis, si partem aliquam teneram corporis contigerint, eam exulcerant. Mitiora verò turbulentum corporis motum faciunt, quancunque tandem partem corporis occuparint. *li. 4. de morb.*

Medicamentorum modos scimus, ex quibus qualia, & quę sunt. Non enim omnes similiter, sed alij aliter componuntur. *li. 2. de pop. morb. sect. 3.*

Medicamenta alibi citius, aut serius in manuum tractationes assumuntur. Velut est aut siccare, aut tundere, aut coquere, & eiusmodi. Omitto plurima, quæ vnicuique & in quibus morbis, & quo tempore, morbi ætatem, speciem, victum, qualis hora anni, & quæ, & qualiter procedat, & huiusmodi. *li. 2. de pop. morb. sect. 3.*

Medicamentis si quis prius præcordia inflammata, maximè autē hepatis dolores, & splenis grauitates, & alias inflammationes, vt suprà septū trāsuersū dolores, ac morborū collectiones, solui nō possūt. Nā venę sectio in talib. principalis est. *li. 4.*

li. 4. de rat. vict. acut. text. 18. & sequitur eodē loco. Deinde clysterē exhibere, idq; si nō magnus & vehemēs fuerit morbus. Sin minus etiam posteà medicamento purgante opus est. Sed & post venę sectionem purgans medicamentum securitate ac moderatione opus habet. *eod. lib. 4 de rat. vic. acut. text.* 18.

Quicunque ea quæ inflammata sunt, statim in principio morborum medicamento soluere aggrediuntur, hi de intento quidem, & inflammato nihil auferunt: non enim remittit affectio, quæ adhuc cruda est, quæ verò resistunt morbo, ac sana sunt, colliquefaciunt. Debili verò fiente corpore, morbus inualescit. Cum autem morbus corpori prçualuerit, tale iam incurabiliter affectū est. *li. 4 de rat. vic. in mor. acut. text.* 19.

Medicamenta purgantia diebus imparibus non exhibenbenda. Humor enim in corpore ægroti magis turbatur in imparibus. *li. 4. de morb.*

bonum Medicamentum aliquando est, nullum etiam adhibere medicamentum, & ad aures, & ad multa alia. *Lib. de artic.*

de Medicamentis subdititiis ad vteri affectus, vide Hipp. li. de superfœtatione, & de mulierum morbis.

Qui autem de purgationę loci ex Hippoc. habentur, eos vbi de purgatione locos tractabimus, adferemus.

GALENI.

MEDICAMENTVM omne id dicimus, quod naturam nostram alterare potest. *Lib. 1. de simpl. facul. cap. 1.*

Medicamentum ad aliquid est. *eod. lib. & cap. 1. & 2. & li. 3. de temper.*

Medicamentum simplex est id, quod secundum naturam suam syncerum est, & ipsum per oppositionem ad compositum nuncupatum est. *eod. li. c. 1.*

Medicamenta veluti Deorum manus sunt, quòd iuuent maximè, si is qui eis vtitur in rationali methodo fuerit exercitatus, & cum hoc natura prudens. *Lib. 6. de comp. medic. secundum locos.*

Medicamentum à nutrimento quô differat. *Li. 1. de simpl. facul. c. 1. & li. 5. c. item 1. & lib. 3. de temper. & lib. 3. de simplic. facult. c. 3.*

Medicamenta tantùm sunt ea, quæ vna qualibet qualitate alterantur, ac mutantur. *lib. 3. de temper.*

Medicamentorum simplicium facultates, neque à calore, neque ab odore, neque à consistentia, conglaciatione, duritia, lenitatéque æstimare oportet. *Lib. 2. de simpl. facul. c. 3.*

Medicamenta quæ examinanda veniunt, omnis extraneæ valentísque tum caliditatis, tum frigiditatis, aliena sunto. *li. 1. de simpl. fac. c. 5.*

Medicamentum quod in iudicium venit, non mistum, sed simplex esse oportere. *li. 1. de simpl. facul. cap. 33.*

Medicamentorum simplicium quodque calidum, aut frigidum potestate dicitur. *Lib. 3. de temper. ad princ.*

Medicamentorum facultates ad mediam referentes temperiem, expendere oportet. *Lib. 3. de simpl. facul. c. 13.*

Medicamenta pleraque, quæ sensui simplicia videntur, persæpe compositas obtinent vires: imò vero nonnunquam etiam contrarias. *Li. 3. de simpl. facul. cap. 14.*

Medicamentorum facultates, non ad totam rerum naturam iudicanda, sed ad nostram naturam. *Li. 2. de simpl. facul. cap. 40.*

Medicamenta acria febrem inferre queunt. *Lib. de morb. caus. c. 2.*

Medicamenta natura frigida, veteres potestate frigida dixerunt. *Lib. 3. de simpl. facul. c. 20.*

Medicamentorum quæ frigore interimunt, nullum genere lethale est, sed sola quantitate. *Lib. 3. de simpl. facul. cap. 19.*

Medicamenta quæ erodendo putrefaciendóque interimunt, toto genere, non qualitate deleteria sunt. *Lib. 3. de simpl. facul. c. 22.*

Medicamentum nullum tam calidum est vt flãma, pruna, & aqua feruens: procedit tamen ad vstionẽ vsque medicamentorum caliditas, vbi videlicet in crassa consistit essentia. *Lib. 4. de simpl. facul. cap. 2.*

Medicamentorum, tum calfacientium, refrigerantium, siccantium, humectantium, gradus quatuor, & ordines à Galeno expositi. *Lib. 5. de simpl. facul. cap. 27.*

Medicamentum calidum, frigidum, humidum, ac siccum, comparatione, ad corpus humanum tale dicitur. *Li. 3. de simp. facul. ca. 4.*

Medicamenta humida, calidáque dicimus, non ceu cali-

diora humidioráque, quàm sit nostra substantia, sed ceu similem habentia nobis temperiem. *lib.5.de simpl.facul cap.5.*

Medicamenta quæ natura calida sunt, & quæ frigida, non eodem modo vtraque principium actionis à nobis accipiunt. *lib.1.de simpl.facul.cap.20.*

Medicamentorum opera promouet innata corporibus nostris caliditas, quippe quę intro ad se attrahat, & comminuendo extenuet. *li.3.de simpl.facul.cap.18.*

Medicamenta natura frigida celerius vim suam in corporibus, & naturis calidis, magísq; vim suam exerunt. *libro 3.de simpl.facul.cap.18.*

Medicamenta quæ celeriter in tenuia soluuntur, tenuiũ appellantur partium: at quæ id perpeti nequeunt, crassarum. *lib.4.de simpl.facul.cap.3.*

Medicamenta frigida, quæ crassarum sunt partium, mordicare nequeũt, vtpote quę extimam cutis superficiem penetrare non valeant. *li.4.de simpl.facul.c.3.*

Medicaméta eadem aliàs aliter agere videntur, pro diuersis corporum affectibus. *lib.3.de simpl.facul.cap 8.& 11.*

Medicamentorum facultates experientia cognoscere, indicaréque oportet. *li.3.de simpl.facul.cap.9.*

Medicamenta que paruam sortita sunt molem corpoream, magis agunt, quàm quæ magnam. *libro 1.de simpl.facul.cap.12.*

Medicamenta quæ subtiliorum sunt partium, promptiùs propriam exerunt actionem, quàm quæ crassiorum, tametsi eandem cum illis facultatem obtineant. *libro 1.de simpl. facul. cap.11.*

Medicamenta calefaciẽtia, dum crassa admouentur, non calefaciunt corpus, priusquàm ad vnguem comminuantur, extenuentúrque. *li.1.de simpl.facul.cap.12*

Medicamentorum facultates quædam primę & communes, quædam secundæ, & tertiæ, & horum singillatim longa serie explicatio. *lib.5. de simpl.facul.cap.1. & lib.6.de comp. medic.secundùm genera.*

Medicamenti quam facultatem quisque sapor indicet. *li.5.de simpl facul.cap.26.*

de Medicamẽtorum facultatibus, ambiguitatis quæ sint principia. *lib.2.de simpl.fac.c.23.*

Medicamentorum facultates, in specificorum genere cam-

consistunt: cùm quædam alterent non specificè. *lib.3. de simpl. facul. cap.4.*

Medicamentorum facultatibus iudicandis, sufficit quæ per sensum accipitur experientia. *lib.2. de simpl. facul. cap.2. adductis rationibus quibusdam communibus.*

Medicamenti cuiusque facultatem, primùm in optima corporis constitutione, deinde in intemperatis, demum in morbis simplicibus experiri oportet: sintque quæ experimur impermista, & ab omni extranea qualitate aliena. *lib.1 de simpl facul. cap.33. & lib.2. cap.9. de tempe. & li.3. de simpl. facul. cap.10.*

ad Medicamentorum simplicium explorationem, sensus tanquam insufficientes haud contemnendos esse. *lib.1. de simpl. facul. cap.30.*

Medicamẽtorum simplicium faculates, aliæ ratione quoque, aliæ sola experientia reperiri possunt. Quæ enim calefaciendo, refrigerando, humectando, siccandoque afficiunt, ratione horum facultates inuenire licet. Quæ verò secundùm totius substantię proprietatem perficiuntur, sola experientia. *li.6. de simpl. cap. de abrotono.*

Medicamenta simplicia, quædam mixtam facultatem habere, & nonnunquam ex contrariis coalitam, probat Galen. in aloë, squamma æris brassica, lacte, & multis aliis. *lib. de theriaca ad Pisonem. & li.3. de simpl. facul. c.14. & 15.*

Medicamenti facultatem ex eo quod citius, aut tardiùs congelascit, quomodo colligere liceat. *lib.1. de simpl. fac. cap. 17. & 18.*

Medicamentum simplex est id, quod secundum suam naturam syncerum est. *lib.1. de simpl. facul cap.2.*

Medicaminum simplicium pleráque dissimilarium sunt partium, réque vera composita: cæterùm appellari simplicia, quod cuiusmodi sunt, talia natura sint, nec quicquam, ex nostra industria assumpserunt. *lib.5. de simpl fac. cap.1.*

Medicamenta quædam ad sensum simplicia, è pugnantibus constare facultatibus. *lib.3. de simpl. fac. c.14. & 15. & lib.1. c.16. & lib.3. c.15.*

Medicamentorum contrarias qualitates, ex operibus iudicare oportet. *lib.5. de simpl. facul. cap.26.*

Medicamentum simplex idem, diuersos sapores continere posse. *Colligitur li.3. de simpl. fac. cap.16.*

Medicamentorum facultates non sat est simpliciter assignasse, nisi etiam in maioris, minorisque ratione vires discernantur, & in eo taxati veteres medici à Gal. *lib. 1. de simpl. facul. c. 27.*

Medicamentorũ non omnium facultates ambiguę sunt, nempe eorum, quæ vehementer, vel excalfaciunt, vel refrigerant. *lib. 1. de simpl. fac. cap. 26.*

Medicamentorum facultates, non satis exactè distinxit Dioscorides. *lib. 2. de comp. medic. secundum genera, ad principium.*

Medicamenta simplicia, non paruo variant discrimine, & in præstantissimis virtutem, pro vnaquaque specie, ac genere, vt fecit Gal. experiri oportet. *li. 6. de comp. medic. secundum genera.*

Medicamentorum mordicantium, alia facultate calida, alia frigida necessariò esse. *lib. 4. de sim. fac. cap. 2.*

Medicamenta subtilia, facilius in totum corpus digerũtur, crassiora in ventre hærent melius, & proinde deiectionibus hæc sunt idonea, illa cæteris operibus. *Colligitur lib. 4. de sanit. tu. in confectione diaspolitici.*

Medicamentum potestate calidum, si immodicè sumatur, erodere potest: sin exiguum sit, & iis temperatum, quæ eius vehementiam remittant, iuuare citra noxam potest. *lib. 3. de temper.*

Medicamentum è media temperie esse iudicandum est, si mediæ temperaturæ similem temperaturam obtinuerit. *lib. 3. de simpl. fac. c. 7.*

Medicaminum poros purgantium, vnumquodque calidum est, & tenuium partiũ: & cur intrò assumpta ex his quędam poros expurgant, foris imposita id non agant, sed obstruant potius. *lib. 5. de simpl. fac. c. 12. longa serie.*

Quod materiæ rationem obtinet, in mistis medicamentis, mediam tenere temperiem debere. *lib. 3. de simpl. facul. cap. 26.*

Medicamentorum calfacientium, refrigerantium, humectantium, siccantium, quatuor ordines statuit Gal. *lib. de simp. facul. cap. vlt. & lib. 1. de comp. medic. per genera.*

Phamacorũ quę per excellẽtiã quancunque proferuntur, duodecim subsistunt ordines. *li. 2. de comp. medic. per genera.*

Medicamentorũ actiones, & temperaturæ inter se differũt: sese tamẽ cõsequuntur. *colligitur lib. 5. de simpl. facul. cap. 26.*

Medicamenti cuiuſque temperaturam qualiter è ſaporibus æſtimare oporteat. *Li.5.de ſimpl.facul.c.26.*

Medicaminum ad interiora pertinentium ſpecies duodecim exiſtunt. *in introductorio.*

Medicamenta nonnulla cur foris admota nihil offendant, intrò verò aſſumpta offendant: alia vtrunque faciant, quod nihil foris, intúſque parem agendi facultatem habet. *Li.3.de temper.*

Medicamentorum facultates ſingula membra reſpicientes, à quibuſdam confutatæ: & eorundem à Gal. improbatæ rationes. *Lib.1.de comp.medic.per genera, ad principium.*

Medicamenta alia per totas ipſorum ſubſtantias, alia qualitatibus manifeſtis agere. *Lib.de theriaca ad Piſonem. et lib.13.meth.med.c.8.*

Medicamentorum, quæ à tota ſubſtantia agunt, methodus, aut ratio nulla eſt, ſed omnia talia ſunt per experientiam inuenta: eorum autem quæ qualitatibus manifeſtis agunt, methodus eſt. *Libr.13.meth.med.c.8.*

Medicamenta pleraque quibuſdam corporis partibus eximiè curandis, ſunt idonea: vt eupatorium hepati, glans vnguentoria lieni: ſarxiphagon, & betonica renibus pulchrè faciunt, *lib.de theriaca ad Piſonem*

Medicamenta valde vetuſta, omnia fugere oportet *lib.1. de comp. medi.ſecundùm locos, cap.de alopecia.*

Medicamenta nonnulla partes quaſdam corporis vitiāt, vt lepus marinus pulmonem exulcerat, cantharis veſicam peculiariter afficit. *Li.de theriaca ad Piſonem.*

Medicamenta quædam per antipathiam prodeſſe, vt ſter core humano ad gutturis phlegmonas illito probat Gal. *Li. 10.de ſimpl.facul.cap.proprio.*

Medicamentorum facultates experientia iudicandas eſſe probat Gal. *Lib.3.de ſimpl.facul.cap 9.& lib.1.de antidotis.*

Medicamenta quædam à partibus corporis appellationem ſortita, velut hepatica, ſplenica, ſtomachica, ophthalmica, cur ſic dicantur. *Lib.5.de ſimpl.facul.cap.24.*

Medicamentorum quod guſtu, olfactúque tentatum excellit, id ea in re validius ſui generis aliis eſt. *li.1.de antidotis.*

Medicamentum quodque ſimplex, ſæpius contemplandum admonet Galenus, *Lib.1.de antidotis.*

Medicaminibus virulentis, & feris noxiis, nihil inter

vitæ mala difficilius. *lib. de theriaca ad Pisonem.*

Medicamen aliud alij idoneum. *eod. lib. de theriaca.*

Medicamentis assumendis sunt quidam tam inepti, vt nequaquam vti ipsis possint, & stomachus auersetur, ac ante vsum facilè dissoluatur. Nonnulli tam facilè ea capere possunt, vt etiam sæpius concoquant, vel nihil ab ipsis incommodi, sed aliquando nutrimentum experiantur. *lib. de theriaca ad Pisonem.*

Medicamentorum naturas nos discere hortatur Hipp. & tempus exquirere, quo medicamenta debent assumi: denique eorum qui assumunt temperaturas inspicere: citato in id Hip. loco, ex secundo lib. de popul. morb. *lib. de theriaca ad Pisonem.*

Medicamentorum vsus hominibus varius est, vt calfaciãt, refrigerent, siccent, humectent, contendant, laxent, &c. *li. 5. de simpl. facul. cap. 2.*

Medicamentorum materia, quæ difficulter comparari potest, fugienda. *lib. 10. de simpl. fac. cap. de stercore anserum, & ciconiarum*

Medicamenta ea diligenda, quæ ex paucissimis, paratúve facillimis simplicibus componuntur, tum quæ ad plura valent, & proposito maximè scopo seruiunt. *lib. 2. de antidotis. pag. 833.*

Medicamentis prius compositis, & comprobatis vti rectius est, quàm noua inuenire. *li. 2. de comp. med. per genera, ad principium: colligitur ex serie textus.*

Medicamenta si non certum adferant auxilium, saltem vt ne obesse queant curandum. *li. 1. de comp. med. per genera, cap. 817. d. & lib. 1. de comp. med. secundum locos, ad princ.*

Medicamentorum vsus, citra meth. periculosus. *lib. 1. de comp. med. secundum locos, ad principium.*

Medicamentis sæpe probatis vtendum magis, quàm incertis. *Colligitur lib. 10. de simpl. fac. cap. de sanguine vespertilionis.*

Semper conatus sum eiusmodi vti præsidiis (ait Galen.) quæ an profutura essent, nonnunquam sane dubitabã: quod autem nihil afferrent incommodi, certò sciebam. *li. 1. de comp. med. per genera, pag. 817.*

Medicamenta omnia esse optima ei qui affectus, quibus singula offeruntur, cognoscat, sicut & eos ignoranti, omnia pes-

pessima. *lib 2. de comp. medic. per genera, pag. 828. c.*

Medicamenta quædam damnanda, & legibus etiam vetita. *li. 10. de simpl. fac. ad princ.*

Medicamenta nihil esse per se sola, nihil enim sunt nisi vtentem eis rectè fuerint adepta. *lib. 6. de comp. medic. secundum locos.*

Medicamenta, veluti Deorum manus sunt. *lib. 6. de med. secundum locos.*

Medicamentum nullũ tam efficax medicina habet, quod solitum auxilium afferre queat, si ei victus, vel resistat, vel nõ adiuuet *lib. de theriaca ad Pisonem.*

Medicamenta quæ ad distributionem faciunt, ante cibũ sumenda, nunquam post cibum. *lib. 4 de sanit. tu.*

Medicamenta efficacissima, non statim à principio adhibere conuenit, sed à debilioribus auspicari. *lib. 2. de comp. med. secundum locos, cap. de cephalæa.*

Medicamenta fortia, mitigatoriorum admistione lenita, moderata fiunt. *eod. li. & c.*

Medicamentum iucundissimum fieri debet, sed tamen virium eius vtilitate seruata. *lib. 4. de sanit. tu.*

Medicamentorum variare vices expedit. Cui nanque assuefacta spatio sumentis natura erit, eius vim contemnet. *li. 5. de sanit. tu.*

Ad contraria medicamenta transgressus fieri subitò non debet. *lib. 2. de comp. medic. secundum locos, pag. 497. c.*

Quod auxilij loco adhibetur, vel Hip. sententia iuuet, aut certè non noceat. *lib. 1. de comp. medic. secundũ locos, ad principium.*

Medicamentum, & cui adhibetur affectus, æqualiter vtrinque à medio distare debent, vtroque in contraria recedente, Galeni demonstratio. *lib. 3. de simpl. fac. c. 12. & lib. 1. de comp. medic. secundum genera, pag. 795. b.*

Medicamenta quæ ad effectus viscerum ex intemperie curandos adhibẽtur, aptissima sunt, si vnà quoque alere possint. *lib. 8. de comp. medic. secundum locos, pag. 713. c.*

Medicamenta eadem non requirunt omnes naturæ. *lib. 3. meth. med. cap. 3.*

Medicamenta ignis beneficio domita pleraque curationi fieri idonea, & huius rei explicatio. *lib. de theriaca ad Pisonem.*

Medicamentorum adulterandorum ratio non scribenda, cùm homines scelerati in lucro ponant talia posse discere. *li.9.de simpl.fac.c.de dyphrige.*

Medicamentorum dealbandorum, & abluendorum ratio *lib 2.de simpl fac.cap.15.*

Medicamenta omnia, partim sunt partes animalium, aut plantarum, aut fructuum, aut horum liquores, aut succi, partim verò ex metallis sumuntur. *li.6. de simpl.fac.c.1.& lib.1.de comp.med.per genera, pag.794.c.*

Medicamentorum simplicium cognitioné, ex inspectione frequenti fieri vult Gal. *lib.3.de com.medic.per genera, pag. 865.d.& li.1.de antidotis, pag.385.*

Medicamentum in omni genere optimum, quod vehementiorem odorem habet. Pessimum verò, quod sui generis aliis, & tenuius est & exilius. *lib 1.de antidotis, pag.385.c.*

Medicamenta alia in aliis regionibus abundant, & meliora sunt iis quæ alibi nascuntur. *lib.3. de medic. secundum locos, pag.516.d.*

Medicamenta generis oleosi, in malignis vlceribus curãdis maximopere vitanda. *lib.4.de comp. med. per genera, pag. 897.c.*

Medicamentorum simplicium contrarias inter se potestates in mistione corrumpi nonnulli dixerunt. *lib. 1.de comp. medic.per genera, ad princip.*

Medicamenta composita præparamus, comperta prius morbi cuiusque natura, differentiáque temperamenti simplicium medicaminum cognita. *lib. de thiriaca ad Pisonem, pag.335.b.*

Medicamentorum compositiones veteres præstantissimi medici optimas effecerunt, ex singulorum natura confecturę artificium inuenientes, quęque intensa sunt ipsis qualitatibus aliorum mistura remittentes, simili ratione acria hebetantes. *li.de theriaca ad Pisonem, circa fin.*

Medicamentorum eiusdem generis mistura, mediorum pharmacorum vsus gratia fit. *lib. 6. de comp.med.secundùm locos, pag.646.d.*

Medicamentorum cõplurium compositiones, laudabiliũ primus omnium Mantias Herophileus scripsit. *lib. 2. de com. med.per genera, pag 825.c.*

Medicamenta probè qui compositurus sit, simpliciũ medica-

dicamẽtorũ vires non solùm generatim scire eum oportet, verùm distinctè mẽbratímq; ex quo sint ordine singula nosse conuenit. *li.1.de comp.med.per genera.p.793.d.& 794.c.*

In componendis medicamentis ea maximè cura habenda est, vt bona, integráque, & in vigore sint omnia, quæ admiscentur: eáque maximè præparent, quorum materias in promptu habent. *Lib.1.de comp. medic. secundum locos, pag. 473.c.*

Medicamentorum compositio, pro natura sumentis tẽperanda. *li.6.de comp.med.secundum locos.pag 627.b.& c.*

Medicamenta sumptuosa interdum præparare conuenit licet vilia tantundem possint, & cur. *li.3. de com.med.per genera,pag.888.b.& c.*

Remedia ex paratu facillimis componi, melius est. *Eodem loco.*

Nullum sumptuosum medicamentum pauperculis hominibus dedit Gal. sed ex paratu facillimis. *eod.lib.3.de comp. medic.per genera,& pag.eadem.*

Medicamentum idem nunc ventrem deiiciens, nunc vrinam ciens, pro vario componendi modo fieri ex varia Diospolitici medicamenti compositione probat Galen. *Lib.4. de sanit.tu.*

Medicamenta quædam sola exhibita insigniter nocent, cæteris mixta prodesse plurimum probat Gal. ex cantharidibus, & papaueris liquore. *libro.de theriaca ad Pisonem, pag. 345.d.*

Si medicamentis simplicibus, vniuersos præter naturam affectus curare liceret, nullus vnquam compositi vtique vsus foret. *li.1.de comp. medic.per genera,pag.795.a.*

Medicamẽto aliquo sponte nato, ac simplici, morbũ interim curari posse, interim verò compositi vsum requiri. *libr. 1. de comp.med.per genera,pag.795.a.*

Medicamentorum compositionis vsus. *eod.lib.& pag.*

Medicamentorum quæ putrefactione, & erosione nos afficiunt, actio qualis sit, ea videlicet, quòd ipso genere naturam nostram corrumpere possunt, non modo multitudine, velut refrigerantia, sed & quòd tempore perniciosiora reddantur. *lib.3.de simpl.facul.cap.21.*

Quibus medicamentis actio consistit in putredine, iis tẽpus actionem adauget, quoniam scilicet & putredinem.

li.3.de simpl.fac.cap.81.& 22.

Medicamenta frigida deleteria vt cicuta hominem necant, tum ob meatuum amplitudinem, calorísque multitudinem, tum ob attractionis arteriarum robur validum, etiãnum ad cor pertingens. *li.3.de simpl.facul.cap.* 18.

Medicamentorum, quæ frigore interimunt, nullum genere lethale est, sed sola quantitate. *Li 3.de simpl facul.cap.* 19.

Medicamenta erodentia, putrefacientiáque rectè toto genere, non qualitate sola deleteria dici. *Lib.3.de simpl.facul.cap.*22.

Medicamenta putrefacientia interdum non occidunt, quòd excerni interim cum excrementis, quæ tenuiora sunt, possint. *lib.3.de simpl.facul.cap.*23.

Medicamenta deleteria frigida, si paucula sumantur alere queunt, putrefacientia, erodentiáque nequeunt, modò magnitudinem aliquam habeant. *li.3.de simpl.fac.c* 23.

Medicamenta diaphoretica, hoc est per halitum digerentia, desiccant, & humorem superfluum euacuant, aut humores ebibentia cum poris quibusdam insunt, aut totam alterantia partem. *li.5.de simpl.facul.cap.5.*

Medicamenta emplastica duplicem habent naturã, partim enim terream, partim viscosam & lentam. *Lib.4 de simpl. facul.cap.5.& eorum enumeratio.ibidem.*

Medicamentum glutinatorium siccius sarcotico esse oportet. *li.3.meth. med.cap.5. & lib.2.de comp.medic. per genera, pag.*847.

Medicamenta emollientia, hoc à pus mouentibus differunt, quòd emollientia calidiora sunt, & moderatæ desiccãt existentem in parte humiditatem: pus autem mouentia corporibus quidem nostris similem calorem obtinent, sed tamẽ existentem in eis humiditatem conseruant. *lib. 5. de simpl.facul.cap.*8.

Medicamenta metallica appellare medicis mos est, quorum generatio in metallis est, siue spontanea, siue per fornacem facta *li.9.de simp.fac.pag.* 255. *D. & de metallicorum natura.ibid.*

Medicamenta metallica fortiora dum aceto abluuntur, eorum retunditur morsus, & erosio, bonitásque augetur. *li.2. de comp.med.per genera.pag.*831. idémque præstat combustio, sed

ſed ex ignis commercio nonnihil mordax, ſeu erodens perſeuerat, quod per lauationem deponitur. *ibid.*

Medicamentorum metallicorum ex aceto ablutio, pręparatióque ad neruorum vulnera. *li.3.de comp.med.per genera, pag.879.A.b.*

Medicamentorum metallicorum ex vino aut aceto, abluendi modus à Galeno traditus. *li.4. de comp.medic.per genera, pag.899.*

Metallica medicamenta niſi plenè cocta ſint, cuti ſine deligatura non adhærent. *lib.1.de comp.medic.per genera, pag. 819.b.*

Metallicorum citra morſum, & exaſperationem vlcera ſiccantiũ enumeratio, præparatióque. *li.4.de comp.med.per genera, pag.895.c.d.*

Medicamenta metallica per longioris temporis ſitum, & ipſa viribus infirmantur. *lib.1.de comp.medic.ſecundum locos, pag.438.b.*

Medicamenta polychreſta Græci vocant, quæ multis affectibus conueniunt. *lib.5.de comp.medic.per genera, pag.932.b. & lib.8.medic.ſecundum locos, pag.716.a.*

Pharmacum ad multas affectiones optimum inuenire impoſſibile. *Lib.8.de com.medic.ſecundum locos, pag.716.c.*

Medicamenti nomen tã pro extrinſecus adhibitis, quàm intrò aſſumptis, vſurpat Gal. vt patet conceptis verbis ab eo. *lib.6.aph.com.18.ad fi.*

Medicamenta ſingula proprium ſibi attrahunt humorẽ. *li.1.aph.com.22.*

Medicamenta purgantia omnia poteſtate eſſe calida, vult Gal. *li.1.aph.com.24.*

Medicamentum purgans, etſi calidum ſit, frebríſque ipſa calida, maius tamen ex noxiorum humorum euacuatione commodum, quàm ex caliditate detrimentum ſequitur. *li.1. aph.com.24.*

Medicamenta purgantia exhibendi, atque in euacuatione ſcopi habendi. *lib.4 aph.com.2.*

Medicamentum ex calamentho ciet menſes, & humores craſſos extenuat. *li.5.aph.com.36.*

Medicamenta potentia exhibere in prægnantibus, neque congrua vti diæta poſſunt medici. *li.5.aphor.com.55.*

Medicamenti potio exſiccat totum corpus, & vires de-

bilitat, & aliquid albi apparere facit in oculis dormientium. *li.6.aph.com.52.*

Medicamenta calfacientia, & exsiccantia neruosæ partes desiderant. *li.5.aph.com.66.*

Medicinæ comitiali idoneæ cum victu exsiccãte, comitialem curant. *li.5.aphor.com.7.*

Medicamentum epotum sanat oculorum dolores. *lib.6.aph.com.13.*

Medicamenta reprimentia, & frigida suscepta habet Galenus, in oculorum doloribus leuandis: quòd nec valdè reprimant, & excerni prohibeant humores. *li.6.aph.com.31.*

Medicamenta pus facientia, in vlceribus securitatem adferunt. *li.5.aph.com.22.*

Medicamenta sarcotica tantùm superantur ab iis quæ glutinant, quantum hæc ab iis quæ cicatricem inducunt. *lib.2.de comp.medic.per genera.pag.847.c.*

Medicamenta septica, id est, putrefacientia crustam non faciunt, vt escarotica, & septicorum enumeratio. *li.5. de simpl. c.15.*

Medicamenta quæ somnifera, & quæ torporem inducãt. *li.3.de sympt.caus.cap.vlt.*

Medicamenta rarefacientia dicimus, quæ meatus reserãt: quæ verò vasorum oscula, aperientia. Quod poros contrahit, condensans: & quæ sit horum natura. *li.5.de simpl.fac.c.15.*

Medicamentorum simplicium vlcera, citra morsum exasperationémque siccare potentium catalogus. *lib.4. de comp. medic.per genera.pa.895.& 890.D.*

Medicari verbo, pro vti medicamento, vsurpauit Hipp. *lib. 1.aph.com.22.& li.4.aph com.1.*

Medicationem, non cuiuscumque medicamenti assumptionem, solet Hippocrates nominare, sed tali vocabulo in sola vtitur purgatione. *li.2.aphor.com.37.*

Medicationis tres partes, diætetice, pharmaceutice, chirurgia. *lib.ad Thrasibulum.*

ad rectè Medendum plurimum confert, & temporis occasio, & auxiliorum quantitas. *lib. 1.de arte cur. ad Glau.cap.1.*

Medendi via & ratio, singulorum medicaminum qualitate, & quantitate nec non & modo eorum vsus, & ex temporis occasione perficitur. *libro primo de arte curanda ad Glauc. cap.1.*

Meden-

Medendi rationes totidem sunt, quot morborum ideæ. *lib.2.meth.med.cap.6.*

Medendi rationem veterum Asclepiades mortis medicationem nominare non verebatur. *lib.de vena sect. aduersus Erasistratum.*

Medendi præceptum primum, à quo est perpetuò inchoandum, contraria contrariorum esse auxilia. *libro quinto de sanitate tuenda.*

ADMONITIO LECTORI.

De medicamentis, & eorum vsu, sat multos attulimus locos, neque enim omnes describere, sed præcipuos tantùm consilium fuit. Si quis enim ex vndecim simplicium Galeni libris, ex duobus de antidotis, tertio de temperamentis, libro de theriaca ad Pisonem, decem de medicamentorum compositione secundum locos, septem de compositione per genera, & libro de paratu facilibus, & libris methodi medendi, & artis curatiua ad Glauc. Si quis inquam locos innumeros, qui in iis Galeni monumentis de re proposita cõprehensi sunt, vniuersos describat, ingens profectò volumen efficiat. Nos itaque ex immensa farragine hos selegimus, & ad alios sibi comparandos, lectorem ad præfata Galeni monimenta relegamus: ne quis oscitantiæ nos, aut neglecti officij arguere, nostro merito possit. Cùm enim de ea artis parte hoc capite tractaremus, quæ medicamentis curat, abundè fuit ea in hoc argumenti genere attulisse, ex quibus huius medicinæ partis vtilitatem, fructum, ingentiáque commoda adlatis communibus de ea re locis consequi studiosi medicinæ possent. Reliqua ipsi proprio sibi labore vendicabunt.

De sanguinis missione, seu venæ sectione, Hippocratis, & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

VASORVM inanitio si talis fiat, qualis fieri debet, confert & bene tolerant: sin minus, contrà. Inspicere itaque oportet & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos in quibus conueniat, aut non. *lib.1.aph.2.*

Habitus exercitatorum, qui ad summum bonitatis attingunt periculosi, si in extremo constiterint. Neque enim

possunt in eodem permanere, neque quiescere. Cùm verò non quiescant, neque possunt proficere in melius. Reliquum est igitur, vt decidant in deterius. His de causis bonum habitũ statim soluere expedit, vt corpus rursus nutriri incipiat. Neque compressiones ad extremum ducendæ (periculosum enim) sed qualis natura fuerit eius, qui debet perferre, ad hoc ducere conuenit. Sic & euacuationes quæ ad extremam deducunt, periculosę. *li. 1. aph. 3.*

Quicunque morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio. *li. 2. aph. 22.*

Mulier vtero gerens, sanguine misso ex vena, abortit: & magis si fœtus sit maior. *li. 1. aph. 31.*

Dolores oculorum venæ sectio soluit. *Libro sexto aphor. 31.*

Difficultatem vrinæ vena secta iuuat: secare verò interiores. *li. 6. aph. 39.*

Quibuscũque venæ sectio, vel purgatio cum medicamẽto conuenit, hos vere purgare, vel venam incidere oportet. *li. 6. aph. 47. & li. 7. 54.*

Venæ sectio soluit quæ larga, violenta, multa ex naribus fluxerint. *li. de prædict. 1.*

Venæ secandæ ratio, & modus. *lib. de decenti ornatu, & li. de ossium natura, pag. 84. ex versione Cornarij.*

In venæ sectione operam dare oportet, vt quàm longissimè à locis, vbi dolores fieri solent, ac sanguis colligi, secemus. *li. de ossium natura, pag. 94. ex Cornario.*

Venæ sectio quos lædat. *lib. de Coacis prænotionibus, pag. 582. ex Cornario.*

Si repente quis obmutuerit, huic dextri brachij venam secare oportet. Is enim venarum conclusione molestatur. *li. 4. de rat. vic. acut. textu 20 pag. 501. ex Cornario.*

In attonito, & comitiali, prius secandam venam, dein purgandum, consulit *Hip. li. 4. de rat. vic. acut. textu 24. & 25. pag. 501. ex Cornario.*

In acutis affectibus venam secabis, si vehemens appareat morbus, & infirmus ætate floreat, viribúsque abundet. *li. 4. de rat. vic. acut. textu 16. pag. 500. ex Cornario.*

In angina sanguinem ex brachiis detrahere, atque venas sub lingua secare iubet Hip. *lib. 4. de rat. vic. acut. num. 26. pag. 501. ex Cornario.*

In

In pleuritide, ac peripneumonia, si dolor ad superiores partes extenditur, vt iugulum, mammillam, brachium, internam brachij venam secare oportet, ab eo videlicet latere quod dolore fuerit affectum. *lib. 4. de rat. vic. acut. textu 67. pa. 505. ex Cornario.*

In sanguinis detractione, quæ consideranda. *li. 4. de rat. vic. acut. text 109. pag. 509. ex Cornario.*

Venæ vrendæ ratio, in quibus morbis conueniat. *li. de locis in homine, p. 99. ex Cornario.*

Quibuscunque venæ iuxta aures sectæ sunt, hi coëunt, quidem, & genituram emittunt verùm modicam, debilem, ac infœcundam. *lib. de genitura, pag. 40. ex Cornario.*

Multa rursus de venæ sectione, libris de morbis, de internis affectibus, de popularibus morbis, & in prorrhetico, sparsim est inuenire. Ad quæ inquirenda lectorem remittimus, ne omnia inculcare videamur.

GALENI.

AD sanguinis missionem complures esse propensos: alios purgantibus medicinis magis esse aptos. *lib. de purgantiũ medic. facultatibus.*

Sanguinis mittendi scopi tres in vnam summam redacti, morbi vehementia, æger ætate florens, facultatis robur, *lib. 4. de rat. vic. in acut. com. 16.*

Sanguinis detractionem neque puer, neque senex sustinent. *com. eodem.*

Sanguinis detractione non egent, qui insitam, naturalémque habẽt vacuationem. *eod. com.*

Sanguinis detractione multi sunt ex longis morbis, qui indigent, cùm hi dictis tribus subiaceant scopis. *ibid.*

Venam secamus non existente etiam plenitudine, cùm dolor vehemens hominem prehenderit, vel pars aliqua fracta fuerit, vel os ex loco pulsum fuerit, vel alius quispiam articulus contractus, reductúsque fit, *eodem com. 16. li. 4. de rat. vic. acut. & lib. 4. meth. med.*

Venæ sectio, sanguinis vacuandi causa adhibetur. *Lib. 8. meth. med. cap. 11.*

Sanguinis missio vtilis est, ceu vacuantium præsidiorum vnum, vbi sanguis tum venas, tum arterias, vel distendat, vel

findat, vel obstruat in aliis, ceu quod humorum vehementiorem impetum ad diuersam partem reuocet, vel propinqua deriuet. *li.9.meth.med.cap.11.*

Sanguinis missio semper valentes vires postulat, quę modo vacuationis eius respondeant. *eod.lib.& cap.*

Sanguinis detractio, & frigida potio, maxima continentium febrium remedia sunt. *Li. 9.meth.med.cap.5.*

Sanguinis missio nullo non in tempore in continentibus febribus, modò vires sustineant adhiberi potest, & quæ in ea attendenda. *Lib.9.meth.med.cap.5.*

Indicationes quæ sanguinem mitti prohibeant, & quæ suadeant, quænam sint. *eod. lib.& cap & eiusdem li. cap.7.*

Pueris, & senibus, sanguinem detrahere non licet. *Lib.8. meth.med.c.4.*

Secare venam in obstructionibus curandis ante omnia iubet Galenus, modò vires robustæ sint, etiam si plenitudinis signa non adsint *lib 8 meth.med.ap.4.*

Venę secandę consilium distulit Galenus, donec cuius generis febris esset perspectum haberet, & ob eam quæ præcesserat coctionis tarditatem *li.9.meth.med.cap 4.*

De multa nocte misisse sanguinem in palæstrita libero homine, testatur Galenus. *lib. 9.meth.c.4.& lib.de curandi ratione per sanguinis missionem.*

Sanguinis missio ad animi deliquium, si vires valentes sint, maximum continuæ febris remedium. *eod.lib.& cap.*

Duabus horis à misso sanguine cibari ægrum posse, ex Gal.est videre qui palęstritam duabus à misso sanguine horis cibauit, *eod.lib.& c.*

Non dierum numero, sed vni virium robori insistentes mittere sanguinem incontinentibus febribus expedit. *Lib.9. meth.med.c.5.*

Sanguinis mittendi præsidio omisso in febribus continētibus, in summum discrimen ægri veniunt, nisi vel virium robur, vel largum sanguinis profluuium, vt sudor copiosus, ex manifesta pernicie eripiat. *li.2.meth.med.cap.4.*

Si temporę mittendi sanguinis menses moueri contigerit, siue etiam hemorrhois sit reclusa, si inspecto fluentis impetu, ipse satis fore videbitur, qui solus quod requiris vacuet, naturæ rem omnem permittes: sin minus, tantùm ipse detrahes, quò ex coniunctis ambobus perficiatur quod postu-

postulas *li.9.meth.med.c.5.*

Quæ indicationes à mittendo sanguine vel dehortétur, vel eam fieri suadeant, lege eod.lib.& cap.

Immodicè missi sanguinis incommoda, virium resolutio, & habitus corporis deterior, temperamentum frigidius redditum, decoloratio totius corporis, & lapsus in morbos diuturnos, & exitiales, *li.9.meth.med.cap.*10.

Sanguinis detrahendi scopi multi à medico spectandi, natura ab initio, consuetudo, ætas, locus habitationis, anni tẽpus, cœli status. Ad hæc ægritudinalis, quem curamus, affectus, aliáque ratione ante hunc laborantis vires. *lib.9. meth. med.cap.vlt.*

In febribus à putredine, vbi coarctatum corpus sit, & exigui meatus densati, & multi simul, ac lenti humores subsint, in eiusmodi causarum complexu cœpisse à sanguinis missione expedit. *li.*11.*meth.med.cap.*4.

Sanguis mittendus statim est, si vires eius, qui ex putredine humorum febricitat valentes fuerint, si cruditas ventris non sit, statim morbo incipiente. *libro vndecimo meth. med. c.*14.

Sanguis mitti non debet puero, qui quartum decimum annum hactenus non attigerit. *eod.lib.& c.*

per Sanguinis missioné, nec obstructio, nec putredo curari potest. *li.*11.*meth.med.c.*14.

Sanguinem ab initio mittes omnibus, qui febricitant, si valentes viribus sint. *li.*11.*meth.med.cap.*15.

Venam incidere in febribus saluberrimum, non continuis modo, verùm etiam aliis omnibus quos putrescens humor concitat, vbi præsertim neque ætas, neque vires prohibent. *lib.*11.*meth.med.c.*15.

Sanguinis missione exuperantiam vacuare, si iam febricitet æger, licet. *li.*13.*meth.med c.*6.

Sanguinis missione plethora curatur. *libro & capite eodem.*

Sanguis qui ad iecur fluit, in ipsius phlegmone educendus est, interna in dextro cubito secta vena. *libro* 13. *meth.med. capite* 10.

Quibus partibus phlegmone tentatis, quæ venæ secandæ sint. *eod.li.c.*10.

Venã eam semper secandam, quę è directo est in internis

inflammationibus iubet Galen.*eod.li.& c.*

Incidenda vena statim ab initio in phrenitide, & lethargo est *li.13.meth.med.c.20.*

Sanguinis missio ad animi deliquium facienda in carbone. *lib.14.meth.med.c.10.*

Sanguinis missione, magnis infestantibus morbis, semper vtitur Hipp. ad ætatem, & ęgri vires respiciens. *Com.1.ad li.3. Epid.Hipp.super text.3.pag.453.b.*

Sanguinis missio quam vsque ad animi defectum faciendam esse paulo ante diximus, non paruum merito subsequetur incommodum, nisi opportuno tempore, aut debita mésura fiat. *lib.9.meth.med.c.10.*

Sanguinis missio in lassitudine phlegmonosa copiosissimè facienda: & interdum ad animi vsque deliquium. *lib. 4.de san.tuend.*

Sanguinis missio in ephemeris ab obstructione febribus competit. *li.8.meth.med.c.4.*

Sanguinem mitti in pestilenti morbo, & constitutione affectis, reformidat Galen. ex priscorum experientia. *li.de boni & mali suci cibis.*

Sanguinis missionem vt consuetam, in ęgris sępe pretermittit recensere Hip. *Com.1. ad tertium lib. Epid. Hipp. super text.3.*

A sanguinis missione non esse festinanter reficiendum. *li. 4.de san.tu.prope finem.*

A sanguinis detractione abstinendum est, vbi bonus sanguis exiguus est, reliquus vero succus plurimus. At vbi contrà euenit, detrahendus, *li.4.de san.tu.*

Sanguinis missionem; si quis vel ob ętatem, vel timiditatem detrectet, huic deiicienda largiùs aluus est. *Libro 4. de sanit.tu.*

cum Sanguinis missione tantundem valet, vel hemorrhoidas reserare, vel menses in mulieribus euocare, vel malleolos scapello incidere: post hæc aluum deiicere. *Lib.4. de san.tu.*

Sanguinem mitti non statim necesse est, vbi quis in sanguinis redundantisq; concursu est positus: imò alij satis facit inedia, alij cibi parcitas, alij soluta aluus, vel purgatio, vel frequentius balneum: alij sola exercitatio, vel multa frictio abũde fuit. *li.4.meth.med.c.6.*

San

Sanguinis detractione omissa, alia vacuandi ratio quæcunque periculosa, in quibus vel in cerebro, vel in spiritus instrumentis excrementum subsistit. *Li.4.de san.tu.*

Venę sectio circa initia morborum adhiberi debet: nonnunquam verò & purgatio. *L. . apho.com.29.*

Venę rectę frontis sectio posteriora capitis dolentia curat *com.2.in li.6.de pop.morb.super text.9.pag.587.& lib.5.aph com.68.*

Venę humerarię sectio, iis quę superioribus partibus suprà clauiculas sitis laborant, acommodatissima, vti axillaris iis, qui inferioribus partibus laborant, vti & communis. *Li.3. de adnat.admi.pag.264.a.*

Venæ sectio commune auxilium earum, quę ex plenitudine fiunt dispositionum. *Lib.6.aph com.77.& li.6.com.31.*

Venæ sectio, & sanguinis emissio quæcunque, & quouis modo facta, ęqualiter totum corpus euacuant. *Lib.4.aph. com.2.*

Venę sectio vrinæ difficultatem tollit. *Li.6.aph.com.36.*

Venā secamus accumbentibus ęgris, pręsertim febricitantibus, ne vel inter surgendum, vel residendum deficiant animo. *Li.1.aph.com.23.*

Venę sectione pleuritis curatur, si ad clauiculam dolor pertingat. *Li.6.aph.com.5 & lib.2.de rat.vic.acut.com.10.& li. 4.com 67.*

Venæ sectio ex vena cubiti, quæcunque erupta ex dorso ad cubitum descendunt, soluit. *Li.6.aph.com 22.*

Venę sectione quandoque spiritus flatuosus, & crassi humores sanantur, & euacuantur. *Li.6.aph com.22.*

Venæ sectio oculorum dolores sanat. *Lib.6.aph.com.31.& lib.7.com.47.*

Venæ sectio, quibus decet, in vere fiat. *Li.6aph.com.47.& li.7.com.54.*

per Venæ sectionem, & purgationem, inchoantem elephantem sanasse se testatur. Gal. *Li.6.aph.com.47.*

Venæ ex manibus secandæ, si supra hepar sit morbus. *Li. 6.aph.com.36.*

Præter hos quos ex Gal. attulimus, de mittendo sanguine, locos, superesse videtur locorum omnium de hac re veluti compendium: vnus Gal. liber, de curandi ratione per sanguinis missionem, quem ego accuratè legendum, & locorum

unt: sin minus, contrà.

Inspicere itaque oportet, & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos in quibus conueniat, aut non. *Lib.1.aph.2.*

Quæ ducere oportet quò maximè natura vergit per loca conferentia eò ducere. *Lib.1.aph.21.*

Concocta medicari, atque mouere, non cruda, modò nõ turgeant: plurima verò non turgent. *Li.1.aph.22.*

In acutis passionibus, rarò, & in principiis, medicinis purgantibus vti, & hoc cum præmeditatione faciendum. *Lib.1. aph.24.*

Si qualia oportet purgari, purgentur, confert, & facilè ferunt: si contra, difficulter. *Li.1.aph.25.*

Corpora cùm quis purgare voluit, oportet studia facere. *Lib.2.aph.29.& lib.7.67.*

Quicunque morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio. *lib.2.aph.22.*

Cùm morbi inchoant, si quid mouendum videtur, moue: cùm vero consistunt, ac vigent, melius est quietem habere. *Li.2.aph.29.*

Qui salubritatem corporis habent per medicamenta euacuati, citò exoluuntur, & qui prauo cibo vtũtur. *lib.2.aph.36.*

Qui bene se habent corpore, difficulter ferunt medicationes. *Li.2.aph.37.*

Plurimùm atque repentè euacuare, siue quouis alio modo corpus mouere periculosum. *Li.2 aph.51.*

Quarta sectione aphorismorum, decem priores aphorismi de purgatione in prægnantibus, de vario purgandi modo penes varia temperamenta, temporis, status, & naturam morborum scripti sunt. Item 12.13.14.& 15. eiusdem argumenti sunt Et rursus. 8.19.20.& 41.

Ex superflua purgatione, conuulsio, aut singultus superueniens, malum. *Li.5.aph.4.*

Grauidas purgare, turgente materia, à quarto mense ad septimum: minus verò has. Recentiores autem, & seniores vereri oportet. *Lib.5.aph.29.*

Dolores oculorum medicamentum epotum soluit. *Lib. 6.aph.31.*

Quibuscunque purgatio cum medicamento conuenit, hos vere purgare oportet. *Lib.6.aph.com.47.*

Ex medicamenti potione conuulsio lethalis. *Lib.7.aph.25.*

Si senioribus supra modum purgatis singultus superuenerit, non bonum. *Lib.7.aph.42.*

Medicamentorum purgantium res non ita se habet, quemadmodum vulgo putatur. Eodem enim medicamento purgantur, & non purgantur. Quandoque vero alia purgat, quàm quę purgare solet: aliquando nimium purgat. Aliquando ea quæ debet facit. Quare fieri non potest, vt quis medicamentis confisus, ea temere exhibeat. Nam & cibos nos alentes, medicamenta esse putandum est, verùm minus quàm illa. *Lib. de medicamentis purgantibus.*

Oportet primum biliosis dare quod bilem purgat: pituitosis quod pituitam, hydropicis quod aquam, atrabilariis, quod bilem atram. Si verò extra hæc purgaueris, quæ quidem purgari debent, non purgabis: quæ vero non debent, ea euacuabis. Quare in vtramque partem peccabis. *Li. de medic. purgantibus.*

¶ Quum pharmacum alicui dare voles, siue deorsum, siue ursum purgans, interrogare ipsum oportet, an prius biberit medicamentum, & an aluus ex deorsum purgantibus cita sit, & celeriter obediat, aut dura. Et si citam, ac facilem solutu esse dixerit, mollioribus, & paucioribus medicamentis opus habet. Si vero dura fuerit, fortioribus indiget. *eod. lib.*

Turpis est calamitas, medicamento purgante dato hominem occidere. *eod. li. de medic. purgantibus.*

Quicunque à febribus fortibus corripiuntur, his medicamenta purgatoria dare non oportet, donec remiserit febris. Sin minus, saltem non intrà quatuordecim dies. *eod. li.*

In febribus vehementibus medicamenta purgatoria exhibere non oportet. Verùm si alicui opus fuerit, infusum per clysterem adhibere potes, quotiescunque volueris: hoc enim minoris periculi est. *eod li.*

Iuxta eandem rationem, etiam tempore æstatis, à canis ortu, per dies quinquaginta vitare oportet, & non dare medicamentum, sed infusis per clysterem vti, idem enim periculum imminet. *eod. li.*

Innumeri sunt alij loci singulares, ad hanc rem facientes, de purgandi ratione in singulis morbis: vt libris de internis affectionibus, & libris de morbis, & de mulierum morbis, & libris de vulneribus, & de vulneribus capitis, ac plerisque aliis locis, ad quos lectorem remittere visum fuit: vt se ipse in

perqu

perquirendis locis exerceat, eósque accommodare tractationi, quæ de re quapiam proposita est, hac præostensa methodo possit.

GALENI.

PVRGATIO corporis est, cùm excerni contigerit quæ corrupta sunt: vacuatio cùm excernuntur quæ vi morbi fiunt. *Com.2.in primum prorrh.super text.18.*

Vbi dandum sit medicamentum aliquod deiectorium, prima exhibitio in tua potestate sita est, cætera autem fortunæ administratione contingunt *Lib.de vena sectione, aduersus Erasistratum.pag.1063 c.d.*

Veratro purgandos lauare priùs expedit: sic & in his qui purgandi sunt, lauationibus prius vti præcepit Hippoc. *com.5. ad lib.6.de popul.morb text.25.*

Purgatio morbis longis demoliendis conuenit per superiora: acutis per inferiora. *Lib.qui introductorius, seu medicus inscribitur.p.212.d.*

A purgatione, ptisanæ minus administrari iubet Hipp. nam corporum quæ expurgata sunt, natura expurgatione agitata, labefactáque tolerare alimoniam non potest, neque probè eam conficere, nisi omnino pauca fuerit. *Lib.2.de rat. vic.acut.com.13.*

Purgare quos non oporteat. *com.2.in lib.1.prorrhetici, super textu 37.38.& 39.*

Purgationes humorum contrariæ existunt: nempe corpus vehementer mouentes frangunt. *Lib.4.de rat.vic.in morb. acut.com 44.*

Qui sano corpore sunt, si purgentur, molestias sentiunt. Li. Quos purgare conueniat: & cur id fiat, vide ibi longa serie à Gal. explicatum.

Sani quidem adhuc, sed nisi euacuati fuerint, ægrotaturi, præueniendi sunt, & ineunte vere inaniendi vel misso sanguine, si multitudine, vel data potione, si humorum corruptela morbis capi soleant. *Li. Quos purgare conuenit.*

Podagram, & articulorum dolores, cancrum, & elephantiasim incipientem, multósque alios morbos, purgatione præueniente, curasse se testatur Gal. *Eod. lib. Quos purgare oportet.*

Purgare flauam bilem descendente vere, in biliosis me-

gis expedit. *Lib. Quos purgare oportet.*

Oportet priusquam purgans exhibeamus medicamentum, crassos humores attenuare, tenacésque dissecare, & meatus recludere, per quos traiici, atque deduci queant. *eod. lib. & li. 2. aph. com. 9.*

Spectanda in purgatione consuetudo, anni tempora, & morbi genus, vult Gal. *eod. lib.*

Humorem exuberantem, & locum humore infestatum in purgatione spectabimus. Hæc enim & quid euacuandum, & quomodo, & qua parte euacuandum, monstrabunt. *eod. lib.*

Inter initia morbi, tenues & aquosos humores euacuabis, vbi crassi, & tenaces fuerint, quales suapte natura sunt pituita, & atra bilis, concoctionem expectabis. *eod. lib.*

In his qui iam ægrotant, si diuturnus futurus est morbus. expectanda semper erit concoctio: sin breui soluendus inter initia, si modò a concitatis pendeat humoribus, purgare licet. *eod. li.*

Quæcunque purgant, latentem caloris excitãdi potestatem habent: non igitur febris gratia feruidæ qualitatis medicamentum, quod nos quoque quantum in ipso est nocere scimus, porrigimus, verùm vt humores febrem excitantes extirpemus. Vtilitas itaque maior esse debet molestante humore detracto, quàm nocumentum ab expurgantibus necessario corpori illatum. *eod. li. Quos purgare oportet, & li. 1. aph. com. 24.*

Qui crudis multis, tenacibus, & crassis vesci consueuerunt, quique sub costis tensum, & inflatum ventrem habent, vel eximiè calidum, atque feruentem, aut in his locis inflammationes sentiunt, omnes ad purgationes sunt inepti. *eod. li.*

In acutis morbis, si statim inter initia primo die, vel non vlterius secundo, purgatione vti velimus, turgente materia præparationi locus non est. *eod. lib.*

Humores in motu, agitatione, & fluxu positos euacuare conuenit: qui verò aliqua in parte corporis consederunt, neque vllo alio auxilio, neque medicamento priùs mouendi sunt, quàm concocti fuerint: tunc enim & naturam euacuationi adiutricem habebimus. *eod. li. Quos purgare oportet, & li. 1. aph. com. 22.*

Quo-

Quoties natura euacuationem absoluit, nulla opus est medicina: cùm autem ipsam mediocriter, & segnius peragit, quod deest medicos supplere conuenit. *eod. lib.*

Cùm non solùm morbus acutus fuerit, sed etiam maxima cum febre, cauenda est purgationis exhibitio, præcipuè cùm ægrotantis natura nobis incognita fuerit. *Eod. lib.*

Post assumptam purgationem, statim hordei pulticulam sorbere vtile est, Hippocrat. inquit. *eod. lib.*

Data purgatione interdum aluus non egerit, vel ob ægri naturam eiusmodi, vel quia quod purgare debet exiguum fuit: plerunque etiam stercus densatum atque in aliquo intestino exsiccatum, euacuationem prohibet. *eod. lib.*

Interdum cùm euacuatio frustratur, præter hoc quod nocumentum aliquod corpori non adfert medicamentum, in nutrimétum etiam transit. Interim tamen in perniciem, & venenum mutatur. *eod. li. Quos purgare oportet.*

Medicamenta omnia quæcunque purgant, ventriculum lædunt, & maximè eius ostium. Ob id excogitatum est, bene olentia purgantibus admiscere, ne sola, atque syncera eorum vis ostiũ vẽtriculi attingat. *eod. lib. & lib. 2. de rat. vic. acut. cõ. 11.*

Inæqualis purgatio quæ sit. Vide eod. li. ad fin.

Vis ea quæ in medicamentis purgantibus sita est, pars est facultatis propria attrahentis. *Lib. de purgantium medic. facul.*

Medicamentum omne, cui purgandi vis inest, quemcunque attigerit humorem in suam naturã cõuertit, atque trãsmutat: nam flauam, nigrámve bilem facit, id quod est huius vel huius, (vt ipsi appellant) eductiuum. *eod. li.*

Purgantibus medicinis quosdam aptos esse magis, complures ad venarum sectiones propensos, quemadmodum alij quiduis potius, quàm venas incidi sustinerent: alij abscindi membrum aliquod sibi potius, quàm medicamentum exsorbere tolerarent. *Lib. de purgantium medi. facultate.*

Sumpto purgante medicamento, aliquibus ventriculus subuertitur, non paucis idipsum sine molestia facientibus. *eod. lib.*

Purgationes quomodo differant. *Vide ibid.*

Medicamentum ante omnia, suum quodque humorem elicere. *eod. li.*

Medicamentum statim ab initio sanguinem adducens, inueniri testatur Gal.& super hoc vide historiam de herba quadam sanguinem eliciente, ab herbario quodam inuenta, & tandem herbario ipso à magistratu Bithiniorum ad supplicium vinctis oculis dato. *eod. lib. de purgantium medic.facultate.*

Quibus nominibus eiusmodi medicamenta, quæ sanguinem eliciunt nuncupentur(ait Gal.)etiam si constanter scirem,literis commendare nolim, atque reticere melius esse ait,quemadmodum & alia venena tacent,quicunque ratione aliqua præditi sunt.*eod.li.*

Purgantia medicamenta idcirco nuncupantur, quòd sanguinem ab antedictis humoribus,pituita,vtraque bile, & seroso humore purum constituant.*eod.li.*

Quos morbos, quibus purgationum generibus curarit Gal. *Vide eod.lib.sub.fin.*

Purgatoria facultas duplex, altera eorum, quæ quocunque modo recrementa corporis purgant, altera eorum quæ vim succorum tractricem habent. *Lib.5.de simpl.fac.c.20.*

Quæcunque purgare animaduertimus, ea trahendi vim possident,alia vnum quempiam succum,alia duos, aut etiam plures.*eod li.& ca.*

Purgantia medicamenta per experientiam inueniuntur. *li.2.de rat. vic.acut.com.11.*

Purgantia medicamenta non possis ante experientiam cognoscere.*lib.de attenuante vic.ratione.*

Purgantium medicamentorum differentiæ explicatæ.*li. qui introductorius inscribitur.*

Purgans medicamentum ex corpore familiarem trahere humorem.*com.1.ad li.de nat.hum.& li.aduersus Iulianum.*

Purgantia medicamenta humorem quemuis mutare falsa Asclepiadis sententia, atque confutata.*lib. de theriaca ad Pisonem.*

Purgantia medicamenta, omnes humores æqualiter vacuare contendentium contradictio. *lib. de purgantium medic.facul.*

Purgantibus medicamentis vim inesse humorem quemuis atrahendi, non æquabiliter quemcunque attigerit immutandi, ostensio à Gal.*li.de purg.medic.facul.*

Purgans quodque medicamentum, conuenientem sibi succum

succum attrahere. *Lib.de natur.facul.1.cap.13.& lib.de theriaca ad Pisonem. & lib.aduersus Iulianum.*

Medicamentum quodque purgans proprium trahere humorem, ex his quę in superfluis purgationibus fiunt ostenditur. Primo nanque si quis medicamentum bilim mouẽs dederit, bilim educi, deinde pituitam, post has atram bilem, postremo purum sanguinem educi videmus. *Libro 2.de elementis.*

Medicamenta purgantia, instar plantarum quod sibi secundum naturam conueniens est, trahunt. *lib. 2. de elementis. ad finem.*

Purgantibus medicamentis duplex inest similitudo ad humores singulos, quędam actu, quędam potentia. *lib.3.de medicamentis simpl.fac.cap.26.*

Purgantia medicamenta vim propriam succum trahendi habere, per eos qui regio morbo laborant, accepto medicamento bilim mouente, probatur *lib.de purg.medi.facultate, & lib.de elementis.2.*

Purgans medicamentum exhibitum humorem talem euacuabit, qualem attrahere natura aptum est, sed non æquale in omni natura corporum, neque sanorum, neque ægrotantium. *lib.2.de elementis.*

Purgantia medicamenta omnia in primis quidem sibi obnoxia liquidiora, deinde crassiora etiam trahunt. *li.de purg. medic.facul.*

Purgantia medicamenta perpetuò humores attrahunt familiares, nec tamen vnquam ab his attrahuntur: quod quæ attrahunt, valentiora, efficacioraque sint. *libro 3. de simpl. fac.c.25.*

Purgantium medicamentorum, vbi fortè purgatione frustrantur: quædam extra quàm quod noxam corpori nullam adferunt, etiam alimentum homini præbẽt: alia verò in corruptionem, ac tanquam in venenum vertuntur. *lib.3.de simpl. fac.c.24.& lib.Quos purgare conuenit.*

Expurgans medicamentum, vel cùm vno saltem humore, qui in corpore sunt nostro similitudinem obtinet, non autem perpetuò admista est vis venosa. Quamobrem nec perpetuo, licet non purget, iniuria afficiet: verùm concoctionem accipiet, talémque producet humorẽ, qualem trahere natum erat, *li.3.de simp.facul.cap.24.*

Superpurgationes vnde proueniant *lib. 3. de simpl. facul. ca.27. & vide ibi 1. de humorũ in superpurgationibus euacuatione, & ordine, quo educuntur, & lib. 2. de elementis, & libro de nat. humana.*

In superpurgationibus humores minimè purganti medicamẽto familiariter euacuantur, ob vasorum infirmitatem, osculorum laxitatem, & purgantis mordacitatem *lib. 3. de simpl. facul. cap. 28.*

Purgantibus medicinis accidit, cùm id totum quod superfluitat, vel bilis, vel pituitæ (sic autem voco id, quod cõtinetur in venis) ex ipsis traxerint, mox ex corporibus solidis propriam trahunt humiditatem vi: & difficulter veluti resoluentes, atque in elementa redigentes, & omnino animal destruentes. *lib. 2. de elementis ad fin.*

Purgantibus medicamentis solis defluuia capillorum, carcinomata, elephantes, depascentia vlcera, oculorum ob tenebrationes, & diutinos capitis dolores curasse se testatur Gal. *lib. de purg. med. fac.*

Purgantia medicamenta, quæcunque ventriculum lędunt, & maximè eius ostium, quod neruis plurimis abundat, & acutè sentit, excogitatum ob id est beneolentia purgantibus admiscere, ne sola, atq; syncera eorum vis, ostium vẽtriculi attingant. *li. Quos purg. oportet.*

Purgantia medicaméta cùm miscentur pugnãtis esse naturæ non debẽt: discrepant autem, non cùm hoc bilem, illud pituitam trahit (vtraque enim pari modo euacuationem procurant) verùm si hoc celeriter, illud tardius ab assumptionẽ purgare incipit. Ita nanque inæqualiter euacuatio celebratur, quanuis simul accepta sint. Inæqualem autem euacuationem dico, si, cùm hæc desiisse videtur, euacuatio alia rursus incipiat. *li. Quos purgare oportet. ad fin.*

A purgantibus medicamentis, acritudinem non fert natura exusta à calore solis sub cane. *li. 4. aph. 5.*

Purgationes coctioni humorum contrariæ sunt, quòd concoctio quiete indigeat: purgantia autem medicamenta corpus vehemẽter mouentia frangunt. Tali siquidem virtute prædita sunt omnia quæ purgant medicamenta. Hæc est ergo causa cur purgationes coctionibus aduersentur. *lib. 4. de rat. vict. acut. com. 39.*

Purgare si quis voluerit corpora, oportet fluida facere. *lib. 2.*

li.2.aph.com.6. & 7.com.67.

Purgationis superioris adstrictionem sequitur mors. *lib.7. aph.com.75.*

Purgandos vere esse homines morbis obnoxios, & quòd à variis morbis præueniente purgatione multos liberarit *Ga. li.6.aph.com 47.*

Per purgationẽ euacuãdi sunt, qui passionibus ex corruptione humorum prouenientibus laborant, vel eis obnoxij sunt *lib.6.aph.com.47.*

Purgatio quomodo fit secundùm genus, & quomodo secundùm speciem. *ibid.*

Purgatis supra modum non est bonus singultus. *li.7.aph. com.42.*

Purgatio, est humorum qui sua qualitate molestant euacuatio *lib.1.aph.2.*

Ad purgationes inepti quicũque multa cruditate laborãt, vel qui tenaces ac crassos cibos assumpserunt: quibus item illa extenta, atque inflata sunt, aut supra modum calida, & ignea existunt, & hoc ipso in loco alia est viscerum inflammatio. *lib.1.aph.com.24.*

Cùm quempiam sumus purgaturi, humores quammaximè fieri potest, esse fluxui paratos oportet, hoc est tenues, & nullum lentorem participantes, & aperta esse foramina per quæ debet purgatio fieri, & nullam habere obstructionem. *lib.1.aph.com.24.*

Purgatorium dat medicamentum Hipp. vbi vnus aliquis humorum superabundauerit. *lib.2.aph.com.8.*

Purgatio, tunc in omnibus rectè procedit, si quis extenuet, atque incidat crassos atque tenaces humores, qui in corpore sunt, & meatus aperiat per quos isti transmittuntur, atque trahuntur à medicamentis quæ vim purgatoriam habent *lib.2.aph.com 9.*

Qui istud neglexerint (nempe quæ præcedenti loco de præparatione humorũ & apertione meatuum dicta sunt) & vomitus, atque alui subductiones, procurauerit, iis difficiles veniunt purgationes, non sine torminibus, & quadã vertigine fastidióque multo, & malo pulsu, dissolutione, atque difficultate. *lib.2.aph.com.9.*

Purgatio nunquam fieri debet, nisi sit factum fluidum corpus. *Ibid.*

Purgare non oportet cum inedia.*lib.2.aph.com.16.*

Purgationem dicere Hipp. consueuit, quando humores praua affecti qualitate euacuãtur. Euacuationem simpliciter, quando humores omnes æqualiter euacuantur. *lib.2. aphoris. com.17.*

non Purgatum si aliquid steterit in continuis febribus malum. Hipp.*lib.7.aph.text.66.*

Circa principia illorum morborum, in quibus speratur ægrotum conualiturum, tentandum maiora afferre remedia, de quibus Hip. dixit. Si quid videtur mouendum, moue. Sunt autem hæc maximè, venę sectio: nonnunquam vero & purgatio: quorum nihil oportet morbo iam consistente adhibere: vt enim in lib. de crisibus manifestauimus, coctiones tunc maximè fiunt.*li.1.aph.com.19.*

Melius est circa principia euacuare, vt coctiones citiùs eueniant, quo minorem iam factam materiam facilius possit natura concoquere. Morbo autem consistente, cùm iam natura concoquit, superfluum est euacuare, tum propter alia, tum quia vis animalis magna ex parte eo tempore est fatigata.*li.2.aph.com.29.*

Vt benè purgationibus seruiant, oportet omnia quæ sunt infra thoracem esse robusta, alioqui magna incommoda patiuntur.*lib.1.aph.com.35.*

Non cuiuscunque medicamenti assumptionem solet Hippocr. medicationem nominare, sed tali vocabulo in sola purgatione vtitur.*lib.2.aph.com.37.*

Purgantia medicamenta faciunt speciem vacuationis manifestè differentem.*lib.4.aph.com.2.* Colligitur ex ipsa Galeni serie. Ad dignotionem verò, & speciem euacuationis habes conferentem aliquid non solùm ætatem, vel naturam ægrotantis: sed etiam anni tempus, præsentem constitutionem: præterea & regionem, & victum antecedentẽ, vnà cum aliis vitæ institutis.*lib.4.aph.com.2.*

Euacuatis infestantibus superfluitatibus, facilè tolerabunt ægrotantes. Si quid verò aliud, & non quod infestat, euacuatur: necessarium omnino malè tolerare.*li.4.aph.com.2.*

Si qualia oportet purgari purgantur, confert, & leuiter ferunt.*lib.1.aph.com.2. & li.4.com.3.*

Medicari æstate superiora magis, hyeme inferiora oportet.*lib.4.aph.com.4.*

Plures

Plures purgati ſub cane, & ante canē incidunt in febres,& natura ex ęſtu imbecillis magis ex purgatione diſſoluitur. *li.4.aph.com.5.*

Purgare ſuperiùs graciles,& facilè vomentes magis expedit.*lib.4.aph.com.6.*

Per inferiora purgare difficulter vomentes, & mediocriter bene carnoſos oportet.*lib.4.aph.com.7.*

Nunqaam tabidos duxeris, veritus ſcilicet inſtrumentorum quæ reſpirationi obſeruiunt, imbecillitatem.*Li.4.aph. com.8.*

Purgari plenius ventres inferiores melancholicorum oportet,quia ad inferiora declinat hic humor propter grauitatem.*li.4.aph.com.9.*

Per medicamentum euacuationem faciendam in acutis, vbi materia turget, indicat Hipp. prius videlicet quàm robur corporis diſſoluatur, vel febris caliditas augeatur,aut ad aliquod membrum principale decumbant ij,qui per corpus vagantur humores.*lib.4.aph.com.10.*

Purgare per ſuperiora oportet eum, qui cordis morſum, ſeu vertiginem patitur, & oris amaritudinem.*li.4.aph. com.17.*

Purgari per ſuperiora conſulit Hippo. dolores, quicunque ſupra præcordia conſiſtunt. Quicunque verò infra præcordia, clarum eſt, quod hi per inferiora purgationem requirunt.*li.4.aph.com.18.*

Qui purgantur, nonnulli ſtatim ſitiunt,nonnulli poſteà, fit hoc propter ipſius ventriculi diſpoſitionem, & propter datum medicamentum, & propter humoris euacuati naturam.*lib.4.aph.com.19.*

Pro motione noxiorum humorum facere oportet vacuationes.*lib.4.aph.com.20.*

Euacuatio per ſuperiora contraria eſt ei quæ per inferiora.*li.4.aph.com.9.*

Purgare hyeme malum, eos qui laborant leuitate inteſtinorum.*lib.4.aph.com.12.*

Purgari per ſuperiora debet humor acris, & tenuis. *ibid.*

Purgationem quæ ſiſtunt, contraria ſunt iis quæ vomitum cient.*lib.4.aph.com.25.*

Ex euacuatione prouenit ſiccitas.*lib.4.aph.com.19.*

Purgati vltra modum conuelluntur ob inanitionem. *lib.aph.com.4.*

Purgationem,ac repurgationem solet nominare Hippocrates, eam quæ fit per sputa euacuationem.*li.5.aph.com.8.*

Purganda est mulier, quæ habet menses decolores, nec solito tempore veniunt. *Li.5.aph.com.36.*

Purgatio totius corporis, quando crassi euacuantur humores,mulierum sanat dispositiones.*li.5.aph.com.36.*

Purgationes in plurali, mensium copiosum fluxum significant.*lib.5.aph.com.60.& 61.*

Purgationes rarò circa principia morborum acutorum nobis venire in vsum.*lib.1.aph.com.24.*

Purgationes in mulieribus habentibus frigidos vteros, aut ominino nullæ,aut paucę,& vitiosę prodeunt.*libro 5.aph. com.62.*

Purgatione indiget pleuritis, si dolor ad ilia descendat. *lib.6.aph.com.5.*

Purgata minimè aluo,quanto plures dederis sorbitiones, tanto magis nocebis.*li.7.aph.com.65.*

Purgationes sudducētes remedium sunt lippitudinis oculorum.*li.6.aph.com.17.*

Purgatione vtendum in doloribus oculorum, malitia humorum infestāte:per venæ sectionem curandum sanguine redundante.*li.6.aph.com.31.*

Purgandi occasio in acutis morbis datur solùm circa principia.*com.2.in lib.prorrh..tex.37.*

Purgandos non esse ægros, dum procedente morbo perniciosissimè habent.*eod.loco.*

Purgare qui ingreditur imbecillitate affectos, is indoctus est, & artis medicinalis planè inscius. *com. 2. in lib. prorrh. tex.37.*

Purgans medicamentum propinauit Gal.pleuritico prima die, & secunda,& quarta, & interdum quinta.*lib.4.de rat. vic.acut.textu 76.*

Purgantis medicamenti administratio vitanda est in acutis morbis,vt est pleuritis:& in iis quos comitatur acutissima febris, vtendúmque venæ sectione. *Libro.2.de rat.vic.acut. textu.11.*

Purganti pharmaco vtentes non modò ea die, qua medicamentum assumunt, sed superioribus etiam, quando vide-

delicet se ad purgationem præparant, lauari est expediens. *com.5 in lib.6.epidem. textu 16.*

Purgantia medicamenta, acria, & calida existunt. *lib.4.de rat.vic.acu.textu 7.*

Purgantia medicamenta, si vltra modum exhibita sint, nos interficiunt. *com.6.in lib.6.epidemiou. textu 5.*

Purgantium medicamentorum læsiones in morbis acutis, non facilè corriguntur. *lib.2.de rat.vic.acut.com.11.*

Purgantium medicamentorum natura expurgandis corporibus, lethalis & deleteria, atque contraria existit. *lib.2.de rat.vic.acut.com.12.*

Purgantia medicamenta esse corrigenda aliis, quæ ipsorum malitiam retundere possint. *com.2.in lib.de rat.vic.acut.12.*

Purgatio est corporis, cùm excernuntur quæ sint corrupta. *com.in prorrh.textu 18.*

Purgatio tunc necessaria est, cùm redundantes humores deorsum repunt, *lib.2.de rat.vic.acut.com.11.*

Purgationem interdicēdam esse, priusquàm sanguis mittatur, in tumoribus præter naturam. *libr.4.de rat.vic.acut.textu 21.*

Purgari interdum totum corpus per renes, atque vesicā *com.2.in lib.1.epidem.textu 8.& 41.*

De chirurgia, & chirurgo, eiúsque in vniuersum officiis.

CAP. XVII.

MEdicinæ partium alterā esse, quæ manu curet, quámq; Græci ab ipso operandi modo χειρουργικὴν, nos retento nomine Chirurgiam appellamus, & vulgo notum, & à me anteà positum est. Pars hæc vt antiquissima, sic sanè effectorum magnitudine, & vtilitate inter pręcipuas semper à priscis habita est. Vetustatem porro illius declarant, primi illius autores Podalyrius, & Machaon Æsculapij medicinę parentis legitima proles, quos bello Troiano Agamemnonem ducem secutos non mediocrem commilitonibus suis medendo opem tulisse, non quidem medicamentorum præsidio, sed vulneribus tantummodo, ferro, & medicamentis in id accōmodis intentos curando fuisse Homerus scribit. Ex quo apparet hanc medicinæ partem solam ab his esse tentatā, eam- *Cels.lib.1. cap.1.* *lib. Iliad.*

que esse vetustissimam. Vtilitas porro ex ingentium abscessuum, vulnerum, vlcerum, luxationum, fracturarúmque curationibus (quæ omnia accuratè tractat hæc medicinæ pars) abundè per se patet. De hac nobis hoc capite futurus est sermo, de eáque hæc proferemus. Quid ipsa sit, quæ eius partes, quis illius finis, qui autores, chirurgi propria officia, & munia quæ illius instrumenta, quibus vtendo consueuit, postremò qui optimus sit habendus chirurgus, qualem eum esse oporteat, quo fine caput concludemus. Chirurgia Gal. definitur esse curationis ductus quidam, qui per consuetas, tum sectiones, tum adustiones, & alia quæ manu fiunt, perficitur. Introductorij autor, quisquis tandem ille fuerit, ad hunc modum eam definiuit, vt sit alieni (vt propriè vocant) per incisiones concinnationésque, cum via quadam, & ratione ablatio: ad hæc vulnerum, atque vlcerum curatio, quę in corpore humano administratur. Si quis verò accuratius, & pressius eius rationẽ exprimere velit, esse dicet therapeutices methodi tertiam partem, quæ manuum artificio vrendo, incidendo artus luxatos, ossáque suis sedibus mota reponendo, aliáque huiusmodi præstando, morbis medeatur. Cauliacensis Guido ita definiuit, vt sit scientia, quæ rationem, & qualitatem operãdi doceat, præsertim agglutinando, incidendo, & alias id genus operationes, quæ manu fiunt exercendo, homines quoad licet, per hoc sanitati restituens. Scientiæ nomen hoc loco cõmunius accipere oportet, & prout ad eam chirurgiæ partem quę meditando, præcepta, & methodum tradendo, non manu operando confertur. Constat enim chirurgiam, artem, nõ scientiam propriè esse, vt cuius finis sit effectio, non sola veritatis contemplatio: atque ob id eam meritò Aristot. & artem esse voluit, & inter mechanicas, & manuarias reposuisse est visus. Cætera in definitione posita differentiæ locum tenent. Nec verò temerè pars illa adiecta in definitione est, (homines quoad licet sanitati restituens) etsi enim chirurgo sit proposita perpetuò pro scopo sanitas, non eam tamen semper assequi arte potest, cùm sint plerique morborum qui sub artem cadunt insanabiles, vel quòd suaptè natura tales sint, vt elephantiasis, vel quod suscepta curatio, maius incommodum, longéque grauiorem morbum quàm sit is qui curandus suscipitur, gignit. Vt cùm vitiliginem antiquam, lichenas, hęmorrhoidas, & sinuosa vlcera, fistulásque veteres, cãcrósve curare

Libr. 1. de rat. vic. acut. com. 6.

Cap. singulari.

Lib. de arti. mech.

curare aggredimur: aut demum cùm refractarium, nec dicto audientem, minimèque medico obtemperantẽ ægrum habemus. Hęc officiunt, quominus vindicari in sanitatem omnes arte possint. Partes verò chirurgiæ duæ in genenere sunt. Altera quæ docet quæ artis sunt, præceptáque tradit, quibus munitus artifex rectè operari possit. Hanc Græci θεωρητικὴν, nos theoricam, id est, contẽplatricẽ rectè nuncupamus. Altera id exequitur, atq; opere præstat, quod à priore est præceptũ, & Græcè πρακτικὴ, seu potius ποιητικὴ, h.e. factiua appellatur. Tota nanque in opere, & effectione consistit: atque cùm ab hac tota ars pendeat, merito artis nomine chirurgiam dignamur, vt cuius finis sit effectio, atque opus. Hæc ipsa munia sua omnia exercet, aut in membris mollioib. aut in particulis durioribus. Mollia intelliguntur, quæ ex sanguine ortum habent, & carnea dicuntur: dura, quæ ex semine. In his particulis chirurgia secando, excindẽdo, euellẽdo, reponẽdo, vrẽdo, vim suã exercet. Cuius sanè & aliæ quędam partes sunt speciales magis, prout ea circa quę speciatim ars ipsa versatur. Sunt autem hæc tumores præter naturã, vulnera, vlcera, fracturę, luxationes. Itaque, vt quinque sunt, quæ tractat ars, sic quinque erũt in vniuersum chirurgiæ partes: ea quę tumores curare docet, quę vulnera, quę vlcera, quę fracturas, quę luxata reponere nouit. Finis autem in quem actiones suas omnes, & apparatus chirurgia dirigit, est eorũ morborũ, qui manu curari possunt ablatio, sanitatísque in ęgro corpore restitutio, quem sanè finem non semper ob eas, quas paulò anteà adduximus causas, cõsequi artifex potest, cùm viriũ suarũ nõ sit morbos omnes curare. Ars hæc longa celebriũ, & famę illustrioris dignatione pręstãtium autorum serie nobilitata incedit. In quorũ albo primas sibi iure vendicat partes, diuinus ille Hip. cultioris medicinę & parẽs, & vindex, à quo hæc medicinę pars magis quàm à prioribus exculta est: quod testãtur diuina illius de hac re prodita posteris monumenta: li. inquam de vulnerib. capitis, de fracturis, de articulis, de vlcerib. de fistulis, de hemorrhoïdibus, chirurgiæ officina, de corporũ refectione. Deinde posteà quàm diducta ab aliis sibi proprium locũ chirurgia fecit (priscis nanq; temporib. ipsiúsque Hipp. quo discreta à cætera medicina chirurgia nõ erat, cum iidem tũ essent medici & chirur-

chirurgiæ partes in genere.

chirurgiæ partes in specie.

chirurgiæ finis.

chirurgi) habere & ipsa suos professores cœpit: increuisséque in Ægypto, Philoxeno maximè autore creditur, qui pluribus voluminibus partem hanc excoluit, atque ornauit. Hunc secuti Gorgias, Sostratus, & Hieron, & Apollonij duo, & Ammonius Alexādrinus, multiq; alij celebres viri. Ac Romę quoque haud mediocres professores extitisse certum est: Thryphon pater, & Euelpistus, & omnium (vt Celsus scribit) eruditissimus Meges. Quātū verò Gelenus in hac instaurāda, & locupletāda medicinę parte pręstiterit, docti illius cōmentarij in Hippocratis libros, de iis quę in medicatrina fiunt, in libros de articulis, & de fracturis, & sex prioris Methodi medendi libri, postremíque duo, secūdus item artis curatiuæ ad Glauconem, libérq; de tumoribus præter naturā, ac libri de cōpositione medicamentorū per genera abūdè testātur. Nec sua laude fraudādus Paulus Ægineta, qui cōpendiosa, sed maximè accurata methodo, chirurgia omnem, tū lib. 4. tū 6. est cōplexus. Ex Arabum schola Auicenna, Rasius, Albucasis, & Haliabbas diligenter de re chirurgica tractauerūt. Auic. quidem 4. canone fen. 3. 4. 5. Rasius lib. 7. ad Almansorem regem, Albucasis integro volumine: Haliabbas lib. 9. practices, de regali dispositione. Nec Latinis suus defuit honos, Celso, & Plinio ducibus, qui & summo nitore, & pari dignitate partem hāc attigerūt. Quid Guidonē Cauliacensem prætereo? quem vnū Gallici orbis, optimè chirurgiā tractasse, si artis quidem rationem spectes, nouimus? Tātū illi feliciora tempora defuisse, ex impuro illius sermone colligere plena fide possumus, vt cui nec Græcæ lingue cognitio, nec Latini eloquij puritas perspecta tū esset, Barbarie, & inscitia tirannidem in litteras, id temporis, exercente: quæ causa fuit, cur plerunque, in citandis Galeni locis, fides autoris desideretur. Sed si mihi Dei beneficio vita lōgior cōtigerit, & hos euulgauero de locis communibus medicinę locos, spero me Guidoni manum porrecturum, éxque barbaro, & impuro, cultum, ac nitidum, Latinéque loquentem, ac suo nitori restitutum effecturum: & quod Syluius noster in Mesueo reformando pręstitit, hoc me in Guidone repastinando (etsi haud pari fortasse gratia, pari certe labore, ac voluntate) præstaturum, studiosis bona fide polliceor, conatus nostros modo ne deserat Deus. Sed ad institutum reuertor. Plures quidem profecto, iique celebres, & famæ secundioris commendatione dignissimi autores, hac ar-

artem illustrarunt, quos inter post Cauliacensem, Vigonius, & ex qui nostri hominibus, Tagautius collega olim, & commilito in studiis meus, magnum operæpretium in hac exornanda, & amplificanda parte, fecere. Ex quo colligi sanè potest quantum sit arti huic tribuendum, quàm tot celebres viri, suis quique laboribus, ac monumentis illustrarint, auxerint, locupletarint, vt quam nimirum & vtilissimam esse, & effectis inter omnes medicinę partes euidentissimam scirēt. Iam verò quæ munia, & officia chirurgi sint, vt ea aggredi debeat prodendum. Præcipua chirurgi munia, in quibus vniuersa artis ratio sita esse esse videtur, tria sunt: Aut enim continuum soluit, & separat, aut diuisum coniungit, in pristinámque vnionem reducit, aut superfluum amputat. Continuum porro diuidit Chirurgus, incidendo, excindendo, venam secãdo, scarificando. Diuisum coniungit, vulnera agglutinando, luxata reponendo, fracturas curando. Superfluum resecat, tumores præter naturam auferendo, ídque manuum ministerio, vt dum ganglia, carcinomata, schirros, nodos, strumas, & id genus alia, variis modis extirpat, aut dum serosum humorem ex hydropicis exhaurit, sextúmve digitum, aut pterygiõ, suffusionémve ex oculo aufert. Hæc quidẽ in vniuersum chirurgi munia, hæ operationes sunt, quos summa fide exequi debet. Fiet porrò id, si isthæc omnia, tutò, citra dolorem, celeriter, ac promptè, si etiam sine impostura, ac fraude perfecerit: quæ medici rectè curantis munia esse voluit Gal. metam habentis, cubantís vtilitatem. Morbis (inquit Hipp.) ita prosis, ne quid noceas. Hic itaque scopus perpetuò habendus est in his omnibus, quæ molitur chirurgus, vt ægro prosit, summáque fide, ac pietate, beneficáque in proximum voluntate, morborum curationem aggrediatur: & quæ suæ artis beneficio curari posse agnouerit, ea omni adhibita diligẽtia tractet. Inexpugnabiles verò, atque insanabiles morbos (quales occulti cancri, elephantiasis, vetusta, callosa, sinuosa, fraudulentáque vlcera) ne aggredi quidem tentet, ne mali chirurgi nomen subeat. Porrò autem quoniam tutò curare ipsum debere diximus, id vt fiat tria potissimum spectanda præcepit, lib. 14. meth. med. Gal. ad quæ intentus tutò omnia chirurgus curabit. Vnum primúmque illud, vt omninò absolutionem operis, quod pro sanando ægro molitur chirurgus cõsequatur. Alterũ vt sicubi hunc minimè scopum con-

Chirurgi munia.

li. 12. met. med. & li. 14.

li. 1. Epid. textu 50.

sequi possit, saltem opere suo cubantem non lædat. Illud.n. preceptum ab Hipp.est, inquiente: morbis ita prosis, vt ne quid noceas. Tertium,& vltimum, vt adhibita curatione vitium non facilè reuertatur. Chirurgię nanq; studiū eò tendit, vt quę in animalis corpore, toto genere pręter naturam habentur, ea manus opêra summoueat. Quod si id perficere nequit, proximū illud consiliū habet, vt vitiū transferat: quæ docta Gal. sententia est. Feliciter autem cuncta experietur manuarius artifex, si ex indicatione (quæ autore Gal. insinuatio agendorū est) morbos curare studuerit. Est autē hæc indicatio prima, conseruatio eorum quæ secūdum naturam, depulsio eorū quæ præter naturam sunt, Conseruantur porrò quę secundum naturam sunt, similium vsu, depelluntur quæ pręter naturam, contrariis, idque si morbus curationem admittat. Quorundam enim morborum depulsionem minimè fieri posse certissimum haberi debet. Id verò deprehendimus, vel cùm affectus ipse, suaptè natura, totaque sua essentia curationem omnem respuit: vt elephantiasis absoluta, & vt vulgò loquūtur, confirmata, vel quādo æger (etsi curabilis alioqui morbus sit) ad curationē necessaria auxilia despicatur, vtpotè excisionem, vt in sphacelo, vel vstionem, sectionémve, vbi iis opus fuerit: fiunt enim plerunque insanabiles morbi ægrorum, aut mollitie, aut tergiuersatione. Morbum item quempiam insanabilem dicimus, cùm eius curatio maioris mali occasionem præstat: vt cùm cancrum curare studemus, aut diuturnos mariscarum fluores) nisi vna relicta fuerit hæmorrhois) curare satagimus, aut vetera, quæ diu manarunt, vlcera. Horum nanque curatio plerunque grauiores accersit morbos: vnde est illud Hipp. Cancros occultos non curare præstabilius esse: & hęmorrhoidas sananti antiquas, nisi vna relicta fuerit, periculum est aquam inter cutem maniam, tabémve fieri. At quoniam quæ modò diximus officia, cùm sine instrumentis opportunis perfici nequeant, quæ ea sint, quorum ope munitus artifex, quæ suæ artis propria sunt obire possit, mox dicemus. Sunt autem hęc in genere duplicia, medicinalia inquam, & manuaria. Prioris generis sunt proba victus ratio, quę vulneribus curandis, abscessibus, vlceribus, fracturis, aut luxationibus debetur: tum sanguinis missio, atque purgatio, & quę affectis locis topica adhibentur auxilia, vnguenta, emplastra, fotus, pulueres, cataplamata, & id

li.14.met med. *li.2.meth. med.* *Li.6.aph. 38. & 12.* *Chirurgicum instrumenta.*

& id genus similia. At in victu instituendo, pharmaco propinando, & mittendo sanguine, cum & maioris periculi ea sint, si non recte administrentur, & magnam sępe chirurgis infamiam ęgrique detrimentum pariant, in his tribus periti medici consilio vti debet: ex cuius pręscripto tanti momẽti pręsidia in ęgri salutem, summa cum fiducia adhibere queat. Ad medicum enim proprie, non ad chirurgum pertinet, & victũ morbis salutarem pręscribere, & sanguinis missionem iubere, & solutiuum pharmacum dare, magni mehercule ponderis, atque momenti præsidia: & quę virum solertis ingenii, atque iudicij, summę prudentiæ, atque exercitationis exposcant. Quamobrem non possum satis ęquo animo ferre, quod à plerisque solo artis titulo sibi valde placentibus, ineptè ne dicam etiam impudẽter fieri animaduerto, qui & sanguinem sępenumero pauperibus ęgris, nulla habita indicatione, inconsulto medico detrahunt, & medicamenta etiam, si diis placet, propinant: rem profecto publica animaduersione dignissimam, cum ex huiusmodi temerario ausu plerósque in discrimen vocatos, nonnullos etiam miserè deficientes, ac vita orbatos ipse viderim. Hęc itaque obire, nisi consulto medico non pręsumat chirurgus, qui se sua arte dignum pręstare velit: si modò periti medici copia illi adsit, & res ipsa inducias dederit. Alioqui, si vel doctus desit medicus, vel pręsens aliqua necessitas vrgeat, poterit tum sanè chirurgus, & secare venam, & si opus sit pharmaco etiam pręscribere: eruditione modò, & iudicio, atque experientia valeat. Vnguenta porro quibus munitus esse debet, eaque perpetuo in pixide chirurga habere, sunt basylicum, apostolorum vocatum, aureũ, album, & dialthæa. Basilicum ad maturandum, & pus mouẽdum: apostolorum ad detergendum: aureum ad implendum: album ad glutinandũ: dialthęa ad dolorem sedandum. Emplastra, pulueres, fotus, & similia, peritus chirurgus pro ratione curandi morbi alia, atque alia præscribit. Atque hæc quidem medicinalia instrumenta sunt. Manuaria instrumenta, ferramenta ego intelligi potissimũ volo, ad chirurgicos vsus idonea, maximéque necessaria: quorum aliqua ad incidendum, & excindendum, alia ad extrahendum, ad explorandum nonnulla, ad suendum quædam propria sunt, alia ad vrendum. Ad incidendum, atque secandum valent, forfices, nouacula, seu culter rasorius, scalpellum chirurgicum: vulgò

In temerarios chirurgos.

Chirurgorum vnguenta.

Chirurgorũ ferramenta.

Purgare non oportet cum inedia.*lib.2.aph.com.16.*

Purgationem dicere Hipp. consueuit, quando humores praua affecti qualitate euacuātur. Euacuationem simpliciter, quando humores omnes æqualiter euacuantur. *lib.2. aphoris. com.17.*

non Purgatum si aliquid steterit in continuis febribus. malum. Hipp.*lib.7.aph.text.66.*

Circa principia illorum morborum, in quibus speratur ægrotum conualiturum, tentandum maiora afferre remedia, de quibus Hip. dixit. Si quid videtur mouendum, moue. Sunt autem hæc maximè, venę sectio: nonnunquam vero & purgatio: quorum nihil oportet morbo iam consistente adhibere: vt enim in lib. de crisibus manifestauimus, coctiones tunc maximè fiunt.*li.2.aph.com.29.*

Melius est circa principia euacuare, vt coctiones citiùs eueniant, quo minorem iam factam materiam facilius possit natura concoquere. Morbo autem consistente, cùm iam natura concoquit, superfluum est euacuare, tum propter alia, tum quia vis animalis magna ex parte eo tempore est fatigata.*li.2.aph.com.29.*

Vt benè purgationibus seruiant, oportet omnia quæ sunt infra thoracem esse robusta, alioqui magna incommoda patiuntur.*lib.2.aph.com.35.*

Non cuiuscunque medicamenti assumptionem solet Hippocr. medicationem nominare, sed tali vocabulo in sola purgatione vtitur.*lib.2.aph.com.37.*

Purgantia medicamenta faciunt speciem vacuationis manifestè differentem.*lib.4 aph.com.2.* Colligitur ex ipsa Galeni serie. Ad dignotionem vero, & speciem euacuationis habes conferentem aliquid non solùm ætatem, vel naturam ægrotantis: sed etiam anni tempus, præsentem constitutionem: præterea & regionem, & victum antecedentē, vnà cum aliis vitæ institutis.*lib.4.aph.com.2.*

Euacuatis infestantibus superfluitatibus, facilè tolerabunt ægrotantes. Si quid verò aliud, & non quod infestat, euacuatur: necessarium omnino malè tolerare.*li.4.aph.com.2.*

Si qualia oportet purgari purgantur, confert, & leuiter ferunt.*lib.1.aph.com.2. & li.4.com.3.*

Medicari æstate superiora magis, hyeme inferiora oportet.*lib.4.aph.com.4.*

Plures

Plures purgati ſub cane, & ante canē incidunt in febres, & natura ex æſtu imbecillis magis ex purgatione diſſoluitur. *li,4.aph.com.5.*

Purgare ſuperiùs graciles, & facilè vomentes magis expedit. *lib.4.aph.com.6.*

Per inferiora purgare difficulter vomentes, & mediocriter bene carnoſos oportet. *lib.4.aph.com.7.*

Nunqaam tabidos duxeris, veritus ſcilicet inſtrumentorum quæ reſpirationi obſeruiunt, imbecillitatem. *Li.4.aph. com.8.*

Purgari plenius ventres inferiores melancholicorum oportet, quia ad inferiora declinat hic humor propter grauitatem. *li.4.aph.com.9.*

Per medicamentum euacuationem faciendam in acutis, vbi materia turget, indicat Hipp. prius videlicet quàm robur corporis diſſoluatur, vel febris caliditas augeatur, aut ad aliquod membrum principale decumbant ij, qui per corpus vagantur humores. *lib.4.aph.com.10.*

Purgare per ſuperiora oportet eum, qui cordis morſum, ſeu vertiginem patitur, & oris amaritudinem. *li.4.aph. com.17.*

Purgari per ſuperiora conſulit Hippo. dolores, quicunque ſupra præcordia conſiſtunt. Quicunque verò infra præcordia, clarum eſt, quod hi per inferiora purgationem requirunt. *li.4.aph.com.18.*

Qui purgantur, nonnulli ſtatim ſitiunt, nonnulli poſteà, fit hoc propter ipſius ventriculi diſpoſitionem, & propter datum medicamentum, & propter humoris euacuati naturam. *lib.4.aph.com.19.*

Pro motione noxiorum humorum facere oportet vacuationes. *lib.4.aph.com.20.*

Euacuatio per ſuperiora contraria eſt ei quæ per inferiora. *li.4.aph.com.9.*

Purgare hyeme malum, eos qui laborant leuitate inteſtinorum. *lib.4.aph.com.12.*

Purgari per ſuperiora debet humor acris, & tenuis. *ibid.*

Purgationem quæ ſiſtunt, contraria ſunt iis quæ vomitum cient. *Lib.4.aph.com.25.*

Ex euacuatione prouenit ſiccitas. *lib.4.aph.com.19.*

Purgati vltra modum conuelluntur ob inanitionem. *lib.aph.com.4.*

Purgationem, ac repurgationem solet nominare Hippocrates, eam quæ fit per sputa euacuationem. *li.5.aph.com.8.*

Purganda est mulier, quæ habet menses decolores, nec solito tem pore veniunt. *Li.5.aph.com.36.*

Purgatio totius corporis, quando crassi euacuantur humores, mulierum sanat dispositiones. *li 5.aph.com.36.*

Purgationes in plurali, mensium copiosum fluxum significant. *lib.5.aph.com.60.& 61.*

Purgationes raro circa principia morborum acutorum nobis venire in vsum. *lib.1.aph.com.24.*

Purgationes in mulieribus habentibus frigidos vteros, aut ominino nullæ, aut paucę, & vitiosę prodeunt. *libro 5.aph. com.62.*

Purgatione indiget pleuritis, si dolor ad ilia descendat. *lib.6.aph.com.5.*

Purgata minimè aluo, quanto plures dederis sorbitiones, tanto magis nocebis. *li.7.aph.com.65.*

Purgationes sudducẽtes remedium sunt lippitudinis oculorum. *li.6.aph.com.17.*

Purgatione vtendum in doloribus oculorum, malitia humorum infestãte: per venæ sectionem curandum sanguine redundante. *li.6.aph.com.31.*

Purgandi occasio in acutis morbis datur solùm circa principia. *com.2.in lib.prorrh..tex.37.*

Purgandos non esse ægros, dum procedente morbo perniciosissimè habent. *eod.loco.*

Purgare qui ingreditur imbecillitate affectos, is indoctus est, & artis medicinalis planè inscius. *com. 2. in lib. prorrh. tex.37.*

Purgans medicamentum propinauit Gal. pleuritico prima die, & secunda, & quarta, & interdum quinta. *lib.4.de rat. vic.acut.textu 76.*

Purgantis medicamenti administratio vitanda est in acutis morbis, vt est pleuritis: & in iis quos comitatur acutissima febris, vtendúmque venæ sectione. *Libro.2.de rat.vic.acut. textu.11.*

Purganti pharmaco vtentes non modò ea die, qua medicamentum assumunt, sed superioribus etiam, quando vide-

delicet se ad purgationem præparant, lauari est expediens. *com.5 in lib.6.epidem. textu 26.*

Purgantia medicamenta, acria, & calida existunt. *lib.4.de rat.vic.acu.textu 7.*

Purgantia medicamenta, si vltra modum exhibita sint, nos interficiunt. *com.6 in lib.6.epidemion. textu 5.*

Purgantium medicamentorum læsiones in morbis acutis, non facilè corriguntur. *lib.2.de rat.vic.acut.com.11.*

Purgantium medicamentorum natura expurgandis corporibus, lethalis & deleteria, atque contraria existit. *lib. 2. de rat.vic.acut.com.12.*

Purgantia medicamenta esse corrigenda aliis, quæ ipsorum malitiam retundere possint. *com. 2. in lib.de rat.vic.acut.12.*

Purgatio est corporis, cùm excernuntur quæ sint corrupta. *com.in prorrh.textu 18.*

Purgatio tunc necessaria est, cùm redundantes humores deorsum repunt, *lib.2.de rat.vic.acut.com.11.*

Purgationem interdicẽdam esse, priusquàm sanguis mittatur, in tumoribus præter naturam. *libr.4. de rat.vic.acut. textu 21.*

Purgari interdum totum corpus per renes, atque vesicã *com.2.in lib.1.epidem.textu 8.& 41.*

De chirurgia, & chirurgo, eiusque in vniuersum officiis.

CAP. XVII.

MEdicinæ partium alterã esse, quæ manu curet, quámq; Græci ab ipso operandi modo χειρουργικὴν, nos retento nomine Chirurgiam appellamus, & vulgo notum, & à me anteà positum est. Pars hæc vt antiquissima, sic sanè effectorum magnitudine, & vtilitate inter pręcipuas semper à priscis habita est. Vetustatem porro illius declarant, primi illius autores Podalyrius, & Machaon Æsculapij medicinę parentis legitima proles, quos bello Troiano Agamemnonem ducem secutos non mediocrem commilitonibus suis medendo opem tulisse, non quidem medicamentorum præsidio, sed vulneribus tantummodò, ferro, & medicamentis in id accõmodis intentos curando fuisse Homerus scribit. Ex quo apparet hanc medicinæ partem solam ab his esse tentatã, eam- *Cels.lib.1. cap.1.* *lib. Iliad.*

que esse vetustissimam. Vtilitas porro ex ingentium abscessuum, vulnerum, vlcerum, luxationum, fracturarúmque curationibus (quæ omnia accuratè tractat hæc medicinæ pars) abundè per se patet. De hac nobis hoc capite futurus est sermo, de eáque hæc proferemus. Quid ipsa sit, quæ eius partes, quis illius finis, qui autores, chirurgi propria officia, & munia quæ illius instrumenta, quibus vtendo consueuit, postremò qui optimus sit habendus chirurgus, qualem eum esse oporteat, quo fine caput concludemus. Chirurgia Gal. definitur esse curationis ductus quidam, qui per consuetas, tum sectiones, tum adustiones, & alia quæ manu fiunt, perficitur. Introductorij autor, quisquis tandem ille fuerit, ad hunc modum eam definiuit, vt sit alieni (vt propriè vocant) per incisiones concinnationésque, cum via quadam, & ratione ablatio: ad hæc vulnerum, atque vlcerum curatio, quę in corpore humano administratur. Si quis verò accuratius, & pressius eius rationẽ exprimere velit, esse dicet therapeutices methodi tertiam partem, quæ manuum artificio vrendo, incidendo artus luxatos, ossáque suis sedibus mota reponendo, aliáque huiusmodi præstando, morbis medeatur. Cauliacensis Guido ita definiuit, vt sit scientia, quæ rationem, & qualitatem operãdi doceat, præsertim agglutinando, incidendo, & alias id genus operationes, quæ manu fiunt exercendo, homines quoad licet, per hoc sanitati restituens. Scientiæ nomen hoc loco cõmunius accipere oportet, & prout ad eam chirurgiæ partem quę meditando, præcepta, & methodum tradendo, non manu operando confertur. Constat enim chirurgiam, artem, nõ scientiam propriè esse, vt cuius finis sit effectio, non sola veritatis contemplatio: atque ob id eam meritò Aristot. & artem esse voluit, & inter mechanicas, & manuarias reposuisse est visus. Cætera in definitione posita differentiæ locum tenent. Nec verò temerè pars illa adiecta in definitione est, (homines quoad licet sanitati restituens) etsi enim chirurgo sit proposita perpetuò pro scopo sanitas, non eam tamen semper assequi arte potest, cùm sint plerique morborum qui sub artem cadunt insanabiles, vel quòd suaptè natura tales sint, vt elephantiasis, vel quod suscepta curatio, maius incommodum, longéque grauiorem morbum quàm sit is qui curandus suscipitur, gignit. Vt cùm vitiliginem antiquam, lichenas, hęmorrhoidas, & sinuosa vlcera, fistulásque veteres, cãcrósve curare

Libr. I. de rat. vic. acut. com. 6.

Cap. singulari.

Lib. de arti. mech.

curare aggredimur: aut demum cùm refractarium, nec dicto audientem, minimeque medico obtemperantẽ ægrum habemus. Hęc officiunt, quominus vindicari in sanitatem omnes arte possint. Partes verò chirurgiæ duæ in genenere sunt. Altera quæ docet quæ artis sunt, præceptaque tradit, quibus munitus artifex rectè operari possit. Hanc Græci θεωρητικὴν, nos theoricam, id est, contẽplatricẽ rectè nuncupamus. Altera id exequitur, atq; opere præstat, quod à priore est præceptũ, & Græcè πρακτικὴ, seu potius ποιητικὴ, h.e. factiua appellatur. Tota nanque in opere, & effectione consistit: atque cùm ab hac tota ars pendeat, merito artis nomine chirurgiam dignamur, vt cuius finis sit effectio, atque opus. Hæc ipsa munia sua omnia exercet, aut in membris mollioribus aut in particulis durioribus. Mollia intelliguntur, quæ ex sanguine ortum habent, & carnea dicuntur: dura, quæ ex semine. In his particulis chirurgia secando, excindẽdo, euellẽdo, reponẽdo, vrẽdo, vim suã exercet. Cuius sanè & aliæ quędam partes sunt speciales magis, prout ea circa quę speciatim ars ipsa versatur. Sunt autem hæc tumores præter naturã, vulnera, vlcera, fracturę, luxationes. Itaque, vt quinque sunt, quæ tractat ars, sic quinque erũt in vniuersum chirurgiæ partes: ea quę tumores curare docet, quę vulnera, quę vlcera, quę fracturas, quę luxata reponere nouit. Finis autem in quem actiones suas omnes, & apparatus chirurgia dirigit, est corũ morborũ, qui manu curari possunt ablatio, sanitatisque in ęgro corpore restitutio, quem sanè finem non semper ob eas, quas paulò anteà adduximus causas, cõsequi artifex potest, cùm viriũ suarũ nõ sit morbos omnes curare. Ars hæc longa celebriũ, & famę illustrioris dignatione prę- stãtium autorum serie nobilitata incedit. In quorũ albo primas sibi iure vendicat partes, diuinus ille Hip. cultioris medicinę & parẽs, & vindex, à quo hæc medicinę pars magis quàm à prioribus exculta est: quod testatur diuina illius de hac re prodita posteris monumenta: li. inquam de vulnerib. capitis, de fracturis, de articulis, de vlcerib. de fistulis, de hęmorrhoïdibus, chirurgiæ officina, de corporũ resectione. Deinde posteà quàm diducta ab aliis sibi proprium locũ chirurgia fecit (priscis nanq; temporib. ipsiúsque Hipp. quo discreta à cætera medicina chirurgia nõ erat, cum iidem tũ essent medici & chirur-

chirurgiæ partes in genere.

chirurgiæ partes in specie.

chirurgiæ finis.

chirurgi) habere & ipsa suos professores cœpit: increuisséque in Ægypto, Philoxeno maximè autore creditur, qui pluribus voluminibus partem hanc excoluit, atque ornauit. Hunc secuti Gorgias, Sostratus, & Hieron, & Apollonij duo, & Ammonius Alexãdrinus, multiq; alij celebres viri. Ac Romę quoque haud mediocres professores extitisse certum est: Thryphon pater, & Euelpistus, & omnium (vt Celsus scribit) eruditissimus Meges. Quãtũ verò Gelenus in hac instaurãda, & locupletãda medicinę parte pręstiterit, docti illius cõmentarij in Hippocratis libros, de iis quę in medicatrina fiunt, in libros de articulis, & de fracturis, & sex prioris Methodi medendi libri, postremíque duo, secũdus item artis curatiuæ ad Glauconem, libérq; de tumoribus præter naturã, ac libri de cõpositione medicamentorũ per genera abũdè testãtur. Nec sua laude fraudãdus Paulus Ægineta, qui cõpendiosa, sed maximè accurata methodo, chirurgia omnem, tũ lib. 4. tũ 6. est cõplexus. Ex Arabum schola Auicenna, Rasius, Albucasis, & Haliabbas diligenter de re chirurgica tractauerũt. Auic. quidem 4. canone fen. 3. 4. 5. Rasius lib. 7. ad Almansorem regem, Albucasis integro volumine: Haliabbas lib. 9. practices, de regali dispositione. Nec Latinis suus defuit honos, Celso, & Plinio ducibus, qui & summo nitore, & pari dignitate partem hãc attigerũt. Quid Guidonẽ Cauliacensem prætereo? quem vnũ Gallici orbis, optimè chirurgiã tractasse, si artis quidem rationem spectes, nouimus? Tãtũ illi feliciora tempora defuisse, ex impuro illius sermone colligere plena fide possumus, vt cui nec Græcæ linguę cognitio, nec Latini eloquij puritas perspecta tũ esset, Barbarie, & inscitia tirannidem in litteras, id temporis, exercente: quæ causa fuit, cur plerunque, in citandis Galeni locis, fides autoris desideretur. Sed si mihi Dei beneficio vita lõgior cõtigerit, & hos euulgauero de locis communibus medicinę locos, spero me Guidoni manum porrecturum, éxque barbaro, & impuro, cultum, ac nitidum, Latinéque loquentem, ac suo nitori restitutum effecturum: & quod Syluius noster in Mesueo reformando pręstitit, hoc me in Guidone repastinando (etsi haud pari fortasse gratia, pari certe labore, ac voluntate) præstaturum, studiosis bona fide polliceor, conatus nostros modo ne deserat Deus. Sed ad institutum reuertor. Plures quidem profecto, iique celebres, & famæ secundioris commendatione dignissimi autores, hac ar-

artem illustrarunt, quos inter post Cauliacensem, Vigonius, & ex qui nostri hominibus, Tagautius collega olim, & commilito in studiis meus, magnum operæpretium in hac exornanda, & amplificanda parte, fecere. Ex quo colligi sanè potest quantum sit arti huic tribuendum, quàm tot celebres viri, suis quique laboribus, ac monumentis illustrarint, auxerint, locupletarint, vt quam nimirum & vtilissimam esse, & effectis inter omnes medicinę partes euidentissimam sciret. Iam verò quæ munia, & officia chirurgi sint, vt ea aggredi debeat prodendum. Præcipua chirurgi munia, in quibus vniuersa artis ratio sita esse esse videtur, tria sunt: Aut enim continuum soluit, & separat, aut diuisum coniungit, in probámque vnionem reducit, aut superfluum amputat. Continuum porro diuidit Chirurgus, incidendo, excindendo, venam secando, scarificando. Diuisum coniungit, vulnera agglutinando, luxata reponendo, fracturas curando. Superfluum resecat, tumores præter naturam auferendo, ídque manuum ministerio, vt dum ganglia, carcinomata, schirros, nodos, strumas, & id genus alia, variis modis extirpat, aut dum serosum humorem ex hydropicis exhaurit, sextúmve digitum, aut pterygiõ, suffusionémve ex oculo aufert. Hæc quidẽ in vniuersum chirurgi munia, hæ operationes sunt, quos summa fide exequi debet. Fiet porrò id, si isthæc omnia, tutò, citra dolorem, celeriter, ac promptè, si etiam sine impostura, ac fraude perfecerit: quæ medici rectè curantis munia esse voluit Gal. metam habentis, cubantis vtilitatem. Morbis (inquit) Hipp.) ita prosis, ne quid noceas. Hic itaque scopus perpetuò habendus est in his omnibus, quæ molitur chirurgus, vt ægro prosit, summáque fide, ac pietate, beneficáque in proximum voluntate, morborum curationem aggrediatur: & quæ suæ artis beneficio curari posse agnouerit, ea omni adhibita diligẽtia tractet. Inexpugnabiles verò, atque insanabiles morbos (quales occulti cancri, elephantiasis, vetusta, callosa, sinuosa, fraudulentáque vlcera) ne aggredi quidem tentet, ne mali chirurgi nomen subeat. Porro autem quoniam tutò curare ipsum debere diximus, id vt fiat tria potissimum spectanda præcepit, lib. 14. meth. med. Gal. ad quæ intentus tuto omnia chirurgus curabit. Vnum primúmque illud, vt omnino absolutionem operis, quod pro sanando ægro molitur chirurgus cõsequatur. Alterũ vt sicubi hunc minimè scopum con-

Chirurgi munia.

li. 12. met. med. & li. 14.

li. 1. Epid. textu 50.

& id genus similia. At in victu instituendo, pharmaco propinando, & mittendo sanguine, cum & maioris periculi ea sint, si non rectè administrentur, & magnam sępe chirurgis infamiam ęgrique detrimentum pariant, in his tribus periti medici consilio vti debet: ex cuius pręscripto tanti momēti pręsidia in ęgri salutem, summa cum fiducia adhibere queat. Ad medicum enim propriè, non ad chirurgum pertinet, & victū morbis salutarem pręscribere, & sanguinis missionem iubere, & solutiuum pharmacum dare, magni mehercule ponderis, atque momenti præsidia: & quę virum solertis ingenij, atque iudicij, summę prudentiæ, atque exercitationis exposcant. Quamobrem non possum satis ęquo animo ferre, quod à plerisque solo artis titulo sibi valde placentibus, ineptè ne dicam etiam impudēter fieri animaduerto, qui & sanguinem sępenumero pauperibus ęgris, nulla habita indicatione, inconsulto medico detrahunt, & medicamenta etiam, si diis placet, propinant: rem profectò publica animaduersione dignissimam, cum ex huiusmodi temerario ausu plerósque in discrimen vocatos, nonnullos etiam miserè deficientes, ac vita orbatos ipse viderim. Hęc itaque obire, nisi consulto medico non pręsumat chirurgus, qui se sua arte dignum pręstare velit: si modò periti medici copia illi adsit, & res ipsa inducias dederit. Alioqui, si vel doctus desit medicus, vel pręsens aliqua necessitas vrgeat, poterit tum sanè chirurgus, & secare venam, & si opus sit pharmaco etiam pręscribere: eruditione modò, & iudicio, atque experientia valeat. Vnguenta porrò quibus munitus esse debet, eáque perpetuò in pixide chirurga habere, sunt basylicum, apostolorum vocatum, aureū, album, & dialthæa. Basilicum ad maturandum, & pus mouēdum: apostolorum ad detergendum: aureum ad implendum: album ad glutinandū: dialthęa ad dolorem sedandum. Emplastra, pulueres, fotus, & similia, peritus chirurgus pro ratione curandi morbi alia, atque alia præscribit. Atque hæc quidem medicinalia instrumenta sunt. Manuaria instrumenta, ferramenta ego intelligi potissimū volo, ad chirurgicos vsus idonea, maximéque necessaria: quorum aliqua ad incidendum, & excindendum, alia ad extrahendum, ad explorandum nonnulla, ad suendum quædam propria sunt, alia ad vrendum. Ad incidendum, atque secandum valent, forfices, nouacula, seu culter rasorius, scalpellum chirurgicum: vulgò

In temerarios chirurgos.

Chirurgorum vnguenta.

Chirurgorū ferramenta.

phlebotomum seu lancetam vocant. Ad extrahendum idonea sunt, forcipes, vulgò tenaculæ nuncupatæ, volsellæ, seu vulsellæ, quas pinsettas Gallicè dicunt, hamus recuruus, vncus seu vncinus, & ferramentum id, quod Græcis diocleum graphiscum vocari, ad extrahendas sagittas Celsus scribit. Ad explorandum, specillo idoneè vtimur, vulgus *esprouuette* vocare solet. Ad suendum autem acus, & canulæ propriæ habentur: vti ad vrendum varij generis cauteria, quæ actualia officinæ vocare in vsu habent, & pro vario vsus modo varias & ipsa sortiuntur & figuras, & nomenclaturas, vt sint alia in coni acuti modum fastigiata, & punctualia vocant myrtea alia, oliuaria, dactylica, cultellaria, sic dicta à similitudine rerum, quas ferramenta huiusmodi effingunt. Myrtea nanque myrti folia, oliuaria oleæ, dactylica, phœnicia imitantur. vti cultellaria cultri formam referunt. Hæc quidem communia ferramenta chirurgis necessaria sunt. Habentur & alia propria quædam, certis corporis partibus dicata, vti capiti modioli, quos vulgus chirurgorum *trepans* vocat, malleus, scalpri, serra tum capiti, tum reliquis ossibus, vel excindendis, vel euellendis, vel radendis conueniunt, vti falx sedi, seu ano propria est, speculum oris, ori, matricis speculum matrici. Innumera sunt alia telis extrahendis, globulis tormentariis, & aliis infixis idonea: de quibus dicere supersedeo, & ad chirurgum effingendum, qualis nam is qui optimus futurus sit esse debeat (quod caput ego rei esse existimo) accingor. Quod de medico dixisse Gal. scimus, cùm lib. de const. art. medicinalis, tum tertio de fac. natur. & lib. 8. meth. med. prudentem inquam, & exercitatum esse debere medicum, natura, atque ingenio perspicaci, vt quiduis promptè assequatur, institutione in disciplinis optima: ad hæc optimis præceptoribus addictum, laboris patientissimum, veritatis in primis amantem, atque studiosum, artis suæ callentissimum, multo vsu, atque exercitatione probatum, id inquam omne ad chirurgum, qui præstantissimus futurus sit, transferendum pro indubitato haberi debet. At præter hæc priuatim quædam chirurgo, vt manuario artifici conueniunt, quæ in medicum non cadunt: nempe esse debet chirurgus ætate adolescens, aut certè adolescentiæ propior, hoc est intra consistendi ætatem, & virilemque: ea nanque ætas, & sensibus, & robore viget ad ea rectè obeunda, quæ artis propria sunt (vnde qui inclinata

ætate

lib. 7. ca. 5.

Chirurgi delectus, natura & mores.

ætate sunt, minus idonei habentur) qui quod ars indicat præstare commode possint, sensuum imbecillitate impediente: manu insuper strenua, & valida, & ad opus quod molitur stabili, siue secandum sit membrum, siue vrendum, siue etiam excidendum, esse oportet: acie oculorum acri, & clara, animo intrepidus, & immisericos sit, vt sanari velit eum quem accipit, non vt clamore, & eiulatu, aut mollitie ægrotantis motus, vel magis quàm res desiderat, properet, vel minus quàm necesse est secet, aut vrat, aut excindat: sed perinde omnia faciat, ac si clamores eius qui afficitur non audiret, nullusve inde in eius animo oriatur affectus. Quoniam verò chirurgum doctrinis valere diximus, in eo potissimum eius elucet eruditio, si & theoriam artis, & praxim quoque exactè tenuerit, hoc est, si res naturales, non naturales item atque præter naturam nouerit Quæ vulnerum, quæ vlcerum, fracturarum, luxationúmque causæ, quæ symptomata, quæ item conuenientia præsidia. Demum praxi valebit, si se plurimum, ac diu in artis operibus exercuerit probè, celeriter, concinnè, & expeditè operando, consulendo item medicum in iis, quæ ad pharmaceuticen, & diæteticen attinent: etsi iis vtitur, quæ certa ratione excogitata sunt, & frequenti vsu confirmata, in quo certè chirurgi fides, & probitas maximè sita esse videtur, vti ingenium, in recta ac facili rerum quas tractat apprehensione, firma memoria, reminiscentia expedita, recto iudicio, operandi dexteritate, solertia, ac promptitudine in remediis inueniendis esse chirurgum oportet. Sit autem in primis, quod ad mores pertinet, pius erga Deum, misericors erga proximum, in rebus tutis, & quas omnino agi oporteat audax & animo intrepidus, in rebus dubiis, ac periculosis cautus, ac minimè præceps, comis, & humanus placidúsque erga laborantes, facilis, & mansuetus erga suæ factionis homines, & vt Græci vocant φιλεταίρος, id est sociorum amator: prudens, ac tardus, summéque, in præsagiendo circumspectus, castus, ac temperans, pecuniæ minimè cupidus, nec acerbus exactor. Qui enim quæstus gratia, lucrive cupiditate, non potius erga homines beneuolẽtia artem exercet, is planè abortiuus est, non legitimus partus. Sed iam hic finis esto,

Celsus lib. 7. cap. 1.

Di

De chirurgia, Hippocratis, & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

CIRCA chirurgiam hęc non rectè fiunt. Pus in vlcere, aut turberculo existés nõ cognoſcere: & fracturas ac luxationes nõ cognoſere: & ſpecillo admoto ad caput non cognoſcere, an os fractum ſit: & fiſtulam in veſicam immiſſam demittere non poſſe: & lapidem in veſica exiſtentem non cognoſcere: & ſuppuratum exiſtentem ex concluſione non dignoſcere: & ſecando aut vrendo, aut à profunditate, aut à longitudine aberrare, aut vrere, & ſecare quę non oportet, & hęc quidem non rectè. Rectè autem fiunt hęc. Morbos cognoſcere qui ſunt, & à quibus, & qui ipſorum longi, & breues, & lethales, & non lethales, & qui tranſmutantur, & qui augentur, & qui minuuntur, & qui magni, quíque parui, & dum curas, poſſibiles quidem curare, impoſſibiles vero ſcire, cur curatu ſint impoſſibiles, & dum curas eos qui tales habent, per curationem quantum poſſibile eſt opitulari. lib. 1. de morbis ex Cornario. Manuum fortunata, & recta tractatio, & operatio (vertit Caluus) aut facilitas, & promptitudo (vt Cornarius) in his eſt. Quum qui ſecans, aut vrens neque neruum ſecet, neque venam. Et ſi ſuppuratum vrat, pus conſequatur: & ſi ſecet, eodem modo: & farcturas rectè componere, & ſi qua pars corporis ex natura excidat, vt ipſam rectè ad naturam retrudat. Item apprehendere fortiter ea quæ oportet, & apprehendendo premere: & apprehendere leuiter ea quæ opportet, & apprehendendo non premere: & in obligando tortuoſa non facere, ex rectis: neque premere quæ non oportet. Et in contractu, vbicunque tandem contigerit, dolorem ex ſuperfluo non exhibere. Hæc quidem igitur facilitatis, ac promptitudinis exiſtunt. lib. 1. de morb. ex Cornario. Quæ ad chirurgiæ officinam attinent, ægrotans, æger, miniſtri, inſtrumenta, lumen, vbi, quomodo, quot, quando, corpus, vaſa commoda, tempus, modus, locus, agens, aut ſedens, aut ſtans, moderatè ad ſeipſum, ad id quod tractatur, ad ſplendorem lucis. lib. de chirurgię officina, ex Cornario: qui liber à Feliciano, de iis quæ in medicatrina fiunt inſcribitur, à Caluo de medici vulnerarij munere: quæ inſcriptio plus mihi cæteris arridet, quòd natiuæ libri inſcriptioni congruentior ſit. Scribitur enim Græcè κατ' ἰητρεῖον, id eſt, de medici munere, vel de medendo.

Locorum communium instar esse possunt, quæcunque libro præfato de medici munere, vel chirurgiæ officina inscripto, quę item lib. de vulneribus capitis, de fracturis, de articulis, de fistulis ab Hipp. aphoristicè scripta sunt.

GALENI.

CHIRVRGIA est curationis ductus quidam, qui per consuetas, tum sectiones, tum adustiones, & alia quæ manu fiunt, perficitur. *li.1. de rat. vic. acut. com.6.*

Chirurgia est alieni (vt propriè vocant) per incisiones, concinnationésque, cum via quadam, & ratione ablatio: adhæc vulnerum, atque vlcerum curatio, quæ in corpore humano administratur. *In introductorio.*

Chirurgiæ primariæ actiones duæ sunt, compositio, & diuisio. *in introductorio.*

Chirurgiæ actionum multæ sunt species, compositionis quidem, fractorum ossium coniunctio, & deligatura, luxatorum repositio, intestinorum, quæ prociderunt, collocatio: adhæc vuluæ, & recti intestini. Abdominis suendi ratio: curtorum applicatio, siue adductio, vt in naribus, labris, atque auribus. *eod. introductorij lib.*

Diuisionis species, simplex incisio, præcisio, hypospatismus, periscythismus, angeologia, excisio, adustio, rasio, limatio, sectio per serram. *Eod li. Vide eodem libro horum omnium exactam & fusam explicationem, vsque ad finem libri.*

Chirurgus quispiam, cùm aliquando brachialis syderatione laborantis os excideret, interiorem manum sensu expertem reddidit. *lib.3. anat. administ. ad principium.*

Medicum, atque chirurgum peritum meritò indignari, atque commoueri, si alij medici, aut chirurgi se ignobiliores, & doctrina, vsúque inferiores vocentur: id enim contemptus signum esse. Colligitur conceptis verbis ex historia à Galeno narrata, *com ad lib. de iis quæ in medicatrina fiunt, super textu 1. com.6. pag.731.*

Domestici, & familiares ægrotantis, medicum, & chirurgum incidere partes quaspiam volentem, carnificem vocant, eique indignantur, & quod fieri arte debet vetant. *com. 13. in lib. de iis, quæ in medicatrina fiunt. pag.745.c.*

Indumentum chirurgi syncerum, aptum, & expeditum esse debet, hoc est, neque nimis adstrictum, neque nimis

laxum, vt rectè operari possit. *Eodem.libro 16. pagina. 747. to.6.c.*

Vngues chirurgi quales esse debent. *Eodem libro com.20. tom.6.pag.353.a.*

Vtrisque manibus operari debere chirurgum, iubent Hippocrates & Galen. *eo.li. com.* 23.vti com. 24 & 25. instrumentis,& adstantium munere.

Vniuersa insuper, aut saltem quàm plurima quæ tribus commentariis in eundem librum, de iis quæ in medicatrina fiunt, ad hanc rem pertinere vidétur: de modo operandi, de luce, indumentis, instrumentis, de ligationum variis modis, quę omnia instar locorum communium esse debent: quæ item in commentariis ad lib. de fracturis, de articulis huius generis habentur. Rursus quę in sex prioribus meth. med. libris de vlcerum curatione, & duobus postremis de apostematibus, & secundo artis curatiuæ ad Glauconem, & lib. de tumoribus præter naturam, & de compositione medicamentorum secundùm genera locorum communium, de re chirurgica, copiam immẽsam suppeditabunt: ad quos fontes studiosos medicinæ relegamus.

De venenorum natura, & eorum præcautione, atque curatione, & an venenum ad tempus dari possit.

CAP. XVIII.

DE venenis medico tractare, necessaria magis quàm benigna materia est. Quis enim volens venena certissimam mortalium pestem, exitiúmque præsens, vel prodat ipse (quę reticeri magis expedit) vel scriptis mandare non horreat? Verùm cùm mortale hominum genus mille morborum, atque vitiatæ, ac in perniciem sui abeuntis naturæ periculis obnoxium, & maleficorum hominum veneno impetentium insidiis expositum, arte egeat, ipsius vitam, valetudinémque procurante, & periculo auertente, nósque in præsens locos medicinę omnes tractemus (quos inter, & venena ipsa locum sibi fecere) officij fuerit, tum ad operis inchoati fastigium, tum ad pręsidia demonstranda ea quibus pręcaueri venenorum noxę possint, si quando in ea incidere, vel fortuito, vel insidiarũ dolis homini cõtigerit, de iis hoc loco tractasse. Hę certe causę Dioscoridẽ, Galenum, Paulum

Paulum Aëtium, Auicennam, Serapionem, Haliabbatem, Rasium impulere, vt de venenis scriberent. Horum ego ductu, atque exemplo, de his aggredi tractationem volui. De venenis igitur hæc trademus: venenum quid sit, quęnam eorum differentiæ: venena lethalia, qua ratione exigua mole exhibita, totum tamen animalis corpus momento temporis immittent, atque euertant. Venenum in animalis corpore an nasci queat, humoribus eius certo quodam corruptionis genere vitiatis, quænā præcautio vt vitentur venena adhiberi queat: quæ item, vbi assumpta fuerint, curatio adhibenda: postremò possitne venenum ad certum tempus dari, quo hominem tollat, rē certè difficillimam, nec satis expositam. Ergo venenum id est, quod suapte natura homini cōtrarium, ipsius substantiam euertere, atque corrumpere potest. Quæ enim nulla substantiæ suę mutata parte, sed tota seruata integra corpus afficiunt, cæterum grauia, & naturæ animalis corrumpentia, totum eorum genus deleterium pestilens, & venenosum dici meretur. Vbi aduertendum non rarò probatissimis autoribus sub medicamenti nomine venena intelligi. Medicamenta itidem sunt (ait Gal.) & quæ nulla substantiæ suæ mutata parte, sed tota seruata integra, corpus ipsum afficiunt: cæterùm grauia, & naturæ animalis corrumpentia: vnde & totum eorum genus deleterion, & pestilens dici reor. Hoc loco Gal. quę tota sua substantia animal corrumpunt, medicamenta vocauit, cùm sint eadem & ipsa venena. Sic Varro Latinorum & eloquentissimus, & omnium in omni philosophiæ parte doctissimus, ab Annibale querit, cur medicamentum, id est, venenum biberit. Quia (respondit) Romanus me Prusiades tradere volebat: autor Nonius Marcellus. Quod enim Græci φάρμακον vocant, nos rectè medicamentum dicimus. Sic rursus Suetonius in vita Claudij Cæsaris, cùm boleto medicato, id est venenato, quem illi auidissimo ciborum talium, Agrippina obtulisset, defecisse scribit. Eius autoris hæc sunt verba: Et veneno quidem occisum conuenit: vbi autem, & per quem dato, discrepat. Quidam tradunt epulanti in arce cum sacerdotibus per Halotum spadonem prægustatorem: alij domestico cōuiuio per ipsam Agrippinam, quæ boletum medicatum, auidissimo ciborum talium obtulerat. Constat igitur & venena quoque ipsa, medicamenta vocari. Vnde est illud Caij iurisconsulti, Qui venenum dicit, adücere

Venenum quid.

Gal. l. b. 3. de tēper.

li. 3. de tēper.

L. Qui venenum. ff. de verb. & rer. signif.

debet bonum, vel malum. Nam & medicamenta (subdit) venena sunt, quia eo nomine omne continentur, quod adhibitum naturam eius, cui adhibitum est mutat, cùm id quod nos venenum appellamus, Græci Pharmacum dicunt, & apud illos quoque tam medicamenta, quàm quæ nocent hoc nomine continentur. Hæc Caius. Iam vero ad venenorum differentias propiùs accedamus. Venenum omne, aut ex plantis, aut animalibus, aut metallicis vocatis desumitur. Plantæ enim quædam sunt toto genere perniciosę, atque lethales, vt aconitum, cicuta, sardonia herba, meconium, toxicum, ixia, smilax, & pleræque aliæ, de quibus Dioscor. abundæ lib. 6. Sic & animalium quædam virus eiaculantur, morsúque lethum sæpenumerò inferunt, in quo genere cuncta serpentium genera, Dypsas Quercinæ, Scytale, Basylicus, Catopleba (si modò is in serpentium albo, vt quidam voluère, aut non potius in ferarum genere venenatarum sit reponendus, vt Ælianus lib. 6. de historia animalium, & Solinus lib. de situ, & memorabilius orbis cap. 43 censent) Cerastes, Aspis, cenchris, seu Miliaris, vipera, Hydrus, & cæteræ pestes. Accedunt Cantharides, Pinorum erucæ, Aranei, Scorpij, & omnia vincens miracula rabiosus canis, & innumera ferarum turba, Lybiæ familiaris, nobis incognita. Ab his omnibus, vel morsu, vel saliua, vel spiculo virus manat eiusmodi, quod exitiosum, planéque lethale esse soleat, nisi & pręsenti manu, & præsentaneis quoque antidotis, in id summa arte paratis protinus succurratur. E metallicis quoque fodinis ac mineris nocentes auras spirantibus, multa est inuenire venenorum genera, vt cerussam, argenti spumam, hydrargyrum, sandaracham, auripigmentũ, magnetem, gypsum, ęris squammã, ęruginem rasilem, plumbum, & his similia. Hæ pręcipuæ venenorum differentiæ, à quibus ad ea transgredi congruum videtur, quæ de venenis altioris indaginis esse videntur, quale illud imprimis est. Quanam ratione fiat, vt venena lethalia, exigua mole exhibita, totum tamen animalis corpus breuissimo temporis momento immutent, ac perdant. Permirum nanque videri potest, rem exigui omnino momenti, si quantitatem spectes, tantarum esse virium tam efficacis in nocendo potentiæ, vt instar fulguris omnia perreptet, omnia inuadat, temperiem immutet natiuum calorem extinguat, cordis tandem vires dissoluat, vitàque rapiat. Hęc nanque si quis intenta mentis acie penitius con-

Venenorum differentia.

contempletur, cęcam quandam inueniet in venenis potentiam abditámque qualitatem animantibus infestam qua id mira quadam naturæ ratione, ac potestate efficere queant. Quænam igitur tanti euentus assignabitur ratio? Nulla ne? an ex his, quæ euidenter sensui patent, raciocinari licebit? Ergo ab his ordientes dicamus, validas quasdam inesse rebus nonnullis facultates, quibus sibi simili qualitate vniuersum corpus immutent, etiamsi ipsa exigua mole sint. Parua nanque croci copia ingentem aquæ molem inficere sua demutandi vi potest. Succi cyrenaici, vel medici modica etiam quãtitas assũpta, ita corpus immutat, vt eius qualitatem, & in vrina, & in aliis humiditatibus impressam experiri possis. Sapiunt enim, ac redolent cyrenaicum succum assumptum, vrina, ac etiam muccus, vel saliua, si diutius ore contineatur. Quod & in allio, ruta, asparagorum thirsis, & rhabarbaro est identidem inuenire. Inficit enim non colore solùm suo vrinam rhabarbarum, sed & odoris aliquid impetit, vt mihi in his qui assumpsissent experiri sæpè ocium fuit, sũmque id bona fide expertus. Allium vel modicè sumptum, vires suas validè in corpus imprimit, ita vt nidorosus illius odor, ac sapor, in posterum etiam diem, aut etiam plures perstet, fœtentémque animam faciat, & eodem fœtore etiam lotium inficiat. Siquis iusculum è asparagorum turionibus deuoret in posterum diem vrinam emittet, quæ eorum saporem referat, vt in meipso aliísque plurimis sum sæpenumerò expertus. Quisnam igitur, non, vel inuitus fateatur, ex his quæ modò experientiæ fide attulimus, si validæ insint in rebus quibusdam facultates, ac qualitates, summa vi prędıtæ, mox eorum fieri in corpus validam impressionem: & quo validior facultas fuerit, eo etiam validius id, quicquid est, pro sui natura operari? Ergo deleteria quæ sunt, cùm summis, & efficacibus viribus prędita sint, nihil mirum si efficacitate sua, atque potentia, & celeriter, & validè operentur. Hac sanè ratione etiam minima particula humoris lethalium venenorum (quæ deleteria appellant) vbi in animalis corpus ingressa fuerit, totum id momento temporis immutat, sibique simili affectione alterat, non sanè quòd assumpti veneni substantia per totum penetret corpus. Quî enim potest tam exigua deleterij medicamenti accepta portio, tam breui spatio corporis interdum maximam molem peruadere, contactúque perdere? At verò

Gal. li. 1. de minc. ca. 13.

cùm ſubſtantia ſua id efficere nequeat, qualitatis ,& virtutis ſuæ diffuſione id celerrimè præſtat. Quemadmodum enim à Sole in ambientem aëra fulgorem momento transfundi,irradiatione,& qualitatis ſolaris effuſione videmus : & in nobis quoque ipſis,tum à corde in arterias pulſandi vim , vitalémque facultatem,tum à cerebro in neruos ſentiendi,ac mouẽdi poteſtatem deriuari ,atque diffundi,ſic ſanè ab epoto lethali medicamento paulo poſt momento illius qualitatem, & vim,non quidem ſubſtantiam,diffundi percipimus , qua & in vniuerſum corpus potiſſimum verò in cor princeps viſcus deferri,& impetum facere breuiſſimo temporis ſpatio ,mole etiam exigua conſpiciamus. Vnde id ? quod ſpirituoſa magis quàm corporea veneni ſit actio,qua celeriter permeare , eóque celeri motu validam impreſſionem facere queat. Vt enim aëris & aquæ ſubſtantiam ſolis ſplendor radiorum vi permeat,ſic & ſolidas corporis partes,atque adeò cor ipſum veneni vis attingit,tenui quidem , ſed valido quodam atque tetro halitu in animalis ſubſtantiam delato. Vnde minimè mirandum,à tam parua veneni copia tantùm detrimenti corpori accedere.Id enim & contraria quadam & aduerſaria poteſtate,& valida actione celeríque motu facit , vt mox à nobis probatum. Nunc verò id enodare aggrediamur , poſsítne venenum in animalis corpore naſci,eius humoribus , certo quodam modo vitiatis ,atque corruptis :rem profectò ſcitu, explicatúque digniſſimam:quam prius diſſoluere quis , vel etiam benè doctus minimè queat,ni prius quæ notæ propriæ accepti veneni ſint, pernouerit:vt ex his cognitis diſcernere arte queat,num ſimiles proficiſci ab humorum vitio poſſint. Aſſumpti itaque veneni (vt in ſumma dicatur)notæ propriæ hę ſunt.Cùm quis alioqui ſanus iucultiſque humoribus præditus,in omni victu,que cultu corporis tuendi cauſa temperans,probéque ſibi conſulens , grauibus derepentè caſibus affectus,animi deliquio,anxietate ,pulſuum & reſpirationis defectione,ſopore,acríve morſu ,atque ſimilibus , confeſtim deficiente natiuo calore viribus deſtitutus moritur (quod lethali aſſumpto veneno fieri omnino ſolet) deinde corpus aut liuens,aut nigricans,aut maculoſum & varium, aut diffluens,aut præ marcore fœdum , tetrúmque reddit odorem hunc veneno interiiſſe ſapientes viri exiſtimant. Igitur ſi nullo epoto deleterio medicamento,iiſdem nos affici ſymp-

An venenum naſci in corpore ex humorum vitio poſſit

Gal. li.6. de loc. affec. cap.5.

sympromatis ac casibus sentiamus, quibus hi qui venenum sumpsere, an non introrsus ac veluti à nobisinetipsis accepto originis malo, venenum in nobis, aut veneno simile quippiã innasci dicemus? Id testatissimum faciunt, quæ ex semine genitali retento, vel putrefacto, quæ item ex sanguine menstruo, noxæ proueniunt: quæ rursus a bili porracea, vel æruginosa: quæ item ab humore aëris contagio, & perniciosa qualitate affecto vitium subeunte, noxæ contingunt. In his enim omnibus paria venenatis accidentia est inuenire. Quibus enim vitiatum semen, menstrúumve aut retinetur, aut putrescit, grauia his inferri symptomata, nec leuiora his, qui venenum sũpserunt, experimur. Præfocationes, animi & vocis defectiones, stertores, syncopas, frigidos sudores, conuulsiones, extremorum frigiditates, ad quæ non raro & præceps consequitur mors. An non & ab æruginosa bili intus genita lethalia euenisse symptomata, & olim Gal. expertus est, suisque monumentis testatum reliquit & nos id quotidie experimur? Ego quidem certè a hoc humore perniciosa excitata fuisse symptomata, & his qui venenum sumpserunt planè similia, testari plena fide possum, in duabus mulierculis id expertus, quo tempore apud Allobrogas agens medicinam iuuenis Valentiæ factitarem. Qua de re tota plenissimè in meis enarrationum medicinalium libris disserui, libro videlicet quarto, enarratione tertia. Quanta vero pernicies ab humorum corruptela intrinsecus quidem nata, & ab aëris contagio, morbidáque excretione manante excitetur dum pestilentes, & exitiales inde creantur morbi, vix sanè dici commodè potest. Videas enim non raro (tanta est vis intrò concepti pestilentis halitus) syderatorum instar concidere derepentè eos, qui peste correpti sunt: cùm alioqui in his nec pulsus exitialis, nec vrina, nec vix vlla aduersæ valetudinis signa apparent, saníque videantur: ac statim & loquentes, & incedentes tanquam fulmine icti pereunt, quod à me sæpissimè per pestilentis aëris constitutiones obseruatum fuisse, ea præsertim, quæ sub annum 1534. in Galliæ Narbonensis parte grassata est, testari ipse possum. Nec minora sunt quæ in lethalibus carbonibus accidere conspicimus. Sic nanque affectos plerósque, in vastum tumorem (qua parte carbo insidet) sublatos videmus, toruo aspectu, liuenti facie, soporatos, delirantes, animi deliquio correptos, tãdẽ verò moribũdos, & animã agẽtes. Quę cũ

Libr. 12. meth. me. & li. 5. aphor. cõ. 1.

Gal. lib. 3. de præsag. ex pulsib. Auic. fe. 1. quarti trac. 4. c. 1 de febre pestilenti.

in nobis à cæcis quibusdam, & abditis causis fieri cernamus, principiúmque à nobismetipsis accipiant, vitiatis intrò humoribus, aduersaria quadam, & pestilenti qualitate præditis, an non venenosum in nobis innasci aliquid posse dicemus? Id confirmant quæ à canis rabiosi morsu euenire experimur. Ex rabie nanque canum facilè intelligitur & quanta sit veneni in humoribus latentis vis, ac cæca potestas, & quantam item vim habeat afficiendæ rei aptitudo. Cùm enim reliquorum animalium (quod ait Gal.) nullum rabie capiatur, solus canis eo malo corripitur: atque tanta fit in ipso humorum corruptio, ac deprauatio, vt solùm eius sputum, si quem morsu rabiosus canis contigerit, excitare rabiem in homine cani persimilem possit. Vt igitur ab exiguo initio, sputi videlicet malefica qualitate, aucta quędam in corpore dispositio, vbi ad magnitudinem, læsionémque effatu dignam peruenerit, discerni potest, idque post sex menses, cùm nonnunquam ante id tempus eius mali nulla nota deprehendatur, sic eodem modo vitioso in animalis corpore genito humore, paulatim temporis decursu eo deteriore reddito, principum partium aliqua consentit: à cuius affectu, ac læsione celerrimè vniuersum corpus alteratur, & in perniciem abit, id vt exploratum, testatissimúmque habeamus, à cęcis quibusdam causis, ac qualitatibus, & venenosos in nobis gigni humores, & veneno similia ab his inferri accidentia. Quod & experientiæ fides, & inconcussa Gal. autoritas, pleno veluti testimonio confirmare videntur. *libr. 6. de loc. aff. c. 5.* Sed exposcit propositorum ordo, vt quænam pręcautio, vt vitentur venena, adhiberi queat, iam in medium proferamus. Inter ea nanque de lethalibus venenis traduntur, ea quæ de præcautione agit, ardua magis, ac difficillima pars est. Propterea quòd qui venenis homini insidias struunt, clanculum id, tantóque astu, & malefica arte machinantur, vt peritissimo cuique, & artis callentissimo facilè imponant.

præcautio à venenis. Qui itaque venena præcauere volet, eáque in suspicione fuerit, parari vt sibi veneno insidias putet, operosa culinæ arte eloborata, confectaque cibaria vitare omninò debet, omnémque saporem qui palato nimium placeat, aut intensam gustui qualitatem excitet, dulcorem nimirum, aciditatem, salsedinem acrimonia temperatam. Hisce nanque saporibus fucare venena malefici homines solent, ne dolus deprehendi queat. Quin & illud est ei omni studio prouidendum, ne vehe-

hementi fame, sitíve affectus cibū elaboratum arte culinaria sumat. Sic namq; metus subest, ne vis veneni celerius rapiatur in viscera, & qui magna cum appetentia voraciter cibum sumunt, non sic veneni vim deprehendere queunt. Quinimò si cui post satiatam appetentiam expletámque famem, pleno ventriculo venenum quis propinarit, minus tum lędere venenum solet, tum quod prçcedenti cibo admixtum venenum, virium suarum aliquid remittit, tum quod impletis iam venis, non sic facilè in eas aditus pateat, vt minùs ea ratione nocere venenum queat. Fieri etiam potest vt in eo, qui prçassumptus est cibo, qualitas aliqua insit, quæ veneno repugnet, illiúsque vim frangat. Atque cautio hçc optima ad vitandum venenum esse censetur. Sed qui sequitur efficacior est prçcauendi venena modus: vt in eius suspicione semper aliquid prçmandetur, quod venenorum vires retundere, inefficacésque reddere queat. Cuius ordinis sunt pingues caricç, cùm iuglandibus, rutç foliis, & grumo salis: vt sint rutç siccç partes viginti, nucum siue iuglandium partes duç: & salis quinque, & caricarum pinguium partes item quinque. Hçc enim antidotus autoribus Galeno, Paulo, Auicenna, mirifica esse ad venena vitanda censetur. Sic enim Galen. eam lib. 2. de antidotis, ex Apollonio describit, vt sint rutæ folia viginti, nuces iuglandes duç, salis grumus vnus, caricç duç. Antidotum hāc si quis prçsumpserit, tutus, libérque ab omni veneno esse, vel Galeni autoritate poterit. Malorum quç medica, ceu citria dicuntur, creber vsus optimè facit. Non solùm enim succo, semine, cortice, citria venenis resistunt, sed & odore. Citriorum nanque odor (quod Auicenna testatur) aëris corruptelam, pestilentémque halitum emendat. Item napi semen drachmç pondere ex vino potum. Sed omnia vincit sigilli Lemnij (quam terram sigillatam officinç vocant) vsus, si ad drachmæ seu denarij pondus sumatur, ex generoso vino. Sed quando vera rubrica Lemnia caremus, prçstiterit aliis supradictis, quç & in nostro orbe nascuntur, & ad manum parata habere momento possumus, quàm peregrinis, seu adulteratis vti. Inter cætera porrò quæ tutissimè corpora à venenis prç seruare possunt, antidoti magnæ habentur nempe Mithridatica, vel Andromachi theriaca, vel quç ex animalium sanguinibus conficitur, cuius hçc apud Paulum est descriptio. Capit piperis albi, & longi, costi, acori, phu, anisi, di-

Auic. fen. 6. quarti cap. 1.

conscriptam,& Ælij Galli,& Euclidis Pallatiani,& Zenonis Laodicei,& Asclepiadis,multorúmque aliorum in re medica præstantium virorum, quorum omnium descriptionem libro secundo de antidotis appinxit Galenus.Hisce antidotis si quis corpus præmunierit, impetum venenorum, antipathia quadam vitare sanè poterit. Sed cùm non solùm maleficorum hominum insidiis,sed temeritate fortunæ,inopinatísque euentibus sæpe in venena incurramus,vt dum incautè sub arbore aliqua desidentes,à venenatis impetimur animantibus,serpente,scorpio,araneo:aut dum hæc clanculum in vasa culinaria,vinaria,& aqualia sese demittunt, alicundéve è sublimi delabuntur, animaduertenda summa cautione hæc omnia erunt: vt ollæ in quibus incoquuntur edulia,& integra sint,&bene suis operculis contecta, probéque detersa,nitida,& mundiora effecta,vt item aquaria,& vinaria vasa suis labris aperta ne maneant,sed conclusa. Cautione hac,Regij in aula ministri vti magna fide in apparandis Regi dapibus solent,ne incautis obrepere animalium ictu,morsúve nocentium iniuriæ,noxæve possint:ipsíque,læsæ Maiestatis crimine asserere se,hac adhibita diligentia,possint.Atque hæc de præcautione ad venena. De curatione modo agendum,vbi assumptum iam venenum fuerit.Si quidem incognitum,id est,vt cuius generis assumptum venenum fuerit,deprehendere nequeamus, communi tum methodo in eo abigendo erit vtendum,vt mox (quod Galenus iubet)Hydreleon calidum,hoc est,aquam ex oleo multo demus,idque affatim,magnáque copia,vomitúmque proritemus Id enim præcipuum in omni epoto veneno est,vt quàm citissimè fieri possit,vomitu eiiciamus venenum.Proritatur enim vomitus multò hydrelei potu,vel oleo solo multò, atque calente ebibito,vel butyro multo,pingui & deuorato,& calidæ aquæ admixto:decocto item maluæ,aut seminis lini, vrticæ,fœnogræci vtendum,aut raphani & seminis attriplicis decocto,ex syrupo acetoso,& hydreleo assumpto.Hæc quidē non solùm vomitum mouebunt,sed & aluum quoque subducent,& acrimoniæ veneni,malignitatíque aduersabuntur. Vomitus autē in veneni haustu,nō ob id tantū vtilis est,quòd vacuet & venenum pellat, sed quod assumptum interim venenū,odore,sapore,colore,grumis eiectis arguat ac repræsen-

veneni assūpti curatio.

libro 2. de antid.

Paul.li.5. cap.29. & Dios.lib.6. cap.1.

Odore quippe, & amaritudine cicutam, colore cerussam & gypsum, grumis concretis lac, vel sanguinem. Viru autem, & materiæ qualitate, & acrimonia sandaracham, leporem marinum, aut ranam rubetam, aut hyrudinem, cantharidémve prodit: ita vt per hæc facilè ad accommodata ac propria singulis remedia pateat via. Sed rursus ad remedia recurrendũ. Veneni vim retundit pinguium carnium ius, adépsque anserinus, vel pinguiusculę gallinæ. Lixiuium item ex lignorum odoratorum cinere, vt vitis, lauri, quercus factum, & epotum optimè facit, aut nitrum cum hydromelite tritum, & haustũ & vinum vetus, ac generosum copiosè epotum & quæ ex adipe, & butyro edulia constant. Deiecto per vomitum quod in ventriculo hæserat, acerrimo clysteri reliquias veneni in intestina delapsas educemus: cuiusmodi sunt clysteres, qui ex decocto centaurij minoris, & emollientium herbarum, adiecta colocynthidis pulpa vel agarico fiunt, si ei decocto hiera Galeni, vel hiera Logadij misceatur. Vbi abundè vacuatum esse tum vomitu, tum clysteribus quod nociturum erat deprehendemus lactis vsu viscera veneni acrimonia oblæsa, mulcebimus multo, eóque calente lacte, adiecto modico melle, aut zaccharo epoto. Sit autem lac asininum, si haberi possit, sin minus caprinum. Ea insuper, quæ tota sua substantia venenis valere dicuntur, crebrò propinanda, cuius farinæ sunt rubrica Lemnia, quam terram sigillatam nostri appellant, & lutum Armenum, naporum semen, betonicæ folia, aut oxalidis, aut abrotoni: zedoariam efficacissimam esse ad nocumenta veneni pellenda. Auicenna testatur quam punico nomine Algueduar nuncupat: singula hæc drachmæ vnius pondere sumi ab ægro debent. Eximiè vero supra cætera opitulatur ex viperis concinnata theriaca, vel Mithridatica antidotus. Verùm ea cautio adhibeatur in his antidotis exhibendis, vt maior multo copia eorum detur veneno affectis, quàm metuentibus venenum. Neque enim parem facultatem antidoti habent, cùm lethalibus venenis succedunt, & cùm eadem anteuertunt. Quæ enim antidoti quantitas præsumpta sufficeret ad præcauendam veneni noxam, idem alexipharmacum post veneni haustum in quadruplum adauctum, exhibitúmque iuuit, neque id semel modo per diem, sed bis etiam propinari debet. Vbi vero cognitum venenum fuerit, vnicuique sua alexipharmaca priuatim dari debent: de quibus

Fen.6.4 cap.1.

quibus Gal. lib. 2. de antidotis, & Paul. libr. 5. & ante omnes *Paul. libr. 5. cap. 29.* Dioscor. li. 6. & ex neotericis Conciliator tractatu suo de venenis, & Antonius Gaynerius eiusdem tituli lib. abundè tractauerunt. At de curatione iam satis. Id modo explicare ingrediamur, possitne lethale venenum ad certum, & præfinitum tempus dari: quo non repente, sed ad constitutum temporis articulum tollere hominem possit: grauis profectò, & suis veluti nexibus implicata quæstio. *An venenum ad tempus dari possit.* Nam si veneni ea natura est, vt tota substantia animanti sit aduersissimum, illiusque substantiam nulla sui mutata, aut superata parte corrumpens, cuius merito totum eorum genus deleterion, & pestilens, vel autore Gal. dici meruit, qui fieri potest, vt in corrumpendo animante, moras venenum trahat, ac nō potius vbi assumptum est, & in visceribus cōditum, mox animal corrumpat? Quod enim adeò potens est, vt à virtute corporis domari, aut vinci nequeat (cuiusmodi venenum est) id sanè confestim exercere vim suam, seque in actum deducere solet, vt fieri posse minimè videatur, ad certum quoddam, & præfinitum tempus, venenum opus lethale suum differre. Verùm si & grauium, & præiudicatæ autoritatis virorum sensa paulò penitus expendamus: si & demonstrationum vim, & experientiæ fidem, cui vni perpetuò in rebus dijudicandis est inhærendum, inueniemus profectò ita retundi, ac reprimi veneni citum opus posse, vt celeritati tarditas, & præcipiti letho diuturnus languor succedat. Ita vt temperamento quodam refracto veneno, possit in pręfinitum quoddam latitudine tempus, illius vis, atque effectus protrahi. Id tum grauissimorum autorum assertionibus, tum historiæ indubitata fide, tum demonstrationis robore, ac exemplis quibusdam astruemus. Res enim hæc tanta est, vt ad sui assertionem his adminiculis egere mihi videatur. Gal. libro de partibus artis Medicinalis (etsi Galeni non esse id opus quidam falsò sunt arbitrati: ego quidem legitimum esse illius partum non temerè arbitror) eo inquam libro ostendere volens, qualisnam ea dispositio sit, quam neutralitatem appellant, eam his lethalibus venenis comparat, quæ post tempus interficiunt. Eius eo loco hæc sunt verba, *Si* (inquit) *& tertia aliqua est dispositio, quam neutram nominirit, necessarium est & eius prouisionam esse aliquam aliam partem artis. Videtur autem esse talis dispositio eorum, qui mala temperie præditi quidem manifestè*

corũ princeps, apertiſſimè id confirmat, venenum (inquam) ad tempus quoddam opus lethale ſuum proferre. Et omni quidem quod interficit (inquit) cum permutatione complexionis, aut putrefactione, aut cum aduentu ſuper membrum, poſſibile eſt vt ſit effectus poſt tempus. Hiſtoriæ nunc fidem (quod polliciti ſumus) adhibeamus. Aulus Gellius luculentiſſimus noctium Atticarum ſcriptor, de Attilio Regulo, in Tuditani libris exaratam hiſtoriam, & à ſe lectam, mira quadam verborum concinnitate, vt cætera omnia refert: Quod ſatis celebre de Attilio Regulo id nuperrimè legimus ſcriptum in Tuditani libris: Regulum captum ad ea quæ in Senatu Romæ dixit, ſuadens ne captiui cum Carthaginenſibus permutarentur. Id quoque addidiſſe, venenum ſibi Carthaginenſes dediſſe, non præſentaneum, ſed eiuſmodi, quod mortem in diem proferret, eo conſilio, vt viueret quidem tãtiſper: quoad fieret permutatio, poſt autem graſſante ſenſim veneno cor tabeſceret. An non hiſtoriæ fide planum nunc factum à me eſt, venenum non quidem præſentaneum, ſed quod mortem in diem proferat (vti Attilio Regulo ab Carthaginenſibus datum eſt) inueniri poſſe? Id etiam demonſtrationis robore adſtruamus. Illud in primis omnium confeſſione conſtat, ſympathias quaſdam, & antipathias, hoc eſt conſenſus quoſdam, atque diſſenſus in rebus eſſe, non in plantis modò: ſed & animantibus, & inanimis quibuſdam, vt Theophraſtus, Plinius, Columella, multique alij ſuis quique monumentis teſtatum fecere. Vt enim ab animantibus exordiamur, Gallinacorum generi cum miluis natiuus quidã diſſenſus eſt. Miluum nanque gallinaceus pullus adeo expaueſcit, vt eo conſpecto ad matrem gallinam mox pauidus, & pipiens confugiat. Idem odium agno & lupo, feli & cani, Ichneumoni & crocodilo, vulpi & gallinaceis, muribus demum & felibus perpetua inimicitia. Mala medica, inſperſo in eorum cumulum pane flacceſcere videmus. Braſicæ; &, rutæ tantus eſt naturæ diſſenſus, vt iuxta ſeri non patiantur altero confeſtim marceſſente: oleum atque aquæ non admiſcetur, ſed ſupernatat. Aquam adiantum non admittit, etſi fontes, ac riuos amat: ſic & dipſacos planta perpetuò ſitiens (quod nomen indicat) aquam perinde vt adiantum reſpuit, quod experientia teſtatur. Colocynthis, autore Meſueo, herbas alias omnes ſibi vicinas veneni modo interficit: vt nul-

lib. 6. noc. attic. c. 4.

libro 2. de med. ſimpl purg. c. 4.

las sibi plantas absque earum morte adiungi patiatur: quo merito fel terræ, & plantarum mors dicta Arabibus est. Herculeus lapis, cuius potentia ferrum ad se trahit, ferrum trahere prohibetur si alij succo illinatur: huic autem lapidi cum adamante natura quædam inimicitia est. Dissidet enim cum magnete lapide adamas in tantum, vt iuxta positus ferrum abstrahi non patiatur: aut si admotus magnes apprehenderit, rapiat, atque auferat. Eadem gemma irrita venena omnia, autore Plinio, facit. Habent & venena dissidentias quasdam suas, ad certas quasdam res quæ tota sua natura aduersariæ, & repugnantes ipsorum actioni esse soleant. Vnde naturæ admirabili prouidentia quadam factum videri potest, vt vnicuique veneno contrarium quoddam obiectum sit, quod illius noxam reprimere omninò possit. Id Α᾿λεξιφάρμακον, id est, salutare auxilium, Græcis vocare in more est. Pœni & Arabes bezoard appellare solent. Vnicuique enim lethali veneno alexipharmacum peculiare, ac proprium ingenerauit natura optima parens, ne manca esse in auxiliis ferendis, quæ tam multa venenorum genera produxisset. Gypso epoto post vomitum, & communia quæ recensuimus remedia, ceu alexipharmacum prodest muris stercus, drachmæ pondere ex vino haustum. Mentæ succus antidotum est ei, qui æris scoriam sumpsit, & balneum ex decocto capitum hircorum. Scoriæ ferri prodest puluis magnetis lapidis ad drachmæ pondus, ex succo linozostidis vel bliti, factis inde catapotiis, vt magneti lapidi assumpto, auri ramenta tenuissimè trita, vel smaragdi scobes, clisteresque ex lacte ouillo, & oleo amygdalarum dulcium. Lapidi Cyanæo non loto, nec arte parato, charabe tritum, & ex vino exhibitum ad scrupulorum duorum pondus iuuat. Id nigræ populi gummi est, aut etiam albæ, si Arabum sensa sectamur. Num id electrum sit nec ne, huius tractationis ad præsens non est. Arsenico sublimato epoto alexipharmacum est, cristallus trita ad drachmæ pondus ex oleo amygdalarum dulcium: quo ego auxilio illustres duos ægrotantes, illustrem inquam mulierem, & iurisconsultorum virum plane bonum, Dei Optimi Maximi ope adiutus, magno certè negotio à mortis faucibus liberaui: cùm vtrique sublimatum, alteri dolo malo, alteri fortuitò datum esset. Vbi enim ex oris vlceribus acri-

Plin. li. 37 nat. hist. c. 4.

vbi suprà.

Historia de duobus veneno infectis & à me curatis.

acrimonia gustu præcepta, colore linguæ albicante, erosionibus ventriculi, & intestinorum, vrinæ retentione, satis per me intellexissem sublimatum exhibitum fuisse, mox concitato vomitu oleo & butyro multo, ex aqua tepente & acido syrupo, iniectisque clysteribus acrioribus, multo lacte caprino ex zaccaro viscera intus, tum clysteribus subditis, tum epoto lacte foui, in balneúmq; demisi aquæ fontanæ tepidæ ex multo oleo calenti, adiectis emollientibus, & vrinæ meatus relaxantibus herbis, malua, althæa, a parietaria, raphani & olusatri foliis, térq; in die cristallum sumere iubebam, iisque auxiliis non sine labore multo ab impendenti mortis discrimine, vterq; liberati sunt. Spumæ argenti (vt ad eam redeamus) confert à vomitu syluestris terebinthi semen cum vino potui date, absinthij, hissopi, aut apij semen. Cerussæ confert vini albi electissimi copiosus haustus. Ærugini rasili alexipharmacum est terra Lemni ad drachmas duas epota, aut corallus rubens eodem pondere tritus, & ex vino datus. Plumbo vsto citrij semina ex passo. Cicutæ gentiana tria ad drachmas duas ex vino. Succo titimali mumia trita ex vino. Elaterio, succus mentæ epotus ad vnciæ mensuram. Mandragoræ succo, vinum potens ídque meracum, & raphani radix ex pane, & sale assumpta, pro alexipharmaco sunt. Succo papaueris quod opium dicitur, vinum generosum ac potens, castorium tritum ad drachmas duas, antidoti vices habent. Scammonij succo, aqua hordei, balneum, somni prouocatio conferunt. Illius alexipharmacum est spinæ acidæ, seu ægyptiæ succus (Ribes officinæ vocant) Ranunculo eo epoto, quod apium risus dicitur, succurrit pro alexipharmaco melissæ succus ex aceto potus, & haustus generosi vini. Napelli præsentissimi veneni radicem qui sumpserit (aconiti speciem vult esse Matthęus Syluaticus in pandectis) terra Lemnia ex butyro data, & Smaragdo trita ad drachmarum duarum pondus leuatur, & animaiculo, qui in eius radice innascitur (quod mus napelli vocant) pro alexipharmaco vtendum. Apponensis conciliator censet, Oleandri succo granum iuniperi ex vino drachmarum duarum pondere antidoti vice esse. Thymelæę aduersatur origanum in pollinem redactum, & epotum. Hellebori succo confert hydromel plurimum potasse, cuius alexipharmacum est nenupharis flos siccatus, & tritus ad drachmas duas, Bryoniæ succo piper, anacardis, nuclei pinei, torrefacti, castorio

vitiato, coriandri semina assata, & trita. Fungis vinum ex pipere, clyster ex aqua mellis paratus, & allium crudum deuoratum, pro alexipharmaco sunt, communibus prius tentatis ad venena remediis de vomitu, & soluta aluo. Colocynthidi, Smaragdus trita drachmarum duarũ pondere ex vino sumpta. Alterco, piper, & fisticorũ nuclei, grano Gnido, seu chymelææ seminibus, amygdalæ amarę. Ricino, id est cataputiæ maiori vel lathyridi, cataputiæ minori, hypericon assumptum alexipharmacum est. Ad lac in grumos, concretum, acetum valet, coagulum hædi, aut alterius animantis epotum ex aqua fontana, pro antidoto est. Quin & animalium virus morsu, aut aculeo eiaculantium, sunt & peculiaria prę sidia, quæ tota sua substantia his aduersentur. Morsui viperæ theriaca, & Mithridatica antidotus, & alliorum esus, viniq; generosi potus conferunt Scorpionis morsui theriaca, diatesseron: & scorpio ipse loco commorso tritus, & appositus suimetipsius alexipharcum est. Araneo, intibus: apib. & vespis malua trita, vel aqua, & oleo incocta. Cantharidum noxæ halicacabi semina mirificè prosunt. Canis verò rabiosi morsui cucurbitulæ incisæ, loco affecto admotæ, allium ex butiro vaccino, aut cepe tritum & admotum, in marinam aquam descensus, conferunt. Huic fluuiatiles cancri, & in pollinem tenuissimum redacti ad drachmas tres, pro antidoto sunt: item & gentianæ radix, & syderitis heraclea, quam alyssam Dioscorides, Paulus, & Aëtius vocant, & quidam rubiam minorem esse putant, antipathia quadam rabiei canum opitulantur. Morsui ieiuni hominis biliosi, gallinæ stercus admotum auxiliatur: vt idem ipsum morsuræ muris, simię, felis congruentissimum est. Serpentum morsui, theriaca admota, & potata: item smaragdus, corallusve, aut margaritæ, & assumptæ, & regioni cordis admotæ antidoti vicem natiua sua virtute præstant. Iam verò ad demonstrationis robur illud quoq; adiiciamus, contraria contrariis admota, quanto valid:ora sunt, eo magis posse eorum vim, quibus admouentur (alioqui non impedita) retundere, eorúmque actionem reprimere, atque morari: quæ res præter Philosophorum assertionem experientia constat. Videmus nanque aquæ feruentissimæ actionem, frigidæ admistione retundi plurimum, ac retardari, vt quo copiosior adiecta frigida fuerit, eo imbecillior feruidæ aquæ vis & actio reddatur. Atque in medicamentis itidem, quæ alioqui tardæ sunt actionis, vigorari eam nonnullis adiectis experimur,

rhabarbaro, nardi spica, aut schennanthos si adiungantur, citatiorem fieri solutionem videmus, & agarico additum zingiber, illius opus vigens & citum efficit, vt diui Mesuei sententia est. Sic rursus dum medicamenta propinamus ea quæ pulmonum, aut vesicæ, vterive malis prosint, ea adiicimus, quæ tandiu morari assumpti medicamenti vim possint, quoad iter compleant suum, eòque perueniant quo destinantur. Ob id in pulmonum vlceribus siccandis rubricæ Lemniæ, vel luto Armeno pectoralia admiscemus, quæ ad pulmones vim medicamenti deducant, nempe glycirrhysam, hyssopum, adianti decoctum, aut quid simile. Eodem ingenio in vesicæ, aut vteri malis, medicamenta temperamus, adiicientes ea quæ medicamenta ad locum adfectum dirigant: nempe vrticas radices, semina melonum, milij solis, apij, asparagi, olusatri, saxifragæ, aut si vterus curandus sit radices valerianæ, arthemisiam, matricariam mercurialem, & huiusmodi talia: in id scilicet, vt quoniam ad longinquum deduci auxiliaturum medicamentum debet, longísque venarum anfractibus, vel ad pulmones, vel ad vesicam vterúmve deferri, ne eius virtus pereat, his adminiculis vtimur. His positis dico ita temperari venena posse, vt neque in præsentiarum, nec etiam paulo post, sed ad diuturnum tempus possit eorum vis retardari, atque refrangi, ne protinus, sed multò post tempore interimant. Venenum huiusmodi à Carthaginensibus olim paratum fuisse, Marci Reguli suprà citato testimonio constat. Retulit enim is in senatu venenum sibi Carthaginenses dedisse, non præsentaneum illud quidem, sed eiusmodi quod mortem in diem proferret, eo consilio, vt viueret quidem tantisper quoad fieret captiuorum permutatio, post autem grassante sensim veneno, cor extabesceret, Autor Gellius. Id rursus naturæ, non artis ductu fieri, in commorsis à rabioso cane experimur: qui non confestim, sed post multum tempus in rabiem (ni præsenti manu succurratur) incidunt. A morsu nanque nihil mali sentitur, preterquam ex vulnere dolor merus: sed processu (vt Dioscorides tradit) effectus ille accedit, qui pauor aquæ, hoc est Græcè ὑδροφοβία dicitur, cum neruorum distensione, ac totius corporis rubore, præsertim oris: maximéque tum sudoribus, & fastidio totus interæstuat, alij tenebras

Cap. pre-prin.

Quæstionis propositæ dilutio.

Li.6.noct. att.cap.4.

Lib.7.c.6. ex vers. Hermolai, vel eo. lib. cap.35. ex Ruellio.

quærunt, alij tristitia, mœroréque tabescunt, alij delatrant ritu canum, & obuium quemq; dentibus appetunt, vt & qui ab his mordentur in eundem perinde collabantur furorem. Quod si venenum à rabioso cane morsu illatum, non protinus, sed interdum post duos trésve mẽses, aut etiam integrũ annum intus latensnon nocet, posteà verò sese prodit, lethalémque tum noxam adfert, quid prohibet venena suis alexipharmacis ita arte temperari posse, vt si non penitus veneni vim auferant, ad tempus tamen illius opus retardare possint? Nam etsi natura pernicie, & proprietate quadam homini aduersaria venena noceant, patitur tamen hæc pernicies, & calcar vt celerius operetur, & frænum vt tardius. Concitari enim, aut tardari aliorum permixtione potest. Venenis nanque ne properè ad cor deuehantur, fræna addimus: quib. tãdem virib. suis exolutis non desinũt venena opus lethale suũ peragere. Fręna autẽ reperiri ad id multa exploratissimum medicinæ cultorib. habetur. Iuglandes nanque, ruta, oliuum, sphragis, crocus, venenatis sæpè opitulantur, alio atque alio modo, oliuum & iuglandes glutinositate sua venenum irretiunt, & illigãt, ne quò properat (ad cor scilicet) celerè proficiscatur. Sphragis quæ terra sigillata officinis dicitur, meatus internos obstruens, efficit, vt ad exteriora corporis trudatur venenũ. Crocus cor roborans, præstat vt ad repulsam veneni fortius reddatur. Hæc itaq; partim venenis aduersantur, partim corpus muniunt, partim veneni vim retundunt, & illigãt: quæ si venenis admixta sint, vel eorum omnino vim auferẽt, vel certè remorabuntur tantisper, dum salutaris eorum vis extabescat, & ductu temporis absumatur. Tardari autẽ, atque omnino tolli multorum opera, quibusdã adiunctis suprà iam ostendimus, dum magnetis opus adamante prohiberi, & allij succo diximus. Caro in ventriculo citius conficitur, adiuncta sinapi, sed si ex omphacij succo sumatur, tardiùs profectò cõcoquitur. Omphaciũ nanq; frigiditate sua calorẽ natiuũ hebetat, sinapis caliditate excitat. Ad hæc venena quædã sunt, quæ priuatim mẽbris quibusdã noceant, vt cãtharides vesicę, lepus marinus pulmonib. Alterũ nanq; vesicã, alterũ pulmones exulcerat. At pulmonũ exulceratio nec cõfestim ab epoto lepore marino fit, nec vesica deuoratis cãtharidib. protinus exulceratur: sed tẽporis spatio pulmones venenũ populãs tabefaciẽdo cõsumit: quod & Ouid. bellè hoc carmine cecinit.

Certus

Cernis vt è molli sanguis pulmone remissus,
Ad stygias certo limite ducat aquas.

Constat igitur ex his, quæ longa serie prælibauimus, quęque summorum virorum autoritate, historiæ fide, & demonstrationis robore firmauimus, venenum præfinito, latitudine tamen quadam, tempore nociturum dari posse, non ita tamen præfinito, vt ad articulum temporis respondeat, quòd pro actionis veneni diuersitate, eorum quæ admiscentur varia ad venenum habitudine, & demum varia corporum natura, ac dispositione celerius, aut tardius operari venena queant. Quod & Hormolaus eruditorum hominum sui seculi quasi sol alter, conceptis verbis, de aconiti radice testatur, ita illam præparari posse, vt biennio tollat, anno, mensibus sex, tribus, duobus, vno. Sed iam nimium diu immorati finem hîc faciamus.

De venenis, Hippocratis, & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

NEQVE verò vllius preces apud me adeo validę fuerint, vt cuipiam venenum sim propinaturus, neque etiam ad hanc rem consilium dabo. *in iusiurando. Hippoc.*

Plura his apud Hippoc. non inuenias, præterquàm libro de sacro morbo, vbi de scelestis quibusdam, & sui temporis veneficis hominibus disserit, qui expiationibus, sacrum morbum curare magis præstigiis tentabant: quos impios, & scelestos homines vocat.

GALENI.

VENENORVM compositionem docere, improbi hominis est. *lib. 2. de antidotis.*

Orpheus theologus cognominatus, & Horus Mendesius, & Heliodorus Atheniensis, Aratúsque de venenis scripserunt, quos sanè quispiam reprehendet meritò ob genus materiæ susceptum. Nam cùm sigillatim quodque venenum parare doceant, improbos magis instruunt, & pronos ad malum dicunt *lib. 2. de antidotis.*

Qui simplici veneno petitis auxiliari nouit, iis etiam cõpositis affectos optimè tractabit, vnum quoque priuatim symptoma superueniens distinguens. *lib. 2. de antidotis.*

Heliodorus se ad Nichomacum purgans, quòd de venenis scripsisset, ita exordiens fatur:

Mitia per Triccem habitantia numina testor,
Quique Deos latè conspergit lumine Phœbum,
Sceptrigerúmque Iouem: Saturno rege creatum:
Nec me muneribus quisquam, nec viribus vllis
Flexit, amicitiæ vinculúmve abduxit, vt ista
Conscius efferrem: vt tollens, ad sydera palmas
Immunem sceleris mentem pro pectore seruo. Lib. de antidotis 2.

Venenum si incognitum nobis fuerit, quod quis biberit, ederítve, hydreleon calidum dabimus, vtq; ex eo multum bibat iubebimus, tum vomere ipsum faciemus. Vtile quoque erit somnos circunscribere, & subscriptis antidotis vti. *li. 2. de antidotis.*

Vide eodem libro multas, variásque ad venena antidotos, ab excellentissimis medicis præscriptas.

Antidotorum quędam aduersus exitiales potiones: quædam ad feras valent, quæ venenum ictu morsúve relinquunt. *lib. 1. de antidotis.*

Antidotos ad venena Mithridates, & Attalus in hisce hominibus, qui morti condemnati fuerant, experiebantur. *lib. 1. de antidotis.*

Post venenum neque theriaca, neque Mithridatica antidotus eam vim habent, quam ante sumptæ habuissent, nam portio antidoti quæ priùs, & semel hausta tutum à morte quempiam præstitisset, ea venenum subsecuta, nisi ob quadruplum quincuplúmve aucta non iuuabit, neque id semel tantùm, sed bis singulis diebus hausta, faciet. Quod si quis singulis diebus, quemadmodum tempestate nostra Aurelius Antoninus imperator, vel sicuti olim Mithridates solebat, antidotum capiat, nullis serpentium morsibus, nullísque noxiis potionibus lędetur *lib. 1. de antidotis.*

Mithridates cùm potius veneno mori, quàm in potestatem Romanorum venire decreuisset, nihil inuenit, quod se necare posset, quòd Mithridaticam antidotum sumere consueuisset. *lib. 1. de antidotis.*

Scorpij vires ad venena, *lege eod. lib. 1. de antidotis.*

Adulterandi medicamenta artem diuulgare non consulit Galen. ne improbi obiter fraudes discant, & in malos vsus conuertant. Nam neque illos approbo (inquit Gal.) qui noxias medicinas describunt, & publicant. *lib. 1. de antidotis.*

Venena

Venena tacent, quicunque ratione aliqua præditi sunt. *lib.de pur.med.fa.*

Venena exigua mole exhibita, ob id plurimum nocent, quod cùm spirituosa magis quàm corporea sit eorum actio, breui momento possunt qualitatis malæ diffusione in vniuersum corpus impressionem facere, vt in scorpij, & phalãgij ictu, & marina torpedine probat Galenus: & in semine corrupto, à quo tam grauia fiunt symptomata. *lib. 6.de loc.aff.c. 5.& lib.1.de semine, cap.13.*

Veneno exiguo per minimum foramen iniecto, in Phalangij ictu totum corpus affici videtur. *lib. 6. de loc. aff. cap.5.*

De scorpionis veneno loquens Gal. déque illatis ab illius morsu symptomatis, sic ait: Rationi magis consentaneum est (inquit) vt vel à spiritu quodam, vel tenui humiditate iniecta, hæc eueniant accidentia. Sunt qui putant res quasdam solo tactu, per qualitatis vim, ea quæ eis vicina sunt alterare posse, ídque planè videri in marina torpedine, vtpote cui tam vehemens sit potentia, vt per piscatoris tridentem transmissa ad manum alteratione, derepentè totam reddat torpidam. His coniecturis (subdit) facilè deprehenditur, paruę molis res quasdam, solo tactu, maximas inducere alterationes, vt de Heracleo lapide, quem Magnetem nominant, probat rursus Galenus, *libro 6. de loc.aff. cap.5.& lib. 3.cap.7.*

Medicamenta quę naturam habent exitialem, non possunt sine quantitate nocere. *libro 2.aphorism.com.17.*

Venena, quæ symptomata, & quomodo pariant, explicat Galenus, *lib. 1. de sympt.caus.cap.7.*

Venenorum ab animalibus virus eiaculantibus vires per corpus vehuntur, per substantiam quandam, aut spiritalem, aut fluidam, quæ vt mole minima, ita facultate quàm maxima est. *lib.3.de loc.aff.cap.7.*

Venenis ne serpant in reliquum corpus, cùm à feris quis demorsus est, in primis conferunt vincula superioribus partibus iniecta, ab iis enim præsentaneum remedium expectatur, vt in plurimis se expertum fuisse testatur Gal. *lib.3.de loc.aff.cap.7.*

In animantibus corruptio aliqua nasci potest tanta, vt veneni tum qualitatem, tum vires æquet, in his qui derepentè moriuntur probis existentibus humoribus, & sanorum more

ducatis probat Gal. quorum post mortem corpus liuens, aut nigricans, aut varium, aut diffluens, aut prę marcore fœdum, molestúmque reddit odorem. *lib.6.de loc.aff.cap.5.*

Venenorum lethalium haustu pereuntes, dignosci ab iis non posse, qui ab aliqua corporis affectione perierunt, quorundam opinio. Quam tamen con futat Gal. ostendens, id discerni posse ex putredine partis ictæ, vel doloribus vehemẽtissimis, aut phlegmone oborta, vel tandem subita vitę priuatione. *lib.de boni, & mali succi cibis.*

Venenis succurrere quis potest, licet eorum præparationem ignoret. *lib.2.de antidotis.*

Venenorum simplicium cuiusque generis, sigillatim exposita remedia, ex Asclepiade. *lib.2.de antidotis.*

à Venenis pręseruantia medicamenta, Apollonij, Muris, & aliorum. *lib.2.de antidotis.*

De vita, & num artis medicæ cura prorogari ipsa possit.

CAP. XIX.

DE vita dicturus ab eo commodissimè tractationem auspicari videbor, si de re maxima, maximéque homini ad fruendum æuum, actionésque salutares, & secundum virtutẽ obeundas necessaria, & cuius vnius ductu, ac permansione immortalitati ferè proximi fieri videamur, tractaturum me fuero præfatus. Equidem cùm vitam, necessarium Deorum depositum (vt Plutarchus ait) habeamus: eáque nobis diuino quodam munere εἰς γνῶσιν ὑπὸ θεοῦ δοθῆναι, id est, ad cognitionem à Deo data sit, quid nouisse magis pręstiterit, quàm id quod nobis cognitionis rerum omnium causa contributum est? aut quid diligentius seruari, quàm id quod quando defecturum sit, nescias? Cùm nanque sit iter vitæ nostræ citatissimum, nec prorsus aliud vita sit, quàm ad mortem iter; in quo magis nos operam nostram, studium, curam, adhibere conuenit, quàm in vita seruanda, & qua homini datum est proferenda, & saluberrimè degenda? De vita itaque hæc hoc capite promemus: quid ipsa sit: quænam illius causæ, atque principia: vita hominis cur breuis: cur alij aliis longioris, breuiorisve vitæ sint: vita an prorogari artis medicæ beneficio possit: postremò de vitæ meta, quæ à priscis asserta sunt, referemus. Hæc nanque si medica enarratione explica-

In oratione consolatoria ad Apollonium.

Seneca li. de breuitate vitæ

ta

ta à nobis pro rei dignitate fuerint, nihil erit, quod de vita ſcire quis amplius a medico deſiderare queat. Ergo vt vita quid ſit explicemus, ſciendum illud imprimis eſt: vitæ nomen æquiuocum eſſe, nec vnicè ſumi. Eſt enim, autore Plutarcho, aliquando ipſum quo viuimus, vt:

Cæruleus illi ferrum Neptunus ademit
vitæ tum Megaris.

Nonnunquam opes eo nomine indicantur, vt:

Pergunt alij mihi rodere vitam.

Verùm ſignificatio hæc, vt ab inſtituto noſtro alieniſſima, ſic eam ſilentio tranſigemus. In priore ſignificato vitæ nomen vſurpabimus, dicemúſque de Ariſtotelis ſententia vitam eſſe vegetatricis animæ in natiuo calido manſionem. Eius autoris lib. de vita & morte, ſeu de reſpiratione hæc verba ſunt, γένεσις μὲν οὖν ἐςὶν ἡ πρώτη μέτεξις σὺν τούτῳ θερμῷ τῆς θρεπτικῆς ψυχῆς. ζωὴ δ' ἡ μόνη ταύτης. Quod eſt: Generatio eſt prima vegetatricis animę cum calido participatio: vita autem manſio huius. Summa id profectò ratione ab Ariſtotele dictum eſt, eſſe quidem generationem primam vegetatricis animæ cum natiuo calido participationẽ: quòd cùm primùm genitũ quippiam eſt, ſiue id planta ſit, ſiue animans, mox natiuo calido pollet, particépſque efficitur. Nihil enim quicquã ſine calore viuere vſquã poteſt, vt in quo nimirum ſita eſſe vegetatrix anima à Philoſophis æquè, atque medicis affirmatum ſit. Quod cùm ſeu animanti, ſeu plantæ obuenerit, t..m ſanè ſubſiſtere, atque ali ex ſeſe incipit: quod quandiu efficere innata facultate poteſt, tandiu viuere iure dicetur, vtpote cùm ſit vita permanſio, & mora vegetatricis animæ calido natiuo ſubnixæ in corpore. Hoc nanq; vitæ eſſentiam, atque naturam meritò appellamus, nutritiuę animæ in nobis ſubſiſtentiam, vt hoc loco voluiſſe Ariſtoteles eſt viſus. Quamobrem idem id quoq; alio loco dixit, viuere, viuentium eſt eſſe. Tãdiu nanque eſſe quicquam dicitur quandiu viuit. Vitam item idem autor, vniuſcuiuſque per alimentum ſubſiſtentiam eſſe dixit. • Equidem cùm perpetuò noſtri corporis ſubſtantia fluat, vt ne citò diſſoluatur, alimento ad reſumptionem abeuntium partium, fluentíſque ſubſtantiæ ſit opus, ne aſſiduo ſubſtantię fluore breui pereat animans, efficitur, vt alimenti adminiculo perſtet, quicquid diſſolui ſubſtantiæ propriæ fluore natum

lib. 2. de anima. c. 4. ſeu tex. com. 37.

li. 2. de anima. c. 1.

est. Eam porrò per alimentū substentiam, vitā meritò appellandam censuit Aristoteles. Tandiu.n. viuimus, quandiu frui alimento, facultatis altricis munere possumus. Quod si occasione aliqua id perfici nequeat, tum planè marcore, & tabe defecimus. Vnde merito tabem Gal. viuentis corporis ex siccitate consumptionem esse dixit. Quidam motū continuū à corde in cætera membra propria actione manantem, vitam esse definierunt. Sed hæc contractior est vitæ ratio, & quæ tantùm animantibus, non etiamnum plantis conueniat. Nec verò tantùm vegetatricis animæ in nobis permansio, aut assiduus cordis modus, vita dicenda est: sed & tempus mansionem hanc dimetiens vitæ nomine censeri debet. Id enim æui, quo alimenti interuentu vegetatricis animæ opera subsistimus, vitam Philosophi, ac medici iure nuncupauerunt: vt Hipp. dum vitam breuem esse dixit, id est spatium, tempúsque, quo subsistimus: vnde est illud Horatij,

lib. de tabe.

lib. 1. aph.

li. 1. carminum, ode 4. li

Vitæ summa breuis, spem nos vetat inchoare longam.

Et illud item Nasonis.

Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis:
Et fugiunt fræno non remorante dies.

De vita causis.

De vita, quid ipsa sit diximus. Quænam verò sint vitæ productrices causæ, atque principia, nunc dicendum. Accedendum nanque propius semper ad rei causas primas, quoad maximè fieri potest; quæ docta Aristotelis sententia est. Is itaque autor vitæ animantium, ac generationis principium cœlitus duci, tum li. 2. de generatione animalium, cap. 1. tum lib. 2. de physico auditu, adstruxit. Sol nanque, & homo generant hominem. Rursus lib. 4. de generatione animalium, cap. vlt. Solem, Lunam, & syderum cursum, generationis, & vitæ principia esse, summa certè ratione affirmauit. Cœlorum nāque irrequieto motu, vitali Solis, & siderum calore, atque influxu generationes fieri vitámque rebus genitis infundi, nemo est qui dubitet. Necesse enim est (quod idem Aristoteles tradit) mundū hūc infrà positum, esse subditum superioribus lationibus, vt omnis eius virtus inde regatur, vt haud immeritò commentator Auerrous de causis agens dixerit, vitā progressioné esse quandā à sempiterno ente, atque quieto manantem. Ille est qui in nobis inspirauit (vt scriptura testatur) spiraculū vitæ, ipse (inquit Moses) est vita tua, & longitudo dierū tuo-

lib. de generat. anim. c. 1.

lib. de physico auditu, cap. 2.

lib. 1. meteor. c. 2.

Gen. 2 c.

Deut. 20.

tuorum. Et Rex idemque propheta Dauid: Qui posuit animam meam ad vitam. Et Iob ille sanctissimus, vitam (inquit) & misericordiam tribuisti mihi: ipse est qui dat omnibus vitam. Siquidem vita dei donum est, depositúmque singulare, vt initio capitis ex Plutarcho attulimus. Quod si ita est, quidni vnâ cum Aristotele iure censebimus, vitæ principium, cœlitus, hoc est Dei virtute, atque potentia duci? Verum cùm vniuersales causæ, concursu particularium in hæc inferiora agant, vt Aristotelis sententia est, quænam sint vitæ peculiares, ac propriæ causæ, paulo vberius explicandum. Hæc sunt, humidi primigenij, & calidi natiui symmetria quædam, qualitatúmque agentium, & patientium commensurata proportio, vt alterum alterum immoderatione quadam non superet. Non enim solùm copia moderata respondere humidum primigenium calori innato oportet: sed & qualitate, vt neque copia nimia redũdans calorem extinguat, aut exiguitate marcorẽ inducat, néve etiam aut exsiccari, ac euanescere promptum sit, aut congelascere paratum. Ob id ad vitæ tutelam, & modicè pingue, & qualitatibus omnibus temperatum humidum radicale (quod vitæ fomes est, atque pabulum) esse omnino oportet. Quæ Auerrous annotasse in Aristotelis de longitudine vitæ tractatione, est visus. Sed quænam productioris vitæ, breuiorísve causæ sunt, elici ex iam commemoratis facilè potest. Proba nanque temperies, compago corporis firma, cæli clementia, soli ac regionis bonitas, victus cauta ratio, rerum vtilium obseruatio, abstinentia in omni victu, atque cultu corporis tuendi causa, voluptatum denique certissimæ vitæ pestis detestatio, atque fuga, non productiorem modo, sed & beatiorem, ac salubritate omnino florentẽ vitam efficiunt, vti eorum contraria breuem, fluxam, morbosam, planéque miseram. Vnde illud explorata experientiæ fide cernimus, eos qui aut improba secundum naturam temperatura constant, infirmaque compage, aut pleniore cœlo, & inclementi, insalubri regione, incauto victu vtuntur, breuioris æui fore. Non solum enim naturæ bonitas temperaturæ æqualitate genita, aut illius contrarium ad vitæ productionem, breuitatémve faciunt, sed & regionis [illegible]stantia, victúsque accurata ratio, vt Hip. lib. de aere, aquis, & locis adstruxit, & confirmant hi, qui de noui orbis insulis scripserunt. Aiunt enim in Taprobana insula (quam Sammotrara ho-

Psal. 65. *Iob. 10. c.* *Act. 17.* *Libr. 2. de phys. audi tu. c. 2.* *vitæ longioris aut breuioris causæ.*

Ludouic. Rō. lib. 2. nauig. c. 9. & li. 4. c. 8 Vespucius in epitome nauigationum suarum.

die vocant) tum & in Arabiæ felicis vrbe Reama vulgò nuncupata, & ea Indiæ insula, quam Onor appellant, ob regionis temperiem, perpetuámque cœli clementiam: longæuos inibi esse homines, centesimum supra vigesimum quintum annum vegeta adhuc senecta attingentes, alios id æui longo spatio superantes, quos suopte merito ob vitæ diuturnitaté μακροβίους appellare solent in monte Atho, eiúsque summo vertice, Achrorum oppidum fuisse Solinus scribit, in quo dimidio longior quàm in aliis terris incolentium ætas prorogetur. Plinius Indorum quosdam qui centenos annos excedant, Cratis Pergameni testimonio, Macrobios, & Gimnetas appellari scribit. Et Cyrnios, idem Indorum genus, de Isigoni historia tradit annis centenis quadragenis viuere: itē Æthiopas quosdam, Seras, & qui montem Athon incolant. Idem author de spatiis vitæ longissimis accurata fide comperta tradens, multos vitæ longissimos terminos vel obseruantia victus, vel naturæ bonitate attigisse scribit. Nec id profecto mirum, cùm quæ temperata sunt, & omnis excessus expertia, naturæ amica, atque ea ratione proferendæ vitæ valde idonea, & sint, & habeantur. Ob id diuinus autor Hip. cibum, potionem, somnum, laborem, venerem, omniáque, quibus ceu præsidiis necessariis ad vitam ducendam egemus, mediocria esse debere merito affirmauit: quod omnis natura nostra in mediocritate quadam posita sit, quā tueri possunt quæ moderata sunt vtpotè similia cùm sint. Similibus nanque naturalis omnis temperies seruari iuxta Galeni sensa, debet. De causis vitæ sat multa diximus, de vitæ breuitate, cur nam vita breuis homini ad tam magna genito data sit, nunc quæ ex fonte purissimo probatorum medicinæ autorum libauimus, magna fide promemus. Vitam breuem esse primus omnium Hipp. prodidit. Breuitatis porrò vitæ duas esse causas, eásque vel in primis præcipuas, voluit Aristoteles, excrementorum in nobis prouentum, & substantiæ nostræ ex contrariis constitutionem, A contrario nanque corruptio. Cùm corrumpi id solùm non possit, quod contrario caret. Nihil enim quicquam corrumpendi vim habet, nisi contrarium ipsi sit: tollunt enim mutuò sese contraria. Quamobrem cùm ex contrariis constitutio omnis nostra sit, calido, frigido, humido, & sicco, efficitur profectò, vt ex horum assidua inuicē pugna, mutatio ingens in nobis, subindéq; disso-

Cap. 17. Li. 7. nat. hist. cap. 2.

Li. 7. nat. hist. c. 48.

li. 6. Epid part. 6. aphor. 5.

Li. 1. & 5. de san. tu. cur vita breuis homo sit. li. 1 aph. 1. li. de long. & breuit. vitæ.

Gal. li. 1. de temp.

dissolutio tandem sequatur, dissoluta nimirum, ac dissipata quæ contrariorum in se inuicem pugnantium sustinet actionem substantia. Eo fit vt longæuum esse non possit, quod ex contrariorum secum pugnantium coalitu constat. Ex horum enim dissidio, & temperamentum dissolui, & ex consecutione quadam vitam breui temporis curriculo finiri omnino oportet. Hanc porrò vitæ fugacis celeritatem, excrementorum in nobis prouentus, accelerare haud paulò plurimum solet. Equidem cùm ad fluentis perpetuò substantiæ instaurationem, esse, ac bibere necessaria nobis sint, neque id omne quod assumitur confici integrè, & omnino in substantiam nostram verti possit, excrementorum inde fieri generationem, atque prouentum necessarium Gal. existimauit. Quæ sanè *li. 1. de sa-* excrementa cùm & seruandæ nostri corporis constitutioni *ni. tu.* inutilia plane sint, vt quæ nec à facultate satis elaborata, nec corpori assimilata sint: sed per illius laxiora intus spatia, tanquam superuacanea errent (vnde rectè περιττώματα Græcè dicta sunt, efficitur vt ab iis ceu inutilibus, atque etiam contrariis in corpore redundantibus vitæ cursus frangatur, celeriúsque permeet, morborum omni colluuie inde manante. Quod ne fiat: & excrementa in tempore vacuasse, & instrumenta à natura his excernendis, excludendísque dicata, libera & munda seruasse, & suis muniis obeundis probè valentia, & obstructionibus minimè obnoxia, plurimùm certè præstiterit. At interea ea quæ vitæ breuitatem maximè pariunt, *Gal. lib. 1.* perpetuus substantiæ nostræ fluor humidíque primigenij, *de san. tu.* quo vita ceu pabulo congruò fulcitur, ætatis decursu deficiés vigor, marcescénsque substantia, primas certè partes obtinet. Cum enim natiuús in nobis calor, instar flammæ cuiusdam, humidum in quod agit assiduè depascatur, perinde atque accensus in oleo lychnus oleum calore suo absumit, consequitur necessariò vt pabuli defectu, quàm celerrimè proprio vitæ dissipato subiecto vita euolet, deficiente vna cum humido ipso etiam innato calore, cuius defectio mors est. At vero huic potentissimæ causæ aliæ quoque subseruiunt, huic ferè æquales, nempe cùm quod effluit è corpore non pro ratione resumitur, ac instauratur, quod in senio ob virium defectum euenire solet. Inde marcor, & viuentis corporis, æta- *Senium* tis decursu, ex siccitate consumptio, senium vocant. Accedit *quid.*, & aëris nos ambientis, perpetuóque nobis assidentis, vt varia

ſic & cõtinua indeficiénſque alteratio, à qua interdum noſtri corporis ſubſtantiam diſſipari, & diſſolui æſtu nimio, interdũ cogi, ac veluti gelari frigore, madeſcere imbribus, ſiccari ſqualore, contingit. Ob id Ariſtoteles, cauſam ne quod vis animal diu viuere poſſit, eſſe conceptis verbis affirmauit, quòd pro aëre ambiente variè temperetur. Minuunt etiam vitam plurimum, intempeſtiui labores, vigiliæ, curę, animi variæ perturbationes, metus, dolor, triſtitia, & cęteræ id genus peſtes: à quibus omnibus diſtrahi natiuum calorem, aut quaſi coactũ præfocari, ac proinde decurtari vitam contingit. Sed omniũ maxímè vitę incommodat incauta, inſalubriſque victus ratio, dum neque in ciborum delectu, ac potuum ſubſtantia quantitate, qualitate, ordine, tempore pro noſtri corporis conſtitutione ſeruandis, modum vllum adhibemus. Effręnes etiam ſenſuum, cupiditatúmque motus, & voluptatum, præſertim venereæ rei, quibus toti, ceu in profundiſſimo cœno, lutulenti inuoluimur, ad vitam noſtram rapiendam plurimum certè momenti habent. Concubitus enim frequens (quod Celſus ait) corpus exoluit: Homo enim, autore Ariſt. omnium maximè animantium poſtquam concubuit diſſoluitur, & langueſcit, quod ſemen plurimum (in quo vitalis caloris plurimum reſidet) proportione ſui corporis emittat. Itaque vt ædificij conſtructio, ſic corporis compactio quatitur, dum ſemen decedit, quaſi ſanguinis multum, aut aliqua pars alia decedat: ita quod exit (Ariſtot. ait) peroportunum eſt, quod ſcilicet exiguum ex multo alimento conficiatur. Atque in hoc cùm plerunque ab omnibus peccetur, quod cùm cæteris animantibus certum ſit, & concumbendi, & pariendi tempus, homo ſolus animantium, nullo non tempore pronus in libidinem fertur, atque concumbit: toto nanque anno, & incerto gignitur ſpatio (vt Plinius ait) efficitur profectò, vt nobis ipſis vitam adimamus. Plurimùm nanque concumbentes breuioris æui ſunt, inualidíque degunt. Cùm itaque tot ſint, eęque tam validæ celeritatis vitæ, effluxúſque ſubſtantiæ noſtræ cauſæ, eam ſanè optimo iure, vnà cum Hippocrate breuem dicemus. Etſi huic Hippocratis ſententiæ Ariſtoteles lib. de longitudine & breuitate vitæ aduerſus ire videatur, qui hominem, atque elephantem longiſſimè viuere, conceptis verbis affirmauit. Cui reſponderi poteſt, breue & longum ex eorum genere eſſe, quæ ad aliquid dicuntur, ac proinde eidem

dem congruere posse, si ipsum ad varia conferatur. Ad varia nanque genera collatus homo, longissimæ vitæ esse iure dicetur, quod & temperamenti perfectione, & calidi natiui mensura, humidíque primigenij proportione cæteris multis præstet longéque præpolleat. At verò si perpetuum substantiæ eius fluorem, si contrariorum, ex quibus constat assiduam pugnam, si naturæ in eo fragilitatem, morborum tam multiplicium euentum, multósque alios naturales casus vitam inopinato præripientes, vt vulnera, cædes, lapsus ex alto, incendia, naufragia, & infinita huiusmodi considerauerimus, breuis profectò qui hominem iure esse statuemus: præsertim si hominis vitam ad artes ediscendas, ac comparandas retulerimus, vt merito dixisse Hipp. sit visus, vitam breuem, artem longam esse. Rectissimè igitur dictum à Plutarcho illud est, longissimam vitam breuem esse, ac fermè punctum. Et vitam pœnam esse, natúmque esse hominem, calamitas maxima, quod (vt Euripides dixit) vita quidem nomen habeat, reipsa vero labor sit. De vitę breuitate iam satis. Cur verò alij aliis breuioris longiorísve vitę sint, facilis est explicatio. Temperamenti bonitas, atque perfectio, victus cauta ratio, sui corporis notitia, corporis firma compago, firmissimis è parentibus esse genitum, in regione temperata mansio, & cœli clementissimi vsus, vitę longissimę in homine causæ sint, vti contraria breuissimæ. Ob id inter temperamenta hominum, quæ æqualis est, & temperata complexio, vtpote cęteris omnibus perfectior, longęuior etiam esse solet. Ab hac quæ calido, & humido temperies constat, cùm & qui ea præditi sunt principiis vitæ abundent: (sunt enim calidum & humidum vitæ principia, vel autore Aristot.) & temperamento proximi, actionum naturalium perfectione præ cæteris prępolleant, temperamento tamen æquali excepto. Breuioris qui sunt frigidi & humidi, breuissimi autem frigidi & sicci temperamenti qui sunt, vt quibus qualitates insint vitæ aduersariæ, frigiditas & siccitas. Iam verò vitáne prorogari artis medicæ beneficio queat, rem sanè difficilem, nec paucis explicandam verbis, déque vitæ meta, ceu coroniden, ea capiti huic attexam, quæ è scietissimis prodita nobis sũt. Magna profectò, & quæ diu sũma ingenia torsit quæstio hæc sẽper habita est, vt cuius explicatio in naturæ intimis recessib. veluti abdita, atq; cõclusa, magnã sese ingerẽt difficult. pariat. Tã valide vtri nq;

li.1. aph.1.

In orat. Consol. ad Appllonių.

Cur alij aliis breuioris longiorísve vitæ.

An vita nostra prorogari artis medicæ beneficio possit.

li. de long. & breuit. vitæ.

concertãtium inuicem autorum, tum sententiæ, tum rationes occurrunt, vt in quam partem inclinare animum debeas, vix perpendere apud temetipsum possis. Non posse enim vitam vllis artis præsidiis produci, multæ & sententiæ, & rationes summorũ virorum conuincere planè videntur. Posse tamen id fieri medicorum scita magis assertionibus confirmant, vtrorumque nos placita recenseamus, & quid tota de re sentiendum medico sit, veluti arbitri explicemus. Vitæ terminos non posse artis opera produci, illud in primis arguere videtur quod fixi, stati, certíque sunt nobis à Deo constituti vitæ fines, quódque constitutum à Deo est, mutari minimè posse. Iuxta illud scripturę, EGO Dominus, & non mutor. Et alio loco: Non est Deus quasi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur. Quamobrem cùm præfixi sint à Deo nostræ vitæ termini, vel sanctissimi Iob testimonio inquientis: Breues dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est, constituisti terminos eius qui præteriri non poterunt: nullo pacto fieri posse videtur, vt prorogari hi termini possint. Quę procedunt etenim ex ore Dei, firma perpetuo manent. Verbum namque DEI permanet in in æternum. Et quæ procedunt de labiis meis (inquit DEVS) irrita non faciam. Id confirmare videtur consentiens prædictis Auicennę nostri Arabum medicorum principis sententia, dum ex professo defectionis nostræ, & interitus causas perquirit. Et hęc (inquit) est mors naturalis cuique indiuiduo destinata, secundum suam primam complexionem vsque ad terminum quem in sua potentia habet, ad natiuam humiditatem conseruandam. Vnumquodque enim (subdit) terminum pręfixum habet, qui in indiuiduis varij sunt, propter temperamentorum diuersitatem, & hi quidem sunt termini naturales. Sunt verò & alij termini abbreuiati. Totum tamen diuino prouenit pręcepto. Hactenus Auicenna, qui hoc loco omnino duo necessaria statuit, quorum merito mors naturalis vocata hominibus obueniat: præfinitus conseruandę humiditati radicali terminus, cuius sanè defectione interire animans, extinguíque natiuum calorem est omnino necesse, vt idem autor ipso capite dixit: & Dei pręceptum, qui omnia genera, & finitę esse potentię, & interitui obnoxia esse voluit. Itaque si pręfixũ terminũ (vt vult hic Auic.) vnumquodq; animans ha-

Malach. 3 b.
Num. 23. c.
Iob. 14. a.
Psal. 118.
Psal. 88.
Fen. 1. primi Doc. 3. c. 3. ad fin.
Loci Aui. explicatio

bet, idque à Dei præcepto, & ordinatione manat, nulla certè ratione quod sic pręfixum est prorogari poterit. Hoc ipsum multis anteà seculis summus Philosophorum Aristoteles, & senserat, & suis monumentis expresserat. Cuiusque, inquit, tempus, & vita numerum habent, numeróque pręfiniuntur. Omnium enim (subdit) ordo est, & omne tempus ac vita circuitu mensuratur. Quam sententiam commentator Auerrous explicans, omne ens vitam habere terminatam necessarium esse affirmauit. Quin & alio loco idem Aristot. tempora omnium & grauiditatum, & generationum, & vitarum dimensionem suis sibi circuitibus expressit. Circuitum verò appellat diem, noctem, mensem, annum, & tempora quæ iis discribuntur. Quæ igitur suis spatiis limitata, ac veluti propriis finibus, atque cancellis conclusa sunt, nulla arte in longiora spatia protrahi possunt. Nanque naturæ opera omnia necessarium ordinem eius adepta, euitari nequeunt, vt lib. de Marasmo astruxit Galen. cùm sit ars natura multo in hoc inferior. At verò si nostrę factionis hominum, hoc est, medicorum, scitissima dogmata paulo penitius contemplemur, oppositum eius quod astruximus deprehendemus: vitæ inquam terminos saluberimæ artis medicinę præceptionibus proferri haud paulò plurimum posse. Nam etsi incommoda quędam, vi naturę homini euenientia vitari nullo pacto queunt (non enim aut senium siccitatis excessu, ętatúmque decursu proueniens, aut totius substantię fluor, quem insitus calor excitat, vllum quod genitum sit corpus effugere potest) possunt tamen hæc quę modò recensuimus incommoda, quadantenus corrigi, atque resarciri cibo, potione, respiratu, & arteriarum pulsu. Has enim facultates edendi, bidendi, respirandi, & arteriarum pulsu natiui caloris fouendi, à natura insitas habemus, ad substantię perpetuum fluorem reparandum, & ne citò dissoluatur prohibendum, vt Gal. lib. 1. de san. tu. bellissimè explicauit. Quamobrem (vt idem lib. 6. eiusdem tractationis conceptis verbis affirmauit) qui salubrem viuendi rationem ignorant, credibile est hos citius, quàm prò naturę ratione interire. Tanta est enim eius artis, quę vitę, & valetudini hominum prospicit vis, atque potentia, vt si quis eius pręcepta neglexerit, non modò miseram, & omni morborum colluuie afflictam, & infestatam vitam degat (vt Gal. lib. 5. de san. tu. sententia est)

libro 2. de gener. & corr. c. 10. textu com 56. ex V atab. vel 36. ex vet. vers.

libro. 4. de gen. anim. cap. vlt.

Gal. lib. 1. de san. tu.

verùm & vitæ terminos, quos naturæ bene constitutæ lege erat æquaturus, sibi ipsæ neglectu artis supprimat, atque demat: quanto scilicet sibi indulgens, nullo habito vel temperamenti, vel virium respectu, omnem viuendi rationem despicatui habens, vel ciborum, & potuum nimietate, vel laboris, curarum, vigiliæ, somni, intempestiuæ veneris immoderãtia, citius quàm pro naturæ ratione & humidum radicale absumpserit, & calidum innatum eadẽ opera extinxerit, cuius sanè extinctio mors est. Itaque si ex præcitata Gal. sententia, artis cõtemptores citius quàm pro naturę lege diem obeunt, an non consentaneũ est, obseruatores præceptionũ artis posse in longius tempus diem proferre? Iuxta illud Aristotelis, oppositorum oppositæ quoque sunt rationes. Quod innuere volens Gal. & incommoda grauia recenset contemptorum artis, & cõmoda rursus eorum, qui artis legibus parent: quę in seipso expertum se fuisse idẽ autor testatur. Omniũ autẽ cõmodorũ hoc sanè pręstantissimum est arbitratus Gal. posse eũ cui nõ omninò ab ipso ortu imbecillum corpus sit, & ad plurimã perduxisse senectutem: & sensibus illæsis ab omni prorsus morbo, doloreque alienũ, atque integrũ perpetuo seruasse. An non hæc (inquit Gal.) magna mirandáque artis opera sunt? vt ne bubone quidẽ laboraturos eos qui artis pręceptionibus pareant, profiteatur. Contráque eos magnis conuitiis increpet, qui neglectu artis aut podagra se distorqueri, aut coli, calculíve doloribus pręmi sinãt: ita vt, quò manũ ori admoueant, pedibúsque ingrediantur, alienæ opis subsidio indigeãt. Constat igitur, vel hac pręclara Gal. sentẽtia, posse eos qui arti obsequantur, diem in longius tempus proferre, quàm si etiam optimè nati artem negligant. Id anteà, sed multò eruditius Aristot. de hac re ex professo loquẽs, expresserat, inquiens: Natura ita sibi vult, vt eorum numeris (de syderibus intelligit) generationes, & obitus numeret: sed exquisitè id facere nequit, propter materiæ indefinitionem, & quòd multa principia incidunt, quæ generationes destinatas secundum naturam, & corruptiones sępe impediant, atque ita causa sint earum quæ veniant præter naturam. Vult hîc Aristoteles syderum cursibus generationes, & obitus animantium numerari: verùm id non exactè, nec ad articulum temporis, cum & corpora in quæ sydera agunt, motu, potestate, seu influxu, atque lumine indefinita sint, neque

li. 2. topic. & li. 2. de gen. et cor. Lib. 5. de san. tu.

Lib. 5. de san. tu.

Lib. 4. de gen. anim cap. vlt.

loci Arist. explicatio

neque vniusmodi omnia, cum sint alia aliis longioris, breuio- *cap.10.textu 56. ex va. vel 36. ex vet. vers.*
risve æui. vt lib. de gen. & corruptione idem dixit, & principia
multa incidāt, quæ generationes, vel interitus animantium
impedire queant, ne scilicet ad rationē syderum contingant.
Sunt autem principia, hęc, partim interna. Interna quidem
sunt semen genitale, & sanguis menstruus optimè contem-
perata. Externa, artis prouidentia, tractus cœli salubris, regio
moderata, victus ratio cauta, & per omnia vitæ adminicula,
sui notitia corporis, & obseruatio rerum conferentium, atque
nocentitium: quibus principiis efficitur, vt animantium inte-
ritus celer prohibeatur: vti contrariis, vti acceletur: quod vo-
luisse eo loci Aristotelem certum est, de cuius sententia, &
generationes, & obitus certis quibusdam incidentibus princi-
piis impediri posse quadantenus (omnino enim vt impediā-
tur nullo prorsus pacto fieri potest) est affirmandum, eo quo
nunc explicauimus modo. Arabs Auicenna artis medicæ do-
tes enumerans, eiúsque impotentiam, atque rursus poten-
tiam explicans, tria quidem esse quæ præstare non possit ars, *Fen.1. primi cap. singularis & 1.*
duo quę pręstare facilè queat, deprompsit. Ars, inquit, quæ
sanitatem custodit, non est ars quæ à morte securos nos fa-
ciat, neque corpus ab extrinsecis nocumentis muniat, neque
vnumquodque corpus ad vltimam vitæ longitudinem per-
ducat, quæ est secundum hominem absolutè: sed de duabus
rebus securitatem prębet, putrefactionis, ne penitus subeat
corpus, & defensione humiditatis innatæ, ne scilicet citò dis-
soluatur, & in ipsius fortitudine (de artis potentia loquens
mox subdit) consistit, vt ipsum secundum debitum tempus,
secundum suam primam complexionem permanere faciat.
Ergo in ipsius artis potentia situm est, vt & ne putredo in
nobis gignatur, & vt natiua humiditas diutius perennet, ne ci-
tò ab exsiccantibus, vel vrentibus causis dissoluatur, & vt e-
tiam quàm longissimè vnumquodque corpus secundum tem
pus à natiuo temperamento sibi debitum proferatur. Hæc e-
nim Auic. verba sunt: Quibus autem id pręsidiis facere ars
possit, paucis post verbis explicat, triplici scilicet cautione ab
arte adhibita: vna in ciborum ac potuū recta administratio-
ne, in quantitate, qualitate, substantia, modo, ordine, mensura
ac tempore: altera earum rerum prohibitione, quæ nocere
vitæ cum suapte natura possint, humidum radicale breui tē-
poris spatio dissoluunt, innatum calorem extingunt, sicquę

vitam momento rapiunt: qualia sunt labor immodicus, calfacientium, & vehemẽter siccantiũ vsus, vigiliæ, curę, angores, animi variæ perturbationes, intempestiua venus, & immodica studia, & cætera huiusmodi natiuum calorem, humidúmque primigenium exhaurientia, quæ vitare artis beneficio est. Tertia putrefactionis cautela, ne in corpus subeat, natiuum scilicet calorem tuendo, extrarium prohibendo, obstructiones arcendo, vel si genitæ sint, vasa, ab his instrumentáque liberando, excrementa euacuando. Sic enim putredo prohibetur, vel genita curatur. Potest igitur & natiuus humor, ne citò exhauriatur, artis beneficio diutissimè conseruari, & putredo arceri, vt hoc loco Auic. & li. 5. & 6. de tuẽda valetudine Galenus. Poterit itaque & vita proferri, seruatis scilicet principiis iis, quæ vitam fouent, natiuo calore, & radicali humore. Frustra enim esset ars, nisi id in quod ceu finem quempiam est ordinata, præstare per se ipsa possit. Ordinatur autem in sanitatem, & vitę tutelam, vt lib. de secta optima dixit Gal. Pugnauimus sententiis vitę nostrę terminos posse artis beneficio proferri: id modò rationibus conuincamus. Quod vt fiat, varios video à nostris assignari vitę terminos, vt sint alij supra naturam, naturales alij, alij accidentarij, & decurtati (abbreuiatos Auicenna interpres vocat.) Vitę autem termini supra naturam hi sunt, qui nobis à Deo optimo maximo prouidentia admirabili sua constituti sunt. De quibus illud dictum est, quod initio quęstionis ex sanctissimo Iob attulimus. Dies breues hominis sunt: numerus mensium eius apud te est, constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt. Hos terminos censent theologi nullo consilio, nulláve arte produci posse. Statutum nanque est homini à Deo (vt diuus Gregorius ait) quantum in ipsa vita mortali temporaliter viuat. Nam (ait idem Gregorius) cuncta Deus sequutura pręsciens, ante secula decreuit, qualiter per secula disponantur. Nostri, hoc est, medici, hos fines à Deo nobis constitutos neque præueniri, neque prorogari posse existimant, vt Nicolaus Florentinus præiudicatę autoritatis, summęque eruditionis vir, & conciliator noster non sine multa honoris præfatione nominandus, suis quisque monumentis tradidere. Rem tamen totam, vt quæ altioris sit indaginis, quàm vt medi-

Gal. lib. 1. de san. tu. et 11. meth. med.

de vita terminis.

Fen. 1. pri. Doc. 3. c. 3. ad finem.

Iob. 14.

lib. 12. expositionis moralis in Iob. cap. 1.

Nicolaus ser. 4. tra. 3. sem. 1. c. 8. de vita & morte.

medico conueniat, tractandam sacrę scripturæ diuinis interpretibus merito reiiciunt, vti & nos hoc loco, volentes, scientésq; reiicimus, mentem nostram sanctissimis eorum decretis, vt par est, subdentes. Sunt & alij vitæ fines, quos naturales vocant, quòd naturæ beneficio, pro cuiusque vario temperamento, corporis structura, & vitæ firmis, infirmisve principiis, vnicuique attributi sunt. Non enim omnibus idem vitæ finis est, sed alij alius, pro temperamenti bonitate, victus ratione, salubritate cœli, & soli, vt anteà dictum. Accidẽtarij verò termini ij sunt, qui ob inopinatos casus, nullis certis temporum spatiis inclusi, euenire in singula momenta homini possunt, ob eas quæ temerè, & inopinato euentu accidunt causas vitam præripientes, vulnera inquam lethalia, cædes, lapsus, incendia, naufragia, præcipitia, venena, ruinæ, populares morbi, ac pestilentes. Illud præterea pro explorato habendum ex *Gal. li. 1. de san.* semine genitali & menstruo sanguine, generationis nostræ principiis, corpora nostra constare, atque in illis ipsis primordiis & natiuum calorem, & humidum primigenium, ceu in radice quadam figi ac radicari. At quorum sanè in nobis perseuerantiam, vitam metiri debemus, vt quæ nimirum natiuo calore, & humore primigenio, ceu solidis principiis tota constet. Quæ quidem principia vt perennare nobiscum diutius possent, sicque vitam fouere facultatem mirificam quandam nobis optima parens natura indidit, quæ alimento accepto, atque concocto, & reficere substantię nostræ perpetuum florem, & humidum radicale nutrimenti, appositione tueri, & natiuum calorem tum hoc ipso opere, tum respiratu, & arteriarum pulsu fouere posset. Ea corporis rectrix facultas est, facultatibus altrice, & vitali, ceu ministris commodè vsa. At verò potentiæ huiusmodi, cùm & finitæ sint, & id quod in vicem dissoluti nobis accedit, deterius, aut siccius in dies euadat, necessarium tandem est facultatum harum actionem, qua appositu alimenti vita fouetur, minus probè obiri, per- *Li. 1. de sa. nit.* petuóque imbecilliorem edi, quoad eò peruentum sit, vt ali corpus desinat, túmq; mors confestim sequitur: atq; hic est vitæ finis, quem naturalem nuncupare medici solent. In eo enim quod consistendi ætatem sequitur tempore, omnibus iam partib. supra iustum siccescentibus, non solum cuiusque officium minus probè administratur, sed etiam corpus ipsum macilentius, graciliúsque quàm ante redditur, atque vltra sic-

catum non macilentius modò, verùm etiam rugosum efficitur: quæ affectio in animalibus senium appellatur. Atq; hæc vna est omni genito corpori corruptelæ, interitúsq; connata necessitas. Quin nec si facultas altrix infinita foret, cum tamē finita sit, & eius quod dissoluitur refectionem æqualiter semper efficeret, nihilo secius dissolui pergeret corpus, vt rectè Auic. dixit, quòd appositum deterius sit eo quod dissoluitur: vnde tandem mortem consequi, defectu conuenientis pabuli, extinguiq; natiuum calorem est omnino necesse. Ergo vt quæsitum diluamus, id pro constanti haberi volumus posse vitæ eos terminos, quos naturales vocauimus, artis medicæ beneficio prorogari. Quod multis sumus rationibus probaturi. Siquidem quæ ars potest corpus in sanitate tueri, & vigoris tenorem quàm longissimè in homine seruare, ea ipsa id efficiendo vitam prorogat, at, vel Galeni testimonio, id ars medica prę̨stare potest, sanitatem inquam tueri, & corpus in iuuenta ad plurimum tempus seruare, itaque & vita hoc modo prorogari poterit, si quàm diutissimè corpus in suo vigore seruetur. Id autem artis beneficio posse fieri, ex Galeni serie adstruamus. Galeni porrò series hæc est. Vbi enim duos præcipuos scopos seruandæ sanitatis tetigisset Gal. effluentis scilicet è nobis substantiæ, cibo, potu, respiratu, & arteriarum pulsu restitutionem, & excrementorum quæ inde gignuntur euacuationem, tertium addit, non tam tuendæ sanitatis, quàm vitæ prorogandę scopum, qui artis beneficio exsleri in hominib. possit in hæc verba: Tertius, inquit, qui hùc spectat ne animal præproperè senescat, duos iam dictos necessariò comitatur. Si enim in neutro fit erratū, nec quod exhaustū est restituendo, nec excrementis expellendis, & sanitate interim corpus fruetur, & vigoris tenorem quàm longissimè seruabit. Ergo si alter scopus medicæ artis eò tendit (vt vult Gal.) ne præproperè homo senescat, & vt vigoris, hoc est iuuentæ, seu florentis ætatis tenorē quàm longissimè seruet, an non hoc vitam artis præsidiis prorogarę erit? Prohibere nāq; ne quis citò senescat, & vt diu in florę ætatis permaneat, vitam profectò in longa spatia proferre est, quod nobis erat probandum. Quod & ipsum altera Gal. sententia, lib. de Marasmo, c. 5. expressa, firmari quàm facillimè potest. Senij marasmum (inquit) nunquam soluas, iuuare tamen, vt diu producatur, possis. Quod si produci senium arte potest, vt certè potest, arte quæ senibus prospicit, quam γηροκομικὴν vocant,

Senium quid.

Fen. 1. primi doc. 3. cap. 3.

Vitā posse artis beneficio prorogari.

Prima ratio.

Li. 1. de sanit. tu.

Galen. 1 de san. tu.

Secunda ratio.

vocant, quòd senum valetudini prospiciat, an non prorogari senium, atque ea etiam ratione vita poterit? Posse senium artis medicæ opera produci, ea methodus quam seruandi senibus præscripsit Galenus libris 5. & 6. de tuenda sanitate abundè docet. Nam nihil aliud his locis molitur Gal. quàm vt eorum siccitatis, quæ marcorem, & interitum machinatur, emendetur, & corrigatur balneo, humectante cibo, quiete, & somno, & iis medicamentis, quæ & leniter excrementa ducendi, & humectandi etiam vim habeant. In quam rem mercurialem, resinam, terebinthinam, ex caricis pinguibus & cnico, ad senum leniendas aluos, præscribit: illudque ex Homero adiicit,

Vt lauit, sumpsitq; cibum, det membra sopori.

Ergo cùm id fieri arte possit, ne senũ siccitas breui interitum adferat, poterit certè ea ratione vita tanto produci, quanto arte efficimus vt ea siccitas corrigatur. Atque ob id rectissimè Auicenna dixit, de duabus rebus securitatem nobis facere medicam artem, ne putredo penitus in corpore oriatur, & ne siccitas citò marcorem, & mortem inducat: idq; præstat ars triplici via ad id aptissima, regimine vitæ quòd prohibeat exuperãtiam causarum exsiccantium, & altero, quòd putredinis aditum arceat. Tertiò quo reponatur vtile, pro eo quòd à corpore nostro effluxit substantiæ, quod & ipsum in congrua sex rerum non naturalium administratione positum est: quę cum omnia præstare ars possit, nemini dubium, quin vita quadantenus produci eius beneficio queat. Quod & amplius hac firmissima ratione asseri potest. Cuius productrices causæ & principia possunt procurari atque prorogari, & quàm sint, validiora arte quapiam reddi, & idipsum quoque produci poterit. Atqui vitæ principia arte medica ita procurari possunt, vt diutissimè conseruentur, ac persistent, poterit itaq; vita artis beneficio produci. Calor siquidem natiuus noster humido primigenio, & radicali subnixus, vitę nostræ & principium & causa est. Vt omnibus & Philosophis, & medicis est in confesso. At potest & humidum radicale instaurari, & vegetius interdum arte reddi, vt in hectico curato, in intemperaturis iis lapsis, quæ ad melius arte à Gal. tradita redactæ sunt. Potest etiam natiuus calor ita arte attemperari, humectante victus ratione, & excogitatis ad id auxiliis, ne humidum primigenium absumendo siccitatem,

Fen. 3. primi cap. 1.

Tertia ratio.

Li. 5. de sanit. tu. & in ar. med. cap. 23. & idem li. 6. de sani. tu.

frigiditatémque, pabuli defectu, tandémque mortem inferat. Poterit itaque hac ratione vita produci. Quod & intemperaturæ eæ demonstrant, quæ ab optima longissimè dissitæ, breuissimæ vitæ possidentem se faciunt, vti frigida & sicca, quam tamen arte reducere in melius est, vt quinto & sexto de tuenda valetudine docet Gal. At si hæc in calidam & humidam sit demutata, an non productioris vitæ hominem efficiet? Quæ quoniam, & experientiæ fide, & præcitatis autorum sententiis firmissimè constant, non est quòd in his approbandis, aut firmius stabiliendis operam ponamus. Arte verò vitam produci posse (vt exemplis etiam expugnemus) senex ille Augusti hospes, apud Plinium testatissimum nobis facit (Pollio Romulus is erat) quem centesimum annum excedentem cùm diuus Augustus hospes interrogaret, quanam ratione maximè vigorem illum animi corporísque custodisset: ille respondit, intus mulso, foris oleo. Nec id profectò mirum. Mulsi nanque vsus appetendi reuocat auiditatem cibi, aluum mollit frigido potu pluribus, calido sistit, corpora auget, multósque senectam longam, mulsi tantùm nutricatu, vt idem Plinius testatur, tolerasse certissimum est. Sunt enim vitæ producendæ antidota quædam à celebribus medicis excogitata, qualis est triphera India, seu Sarracenica vocata, quæ vel Haly testimonio & colorem efficit floridum, & concoctionem adiuuat, & iuuentam longo producit tempore, si modò quis illa vtens salubri fuerit vitæ regimine vsus. Quin & melli ipsi vim proferendæ vitæ, senectæque longæuæ agendę inesse, adiuratissimi autorum affirmant. Scribit Athenæus Cyrnios Corsicæ incolas ideo esse μακροβίους, siue πολυχρονοὺς malis dicere, hoc est longæuos, quoniam mellis cibo vtantur assiduè: quod apud eos in buxo natum (vt bibliothecces sexto scribit Diodorus) habetur copiosius: & interrogatus Democritus quonam pacto sanum quis possit agere, si interna, respondit, melle rigaris, oleo autem extima. Ob id Pythagorę consectatorum mensa, pane constabat, melléque, sicuti prodidit Aristoxenus. Ille verò ipse Democritus, quum ingruerent, Thesmophoria, ne domum funestaret rogatus, Dies aliquot vitam produxisse dicitur, solo mellis odore, quanquam alij calentium panum naribus excepto vapore, id factum malint. Alioqui melle

Li.22.na. hist.c.24.

ybi suprà.

Li.3. artis med. com. 213.

Lib.2. dispu. sophist. c.3.

melle oblectatus assiduè Philosophus is in annum centesimum nonúmque fati distulit diem, tanta melli potentia inest: nec immerito cùm alimentum sit familiare, & naturę amicum, dulcedine quam possidet iucundum, obstructiones insuper eximat infarctúque liberet, ventrem molliat, corporis habitum calefaciat, vrinam cieat, thoracem pulmonésque iuuet, tonsillis & vuæ medeatur. Quæ cùm tanta possit, vel Dioscoridis & Gal. testimonio, haud immeritò producendæ ætati, vitæque prorogandæ idoneum esse medicamentum asseremus, vt ergo tandem structuræ huic summum fastigium imponamus, dicimus vit terminos naturales produci arte posse ad temporis articulum quendam, non autem perennes, & perpetuos fieri. Terminos verò accidentarios, qui fortuito eueniunt, vt nullum habent certum tempus quo eueniant, sic nullis præsidiis produci posse, difficilliméque præcaueri. Nec obstant quæ aduersus hæc dicta initio quæstionis ex Aristotele sunt. Nam etsi vita certa periodo constet, non exacta tamen, & ad articulum temporis coangustata, vt præsidiis artis iuuari ad certum vsque terminum non possit, vt rationibus sententiísque autorum planum anteà fecimus. Vitæ autem nostræ meta est is annorum numerus ad quem naturali cursu progredi animal potest. Extremus à Deo Genesis, cap 6. constitutus terminus, sunt anni centum supra viginti: medius, vel sanctissimi Prophetæ sententia, septuaginta, aut ad summum octoginta, psalmo 89. Cur autem hos terminos prætergredi non liceat, astronomi in planetarum supra vitam dominium reiiciunt. Medici in calidi natiui, humidíque radicalis proportionem, atque mensuram, quæ diutius proferri non potest. Atque hìc capitis finis esto.

Diosc. li. 2 ca. 74. ex Ruellio.

Gal. li. 3. de ali. fac. c. proprio.

vitæ meta.

De vita, Hippocratis, & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

VITA breuis, ars verò longa. *li. 1. aph. 1.*

Viuere non posset homo, si quid ex his deficeret, quæ ipsi congenita sunt. *li. de nat. hum.*

Sinus cordis fontes sunt humanæ naturæ, & hìc flumina sunt, quibus totum corpus irrigatur: atque hi etiam vitam homini conferunt, & vbi reficcati fuerint, homo moritur. *lib. de corde.*

Vita hominis quòd septē dierum sit, ex hoc manifestum redditur.

Si quid in septem diebus nihil edere, aut' bibere velit, plerique quidem in ipsis moriuntur. Sunt autem qui ipsos transmittunt, & tamen moriuntur. *lib. de carnibus.*

Vitæ, mortis, sanitatis, & morbi tempora eadem *lib. de septimestri partu.*

Vita hnmana misera profectò est: quoniam per totam ipsam intolerabilis auaritia, velut hibernus ventus distributa est, ac penetrauit.

Vitę, & animæ periculũ est, procrastinatio, prętermissióq; quę cum ab omni arte, tum vero à medicina aliena est, vt in qua dilatio animę periculum sit, In epistola ad Crateuam ex caluo, cùm hunc locum paulò aliter Cornarius verterit,

Vitã Democriti, Abderitæ insaniam putabant. *in epistola ad Damagetum.*

Vitã omnes homines consumunt circa res nullo studio dignas versantes, & ea quæ nullius pręcij sunt facere conantes, risu digna pertractantes. *Hippoc. in epistola ad Damagetum, ex Democriti responso ad illum.*

Vitam si quis iuxta propriam facultatem omnia facere cogitaret, stabilem sanè custodiret, seipsum cognoscens, & sui ipsus comparationem clarè cõsiderans, & non cupiditatis studium infinitum extendens, sed opulentam naturam, & omnium nutricem, per sufficientiam intuens. *in epistola ad Damagetum, ex Democriti responso.*

Quum tot indignas animas, ac infelices videamus, quomodo non vitam ipsarum eiusmodi intemperantia prędita m risu exsibilarimus? *In epistola ad Damagetum, ex Democriti responso.*

Vitę, ac saluti hominum se plurimum prospexisse Hip. gloriatur. *In oratione Hip. ad aram consistentis.*

Vitam erroneam qui degunt, his pericula, & ægritudines magis accedere solent, quàm his qui ordinatæ vitæ rationem habent. *In oratione Thessali legati filij Hippoc. ad Athenienses.*

Hi præcipui de vita apud Hipp. loci, si qui sint alij eos diligens lector assidua Hip. operum lectione sibi comparabit.

GALENI.

IN Vitæ generibus simplex inculpatúmque est, quod omninò liberum est, vti in corporibus quod optimo est habitu. *lib. de sani. tu. ad princ.*

de Vitæ cuiusque fine, falsa opinio, multorum sanè peccatorum fons, & origo est. *lib. de cuiusque animi peccatorum notitia, atque medela.*

de Vitę fine falsam opinionem ad miserias, calamitatésque ducere omnes testātur. *lib. de cuiusque animi peccatorum notitia, atque medela.*

Vitam miseram qui ex temerario assensu degunt, summopere damnari merentur. *lib. de cuiusque animi peccatorū notitia, atque medela.*

Vitæ optimum genus delige, id iucundum efficit consuetudo. *lib. de cognoscendis, curandisque animi morbis.*

Vitæ rationum, quæ frigidiores sunt, eæ magis cernuntur pituitosæ: quæ calidores, magis biliosæ. *lib. 2. de facul. natu. cap. 8.*

Vitę rationes varię, & cuique congrua pręscripta victus ratio. *lib. de boni & mali succi cibis, & lib. 5. de sani. tu.*

Vitę rationum errores in ordinem vitiatum, & intempestiuitatem quandam diuiduntur. *li. 3. de sympt. caus. cap. 1.*

Vitę rationem voco equitationem, piscationem, venerem, balnea, ambulationes, venationes, omnia denique in quibus aliquid corpore agimus. *eod. lib. & cap.*

Vitam nullis negociis, aut contrà multis impeditam agentium, cibi quales esse debeant. *Libro de boni, & mali succi cibis.*

Vitam qui quietè agūt, his ea victus ratio, ex qua probatissimus sanguis gignitur, perscribenda est. *lib. de boni & mali succi cibis.*

Vitam agentium, quę assiduis ocupationibus impeditur, quę pręcepta tradantur, *eod. lib.*

Vitę supremum est, cordis officiorum quies. Quoad enim motibus cor propriis mouetur, animale perire nequit, *lib. de marasmo, cap. 5.*

Vita hęc nostra, si vel in triplum prorogetur, rerum cùm sit ea obscuritas, ne tum quidem exactè nos omnia cognoscamus; & hac adductus re dixerit Hip. vita breuis, ars longa lib. 3. de pulsuum diff. ad princ. *lib. 1. aph. 1.*

Vitę ignem maximè esse causam eorum, quæ animalia constituunt elementorum, nobilissimi Philosophi exstimauerunt. *lib. 1. aph. com. 14.*

de Vita, & morte oportet omnium signorum vires

prius bene perpendentes ita pronuntiare.*lib.2.aph.com.33.*

ad Vitam, & omne opus animæ maximum malum dissolui corpora.*lib.3. aph.com.17.*

ex Vitę industria, & victu superabundãtis humoris notitia in euacuationibus est perquirenda.*lib.4.aph.com.2.*

Vitalis principij frigiditas, vel potentię thoracem mouentis imbecillitas, anhelitus, carentiam facit.*libro 4.aphor. com.34.*

ad Vitam necessarium opus est appetentia.*libro 6. aphor. com.3.*

Vitam salubrem, omnis expertem noxę traducere eos qui sunt humidiores siue secundum cerebrum tantùm, siue corpus vniuersum, non contingit. *Lib. 6. aphor. com.2.* Ex eo constat, qui ficciores moderate sunt, salubrius degere.

Vitalis spiritus excretio, exolutionẽ, & animi defectum parit.*lib.7.aph.com.8.*

Vitam optimam dici, quę in sanitate peragitur, prauam quę in morbis. *Com. 5. ad librũ 6. epidem. Hippo. super textu.1.*

Vitam esse breuem, si cum arte conferatur.*lib.1.aph.com. aph.1.*

Vita breuis, ars longa.*lib.1.aph.com.1.*

Vita, animę actio est, quę plurimum à respiratione iuuatur.*lib.de vsu respirationis.*

Viuere ne momentum quidem possumus, respiratione priuati.*eod.lib.*

per omnem Vitam animę substantia ad multum tempus durat.*eod.lib.*

Vita manente, nec pulsum, neç respirationem omnino perire posse, etsi interdum ob paruitatem nonnulli periisse putentur.*lib.1.de diff.respir.*

Vita membrum priuant arctissima vincula, & ipsum impense refrigerant.*lib.de morb.caus.cap.3.*

Vitę proprium spatium, cuilibet rei animatę constitutum à natura est.*lib.de artis medicæ consti.*

Vitam, aut ipsas esse vires, aut earum actiones necesse est. *li.9.meth.med.*

Viuere ipsum, nobis ex virium custodia constat.*li.9.meth. med.*

Vitam humanã totam desiderari, ad exactam pulsuum cogni-

cognotionem, existimat Gal. *lib.1. de dignos. puls.*

Vita ipsa nihil esse prius in animantis corpore potest. *li.9. meth. med.*

Citra vitam nec sanos esse licet. *Li.9. meth. meden.*

Vitalem facultatem soluunt alimenti inopia, morborum malignitas, eorúmque aut diuturnitas, aut vehementia, prę- tereà affectus animi immodici, necnon vacuationes immoderatæ. Opprimunt autem materiæ copia, tum instrumentorum affectus, & corruptiones varię. *in introductorio pulsuum.*

Vitalem spiritum ab omnibus animalis partibus trahi, cum serosa humiditate contingit. *li.1. de semine.*

De morte, eius necessitate, ac causis, & an mors aliqua naturalis dici possit. CAP. XX. ET VLT.

VT mors vitæ finis est, &, vt Flaccus ait, extrema linea rerum, congruere sanè videtur, vt de vita tractationi (de qua superiore capite egimus) ea quæ de morte est tractatio adiungatur, vt & consecutione rerum ordo seruetur, & quę sibi inuicem contraria sunt (qualia vita & mors) clariora reddantur. Contraria nanque appositu (vt Aristot. ait) clarius enitent. Sic & nostra quoque omnis de locis medicinæ communibus tractatio, in mortis tractationem desinens, finem & ipsa commodum accipiet. De morte igitur hoc capite tractaturi quidnam mors sit omnium primum explicabimus, de eius necessitate, & causis secundo loco: tertio, num mors retardari artis medicæ beneficio possit indagabimus. Mortis tempus, atque hora num præsciri à medico pṛedicíque possit, & id quoque discutiemus: postremò, morsne aliqua naturalis dici, & quomodo possit, cùm omnis naturę vim inferre videatur, vt quæ nimirum & vitam rapiat, & corpus perdat. His absolutis finem capiti, atque tractationi de locis cōmunibus vniuersæ faciemus.

lib.1. epist. Epistol. ad Quintum.

libr.3. rethor. c.15.

Mortem Aristoteles, atque Gal. natiui caloris extinctionem esse definierunt. Aristotelis porro hæc verba sunt: Mors (inquit) & corruptio, violenta quidem, est caloris extinctio, aut marcor: his enim vtrisque de causis calor extingui potest. Naturalis verò, eiusdem caloris marcor, ob temporis transacti longitudinem proueniens. Verùm in plantis ariditas, in animalibus mors nuncupari solet. Hanc Aristotelis sententiam interpretatus Gal. sic de tota re disserit libro de temperamentis secundo. Meritò (inquit) Aristoteles senium

lib. de vita & mort. c. 1. vel c.10. libri de respir. ex Vatablo.

Plātarū mors quid marcenti stirpi adsimilat. Quippe stirpes nouellæ dum sunt, molles, humidæque cernuntur, senescentes assiduè magis siccescere videntur: ad postremum aridæ prorsus redduntur, idque ipsis mors est. Et paulò post. Et quid, quæso, aliud est senium, quàm via ad interitum? Ita (subdit) si mors naturalis caloris est extinctio, vtique seniū veluti tabes quædam eius fuerit. Libro verò de crisibus tertio, mortem nihil aliud esse, quàm omnimodam naturæ prostrationem verissimè dixit. Tum verò natura omnino prostrata meritò dici potest, cum calore natiuo extincto omni prorsus functione vacare dicitur. Quippe cum vel Gal. testimonio, vitam aut ipsas esse vires, aut earum actiones confiteri necesse sit, consequitur profectò, mortem, quæ vitæ contraria est, aut virium esse omnimodam defectionem, aut actionum ipsarum perpetuam cessationē, atque priuationē: vt nō immeritò id dixisse Gal. sit visus, mortem esse omnimodam naturę prostrationē: quæ quidē ratio, perinde est ac si dicas, mortē esse calidi natiui extinctionem, quam naturæ in vniuersum virium prostratio, atque defectio sequitur. Mortem alij discessum animæ à corpore esse volunt, idque optima certè ratione, quòd quandiu nexus hic animæ, atque corporis constat, in vita manere animal dicitur, vbi primùm vinculum hoc soluitur, interire. Hoc si quidem interitus est, animæ scilicet à corpore solutio. Mortis verò naturam si paulò penitius contemplemur, ipsam nihil prorsus esse, sed tantum vitæ priuationem quandā iure esse dicemus, vt cæcitatem, visus priuationem. Ob id in interitu summa fit dissolutio, & functionum omnium priuatio consequitur: quòd sit interitus quasi discessus, & secretio, ac diremptus earum partium, quæ ante interitum iunctione aliqua tenebantur, vt bellissimè Cicero libr. Tusculanarum quæstionum priore explicauit. Quid mors sit docuimus. De mortis necessitate, & caussis, quæ à scientissimis prodita sunt (quod facturos nos sumus polliciti) adferamus. Siccitatis culpa omne genitum corpus mortale fieri affirmauit Gal. Vna enim hæc est omni genito animanti corruptelæ, atque interitus connata necessitas, quòd in dies siccescat magis, reddatúrque ætatis decursu siccius, atque inde etiam gracilius, macilentius, rugosiuś, tandémque inualidum, & deficiens. Affectio hæc in animalibus quidem senium, in stirpibus ariditas (ἄναυσις Græcis dicta) appellatur. Itaque cum senes-

Mors quid item & senium cap. 5. li. 9. meth. med.

Cicero li. 1. q. Tusc.

De caussis mortis.

cere

cere animalia ætatis decursu, senescentiáque siccari perpetuo oporteat, consequens quidem est, vt hac via ad interitum ducantur. Siquidem senium, autore Gal. via est ad interitum, & hominem senescere, vt Auerrous ait, via sit in corruptionem. Hæc itaque prima, ac omninò necessaria mortis causa, senectutis, & siccitatis aduentus. Altera quæ in animantibus itidē conspicua sensuum fide cernitur, totius substantię perpetuus, & indesinens fluor, quem insitus animalium calor in humidū agens, excitat. Effluit enim quotidie, ac in singula momenta melior nostri pars, cuius effluxu, & inualidum redditur animans, & ad eius quod effluxit instaurationem, cibo & potu vti necessarium habet. Equidem ni in vicem eius quæ defluxit substantiæ, similis altera substantia reponatur, dilabi confestim vniuersam substantiā nostrā, dissipari, tandémque concidere est omnino necesse. Cibo igitur quicquid siccioris substantiæ euanuit, restituimus: potione, quicquid humidioris: aëreā vero, & igneā à nobis effluentem substantiam, respiratu & arteriarum pulsu reparamus, atque tuemur. Duplices itaque corruptionis causas in nobis est inuenire, internas alteras, & a se, alteras extrinsecus incidentes. Quæ ex se interitū adferunt, tres omnino sunt: perpetuus substantiæ fluor, aduenicns ætatis decursu consummata siccitas, ac marcor vitam finiens, & excrementorum ex cibo, & potu numerosus prouentus. Quibus causis in nostrum interitum coëuntibus, necesse tandē est animans deficere, ac vita priuari, hócq; mors est: Eorum quæ extrinsecus assiduè alterando corrumpunt, vnumquodque separari à nobis minimè potest, sed perpetuò veluti insitum nobis adhæret. Aër ipse ambiens est, qui vndique circunfusus, calore, frigiditate, siccitate, humiditatéque corpora nostra afficiens, nos pro sui ratione plurimum immutat, atque vt corruptioni obnoxij simus efficit. Quomodo autem ab internis, quas diximus causis mors contingat, dicēdum videtur. Id ex Aristotele clarissimo sensu depromemus. Is libro de vita, & morte, de corruptelæ internis causis ad hunc modum disseruit, indicans, quonam pacto vitæ principium in nobis deficere soleat. Vitæ principium (inquit) in quibus habetur deficere solet, cùm calor vitalis non refrigeratur. Tunc enim, idem quod sæpè diximus seipsum consumit. Qua autem ratione seipsum vitæ principium absumat, sequentibus verbis declarat: Quoties (subdit)

li. 2. de tēperamēt.

Cō. ad li. 5. Phis. Arist.

Gal. li. 1. de san. tu.

aliis pulmo, aliis branchiæ obdurescunt, præ temporis longitudine resiccatis, his quidem branchiis, illis verò pulmone, & terrosioribus reditis, has particulas mouere, hoc est attollere, comprimere non possunt, ac tandem accedente intensione calor ille obsolescit. Grauissima, & suo autore digna de caussis mortis ratiocinatio. Cùm enim sine respiratu vita ne momento quidem constare possit, vt Gal. lib. de vsu respirationis & Arist. eodem de respiratione libro demonstrarunt, ad respirationem autem partium vitalium motu, pulmonum pręsertim, & septi transuersi (quæ respirationis, autore Galeno instrumenta sunt) opus sit, vt eo motu cordis calor difflettur, ac refrigeretur: non possint autem hęc membra prę nimia siccitate in senio constitutis liberè attolli, ac deprimi, efficitur, vt satis pro ratione refrigerari aëris attractu, cor vitę principium minimè possit, túmque marcescens calor pabuli inopia deficit cuius sanè defectio mors est. Quam rem Arist. explicans aptissimè dixit, mortem eam, quæ in senili ætate obuenit, marcorem esse partis illius, qui quod eam refrigerare animal prę senio non possit, committitur. Atque hæc eadem causa est, cur paruis in senectute affectibns subortis, homines facilè, citóque, perinde atque cætera quoque animalia commoriantur. Nam quia calor exiguus est (vt qui plurimus per vitam quę longa fuit) difflarit, si qua vis, etiam minima, vitæ principio inferatur, celeriter natiuus illius calor extinguitur. Atque hoc est, quod Gal. lib. 10. meth. med. dixit, vbi infirmę vires redditæ sunt, abs quouis offendi, quod senibus ætatis decursu obuenire solet. Contingit etiam non ob eam tantùm, quam modò explicauimus causam, marcescere natiunm in nobis calorem: sed & eundem plurimis aliis de causis repentè dissolui, ac protinus euolare, vt in his qui metu repentino, qui nimio gaudio exanimantur. Timore nanque & gaudio derepentè mortuos esse quosdam, & Gal. nostri, & Plinij, & Valerij Maximi testimonio constat. At non eadem in metu, & nimio gaudio mortis causa. Qui ob metum subitaria morte cotrepti sunt, extinctu natiui caloris subitario, ac repentino ob insignem refrigerationem, quam timor parit, vel etiamnum repentino sanguinis ad cor impetu ruentis confluxu suffocati interierunt. Qui gaudio immoderato, effusa vniuersim vitali facultate, indéque nimio, & confertim facto motu laxata, exterióraque petente exoluitur, natiuus calor

loci Arist. explicatio.

li. 6. de vsu part. c. 2. & lib. 4. c. 14. & li. 7. c. 9. & lib. de caus. respir.

Gal. lib. 2 de sympt. cau. c. 5. ex uersi. Copi. vel. c. 8. ex tuesiho. r. in lib. 7 nat. hist. c. 36. & 53. Val. lib. 9. titul. 12. de morte non vulgari.

lor

lor discutitur,ac dissipatur,vnde cõsequi mortẽ in huiusmodi est necesse:tũ enim mors ad huiusmodi animi pathemata sequitur,cum debilis suapte natura animula,sub valida perturbatione oppressa,confertim & extinguitur & præfocatur. Hæc enim Gal.verba sunt, in quibus animulæ nomine calorem innatum non animam ipsam audire oportet. Caloris itaque extinctio propter pathematis fit naturam, vt quod ex refrigeratione nascitur. Suffocatio autem quòd vniuersus sanguis ad principium,nempe cor ipsum,commeat,defertúrque. Ac proinde qui valido metu affecti sunt, extimis partib. refrigerari,corpore toto tremere,secundum ora pallescere, aluo citari,voce interrumpi ,viribúsque concidere planè ob insignem refrigerationem , & sanguinis ad ima confluxum videmus.Ingens etiam dolor insperatam sępenumero mortem adferre solet , prostrata nimirum confertim facultate, & fugato concitatius ad ima calore:híque qui dolore oppressi vitam finiunt,veluti syderati,attonitíque moriuntur.Nam & in iis fugit intimus calor ad principium , ac natiuus soluitur simul,& extinguitur calor:ad cuius extinctionẽ omninò mors sequitur,eáque violenta. Testis est Philoctetа ille fortissimus:vulnerum dolore eiulatum emittens , dum morti proximus hęc funderet verba.Clamat enim:

Heu! qui salsis fluctibus mandet — *Cicero lib. 2. Tusc. quæst.*
Me ex sublimi vertice saxi!
Iamiam absumor,conficit animam
Vis vulneris,vlceris æstus.

Nec id profectò iniuria,quòd fortissimum ad vires prosternendas omnes mortémque ciendam validissimum symptoma dolor sit,vel Hipp.& Galeni libro prædictionum primo, testimonio. *Com.38.* Diximus necessarias omnes,& præcipuas mortis causas.Nam eas quę nec necessarię sunt,& fortuitu eueniũt, nihil referre est opus,quòd & innumerę sint ,& vt inopinatò eueniunt,sic sub artem minimè cadunt,vt eius prouidentia præcaueri possint.Quis enim tantus in arte sit,vt quo minus homo in repẽtinas sępenumerò mortes incidat cauere possit? Has pariunt ruinę, præcipitia,lapsus,vulnera,cædes,incẽdia, venena,ferarũ morsus,& cæci vocati morbi,quorũ causę abditę sunt nec satis nobis perspectę,& eius generis alia infinita. *repẽtinas mortesquæ pariant.*

Mors an retardari artis beneficio possit

Illud modo explicemus (quod tertio loco dicturos nos proposuimus) possit ne mors salutari artis opera quoquo modo retardari. Et quidni possit, cùm in hoc artis vim positam omnem cernamus, vt operosa medentium manu salutaribúsque præsidiis hominem à morte, salubri adhibita curatione vindicemus. Hoc ipsum inter artis medicæ præstãtissimas laudes, eximiámque commendationem, ceu præcipuũ, & admirabile quiddam habendum censuit Hip. vel quisquis tandem libri de flatibus autor fuerit, quòd ægroti maximis malis, morbis, anxietatibus, doloribus, morte denique ipsa artis beneficio liberentur. Nam his omnibus (subdit idem) medicinam proculdubio remedia adferre compertum est. Quis enim non, vel inuitus, confiteatur dũ à pernitioso æger morbo liberatur, differri mortem? An non si quis angina periculosissima, phrenitide, lethargo, apoplexia, pleuritide lethali, peripneumonia, causo, pestilenti & populari morbo, artis præsidiis leuetur, hunc mortem euasisse iure dicemus, mortémque in eo dilatam? Hi enim morbi, vtpotè acutissimi, totóque genere lethales, mortẽ inferre suapte natura apti sunt ni artis auxiliis arceantur, summáque diligentia & arte procurentur. Quod si artis opera vitam proferri posse superiore capite mõstrauimus, an nõ & mors retardari eadem via poterit? cùm nihil prorsus aliud sit vitam arte proferre atque producere, quàm mortem retardare, atque morari. Paria.n. sunt vitam prorogare, & retardari mortem. At id cum dicimus, non de omni quidem morte in vniuersum enũtiari volumus. Ea enim mors quæ sponte naturæ obuenit: quæque anno flore vita, nos ad vltimũ senectutis, tandémque ad corruptionem perducit, cùm eo ventum est, nulla arte, nullis auxiliis retardari potest Alioqui enim immortalis fieret homo, quod nullo prorsus pacto fieri potest. Sed de ea intelligi volumus, quæ & vi morborum accidit, & violenta est, quã cohibere, & morari artis præsidiis possumus: quæ ob id Deorum manus dicta sunt, quòd diuina virtute prædita, ab ingentibus malis, atque angoribus, & à morte denique non rarò liberẽt. Hinc Asclepiades funeris reuocatione nobilatus euasit: Hinc medici Dij tutelares, & (vt Gal. ait) Deorum filij dicti meritò sunt. Nam si dare vitam proprium DEI munus est, vt certè est, datã tueri, iámq; abeũtẽ, (quod præstat Medicus) Deo proximum fateamur oportet. Cõstãs itaque illud sit, posse mor-

li. qui medicus inscribitur.

mortis id genus quod morborum causa prouenit, & violentum est, medici opera retardari, quod præter adductas à nobis rationes, ex nostris Nicolaus Florentinus, & Petrus Apponensis conciliator, summi & præiudicatæ autoritatis viri cõstãtissimè affirmarunt. Sed an mortis tempus atque hora præsciri à medico possint, vt de certo euentu prædicere certè in morbis possit, haud sanè minor quæstio est: & si præsciri id possit, quibusnam signis aduentantem mortẽ deprehendere valeamus, ipse rerum ordo vt doceamus postulat. Magnã esse in arte medica præsentionis vim, vt cuius dignitate futura in morbis prædicere, & antequam eueniant, euentura cognoscere, & futuris malis prouidentia admirabili, ac penè diuina prospicere possumus, Hippocrates medicinæ parens affirmauit. Ea medicinæ pars valde artis professores nobilitat, & admirabiles, ac venerabundos facit. Si qui enim prudentia & artis exuberanti cognitione præditi, prædicere ventura in morbis queant, & mortis aut salutis tempus enunciare, cunctis in summa admiratione erũt. Sed ad prædicendũ magna certè, vt Hippocrates docet, cautione ac prudentia est opus. Illud nanque merito idẽ autor consulit, vti in tota arte, sed in prædictionibus potissimùm, prudenter agant medici, illius probè memores, quod si cui successerit prædictio, is apud ægrotum intelligentia præditum in admiratione fuerit: si verò aberrauerit, suprà hoc quod odio habetur: fortasse etiam insanire videbitur. Hanc prædicendi ex signis scientiam, si quis rectè tenuerit, non solùm de futura salute, aut morte prædicere vera poterit, sed & de tempore, horáque quà euentura hæc sunt, prodere certa poterit. Id quomodo fiat, nos bellè libro tertio de crisibus docet Galenus. Mortis nanque diem præcognoscimus, quanto superat morbus naturam contemplando, & grauiores accessiones inspiciendo. Si nanque magna accessio sit, motus vehemens, præceps morbus, atque crudus, & parum resistere robur naturæ videatur, annon certissimè breui subsecuturam mortem, prædicere his visis poterimus, vti si contraria adfuerint, tardius? Quo enim die grauissima morbi acutissimi accessio fiet, si & inualida virtus sit, & premat morbus eo sanè die, quotacunque ea à morbi principio fuerit, morietur. Febrium nanque, & aliorum acutorum morborum iudicationes (vt Hippocrates ait) iisdem numero die-

Serm. 4. trac. 3. c. 8. Diff. 113.

An mortis hora ac tẽpus præsciri à medico possint.

Lib. præs.

li. 2. prædi.

vide Gal. li. 2. de die decr. c. 12.

bus finiuntur, siue sanus quis euadat, siue etiamnum pereat, ac proinde eadem ipsa die vel salus, vel speranda mors est. Vt enim saluberrimi morbi qui tutissimis fulciuntur notis, die quarto, vel antea quiescere solent, ita pessimi quique, & quibus periculosissima sunt signa, die quarto, vel citius interficiunt, vt diuinus Hippocrates dixit. Itaque si die quarto, septimo, nono, vndecimo, decimoquarto, lethales notæ appareant, cum summa virium debilitate, eo ipso profectò die æger morietur. Quibus autem signis morituros deprehendere sit, paulò post dicemus. Quanam autem diei hora moriturus sit æger, ex accessionum natura, symptomatum vehementia, & virtutis defectione facilè agnoscemus. Nonnulli enim morbi sunt in quibus principia accessionum mortem adferunt, in incremento alij, in statu plerique omnes, & nonnunquam etiam in declinatione (etsi non illius merito si vera declinatio sit) mortem adferre solent. In principiis accessionum accidere mors solet propter subitum humorum ad interiora motum, veluti suffocata, atque extincta natura, non aliter quàm si lignorum viridium aceruum super flãmas coniicias. Tempore verò statu in exitialibus morbis, sine crisi mori contingit, natura vtique à morbi & accessionis violentia superata. Sic & in incrementis accessionum paria interdum fiunt, atque in statu, túmque eadem ratione in incremento, qua in statu (nempe per accessionis eo in tempore vehementiam) mori contingit. In declinatione autem vniuersali mors non aduenit, quòd morbum iam tum superarit natura: quòd si superarit, mori æger natura vincente non potest. In particularibus tamen accessionibus, earúmque inclinatione nonnunquam accidere mortem, perspectissimum Gal. est, quòd naturę vis imbecilla in principio quidem accessionis, augmento, & statu perdurare queat, cùm adhuc habitus ipse in vnum compressus contineatur. Declinationis verò tempore ab intimis ad extrema calore abeunte, naturæ habitus, robúrque vitale spargitur, atque dissoluitur. Horum itaq; nonnulli (vt Gal. ait) subita morte opprimuntur, vt præsentes existimét animo potius deficere ægrum, quam mori. Quidam verò paulatim, non subito intereunt, deficere quidem incipientes ab accessionis initio: ita verò latenter, vt multis videantur tales citius insperato à statu ad declinationem transire: in qua tamen moriuntur, ob naturæ solutum habitum

Lib. 3. præsa. textu. 2. & 3.

Gal. lib. 3. de crisib. c. 7.

vbi suprà immediatè.

Lib. 3. de crisib. cap. 9.

calore

calore foras abeunte, & corde vitalis caloris inopia labo rante, ob quam mori ægrum contingit: quod ex pulsuum differentia noscere est. In optima nanque declinatione, in qua mors nunquam aduenit, fit continuè vehemẽtior magis pulsus æqualis magis atque magis, atque ordinatus (expellit enim natura tum fortius omnem subito febrilem calorem) debilior verò, atque inordinatior, inæqualis, atque pusillus est pulsus in mortalibus declinationibus. Itaque ex præhabitis quanam hora moriturus sit æger, prædicere prudens & exercitatus medicus facile potest. Si enim accessio nocturna sit, symptomata lethalia, infirmissima virtus, moriturum de nocte ægrum prædicere iure poterit. Sin diurna, de die, eóq; diei, aut noctis articulo, quo deiectissima virtus, morbus validissimus fuerit. Morbi porrò vehementia ex symptomatis & casibus grauissimis. Deiectio virtutis, ex pulsu, & naturalium actionum carentia, aut imbecillitate deprehendi debet. Hácque arte si in prædicendo vtetur medicus, minimè aberrabit, & vera de futuro euentu prædicet. Sed quibus signis fidens, id efficiat, modò promendum. Sunt enim venturæ mortis signa certissima quædam, quibus innixus de ea tutò præsagire medicus queat. Ea ab vetustissimo medicinæ parente Hipp. prodita sunt. In acutis nanque morbis si ægri facies maximo discrimine à suiipsius sani similitudine recedat, grauissimum periculum portendit. Eius hæ sunt notæ: Nares acutæ, collapsa tempora, oculi concaui, frigidæ, languidæq; aures, & imis partibus leuiter versæ, cutis circa frontem dura, & intenta, faciei color, aut niger, aut perpallidus, multóque magis si ita hæc sunt, vt neq; vigilia præcesserit, neq; ventris resolutio, neque inedia: ex quib. causis non rarò hic faciei habitus nascitur, sed mox finiri solet. Quin etsi pręter hęc, lumen oculi refugiunt, & illachrymant, quæq; in his alba esse debent rubescunt: si alter ex oculis minor fit, si aut vehementer subsederunt, aut facti tumidiores sunt. Si per somnum palpebrę non committuntur, sed inter has ex albo oculorum aliquid apparet, eædémq; palpebræ pallent. & idem pallor labra & nares decolorat. Si labra, nares, oculi, palpebræ & supercilia, aliquáve ex his peruertantur, Si æger etiam propter imbecillitatem iam non audit, aut non videt, pro foribus mors est. Eadem mors denuntiatur vbi ægri supini cubant, hisque genua bis contracta sunt; vbi deorsum ad pedes grauitate corporis æger

Signa mortis quæ.

Lib. 1. præsa. textu 8. 9. 10.

Notæ ex facie.

Ex oculis.

Ex partium peruersione.

Ex sensuũ abolitione.

Ex decubitu.

delabitur, vbi brachia, & crura nudat, & inæquabiliter dispergit, neq; his calor intimus subest: si interiora caleāt, extrema frigida sunt, & id quoq; mortiferum, vbi hiat, vbi assiduè dormit, vbi is qui mentis suæ non est, neq; id facere sanus solet, dentib. stridet. Illa quoque mortis indicia sunt, vngues, digitique pallidi, aut nigrantes, frigidus spiritus ore naribúsque emissus. Si manibus quis in febre, & acuto morbo, in veste & stragulis floccos legit, fimbriásve deducit: vel in adiuncto pariete, si qua minuta eminēt, carpit. Neq; is seruari potest, qui sine vllo tumore febricitans, subitò strangulatur, aut deuorare saliuam suam non potest: Si itē ceruix acutè febrienti conuertitur, sic vt deuorare ęquè nihil possit. Aut cui simul & indesinens febris, & extrema corporis, ac virium infirmitas est. Aut qui febre æquè non quiescente, simul & delirio, & spirādi difficultate vexatur. Vrina pessima, præcipuéq; mortifera, nigra, crassa, mali odoris, rubra etiam, & tenuis in magna cruditate esse cōsueuit, & sæpe antequam spatio maturescat hominem rapere solet. Alba item & tenuis in acuta febre, delirium, mortémque portendit. In viris quidem, & mulierib. supradictæ vrinæ deterrimæ. In pueris verò, tenues, & dilutæ (aquosas nostri vocāt) mortiferæ. Aluus quoque varia pestifera est. Quæ strigmentū, sanguinem, bilem viridem (quę præsertim æruginis colorem repręsentat) habet, mortem adferre consueuit, prout vomitus, si sincerus humor, viridis, nigérve reddatur. Si singultus sequatur, si itē aluo liquida, nigra, pallida pinguiáve exeant, vtique si magna fœditas odoris accessit. Sudor frigidus in acuta febre lethalis, aut is qui febrem non leuans vires minuit. Mulier quoq; grauida acuto morbo correpta, autore Hipp. facilè cōsumitur. Cui ægro somnus laborem adfert, lethale id est. In lateris, & pulmonum inflammatione sputum cruentum, tenax, liuidum, nigrū, viride, spumosum, male olens, difficulter emissum, aut omnino in his morbis non expuisse, lethale, lingua nigra, crassa, aspera, arida, dēsa periculum in acutis minatur: perinde atq; faucium in continenti febre exulcerationes, à quibus haud leniter, vt Hip. ait, terreri debemus. Id enim, si quodpiam aliud ex malis signis accesserit, in periculo versari hominem denuntiat. Pusilli nāque faucium dolores, in grauib. morbis non rarò strangulant. Cum quis per totū palpitat, voce destitutus moritur. Ex moderato homine ferox in acuto morbo responsio, aut acuta vox, &

Ex dentibus, vnguibus, manibus, spiritu.

Ex vrinis

Ex alui excrementis.

Ex vomitu.

Ex singultu post vomitum.

Ex sudore.

Li. 5. aph. 30.

Ex somno.

Ex sputo.

Ex lingua & faucibus.

Li. 3. præsa. tex. 17.

Li. 1. prædict.

vox, & clangorosa, pernitiosum. Vocis ex dolore interceptiones, dolorosam mortem inducunt. Vocis item interceptiones cum exolutione, stupore detinente, perniciosæ. Ex naribus erumpente sanguine, cum exiguis sudoribus, perfrigescentia maligna, ac praua. Difficulter & crebrò spirare, grauissimũ morbi indicium est. Spiritus sublimis in febribus acutis, graue periculum minatur. Ex vulneribus lethalia maximè sunt cerebri, cordis, iocinoris, gracilium intestinorum, vesicæ: sanari enim omninò nõ possunt. In vulnerib. conuulsio adueniens, mortem secum comitem vt plurimum adfert. Vesica intenta & dolens graue in acutis morbis autore Hip. periculum portendit, veluti etiam auris acutus dolor, cum febre acuta coniunctus: nam & mentem turbat, & hominem rapit. His signis attexenda sunt, quæ Hipp. longa serie lib. de Coacis prænotionib. exarauit, tum & quæ in duob. prædictionũ libris scripta sunt: sed nos præcipua attulimus, ex quorum indicio ad extrema ventum esse, indicare penitus medicus possit. At verò si certissima mortis signa sint, qui fit igitur, vt hæc nos sæpissimè fallant, euadátque is in quo talia apparuerint? Desertos nanque à medicis multos conualuisse scimus, idque quotidie experimur, vt quos indiciis lethalibus animaduersis damnarunt medici, reuiuiscant. Quin & multos in ipsis funeribus reuixisse, & veteris & nostræ memoriæ fidissimis monumentis constat. Scrupum hunc, graui admodum, & bene limata serie diruit Celsus in hæc verba. *Aduersus quos, (inquit) ne dicam illud quidem, quod in vicino sæpè quædam notæ positæ, non bonos, sed imperitos medicos decipiunt. Quod Asclepiades funeri obuius intellexit quendam viuere, qui efferebatur, ne protinus crimen artis esset, si quod professoris sit, illa tamen moderatius subiiciam. Coniecturalem artem esse medicinam, rationémque coniecturæ talem esse, vt cum sæpius aliquando responderit, interdum tamen fallat nos. Si quid itaque vix in millesimo corpore aliquãdo decipit, id notam non habet, cum per innumerabiles homines respondeat. Idque* (subdit) *non in his tantùm, quæ pestifera sunt dico: sed in his quoque quæ salutaria. Si quidem etiam spes interdũ frustratur, & moritur aliquis, de quo medicus securus primò fuit: Quæq; medendi causa reperta sunt, nonnunquã in peius aliquid cõuertunt. Neque id euitare humana imbecillitas in tanta varietate corporum potest. Sed est tamẽ medicinæ fides, quæ multò sæpius, perq; multo plures ægros prodest.*

Ex voce.

Ex vulneribus.

Li. 2. præsa. tex. 17.

Vt qui deserti à medicis euadant ac conualescant.

Lib. 2. c. 6.

Neque tamen ignorare oportet, in acutis morbis fallaces magis esse notas, & salutis, & mortis. Hactenus Celsus: ex cuius sententia adstruendum illud est, causam cur nonnunquam nos eæ notę fallant, esse, quod intimi, & arcani naturæ motus, atque auxilia, quibus ægro opitulatur, medico omnino noti non sunt, indicátque tantùm medicus ex his quæ foris apparent, quibus etiam mortem minantibus, tacita tamen nonnunquam insurgit ad liberandum ægrum natura, suis se viribus colligens, & miris, nobísque abditis modis sese insinuans, ita vt dum moriturum ægrum putemus, tum naturę ductu, arcanóque ministerio subleuetur. Id in compluribus ęgris adnotasse me, atque magna cum admiratione spectasse, iuratus testis esse possum: medicum quendam Lusitanum, annosum, sed corpore bene habitum, Auenione laborantem, lethalique febre correptum, cui signa omnia symptomatáq; lethalia aderant, vt iis prementibus desertus à medicis Auenionensibus, summis, & excellentibus viris fuerit, Ioannem dico Guilielmum seniorem, quem alterum Æsculapium iure appellare, nec vnquam sine multa honoris pręfatione nominandum censeo, Hieronymum Lopium cultissimæ doctrinę, & excellentis ingenij, atque iudicij virum, meorúmque studiorum veluti parentem: inter quos & ego quoque socius aderam. Cúmque ægrum sine pulsu, sine voce, conuulsum ferè toto corpore, soporatum, frigidè sudantem, floccos vellentem, planéque moribundum cerneremus, moriturúmque in momenta singula sanxissemus, cœpit ille tamen sensim (vbi dies totos sex moribundus constitisset) veluti è veterno excitari, vires, vocémque exiliter recipere: nobísque rursum ad illius procurationem reuocatis, mirabiles naturę in eo motus perspeximus: quibus ille (longissimo tamen temporis spatio) in vitam rediit, firmáque est potitus posteà sanitate. Multósque ego prætereà Arelatæ medicinam factitans, è mortis faucibus ereptos, quib. iam ad funus necessaria parata erant, Ioannem Mayranum patritium virum, & Alisiam ab Aqueria, virtute & genere nobilem mulierem, ac plerosque alios vidi. Dicamus igitur mortis tempus à medico in morbis pręsciri, pręnuntiarísque verissimè ex antè memoratis signis posse, vt abundè docuisse me arbitror. Postremò, hoc loco id explicabimus, possit ne mors aliqua naturalis dici: quæ res certè est, & scitu, & explicatu dignissima. Dissentaneum profe-

Historiæ variæ ægrorum seruatorũ qui deplorati erant

An mors sit aliqua naturalis dicenda.

profectò videri potest,ac rei naturę repugnare, mortem esse vllam,quę recte dici naturalis possit:cum omnis cuiuscunque tandem generis ea sit,vim naturę inferat,ipsique sit inimica, naturam vtique disperdens,atque corrumpens. Quod autem tale est, naturale certè dici nullo pacto potest. Quod enim naturale est, familiare amicum, consentiens, non violentum esse,vel omnium Philosophorum testimonio , solet. Quod intuitus summus Philosophorum Arist.de morte lib.3.moralium sermonem instituens:vt doceat quib.in rebus despiciendis fortis versetur,hæc de morte protulit. *Omnium* (inquit) *rerum nihil morte terribilius,nihil acerbius:præsertim cùm omnium rerum sit extremum.* Itaque si tale quiddam Arist. mors est, vt nihil sit omnium rerũ morte terribilius, naturalis quomodo dici poterit? Nihil.n.naturale,horrendum, terribile, fugiendum,at contrà amabile,suaue, prosequendum haberi debet, vt & Philosophorum,& medicorum concors est assensio.Porrò si dicitur morbus , corporis constitutio pręter naturam, quanto id de morte constitui probabilius potest,vt quæ vitā rapiat , & functiones omnes corporis perdat? Rursus vitam summa ratione dicimus naturalem , quòd homini à natura insit:id si est,mors vtique contra naturam erit , nempe quòd sit vitæ contraria. His rationib. efficitur , vt mors aliqua naturalis verè dici non possit : cuius tamen in diuersam partem eunt Arist.Gal.Auic.omnium disciplinarum parentes,atque magistri,mortem quandam naturalem esse, conceptis verbis asseuerantes.Arist.nanque duo mortis genera constituit,violentum alterum , alterum naturale.Mors (inquit) & corruptio,violenta quidem est caloris extinctio,aut marcor.Naturalis verò mors , eiusdem marcor ob temporis transacti longitudinem proueniens.Eam itaque mortem,quæ ob temporis longitudinem marcescente calore prouenit , naturalem dicendam censet hoc loco Arist. Idipsum quoque Gal. duas intèritus nostri, atque corruptionis causas adferens, alteram internam & naturalem,siccitatem scilicet ætatis decursu augescente,substantię nostrę fluorem, & excrementorum prouentum:alteram externam, aërem ambientem. Erit igitur naturalis secundum Gal.mors, ea quę ab memoratis illis internis causis proueniet.Quod confirmans Auic.de mortis necessitate sermonem instituens dixit: Et hæc est mors naturalis cuique indiuiduo destinata , ratione complexionis primę, ad metam quam suapte vi continet , ad intimam humecta-

li.de vita & morte c.1.5.& 7.

li.1.de sanit.tu.

Fē.1.primi doc. 3. cap. 5.

tionem cõseruandã. Ex quibus sanè tantorũ virorũ sentẽtiis cõcludi posse video, mortẽ aliquam naturalẽ rectè dici, eam inquã, quæ ob caloris marcorem temporis decursu obueniat, siccitate nimia, ætatis progressu in tantum aucta, vt cum ea subsistere vita nequeat, obduratis ita præ vetustate pulmonibus, vt refrigerando vitæ principio non amplius sufficiant, vnde necessario cõsequi mortem oportet, quam naturalem præcitati autores nominandã censuerũt. Vt verò ambagiosæ quæstionis huius nubilum discutiatur, controuersaq; autorũ sensa componi facilè possint, animaduertendũ illud erit non vno tantum modo naturale dici. Nã quandoq; vt artificiali oppositum intelligi necesse est, cuiusmodi dicemus ex materia & forma coaptatum corpus naturale esse, quod in se habeat motus, & quietis principia, materiam & formam, quæ autore Arist. naturæ dicuntur. Alia item ratione nuncupatur naturale, vt aduentitio obiectum, siue post generationẽ cõparato: qua in significatione vsum Arist. lib. moral. 2. c. 1. legimus, dum inquit: Nullum eorum, quæ naturaliter existunt, aliter insuescere. Et eiusdem tract. rursus lib. 7. dum ait, consuetudinem mutare, quàm naturam, facilius esse. Ideo nanque, & consuetudinem demutare difficillimum est, quia naturæ similis est, vt idem Arist. his versibus ex Eueno poëta testatur.

Quæstionis dilutio

Libr. 2. de physs. aud. c. 1. & lib. 5. metha. c. 4.

Cap. 10.

Li. 7. mor. cap. 10.

Consuetudo valet, longos mansura per annos:
Illáque naturam, vires si sumpserit, æquat.

Tertio modo quid naturale dicitur, quòd rei necessarium est, & insitum cui naturale dicitur, ad eam quæ materialis, formalis, aut finalis causæ habitudinem possidet. Quo in genere significati, medicorum scholæ septem esse res naturales profitentur, elementa, temperamenta, humores, membra, facultates, actiones, spiritus. Quarto modo naturale aliquid intelligimus, quod cuipiam congruit vt sit, vel vt conseruetur. Sic enim esse naturalem equis auenam, & fœnum, hominibus panem, & locum locato, pronuntiamus. Postremò naturale est, quod necessario rei naturam cõsequitur, cuius est, ita quod in ea existentiæ suæ principiũ habet. Huic vero naturali, violentũ ex aduerso cõstituitur: qua ratione, vt est apud Arist. Meteororũ quarto, putrefactionẽ esse naturalem colligimus, ambustionẽ verò violẽtã. Quin in lib. de marasmo, seniũ à Gal. secũdũ naturã, in hoc naturalis significatio esse dicitur.

Colligitur c. 1. nũ. 3. & 4.

Nec

Nec tamen(inquit)ſicuti connutricatio , & incrementum: ſunt enim hęc naturę opera,ſenium verò non opus,ſed affe-ctio conſequens neceſſario :quando animantium nulla in lucem prodiit vitalem,ſenectutis neſcia. Proinde ſecundum naturam obuenire ſenectus ſtatuitur,vt quę neceſſariò conſequatur omnia,quę à natura ętatis decurſu diſpenſatur.Quo ſanè modo & mortem eſſe aliquam naturalem veriſſime dici poteſt,quę ineſt homini ex materia phyſica,iam poteſtatibus animę ſubſeruire amplius nequeunt : vt enim ad ętatis in vita decurſum naturaliter ſenectus ſequitur , ſic etiam ad ſenectutem mors,vt haudimmerito dixiſſe illud Galen.ſit viſus, eſſe ſenium viam ad interitum,vt enim genitorum animalium,quod nequeat ſenio capi nullum extat,ſicneque vllum, quod mortem tandem non experiatur.Seneſcere enim (vt ait li:de maraſ.Gal.)eſt alimenti egentes pedetentim languere,ad quem lãgorem poſtremo(quod eſt interitus)extinguitur animal,ídque mors eſt.Innato autem calido corpora ſeneſcere,& ſenio confecta corrumpi,verum eſt,ait Gal.Quomodo autem id fiat,in aperto res eſt.Agens enim in humidũ radicale,atque membrorum innatum calidum , ea abſumit, atque exſiccat,vt vitæ fouendæ (quæ calido & humido conſtat)amplius ſubiectum idoneum non ſint.Eo efficitur,vt per accidens,& conſecutione quadam,calor innatus humidum depaſcens interitus noſtri cauſa ſit.Quam rem haud paulò plurimum iuuat noſtra ex contrariis conſtitutio , quæ tandem reciproca actione & diſcordi lite animal tandem diſſoluunt, aliis ſuperantibus,aliis ſuperatis. Igitur mortem eſſe naturalem quandam concludendum eſt,id eſt neceſſario conſequentem animalis naturam,& conſtitutionem.Omne enim genitum animal interire neceſſe , hócque eſt illi naturale ad pręexpoſitum ſenſum.Atque per hæc,obiecta alterius partis facilè diſſoluuntur,quod nullo priorum iiij.modorum naturalis mors dici poteſt,quod neque ex rei natura conſtet , ex materia & forma,neque vt inſita nobis , & connata naturalis mors dici poteſt,nec quod neceſſaria ſit,& inſita,nec quodhomini cõueniat,ſed tantũ quod neceſſariò vitę ductũ cõſequatur.Cũ autẽ autores nullã eſſe mortẽ naturalẽ dixerũt,de illis iiij.à nobis nũc expoſitis modis intelligi voluerũt.Cũ autẽ naturalẽ quãdã cẽſuerũt,ita intellexerũt,vt ſit quędã mors,quę neceſſariò ad ętatis decurſũ extremũq;ſeniũ cõſequatur.Atq;

Li.de maraſmo.

ad hunc modum, omnis & pugnantia tollitur, & in confē-sionem quandam diuersa sentientium dogmata reducuntur. Sed de re tanta abundè iam à nobis dictum sit, finémque tādem aliquando faciamus.

De morte, Hippocratis, & Gaelni loci.

HIPPOCRATIS.

MORIENTE homine, necesse est secedere singula in suam ipsorum naturam, humidum nimirum ad humidum, siccum ad siccum, calidum ad calidum, frigidum ad frigidum *lib. de nat. hum.*

Occidunt similiter omnia, & generantur similiter omnia. *eod. lib. de nat. hum.*

Mortis, intemperantiam morientium causam esse. *Lib. de arte.*

Moritur homo si multus fuerit affligens humor, & consumitur ad morbum etiam alius, qui prius salubris erat. *lib. 4. de morb.*

Mors, sanitas, conceptus, abortus, partus, & morbi iisdem temporibus omnibus hominibus fiunt. *lib. de sept. part.*

Mortui in vtero foetus signa, si derepentè circa septimum aut octauum mensem, mammarum & ventris plenitudo collabitur, & vbera gracilescunt, & lac non apparet. *lib. 1. de morbis mulierbus.*

Mortuos videre puros in somnis, in vestibus albis, bonum est, & accipere aliquid ab ipsis purum, bonum est. Sanitatem enim significat corporum, & salubritatem ingestorum. *lib. de insom.*

Mortuos ipsos nudos si quis videat, aut nigris vestibus indutos, aut non puros, aut aliquid accipiētes, aut ex domo portantes, non est commodum. Morbum enim significat: qua enim in corpus ingeruntur, nociua sunt. *eod. lib de insomniis.*

Morientes medicis non imputandi. *li. de arte.*

Mortui partus extractio, vt fieri arte debeat. *lib. de partus immortui extractione.*

Mortis periculum impendet à febribus hyemalibus, in quibus lingua scabra fit, & animus deficit: quibus hęc accedūt signa, haudquaquam fidendum est. *lib. 4. de rat. vic. acut. text 55.*

Mortis in tabidis signa, si pedes turgent, vngues contra-

hū-

huntur, fauces sonant, superna emaciantur, sputum mucosum fit, si capilli capitis defluant, si sputum pr unis subditum malè oleat, citò hunc periturum dicito. *lib. de morbis.*

Mortes indicant cruda, & incocta, & in malos abscessus conuersa. *li 1. Epi.*

Mortem portendit si per febres graues, magis autem per ardentes, lachrymæ nō lubentes effluunt, si quidem & cætera pernitiosè habeant, alioqui sanguinis eruptionem expectandam. *lib. 1. de popul. morb. stat. 3.*

Cùm lethalis est tetanus, potus, & cibi, quos prius accepit, per nares quandoque redeunt. *lib. de dieb. decretoriis.*

ANNOTATIO.

Nō solùm in tetano lethali id fieri quotidie experimur, sed in iis, qui morti proximi sunt, faucibus cibum iam deuorare præ imbecillitate minimè potentibus, item in angenia lethali id fieri obseruamus.

MORTALIA signa in popularibus morbis, & his qui perituri erant, qualia essent. *lib. 2. de popul. morb. longa serie.*

Mortis signa sunt delirare, iactari, conuulsione premi, vt puero cuidam in Hippolochi vico accidisse testatur. *lib. 4. de popul. morb.*

Mortem significant perniciosa signa, si leuia facta fuerint, & in melius resident, nullo signo relicto in grauibus morbis. *lib. 1. prædictionum.*

Cur moriantur homines in imparibus dieb. sic ait Hipp. Si multum fuerit id quod affligit in corpore, magis quàm oportunum est, & aceruatim robustum, turbatur ad ventriculum, & cum non possit calorem sufferre corpus, eo fruitur, & graueolentiam circa spiritum fieri necesse est, & cùm nequeat corpus præ debilitate, nimirum omni humore morboso existente, spiritum trahere, quo ea quę in ventriculo sunt refrigerentur, quicquid est humoris vitalis, id foras exhalat, atque ita homo moritur. *li. 4. de morb.*

Mors, morbúsque hinc gignitur, cùm quis cibis, potionibúsque quæ maximè conferunt, aut multùm, aut intempestiuè vsus fuerit. *lib. de morbis, qui extra ex Calue, ad principium, & circa finem libri.*

Mortale est, in quo morbo somnus laborem facit. *libro 2. aph. 1.*

de repente Moriuntur, qui frequenter, ac fortiter absque causa manifesta exoluuntur. *lib.2.aphor.41.*

Strangulati, atque dissoluti, nondum mortui, non referuntur, quibus spuma circa os fuerit. *li.2.aph.43.*

Moriuntur citius, qui natura admodum crassi sunt, quàm qui graciles *li.2.aph.44.*

Exitiales morbi, & acutissimi autumno fiunt. *lib 3.aph.9.*

Mortale est, si morbis quibuslibet incipientibus atra bilis vel supra, vel infra exierit. *libr.4.aph.22.*

Moriuntur postridie, quibuscunque ex morbis resurgentibus acutis, vel diuturnis, vel ex vulneribus, siue quouis alio modo extenuatis, nigra bilis, siue vti sanguis niger exierit desubter. *lib.4.aph 23.*

Lethalis est difficultas intestinorum, si ab atra bile inceperit. *li.4.aph.24.*

Lethale est à difficultate intestinorum habito, si veluti carunculæ exeant, *li.4.aph.26.*

de morte rursus aphor.34.35.37.46.48.49 50.sect 4.rursus autem sect.5.aph.1. *&* 2.5.6.7.11.12.14 30.71.sect.6.aph.18.27.46.51.sect.7.aph.16.25.45 46.48.51.69.70.76.

Libri verò tres præsagiorum, & duo de prędictionibus & liber de coacis prænotionibus, & prorrhetici, & libri de popul. morb. immensam locorum communium de morte farraginem suppeditabunt, quę adnotasse sat fuit.

GALENI.

MORS est omnimoda naturæ prostratio. *lib.de crisib.3. cap 5.*

Mors natiui caloris est extinctio, *li.2.de temp.*

Mors ex necessitate animalibus contingit, siue constitutio cerebri offendatur, siue simul circa ipsum spiritus, siue calliditas sola. *li.de vtil.resp.*

Mors in tribus temporibus morbi, principio, augmento, & statu fit. *li.3 de crisib.cap.6.*

Interire ęgrum necesse est, si neque vsque ad statum ęger sufficere possit. *li.3.de crisib.c.6.*

Mortis non solùm diem firmiter possis dicere, sed etiam horam ipsam, in qua ægrum mori necessarium est. *lib.2.de diebus decret.c.12. & li.3.de crisib.c.10.*

Mortis modi, his qui sine crisi moriuntur, tres sunt. Primus quidē in principiis accessionū, qui in magnis inflammationibus

nibus contingit, quæ membra occupant principalia, vel ob humorum multitudinem, crassitudinem, tenacitatem, qui subitò confluunt, vt spiritus meatus obserent. Alter verò tempore status à morbi vi natura superata. Alius verò iam reliquus in declinationibus qui rarissimè accidit, vigore vitali soluto. *lib.3.de crisib.cap.9.ad fin.*

Morietur intra primum quaternarium, qui omnia mala signa statim habuerit. *li.3.de crisib.c.9.*

Intereunt multi sine crisi subitò. *li.de crisibus,c.9.*

Mortis sine crisi futuræ, primum & maximum in mortalibus morbis signum, virium imbecillitas. Nam virtus ita prostrata, ad pugnam contra morbum non exsiccatur. *li.3.de crisib.cap.10.*

Mortis dies præcognoscitur, quanto superat morbus naturam considerando, & grauiores accessiones inspiciendo. *lib.3.de crisib.c.10.*

Morientibus maxilla inferior hiat mediocriter, quòd omnes musculi actione priuantur. *li.2.de motu muscul.*

Mortem animantium, corpora ad frigidum, siccúmque perducere. *li.1.de temper.*

Mortuos Græcè ἀλίβαντας vocari, quasi nihil humecti in se habentes: vtpote tum caloris abitione exhaustos, tum frigore rigentes. *li.1.de temp.*

Mortalia signa habentur. *Lib.4.aph.21.22.23.24.26.34.35.37.46.48.49.& 50. Sectione 5.aph.1.2.5.6.7 11.12.14.30.71.sect.6.aph.18.27.46.51.sect.7.aph.16.25.45.46.48.51.49.70.76.* In horũ aph.commentariis, multa de signis mortalibus Gal. ad quæ loca lectorem relegare visum est.

Mortui fiunt autumno. *li.3.aph.9.*

Mortes cruda indicant, vel labores, vel tempora, vel eorundem malorum reditus. *li.4.aph.com.22.*

ad Mortem vna ex causis perducentibus, & aliquid adferens, febris est. *li.4.aph.com.35.*

Mortem ęgri citam prænuntiant, genus signorum exitialium. *lib.1.aph.com.12.*

non Moriuntur ægroti, viribus interim sufficientibus. *lib.2.aph.com.25.*

Mortales morbos non fieri hyeme. *Colligitur lib.2.aph.cõ.25.in fin.*

Nouimus in iudicationibus plures esse sanatos,

quàm mortuos, præterquam in pestilenti constitutione. *li. 2. aph. com 13.*

Deploratos non oportet curare, sed magis absistere, & morbi finem prænuntiare. *li. 2. aph. com 29.*

Morietur conuulsus ebrius mutus factus, nisi si neque febricitare, neque loqui anticipauerit. *li. 5. aph. com. 5.*

Morituri, qui quidem squalidas, duras, & siccas habent cutes, & extentas, sine sudore moriuntur: quando verò contrariò, laxas videlicet, & molles, & raras, cum sudore moriuntur. *li. 5. aph. com. 71.*

Moriuntur suppurati omnes si secentur, & vrantur, & totum pus exeat. *li. 6. aph. com. 27.*

Mors sequitur defectiones animi, defectus autem animi, ad sanguinis profusiones. *lib. 5. aph com. 16.*

Mortem quandam fieri in ventriculo, in longis difficultatibus intestinorum: in quibus omninò interiit appetentia. *li. 6. aph. com. 3.*

PRAETEREA, si quis locorum de morte copiam ex Gal. suppeditari sibi velit, commentarios eiusdem ad tres Præsagiorum libros Hippocratis, vbi de signis lethalibus ex facie, oculis, manibus, somno, decubitu, & aliis id genus loquitur Hip. adeat. Commentarios item ad libros de Popularibus morbis, ad librum prorrhetici, & septem aphorismorum libros legat. In his nanque de morte, de lethalibus signis, de morte prædicenda, ingentem materiā inueniet diligens lector, perinde atque in libris de crisibus, præsertim tertio eius tractationis libro, & libris item de diebus decretoriis. Abundè nanque medicinæ studiosis fecisse me satis arbitror, si locos præcipuos citans, de qua re, ad reliquos (qui infiniti propè sunt) lectorem, citatis autorum monumentis, mittam: quo voti compos fieri labore meo possit.


LOC. MED. COM. FINIS.



APPENDIX AD TRES SVPERIORES LOCORVM Medicinæ Communium Libros,

EODEM FRANC. VALLERIOLA MEDICO AVTORE.

De febribus in genere. CAP. I.



CVM sit febris morborum omnium sæuissimus, & in quem incurrere homines sæpe soleant, haud abs re facturum me putaui, si de omni febrium natura, tractationem (ne quid operi deesset) quantum quidem communium locorum ratio pateretur, ingrederer. Hoc itaque cap. quid febris sit, quæve eius essentia explicabimus: quæ febrium differentiæ: quæ species: de signis, item febrium, earúmque causis, tum de curatione in genere agemus: postremò cur recurrentes statis diebus febres quædam sint, enarrabimus, quo fine caput claudemus. Ergo febris, autore Galeno, est calor totum corpus infestans, seu cõuersio natiuæ caliditatis ad igneam: vt idem lib. 1. aph. com. 16. & lib. 1 de rat. vic. acu. com. 18. affirmauit. Ex eo verò quod dictum est, febrim esse calorem totum corpus infestantem, intelligi sanè potest; præter naturam eum esse calorem qui febris sit, quòd corpus infestet, atq; malè afficiat. Qui enim secundum naturã est in nobis calor, corpus fouet, seruátque: qui verò præter naturam, perdit, ac dissipat: atq; ob id profectò (quòd dixit Galen.) corpus infestat. Acris enim est, insuauis, planéq; molestus febricitantium calor, quòd alienus sit, & extrarius, quòd noxam inferat corpori, & molestię sensum. Vnde illud rectissimè ab eodem Galeno dictum videtur, substantiam febris in genere esse caloris qui sit præter natu-

Li. de mor. diff. c. 5.

Libro 1. de feb. dif. c. 1.

ram. Hæc enim profectò febris essentia est, atque propria natura, vt sit præter naturam calor, qui toti corpori noxam inferat. Auicenna paulò plenius febris naturam explicasse mihi est visus, dum ait: Febris est calor extraneus accensus in corde, procedens ab eo, mediantibus spiritu, & sanguine per arterias & venas in totum corpus. Exacta mihi profectò hæc naturæ febris explicatio visa est, vt per quam & ipsa febris substantia, & propria sedes, exactè explicentur. Febris namque substantia in genere extranei caloris tota posita planè est. Illius verò propria sedes, cor. Nisi enim qui auctus supra iustum naturæ modum calor est, in corde, ceu in radice propria succendatur, febris nomen haudquaquam meretur. Alioqui in nobis ab exercitatione immodica, atque labore, aut ira suboritur calor, febris esset censenda: quod minimè est affirmandum. Progressus item febris modus in vniuersum corpus, hac oratione commodissimè explicatur. Venarum enim, & arteriarum adminiculo febrilis calor in omnem corporis ambitum defertur, delatoribus quidem spiritu, & sanguine, quæ in omni cuiusvis generis febre calefieri ipsa, & affici est necesse, à quibus sic affectis in participatum duci vniuersum corpus consequens quidem est. Nec verò accendi in corde calorem sat est, nisi ita succendatur, vt noxa inde actionibus naturalibus proueniat: tum enim cùm in corde accenditur extrarius calor, & naturæ inde actiones læduntur, febris iam censeri debet calor huiusmodi. Cùm verò partem omnium principem calor is obsideat, nempe cor, optima ratione dictum videtur, febrim morborum omnium nequissimum esse, quod Isaac Israëlita in libro febrium dixit. An verò febris sit natiuus noster calor in igneum mutatus: an calor illi superadditus, vt è nostris Gentilis Fulginas voluit, facilis est ex Galeni sensis explicatio: nihil prorsus aliud esse febrem, quàm calorem nostrum in igneum mutatum. Febris enim (ait Gal.) est conuersio natiuæ caliditatis ad igneam. Cum enim causa vna aliqua subest, quæ febrim in corpore creare possit, ea ita calorem natiuum nostrum afficit, vt in igneam naturam conuertat. Vti exempli causa, si ex nimia in sole mora per caniculæ æstus, aut ex immodico motu, ira, aliisve causis externis, febris creetur, id non alia ratione fit, quàm natiui caloris incensione. Incensus nanque natiuus calor, & instar ignis nostri corporis substantiam dissoluens,

Fen.1.4. c.1.

Quæstio de febre.

Li.1. aph. com.16.

soluens,febris est. Est enim tum præter naturam factus. Sic etiam vbi ex putrentibus, & corporis meatus obstruentibus succis, inducitur febris, calescit natiuus noster calor, & in ignis naturam mutatur. Multo nanque, aut viscido, aut crasso, & glutinoso contento in vasis succo, si causa quæpiam adfuerit cutis meatus stipans, primum quidem externorum, meatum stipatio sequitur, ad quam obstructio, & ad hanc per humorum conclusionem calidi innati prohibita transpiratio, quæ & putredinis, & incensionis caloris est generatrix: Vbi enim non commodè difflatur natiuus noster calor, ignescere omnino est necesse, atque hoc febris est. Quod præter citatam ex Gal. in aphorismis sententiam, probari idipsum ex alio Gal. loco perquàm facile potest, nempe ex libro de morborum causis, cap.2. vbi de causis morbi calidi tractans, Gal. ad hunc modum disseruit. *Si* (inquit) *calor in totum extendatur corpus, morbus ipse febris nominari debet: quippe quæ totius animantis calor immodicus est.* Et paulo post, *Quartum genus eorum* (subdit) *quæ insitum calorem accendere possunt in constipatione consistit. Nam si immodico algore correptus quispiam fuerit, aut in aqua, quæ vel aluminis naturam, vel aliam huiusmodi qualitatem seruet, natauerit, constipabitur, densiórque reddetur cutis. Atque sic vapores, quominus transpirēt prohibētur. Quod si fortè fortuna humidi existant, ea quæ ibi cumulata sunt, febrim succendunt.* Hoc loco profectò febrim incensionem esse insiti nostri caloris, Gal. apertissimè dixit, cùm quartum esse genus eorum quæ ipsum incendere possunt stipationem affirmauit, incensionémque eam sic ab stipatione genitam febrim postea nominauit. Erit itaque febris re vera insiti nostri caloris ad igneam naturam conuersio, túmque cum talis est factus, ignis opera facit, vrendo, liquando, dissipando. Et si non ita sit tum à seipso alienior factus, quin & vitam quadantenus tueatur, & foueat, & naturæ munia (quanquam ægrè) obeat, alioqui enim febriens viuere minimè posset. Nec repugnat eundem calorem, & naturalem, & præter naturam dici. Est enim substantia quidem sua, febrientis calor naturalis, gradu verò & acrimonia, maláve qualitate præter naturam: atque ob id actionibus officit. Iam vero explicatā febris essentia, atq; natura, ad febrium differentias progrediamur. Differentiæ autem maximè propriæ febrium eæ sunt, quæ à rei substantia, hoc est caloris essentia, ducuntur,

Ob id rectè Hipp. harum fecit in hunc modum discretionẽ. Febrium quidem aliæ mordaces sunt manui, aliæ mites: aliæ non mordaces quidem, sed post insurgentes, aliæ verò acutæ, sed à manu victæ, aliæ statim valde ardentes, aliæ in totum debiles, aridæ. Hæ omnes differentiæ à multitudine, paucitatéve præter naturam caloris desumptæ sunt. Quæ enim ad tactum mordaces sunt, febrilis caloris copiam demonstrant: quæ mites, mitiorem item febrim indicant: ac proinde Galen. hunc locum enarrans, ab ipsa propria febrium essentia acceptas esse differentias huiusmodi, plenè confirmat: cùm sit febrium essentia præter naturam caliditas, idque non Hipp. modò autoritate, sed omnium hominum communi consensu. Nec verò tantum propriæ hæ sunt, quæ à caloris differentia sumuntur, sed & quæ à materia, in qua hic præter naturam calor accenditur, has proximè consequuntur: ac proinde prioribus enumeratis differentiis, ad eas progreditur Hipp. quæ ad materiam in qua accensus est præter naturam calor, pertinet. Inquiens febrium quasdam esse salsuginosas, flatuosas, rubeas, pallidas, leuidásque. Sunt autem, vt in summa dicatur, tria in vniuersum, quæ febrium materiæ existunt, spiritus, humores, membra. Non enim in quoquam alio, quàm in horum altero, accendi febrilis calor potest. Aut enim in cordis ipsius substantia, aut in his, qui in eius ventriculis continẽtur humorib. aut in aërea ipsius cordis substantia, hoc est spiritib. accenditur qui præter naturã est calor. Cùm calefacta est cordis substantia, incalescũt autẽ spiritus & humores, thectica & habitudinalis febris gignitur. Cùm verò humores calfacti sunt, calent autẽ cordis substantia atq; spiritus, idque vt plurimũ putrescentib. succis, putrida vel humoralis etiam febris nascitur, prout calfactis quidẽ cordis spiritib. incalescẽtib. verò humorib. & cordis substãtia ephemera, seu diaria febris producitur. Nec enim (vt ait Gal.) parui refert si calescere dicamus, aut calefacta esse. Hæ febrium differentiæ præcipuæ habendæ à quibus innumeræ ferè species oriuntur, continuę, intermittentes, & illarum quidem vt sint aliæ perpetuo increscentes, decrescentes aliæ, quædam vnum eundémque tenorem ad finem vsque seruantes. Quas Græci propriis vocibus ὁμοτόνους, ἐπακμαστικούς, καὶ παρακμαστικούς nominare in vsu habent. Sunt item & continuarum multæ aliæ species, ardens febris, Hemitritæa, tertiana continua, quotidiana

Lib. 6. Epid. textu 29.

Lib. 1. de feb. diff. c. 1.

Febrium Species.

diana,continua,quartana continua, prout humores hi in vasis putrescunt. Intra vasa namque putrescentes humores, continentes efficiunt febres. Intermittentium porrò numerosa sylua est,tertianarum,quotidianarũ,quartanarum,erraticarum,vagarum,inconstantium,diuturnarum, nocturnarũ. *Gal.lib.9. met. med.* Est & in his epiala vocata febris,atque lipyria, tum & quæ ab aëris pestilentis attractu fiunt, quas pestilentes dicimus, quæ continuæ sunt,interdum etiam diariæ, vel humorales vt plurimum.Sunt & febres quędam ab internorum inflammationibus ortæ,quas τυφώδεις nominant, hoc ęst succendentes. Discriminantur porrò quæ dictæ sunt intermittentium febrium species, ipsarum simplicitate, puritate, aut humorum confusione:vt in tertianarum specie sit alia exquisita,& simplex,veráque tertiana,alia notha, impura, atq; item in aliis, prout qui eas creat humor,aut purus est & immixtus, aut aliis confusus.Mera nanq; bilis exquisitam tertianam: ea ipsa, vel pituitæ vel aliis humorib.confusa, notham tertianam parit. Sic pituita quotidianam, atra bilis quartanam facit. Putrescentes enim huiusmodi succi,si extra vasa putreant,intermittentes febres,quæ ad infebricitationem desinant, pariũt. Atque ob id febres huiusmodi intermittentes, recurrentes, seu deficientes nominari solent. Si verò intra vasa putrescat, varij generis continentes febres creant. Pallida nanque bilis intra vasa putrescens,tertianamcontinuam;pituita quotidianam itẽ continuam:prout atra bilis quartanã continuã creabit.Vt verò in vniuersum de febriũ causis dicatur,quęcunque calorẽ immodicum,aut putredinem inferre possunt,febrium causæ censendæ sunt. *Febrium causæ.* Incalescunt autẽ plus satis corpora autore Gal.vel ob immodicum quempiam motum,vel ob putredinem in corpore obortam,aut calidorum viciniam,& adhæsum,vel ob constipationem, natiui caloris difflatione prohibita,vel tandem ob vsum ciborum, & potionum, calorem immodicum inferre potentium. *Li. de mor. caus. ca. 2. & li. 1. de diff. feb. c. 3.* De quibus abundè Gal.Lib. 8.9.& 11.meth.med.& lib.1.de feb.diff.cap.3. & lib. de morb. causis cap.2.tum lib.1.artis curatiuæ ad Glauc.& lib.2.de crisibus.Hę simplicium febrium causæ.Complicatarum porrò, & confusarum, diuersa est ratio. *Complicatarum febriũ causæ.* Fiunt enim ab humoribus inuicem mixtis,& varij generis febres creantibus. Febres has compositas rectè vocamus. Vnde tertiana, quotidiana, quartana, citra alicuius partis inflammationem committi, con-

Lib. 2. de dif. feb. c. 8. coniungique possunt, idque vel complicatione, vel confusione. Aliud enim est complicatio Galeno, aliud cōfusio. Complicationem (quam Græci ἐμπλοκὴν vocant) appellat Galenus, cùm horis diuersis inuadunt commixtæ febres. Confusionem vero (quæ Græcis κρᾶσις dicitur) cùm eodem incipiunt tempore. Qui vero tertianæ, & quotidianæ cōplicationes scire volet, Galenum lib. 2. de febrium differentiis, ca. 7. & lib. 2. de crisibus c. 9. adeat. At de febrium causis pro compendij ratione iam satis. De signis modo, & curatione dicamus. *Febrium signa.* Febres ipsæ sese facilè produnt calore ad tactum immodico percepto. Sed alia, atque alia signa apparent, vbi calor vel spirituosam, aëreamque cordis substantiam, vel ipsius humores, vel tandem solidum cordis corpus præhendit. *Ephemeræ signa.* Nam spiritibus cordis accensis, ephemera febris creatur. Cuius signa sunt, eas à præincipientibus causis ortum duxisse, calorem inueniri mitem, minime acrem aut mordacem, pulsus ad magnitudinem ac celeritatem effatu dignam accedentes, coctio mox in vrina prima statim die apparens, finirique mox cum leui sudore, vaporéve rorulento. *Putridarū febriū signa.* At vero quæ in humorum putredine accenduntur, longè his dissimilimas notas habét, quod ab internis vt plurimum nascantur causis, etsi ab externis oriri quandoque possint, quòd calorem habeant immitem & insuauem, quod expirationem grauiorem, ac frequentiorem, pulsus inæquales, & ad velocitatem & crebritatem inclinantes, quòd in his coctio in status tempus vt plurimum prorogetur. Vrinæ in his à principio aquosæ, tenues, nonnunquam crassæ atque turbatæ putredinisque notam secum ferentes apparent. *Interpollatarum signa.* Horror præcedere eas solet, præsertim quæ intermittentes sunt, multáque corporis confractio, languor, ac lassitudo, symptomatáque grauiora has comitari solent, nausea, sitis, vomitus, angustia, dolor, syncopa, delirium, vigiliæ, inappetentia, & eius generis plurima. *Continētiū signa.* At vero in continentibus febribus grauiora omnino omnia apparent, quòd & maior quàm in intermittentibus putredo subsit: & ad infebricitationem, vt in illis, minime perueniatur: ob id neque cum horrore incipit continens febris, neque accessiones (quæ verè continua est) habet: sed ab initio ad finem vsq; vna, eáq; perpetua accessione constans, tandem naturæ vi pro pulso humore, decretorio facto desinit. *Hecticæ signa.* Hecticæ vero

cæ verò signa hæc sunt. Ea si tabida sit, deprehendi facillimè potest, apparet enim tabidus totius corporis habitus, oculi caui, veluti foueis quibusdam reconditi, exhausto nimirum iam vniuerso in ipsis liquore: siccitas & rugosa in vniuerso corpore species, ac flos vitalis coloris extinctus. Collapsa item tempora in his visuntur, contracta præcordia: caliditas ad tactum debilis, illa quidem prima occursu, sed mox tangenti acris. Pulsus tenuis, durus ac debilis frequénsque apparet: locáque arteriarum plus reliquo corpore calent. Tum verò intendi in ipsis calor febrilis solet, cum accepto cibo refici membra solent. Communia attulimus febrium omnium signa. Peculiaria verò, ac propria vnicuique generi sua sunt vt tertianę febris initium cum horrore, aut rigore, calor mordax, sitis inexhausta, biliosi in accessione vomitus, habitus corporis siccus & gracilis, victus ratio bili gignendæ idonea, tempus ęstiuum, ætas florens, anni conditio calida & æstuosa, accessionis denique per sudorem desinentia, ac reuersionis per tertium quemque diem constans ratio, tertianę febris certissimę notæ sunt. Vti quotidianę, frigida, & humida corporis temperies. crassior habitus, initium accessionis cum frigore, calor quàm in tertiana mitior, accessio longior, recursus singulo quoque die, pituitosi, vomitus anteacta vita pituitę gignendæ apta, percepta in ventriculo cruditas, grauitatis in eo sensus, deiecta appetentia, párque & anni, & aëris constitutio, nempe frigida & humida ephimerinæ febris certissima indicia sunt. Quartanam significant, frigida & sicca temperies, huic promouendę idonea, gracilis habitus, accessionis initium cum glaciali rigore, vbi progredi cœperit quartana, eóque diuturno. Nam in principio vniuersali, nondum attenuato humore, vix frigus percipitur. Longissima accessio, membrorum magna confractio, victus pręcedés melancholicus, ætas, habitus, aëris atque anni constitutio autumnalis, ac periodica per quartum quemq; diem accessionis reuersio, longiórque mora id amplius testari videntur. Quę qui exactius scire volet, Galen lib. 1. artis curatiuæ ad Glauc. & lib. 2. de crisibus, atque de febrium differentiis adeat. Superest vt de curatione breuibus agamus. Curatur omnis febris contrario. Itaque cùm calidus siccúsque morbus febris sit, refrigerantibus humectantibúsque rectè curabitur, iuxta illud Hippocratis. Victus humidus febricitanti-

Tertianæ signa.

Quotidianæ signa.

Quartanæ signa.

Febrium curatio.

lib. 1. aph. 16.

bus omnibus confert, idque indicatione solum à morbo accepta. Nam si causæ rationem habeas (vti in omnibus causas habentibus morbis facere expedit) à remotione causę curationis initium sumere oportebit. Vnum nanque commune præceptum obseruare semper oportet, vt vnamquamque prius quæ efficit causam, rescindamus, deinde ad illam quę ab eadem causa facta est ægritudinem accedamus, sic affirmante Gal. *Abscinditur porrò causa pro sui varietate alio atque alio modo. Nam si plenitas, & humorum in vasis redundantia in causa fuit (vti vt plurimum in continentibus febribus esse solent) vacuanda prius venæ sectione abundantia est. Saluberrimum nanque est, venam in febribus incidere, non continuis modò, sed & aliis omnibus, quas putrescens humor excitat, modo neque ætas, neque vires prohibeant, vt leuata quæ nostrum corpus dispensat natura, & exonerata eo quod veluti sarcina premitur, facilius quod reliquum est vincat. Quod verò humoris putruit, per aluum, vrinas, & sudores euacuare expedit.* Redundantia vacuata, ad curandam obstructionem aperientibus, detergentibúsque, in quibus non multus subsit calor, properabimus. Id perficiunt varij generis dulces potiones, quas nos vulgato in scholis nomine, aposemata, iulebósque nominamus. Nempe oximeli, ptisanæ cremor, mulsa dilutior, & qui ex aceto, saccaróque sirupus conficitur, quem acidum nominant. Prodest ad id oxisaccharum vtrumque, tum simplex, tum compositum, & qui ex radicibus conficitur, & quem de bizantiis dicunt, vbi infarctus in visceribus crassorum, lentorúmque humorum adfuerit. Hæc enim omnia si ex decocto intyborum satiui & agrestis, hyssopi feniculi capillariúmque vocatarum excipiantur, probè humores attenuare & incidere, obstructionésque adimere possunt. Febribus vnicè clysteres leues prosunt, & quę vrinam cient. A quibus dare postea conuenit quæ relictum in membris calorem pellant, sicque ademptione malæ qualitatis membra recreent, ac reficiant, qualia sunt epithemata refrigerantia, condita, electuaria, & huiusmodi refrigerandi, & humectandi vim habentia. Imperanda porrò in febribus quies ægris est, adimendę curę, conciliandus somnus, parca victus ratio, sed euchima instituenda. Hi curationis febrium in vniuersum scopi. Nam de peculiari febris cuiusque curatione, in methodo, si fata sinent, exactè tractabimus. Tempus est

In artem medicinalem c. 89. & lib. 4. method. med.

Gal. li. 11. meth. med.

est vt illud modo explicemus (quod omnium ego longè difficillimum existimo) Cur nam interpollatę febres statis & certis diebus recurrant, tertiana tertio quoto die, vno interposito, quotidiana singulo quoque, quartana per quartum diem, duobus interiectis recurrat. Admirandum profectò videtur, corporis succos ita statos & certos habere motus, vt febrim per certos & fixos dies promoueant. Id quoniam scitu est dignissimum, nec satis adhuc vt arbitror explicatum, enodare tentabimus. Ergo commodè res vt tota explicetur, primum omnium quid periodus sit, seu circuitus nosse conuenit, & quidnam sit morbos suis periodis & circuitibus recurrere. Periodum autem, seu circuitum definiuit Galenus, similem ad item reditum veluti accessionem, deterius tempus totius circuitus. *lib. 1. aph. com. 12.* Equidem cùm morbus quispiam intermissione & accessione constans recurrit ad eandem dispositionem, in qua deterius habere æger dicitur, recursus is, circuitus & periodus dici medicis consueuit, prout accessio, ea circuitus seu periodi pars, quę deterior est, magisque affligit. Morbos autem circuitibus quibusdam recurrere, est eos per certa quędam, & stata temporis interualla repetere, & ægrum eodem quo prius modo afficere. Esse autem plerosque eiusmodi morbos qui sic afficiant, ipsa experientię fides testatissimum facit, à qua semper sumendum esse initium Gal. passim docuit. *libr. 2. de diff. feb. c. 11. & lib. 6. de san. tu. & pluries alibi.* Lippitudines quasdam, aurium, & capitis hemicraneos dolores, pedum item & articulorum, circuitibus quibusdam recurrerę, & exacerbari planè videmus. Sic & febres quasdam, tertio, quarto, quinto, vel singulo quoto die recurrentes animaduertimus: cur ita fiat, non item. Verùm recursus eiusmodi, atque circuitus causas reddere, libro de febrium differentiis secundo, capite vndecimo ęst conatus Galenuş in tria potissimum periodorum causam referens, in extranei scilicet coaceruationem (est autem omnino duplex, quod extraneum est, aut quantitate, aut qualitate) in facultatis expultricis robur, in vnum quempiam locum, quod extraneum est detrudentis: ídque stato quodam, & determinato tempore, in imbecillitatem eius, quæ fluxionem excipit, partis. Nec verò solum ab his causis morborum periodi fieri solent, sed & si causa quæpiam humorem ad membrum certis quibusdam circuitibus traxerit: veluti cum pars quæpiam dolore, ca-

loréve affecta, quod superfluum est ad se trahit (dolor
li.2. de fe. nanque & calor fluxiones ciere solent, vt Gal. testimo-
diff.c.11. et nio) Contingit rursus circuitum in morbis fieri agge-
li.13. meth. stione çumulata superuacanei alicuius, periodicè quidem in parte congesti ob imbecillitatem tum concoctricis, tum expultricis facultatis, quæ in parte est, nulla fluxione aliunde in partem decumbente, sed accumulato tantùm superfluo in parte, quæ nec satis delatum ad se alimentum cõcoquere, nec superfluum expellere potest. Hę in vniuersum circuituum, qui in morbis, pręsertim verò in febribus fiunt, causæ. Recurrunt enim febres certis quibusdam diebus, quòd dissipato per accessionem humore qui putruerat, nouus rursus reaccendatur, putrescátque humor, qui alteram denuò accessionem pariat. Eius verò accensionis, atque putredinis causa est relictus in membro vno aliquo, putredinis & caloris præter naturam fomes. Eũ locum scholæ nuncupare solent putrediuis nuneram. Cùm enim eorum membrorum, quę virtute pollent, opera quæ superflua sunt, excernantur, in locũ vnum aliquem imbecilliorem detrudi hæc est omnino necesse. Quòd si detrudantur, motum, calorem, putredinémque nacta, mox repetitam accessionem, quæ sic detrusa sunt, faciunt. Vnde constat, in his quę circuitibus aguntur febribus, intermissionem quandam intercedere necesse esse, quæ nisi intercedat, nunquam recursus, aut reuorsio fiet. Ea causa est, cur continentes febres circuitibus minimè ducantur, quòd ad intermissionem & infebricitationem nunquam perueniant, donec finitæ sint: etsi exacerbationes quasdam habere hæ febres dicantur, quæ naturam sequantur humoris à quo fiunt. Constat igitur febrium periodos, & aliarum ægritudinem quæ circuitibus aguntur, ex alieni cuiuspiam transmissu in partem quãpiam decumbentis, moráque, putredinem, aut malam quampiam qualitatem nanciscentis fieri. Quem sanè circuitum non minimum promouent, humoris agitati, & decurrentis substantia quantitas, qualitas, & locus, tum & facultatum nostri corporis robur, aut imbecillitas. Qui enim humor substantia tenuis, copia multus, qualitate calidus fuerit, is sanè citatiore motu ad putredinis locum permeabit, breuioréque temporis spatio circuitum efficiet, si modò humoris naturam spectes. Qui crassior substan-

ſtantia, qualitatéque frigidus fuerit, & copia etiam exiguis ſegniore motu agetur, tardiúſque recurret. Ob id melancholiam, cùm ad motum craſſitie ſua ineptior ſit, diſcuſſúque difficilis, tardiores efficere circuitus animaduertimus: pituitam, melancholico ſucco promptiores, quod facilius eo ad putredinem moueatur. Bilis inter vtroſque medium quaſi quoddam tenere dicitur. Nam etſi ad putredinem tenuitate ſua citò moueatur, ſitque qualitate acris, & calida, qua naturam ad ſui depulſionem proritare poſſit, minus tamẽ quàm pituita, putredini ob illius ſiccitatem & amaritudinem apta eſt, neque copia ita vt illa in corpore redundat, nec ita lenta eſt, vt facilè tranſpirare conceptus in ea præter naturam calor poſſit: ac proinde tardiores, quàm pituita acceſſiones facere ſolet, cùm pituita ſingulo quoque die, bilis per tertium quemque recurrere ſoleat. Quin ea ipſa cùm melancholia putredini paratior ſit, ſubſtantiáque tenuior, circuitum citatiorem, quàm atra bilis efficiet. Hæc enim quarto quoque die, duobus ad intermiſſionem relictis, recurrere ſolet: bilis tertio quoque, vno tantùm ad intermiſſionem relicto die. Atque ob id inter quartanę, & quotidianæ acceſſiones, tertianæ acceſſio medium quendam quaſi locum habère iure dicitur, éſtque eius acceſſio aliarum acceſſionibus breuior; quòd in tali humore ob ſubſtantiæ eius tenuitatem, non diutius perſtare accenſus in eo calor queat, facilè vtique tranſpirante humore. Cauſas circuituum diximus. Cur verò ſtatis temporibus recurrant humores, vt bilis tertio quoto die, atra bilis quarto, pituita ſingulo quoque, nondum à nobis eſt explicatum. Id modò aggredi tentabimus. Ineſſe autem vnicuique humori periodicum motum, ex illo Gal. *libr. 2. de* loco conſtat, cum ait: Putreſcunt non ſimiliter omnia, eò *diff. feb. c.* quod quædam ſunt pituitoſa, alia melancholica, nonnulla *11.* bilioſa. Hoc ipſum expreſſius Auicẽna explicauit, vnicuique, *Fẽ. 1. quar* inquit, humori ineſt periodus, qui ſibi cõuenit, idq; experiẽ*ti trac. 4. c* tię fidę abundè conſtat: cùm videamus quæ bilioſa ſunt ter*13. de feb* tio quoque die, non alioqui impedita, moueri, & acceſſiones *apoſtema-* (ſi intermittentes febres ſint) facere, aut ſi continentes, pa*tum.* res itidẽ exacerbationes: pituitoſa quotidie, atrabilaria, quatuor dierũ interuallo. Atq; hoc eſt quod dixit præcitato loco *Explicatio* Gal. nõ ſimiliter putreſcere õnia, h. e. nõ partib. interuallis ad *loci Gal.*

putredinem moueri humores:q; hic pituita fit, ille bilis, alius atra bilis, quorũ proprium ac peculiare est, disparibus spatiis accessiones facere. Cuius euentus causam, nõnulli in vniuersi naturã cuncta cientem reiiciunt: in Lunæ motũ (cui subiici humores corporis arbitrantur alij.) At hi omnes vanis profectò (vt mihi quidẽ videtur) rationibus nituntur: vt si ad trutinam doctiorũ hominũ expendantur, vix in artificum statera (vt Cic. ait) consistere queant: ob id eas improbare, aut euertere, nec consilij fuerit, nec instituti. Causam profectò nos tam occultæ rei multo clariorẽ, ac etiam veriorẽ, ex præiudicatæ autoritatis virorũ sentẽtia afferemus. Quod igitur aut bilis tertio, aut pituita quotidie, aut demum quarto die atra vocata bilis recursus suos, accessionésque faciant, id totum naturæ humoris, atque substãtiæ (quam secretioris philosophiæ scientissimi, specificam formam nominant) adscribendum merito est: idque ex præcitatis paulo antea Gal. & Auicennæ locis probari facillimè potest. Quid enim est aliud nõ similiter putrescere humores, quod alius pituita fit, alius bilis seu atra bilis, quàm ex natura humorũ manare, vt hic certo quodam more, ac tempore, alius alio putrescat? Ac proinde rectissimè quasi hæc Gal. sensa explicans Auicenna, vnicuique humori suam esse periodum, quæ illi pro natura sua cõueniat, magna ratione affirmauit. Prouenire autem periodũ ab ipsa humorum propria peculiaríque natura, atque substãtia, hac ratione, quæ demonstrationis vim sit habitura, euidẽtissimum fieri potest. Qui effectus in vno quopiam rerum genere inueniuntur, qui perpetuò rei conueniunt, & paribus modis fiunt, in quodcunque tandem corpus, aut tempus inciderint, hi ad propriam substantiam eius à quo fiunt sunt referendi. Atqui per certos quosdam dies recursus facere, accessionésque proritare, & perpetuò humoribus conuenit, & recursus huiusmodi paribus semper interuallis (nisi alicunde ordinis periodorum peruersio consequatur) fiunt, vt in tertiana tertio, in quartana quarto, in quotidiana quotidie: idque siue vere, æstate, autumno, aut hyeme febres eius generis incidant, siue etiam in iuuenes, senes, robustos, aut imbecilles homines incurrant. Itaque ex humorum tali, vel tali natura erit, vt recursus huiusmodi fiant. Nõ, n. quòd bilis calida sit, per tertium quemque diem recurrit, nec quòd frigida pituita, aut atrabilis, aut quarto, aut quotidie accessione faci-

Cur humores statis diebus recursus suos faciant.

libr. 2. de feb. diff. c. 11.

cit, sed quòd ea sint natura, ac facultate vt id operentur: perinde vt magneti ea inest natura, vt ferrum trahat, succino vt paleas, purganti medicamento, vel hunc, vel illum humorē, quasi delectu quodam alliciat, & ad se trahat. Dotauit nanque res Deus, duplici (vt Plato ait) virtute elementari, atque cœlesti. Ab hac, quæ rebus ipsis secretiori quodam modo est insita, habent quæque res vt quæ suæ naturæ congruunt efficiant: ab illa altera & elementari, vt calefaciant, refrigerent humectēt, & exsiccent, emolliant, adstringant, discutiant, densent, rarefaciant, & quæ huiusmodi sunt operentur. Quemadmodum igitur quæ delectu soluunt humores, à sua ipsorū natura, & proprietate substantię indita habent, vt vel bilim vel pituitam, vel atrabiliarum succum attrahant: sic sanè humoribus à sua ipsorum substantia euenit, vt hic tertio quoque die, alius quotidie, alius per quartum diem accessiones, recursúsque periodicos faciant. Nec id vllo pacto, aut tenuitati atque calidati, aut frigiditati & crassitiei humorum, aut aliis elementariis qualitatibus, quæ humoribus insunt adscribi potest. Nam eo pacto bilim, cùm tenuis sit & calida, accessiones per singulos dies facere debere esset necesse, quòd ad motum sit proptissima, cuius tamen contrarium experimur. Cùm pituita, quæ bili ipsa & crassior multò & frigidior est, eóque ad motum pigrior, per singulos dies ad accessionem creandam moueatur, bilis autē in tertium diē id differat. Nec huic assertioni obstare videtur, quòd interdum bilis singulo quoque die accessionē ob immodicam copiam, & in diuersis locis putredinem efficiat: & pituita nonnunquam per tertiū diem accessionē facere possit, vt Auicenna testatur. Nam id nō substantiæ humoris, sed magis quantitati, aut qualitati cuipiam naturam irritanti (vnde ordinis periodorū peruersio accidit) adscribi merito debet. Cùm.n. effectiones ab aliqua vna rerū specie edi dicimus, sic effici intelligendum est, vt certis quibusdam conditionibus, ad effectionem necessariis, effectio ipsa perficiatur: vt cùm magnetē per suam ipsius naturam ferrum attrahere dicimus: id ita accipiendum est, vt in congrua distantia, quantitate, & operandi modo id fiat, alioqui non perpetuò ferrū attrahet, vt si allio cōfricetur, id minimū præstabit. Perinde atque tripolium (turbith Arabum schola vocat) etsi à tota sua substantia pituitam, non bilim, aut atram bilim attrahat, dosi tamen illius supra iustum au-

cta, omnes sanè humores attrahet. Itaque quod periodorum ordinis ratio nonnunquam peruertatur, id nō substantiæ humorum, sed aut immodicæ quantitati, aut acrimoniæ naturam irritanti, adscribi iure debebit. Maneat itaque inconcussum illud, periodorum rationem omnem, naturæ specificæ humorum, proprietatíque, formam & speciem sequenti, esse meritò tribuendam. Atque hîc finis esto.

De Febribus, Hippocratis, & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

FEBRES propterea fiunt, cùm corpore superinflammato carnes intumuerint, & pituita, ac bilis conclusa quieuerint, & neque refrigeretur quicquā, neque exeat, neque moueatur, neque aliud quid habeat. *li. de locis in homine.*

Quum febris & lassitudo occuparit, ac repletio, lauare multa aqua oportet, & oleo illinere, & quam maximè calfacere, quo caliditas, aperto corpore præ sudore, egrediatur. Consequenter autem hæc facienda sunt, per tres, aut quatuor dies: & si non sedetur, ac cesset, pharmacum in potu exhibendum est, quod bilem educat, & febris perfrigeranda est, præterquàm si quartana existat. *Eodem lib. de loc. in homine.*

Febricitanti cibum ne offeras, neque sorbitionibus subtus aluum ducas. In potu dabis aquam calidam, & aquam mulsam, & acetum cum aqua. Hæc autem quàm plurima bibat. *eod. lib. de locis.*

Febrem frigefactorio medicamento exoluere oportet. *eod. lib.*

Febricitanti caput ne purgato, vt ne furiosus fiat. *lib. de locis in homine.*

Febris quæ propter tumefactionem ex pituita fit, aliquādò quidem ab iisdem fit, & sedatur, aliquando autem à contrariis. *eod. li.*

in Febrem ardentem, & peripneumoniam, aliquando ex pleuritide transitus fit. *li. de affectionibus, seu de morbis.*

Febris ardens, siue causos, quum habuerit, febris detinet, & sitis fortis, & lingua aspera ac nigra fit, à spiritus sani caliditate: & color subbiliosus fit, & sputa biliosa: *Eodem lib. de affect.*

quæ-

quæcunque Febres hyeme fiunt, siue ex vino, siue ex lassitudine, siue ex aliqua alia re, eas obseruare oportet. Transeunt enim aliquando in morbos acutos. *eod. lib.*

Febris æstate detinet fortis, & sitis, & vomunt aliqui bilem, aliquibus etiam inferne secedit. *eod. lib. de affect.*

tertiana Febris quum apprehenderit, siquidem videtur tibi non purgatus esse, quarta die pharmacum dato. Si verò pharmaco non videbitur opus habere, medicamentum in potu exhibeto, quibus febris aut transmutetur, aut deficiat. *eod. lib.*

Si quartana apprehenderit, siquidem impurgatus fuerit, primùm caput purgato, & interpositis tribus, aut quatuor diebus pharmacũ sursum versus purgans dato in ipsa apprehẽsione. Et interpositis diebus rursum aliud deorsum purgans dato in ipsa apprehensione. *eodem lib. de aff. ct.*

Quoscunque ægrotos febres non continenter detinent, sed intermittentes corripiunt, his cibi dandi sunt post apprehensionem, ita vt coniecturam facias, ne febris à recens accepto cibo irruat, sed cibis iam concoctis. *libro de affectionibus.*

Febrium ardentium, & popularium constitutio qualis esset. *lib. 3. de pop. morb. sect. 3.*

Febris ardens corripit magis biliosos: corripit autem pituitosos. *li. 1. de morb.*

qui à Febre ardente corripiuntur, internis quidem partibus à febri exurũtur, externis autem frigidi sunt: & lingua, ac fauces ab interno spiritu ac caliditate exasperãtur, & arescunt. *lib. 1. de morbis.*

de variis Febrium generibus, tertiana, ardente, quartana singultiente, & interficiente, & earum methodo curatiua. *vide Hip. libri. de morbis. vbi hæc copiosè, & ex professo tractat.*

Febris ardens fit, quum resiccatę venulę hora ęstiua, acres ac biliosos, serosos humores in seipsas attraxerint. *lib. 4. de rat. vic. acut. tex. 1. & 12. de altero ardẽtis febris genere.*

quicunque ex Febre ardente moriuntur, omnes præ siccitate moriuntur. Et resiccantur primùm quidem extremæ ipsorum partes, manus ac pedes: deinde partes sicciores. Vbi autem humiditas ex corpore penitus fuerit exusta, ac resiccata sanguis quidem congelatur penitus, ac perfrigeratur. *lib. 1. de morb.*

qui ardenti Febre febricitant, itémque peripneumoniis & aliis fortibus morbis, non citò ex calore liberantur. *lib. de vet. med.*

Febres plurimæ à bile fiunt. *lib. de nat. hum. in ea sint libri parte, quæ appositritia est, Galeni testimonio.*

Febrium species quatuor sunt, continens, quotidiana, quartana, tertiana. *eod. lib. & eadem libri parte.*

Febres æstiuæ, item æstuosæ, de genere ardentium esse solent. *lib. de affectionib.*

Si bile infestatur homo, febris ipsum corripit quotidie, ac dimittit. *lib. 2. de morb.*

cùm Febris quartana, ex alio morbo non purgatum apprehenderit, pharmacum deorsum purgans bibendum dato. *lib. 2. de morb.*

quæcunque Febres hyeme fiunt, siue ex vino, siue ex lassitudine, siue ex aliqua alia re, eas obseruare oportet. Transeunt enim aliquando in morbos acutos. Obseruare igitur (subdit paulò pòst idem) ac vitare oportet febres in hyeme. *lib. de affect.*

Febres iudicantur quarta die, septima, vndecima, decimaquarta, decimaseptima, vigesimaprima. Ex his autem acutis quędam etiam trigesima: deinde quadragesima, posteà sexagesima. Quum verò hos numeros excesserint, diuturna iam febrium constitutio est. *li. 1. de pop. morb. const. 1.*

quibus Febres cessant, neque signis solutoriis apparentibus, neque in diebus indicatoriis, his reuersuras esse expectandum est. *lib. prænotionum. Vide eod. lib. prænotiones febrium, longa serie.*

Febrem incipere quarta die, aut septima, aut vndecima, in capitis vulnere, valdè lethale est. *lib. 2. prædictionum.*

Febres vertiginosæ, & cum voluulis, & sine voluulis perniciosæ. Anhelosis febris postea acuta. *Lib. de Coacis prænotionibus.*

pueris Febris acuta, & aluus suppressa, cum vigiliis, & calcitrare, & colorem mutare, & ruborem habere, conuulsorium est. *lib. de Coacis prænotionibus.*

Febres continuæ per tertium diem augescentes, periculosæ. *lib. de coacis prænotionibus.*

quibus Febris aliquandò intermittit, periculo vacant. *eod. lib.*

quibus

quibus in Febribus continuis, pustulæ per totum corpus erumpunt, lethale, si non purulentus abscessus fiat: maximè autem circa aurem his fieri solet. *Lib. de Coacis prænotionib.*

in Febribus longis, aut tubercula, aut dolores in articulis fiunt: & si facti fuerint, non sunt inutiles. *eod. lib.*

Febres Lypiricæ, bilis sursum ac deorsum effusione non accedente non soluuntur. *eod. lib.*

in Febribus secundum venam quæ est in collo, pulsus, ac dolor, in dysenteriam desinit. *eo. lib.*

quibus in Febribus venæ in temporibus pulsant, & facies sana est, & præcordium non molle, diuturnum morbum significat. *eod. lib.*

in Febre ardēte, si aluus eruperit, mortale est. *Li. de Coacis prænotionib.*

Febris ardens ex alui dolore laborioso, perniciosa. *ibid.*

in Febribus ardentibus, si aurium sonitus accedant, cum visus hebetudine, & grauitate secundum nares, melancholico modo ab atra bile mente mouentur, sanguine ipsis non erumpente. *eo. lib.*

Tremores in Febribus ardentibus, mentis perculsio soluit. *eod. lib.*

in Febre ardente fluxio sanguinis ex naribus, quarta die mala est, si non aliud quid boni coinciderit: verùm quinta minus periculosa est. *eod. lib.*

qui ex Febribus ardentibus aliquantulum perfrigerantibus, cum egestionibus alui aquosis, ac biliosis, laborant oculis, malum est, tum aliàs, tum si stupidi fiant. *lib. de Coacis prænotionibus.*

Febris ardens rigore superaccedente soluitur. *lib. de Coacis prænotionibus.*

Febres ardentes recidiuare solent. *eod. lib.*

Febres ardentes quatuordecim dies diiudicant, aut alleuantes aut perimentes. *eod. lib.*

ex Febre ardente, abscessu purulento circa aurem non fiente, non valde seruantur. *eod. lib.*

quibuscunque in Febribus tremores circa iudicationem cessant, his temporis progressu abscessus dolorosus suppuratus in articulos fit, & vesica dolorosa. *eod. lib. de Coacis prænotionibus.*

Febrientibus quibus rubores sunt in facie,& dolor capitis fortis, & venarum pulsus, his sanguinis fluxio plerunque contingit.*eo.lib.*

qui diutius ex Febre continua securè laborant, citra dolorem, aut inflammationem aut aliam causam, his abscessus expectandus est cum dolore ac tumore, & magis in infernis partibus.*ibid.*

Febres intermittentes, & erroneo modo inuadentes, autumno maximè in quartanam leuiter transeunt. Et hoc magis his, qui triginta annos excesserint.*eod.lib.*

Febri quæcunque signa se opponunt, & non abscessus significationem habent, maligna sunt.*eod.lib.*

Febres quæ neque diebus iudicatoriis, neque post solutorium signum decesserunt, recidiuant.*eod.lib.*

Tertiana exquisita in quinque, aut septem circuitibus, aut ad summum in nouem iudicantur.*ibid.*

Quibus febrire incipientibus, sanguis de naribus sternutatione fiente distillat, & vrina subsidentiam albam in quarta die habet, his in septima die solutionem significat. *lib. de Coacis prænotionibus.*

Quibus in febribus sanguis abundè vndecunque profluxit, his in refectionibus à morbo alui humectantur. *eod.lib.*

Qui in febribus exudant, caput dolentes, aluo suppressa, conuulsi fiunt.*eod.lib.*

In febre conuulsio fiens, & eadem die desinens bona est. *eod.lib.*

Febres intermittentes, verùm inæqualiter calescentes, aluo inflata, pauca egerente, in his post iudicationem, lumborum dolore sequuto, alui erumpunt. At amburentes ad manum, torpidæ, siticulosæ, anxiosæ, in his aluo suppressa grauati exoluuntur.*eod.lib.de Coacis prænotionibus.*

Hybernæ febres quartanæ, leuiter in acutos morbos transeunt.*eod.lib.*

In febribus surditas aluum sistit.*eod.lib.*

In febre acuta aures obsurdescere, furiosum est.*eod.lib.*

In febre, oculorum rubor fiens, alui diuturna malignam affectionem significat.*ibid.*

Cum febre acuta conuulsiones perniciosæ.*eod.lib.*

In febre iuxta ventrem palpitationes, mentis emotiones inducunt.*eod.lib.*

Conuulsio in febre fiens perniciosa est. *ibi.*

Conuulsionem soluit febris superueniens acuta. *eodem lib.*

Febriles in dorsum distentiones, vrinæ genituræ similes soluunt. *eod lib.*

Febres intermittentes ob suppurationem, pleræq; sudorificæ sunt. *eo li. de Coacis prænotionibus.*

Quibus mulieribus ex febribus dolor mammarum fit, sputatio cruenta, non fœculenta oborta soluit dolores. *ibid.*

In febribus longis, tenuibus, erroneis, vrinarum tenuium mictiones, splenicæ sunt. *lib. de Coacis prænotionibus.*

In febre aliâs aliarum vrinarum mictiones, morbum producunt. *eod. lib.*

Victus humidus febricitantibus omnibus confert. *lib. 1. aph. 16.*

Aestiuæ quartanæ magna ex parte breues: autumnales longæ, & maximè quæ hyemem attingunt. *li. 2. aph. 25.*

Febrem conuulsioni superuenire melius est, quàm febri conuulsionem. *li. 2. aph. 26.*

Febricitantium non omnino leuiter permanere corpus, & nihil minui, vel etiam plus quàm ratio postulat, contabescere malum. Hoc enim morbi longitudinem, hoc verò imbecillitatem significat. *li. 2. aph. 28.*

In siccitatibus febres acutæ fiunt. *li. 3. aph. 7.*

æstate Febres continuæ, & ardentes, & tertianæ febres, & quartanæ fiunt. *li. 3. aph. 21.*

Autumno febres quartanæ, & erraticæ fiunt. *li. 3. aph. 22.*

Quibus in febribus sanguinis fluxerit multitudo, quacunque ex parte cum reficiuntur, alui his humectantur. *lib. 4. aphor. 27.*

Quibus in febribus sexto die rigores fiunt, difficile iudicium sequitur. *li. 4. aph. 29.*

Quibuscunque accessiones fiunt, quacunque hora febris dimiserit, si eadem cras occupauerit, iudicium habent difficile. *li. 4. aph. 30.*

Lassitudinem habentibus in febribus, in articulos, & circa maxillas potissimum, abscessus fiunt. *li. 4 aph. 31.*

Si à febre habito, tumore non existente in faucibus, strãgulatio repentè superuenerit, lethale. *li. 4. aph. 34.*

Si à febre habito, collum peruertitur, & vix potest deuo-

rare fine vllo tumore, lethale est. *li.4.aph.35.*

Sudores febricitanti si incęperint, boni & tertio die, & quinto, & septimo, & nono, & vndecimo, & quartodecimo, & septimodecimo, & vigesimo, & vigesimoseptimo, & trigesimoquarto. Hi enim sudores indicant morbos. *lib. 4. aph. 36.*

Frigidi sudores, cum acuta quidem febre, mortem: cum mitiori autem, longitudinem morbi significant. *lib. 4. aphor. 37.*

Febres quæcunque non intermittentes, tertia die fortiores fiunt, magis periculosæ. Quocunque autem modo intermiserint, periculum abesse significant. *li.4.aph.43.*

Quibus febres longæ, his tubercula, vel labores in articulis fiunt. *li.4.aph.44.*

Si rigor incidat, febre non deficiente, ægro iam debili, lethale est. *li.4.aph.46.*

Execrationes in febribus non intermittentibus liuidæ, cruentæ, fœtidæ, omnes malæ, & biliosæ, & si bene exeunt, siue per alui excretionem, siue per vrinas, bonæ: si vero non aliquid eorum quæ iuuant, per hæc loca excernitur, malum. *li.4.aph.47.*

Hac rursus sectione quarta, multi de febribus aphorismi insunt, nempe. 48.49.50.51.52.53.54.55. 56.57.58. 59.60.61.62. 63. 64.65.66.67.68.

Febricitantibus lac dare malum. *li.3.aph.64.*

A quartanis capti, non admodum à conuulsionibus capiuntur. Si verò prius capiantur, & quartana superuenerit, liberantur. *li.5.aph.70.*

Qui in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio soluuntur. *li.6.aph.26.*

In acutis passionibus, quæ cum febre sunt, luctuosa suspiria malum. *li.6.aph 54.*

Quibuscunque febricitantibus, in vrinis fiunt sedimina, veluti farina crassior, longam ægritudinem fore significat. *lib. 7.aph.31.*

Si febris non ex bile habeat, multa aqua calida capiti superinfusa, solutio fit febris *li.7.aph.41.*

Eiusdem rursus sectionis aphorismus. *66.69.70.* ad hanc de febribus tractationem pertinent.

Febres, siue sanus ab ipsis quis euadat, siue pereat, ęquali dierum

dierum numero finiuntur. *li.3. praesa. tex.1.* Textus item secundus, & tertius eiusdem libri de hoc ipso genere tractant. Item 24.25.26.27.28.29.30.32.35. 36.

Si in ardente febre aurium sonitus cum caligine fuerit, proueneritque in naribus grauitas, mente ex melancholia aberrant. *li.1. prorrhetici, textu* 18.

Si in febribus aphoniæ, conuulsiuo modo in motionem mentis cum silentio transeat, perniciosum. *lib.2. prorrh. textu* 19.

Febres ex hypochondriorum doloribus malignæ. *lib.2. prorrh. textu* 21.

Cum febribus acutis sudor multus si fiat, inutilis. *lib.2. prorrh. textu* 23.

Neque in febre comatosos, inclinatósque: perniciosè enim habent. *li.2. prorrh. textu* 39.

Febres cum comate, labore, lucis turbulentia, vigiliis, & sudoribus, malignæ. *li.2. prorrh. textu* 42.

In ardentibus febribus cum aliquantula perfrictione, deiectionibúsque aquosæ bilis, multísque, oculorum peruersio signum malum, tum aliàs, tum si catochi fiant. *li.2. prorrh. text.* 49.

In febribus ad hyppochondrium dolores sine voce, sudore, si soluuntur maligni: his ad coxas dolores, cum ardente febre, etsi aluus profluxerit, perniciosum. *lib.2. prorrh. textu* 58.

Quibus voces cum febre deficiunt post iudicationem, hi cum tremore, & comate pereunt. *eo. lib. textu* 59.

Qui in febribus sudãt cum capitis dolore, suppressa aluo conuellentur. *li.3. prorrh. text.* 27.

Si quis dentibus strideat in febribus, non consuetus à pueritia ita efficere, insania significatur ac mors. Si verò mente commotus ita efficiat, admodum exitiosum iam est. *lib.1. progn. text.* 24.

Si febris vigesimum transcendit diem, & febris detinet, & œdema non desistit, in suppurationem vertitur. *li.1. progno. textu* 35.

Febrium iudicationes fiunt iisdem numero diebus, & ex quibus supersunt homines, & ex quibus intereunt. *li.3. progno. textu* 1.

Simplicissimæ febres, ac signis firmatæ securissimis, quar-

to die, aut citius desinunt. Deterrimæ vero, ac signis affligentes difficillimis, quarto die aut citius interimunt. *Li.3.prognos. textu 2. & 3.*

Innumeri præterea de febribus loci sunt libris de morbis, & de internis affectionibus: præsertim vero libris de popul. morbis, ad quos lectorem remittere (ne citandis locis omnibus, longas nimium moras trahamus) commodissimum visum est. Præcipuos nanq; de quaq; re locos attulisse (quod sæpe iam monuimus) sat esse pro compendij ratione, arbitrati sumus. Ad Galeni locos iam transeamus.

GALENI.

FEBRIS est natiui caloris in ardentiorem conuersio. *In introductorio, & li.1. aph. com.16.*

Febris vnus est morborum, quos intemperies creat, cum adeò immodicè auctus calor est, vt & hominem offendat, & actionem lædat. *li.8. meth. med. ad princ.*

Febris est innati caloris declinatio ad statum, qui præter naturam sit. Vel febris est cordis, arteriarúmque caliditas præter naturam, vitalem firmitatem lædens. *In definit. medicis.*

Febricitantium indicia colligimus ex calore intenso, & intolerabili, tum in accessionis principio ex languido, inæquali, & crebro pulsuum motu: in statu ex vehementissimo motu, elato, & veloci admodum. *In introductorio.*

Febrium duæ species omnium sententia, continua, & intermittens. *Ibidem.*

Febris continua est, quæ nō ad integritatem, priusquam morbus ex toto solutus sit, venit. *eod. loco, & lib. 9. meth. med.*

Febris intermittentis sex species inuenimus apud veteres, quotidianam, tertianam, quartanam, quintanam, septimanam, & quæ à nono die nomen habet. *eod. lib. introductorij.*

Febris semitertiana, modò inter continuas, modò inter intermittentes ponitur. *In introductorio.*

Febris è primis est ægritudinis, quæ ex intemperatura primarum qualitatum fiunt. *li.1. de diff. feb. cap.3.*

Febrium genus vniuersum, atque essentia, in caloris differentia consistit. *Com.1. ad lib. de pop. morbis, super textu 29. & li.1. de diff. feb. cap.1.*

Febris

Febris substantia, in eo qui præter naturam calore consistit. *lib.1.de diff.feb cap.1.*

Febris natura communis est, vt sit, calor adeò auctus, vt eius occasione corpus laboret, nec probè perfungi actione possit. *lib.2.meth.med.*

de Febrium nominibus vanam esse contentionem. *lib.2.de diff.feb.cap.8.*

Febrium diuisio secundum Hip *lib. de pop.morb. com.3.in eundem librum, textu.2.*

Febrium differentiæ quidem maximè propriȩ sunt, ac principales ab earum sumuntur substantia, aliȩ ab accidentȩ aliquo. *lib.1.de diff.feb.cap.1.*

Febris differentiæ à materia sumptȩ, maximè propriæ sunt, quòd vel calor cordis corpus occupauit, vel eos qui in eius ventriculis sunt humores, vel cùm aërea substantia sufsufficienrer incaluit. *lib.1.de diff feb.cap.1.*

Febrium diuisio per differentias ab ipsa rei substãtia sumptas, ex Hipp. sexto Epidem. à Galeno ponitur *lib.1.de diff. feb cap.1.*

Febrium differentiæ ab ipsarum substantia expositȩ, & exemplo lebetis calida pleni, luculenter à Galeno explicatȩ. *li.1.de diff.feb.cap.1.*

Febrium, quæ facilè discutiuntur schetic æ, quȩ ægrè hecticȩ nominantur. *lib.8.meth.med.*

Febrium vna differentia est, cùm causa adhuc adest, quæ febrim creat, aut febri iam excitata desiit. *li.8.meth.med.*

Febrium differentiæ ex colore, vt sint quȩdam rubeæ, pallidæ, liuidȩ: & item aliȩ differentiæ ex tactu, vt sint aliȩ mites, mordaces aliȩ, & multȩ aliȩ differentiȩ ab aliquo symptomate sumptȩ. *Com.1. ad li.6.Epid.Hip.super textu 29.*

Febres, quæ cum symptomatis consistunt, non sunt aut febrium genus vllum, aut species, differentiáve, sed veluti cum alius morbus alij morbo, tum symptoma symptomati, vno tempore, eodem in corpore copulatur. *lib.12.meth.med.*

Febribus superuenientia symptomata in triplici differentia sunt: Aut enim in actionum offensa consistunt, aut in vacuatorum, aut retentorum immodico excessu, aut corporum ipsorum affectu. *lib.12.meth.med.*

Febrium modos nonnunquam mores vocant, nonnunquam differentias, & essentias. *Com.3.ad li.1.de popul.morb.su-*

per textu.10.

Febrium ſpecies,& ad elementa comparatio, ex Platone: vt ſit continua ex ignis abundantia : quotidiana ex aëris: tertiana ex aquę:quartana ex terrę:quod tamen improbat Gal. *Com.2.ad lib.de nat.hum.Hipp.ad finem libri.*

Febrium ſpecies enumeratæ ab Hippocrate, & Galeno, *com.3.ad lib.3.de popul.morb.ſuper textu 64.*

Febrem ſi poſt ſenſibilem alicuius membri aduenerit affectum, accidens eſſe, alioquin ægritudinem eſſe cenſendam. *lib.de morb.diff.c.5.*

Febrium intemperiem cordis inæqualem conſequentium longa explicatio.*lib.3.præſagat.ex pulſib.*

Febres aliquas Archigenes albas appellauit. *lib 3. de præſag.ex pulſibus.*

De febribus per pulſus dignoſcendis. *lib.3. de præſag. ex pulſibus.*

Febris varias diffinitiones & differentias omnes,nempe continuæ cauſodis,intermittentis,pemphygodis, lipyriæ, fluxuoſæ,adſtrictæ,ićterodis, ignauæ,peſtilentis, horridę, quotidianæ, tertianę,quartanæ,hemitritææ,errabundæ.*Vide longa ſerie in definitionibus medicis.*

Febres horrificæ eæ ſunt Hippocrati, in quibus per totã ferè acceſſionem horror producitur. *Com.1.ad lib.1.de popul. morb.ſuper textu 23.*

Febris diurna, quę interdiu tenet noctu intermittit: nocturna contrà, quæ noctu tenet, interdiu intermittit. *Com.2. ad lib.1.de popul.morb.ſuper textu 6.*

Febris,morbus,& febris accidens.*com.eod.ſuper textu 4.*

Febris cum horrore à bilioſo,& pituitoſo ſucco prouenit. *Com.2.ad lib.1.de popul.morb.ſuper textu 5.*

Febris ſemitertiana dicta eſt, quòd tertio quoque die inuadat, nec tamen ad infebricitationem perueniat. *com. 2 ad lib.1.de popul.morb.ſuper textu 5.*

Febris nocturna, non admodum eſt lethalis. *Com. eodem textu 6.*

Febres ſalſuginoſæ, quæ pruritum aliquem, ac morſum tangentibus inferunt. Pemphygodes vero febres, ſpiritibus affluentes interpetantur, aut aſpectu terribiles.*Com.1.ad lib. 6.de popul.morb.ſuper textu 29.vel quæ puſtulas in ore generant. li. definit.medic.*

Feb-

Febres foris refrigeratæ, intus feruentes, lethales. *com. 1. ad lib 1. prorrh. super textu 7.*

Febrire exstimamus, non eum modò, qui in cute, & superficie exteriori igneam habet caliditatem, verùm etiam & hoc magis qui eam in corporis imo, & visceribus continet. *com. eodem, textu item. 7.*

Febris singultuosa in qua singultus per omnem ferè febris decursum perseuerat. *Com. 4. ad librũ de rati. vic. acut, textu 69.*

Febres cum comate, lalore, lucis turbulentia, vigiliis, & sudoribus malignę. *lib. prorrh. textu 42.*

Febrium cacoëthum symptomata, sudare, sed non toto corporę, cum extremitatum frigiditate aluo turbata, paucis, ac meris, ac tenuibus diętis. *Com. 1. ad lib. 1. de pop. morb. super textu 24. & 25.*

Febres debiles, ac paruę, quandoque malignæ valdè sunt, & aliæ calidæ, atque incedentes, nihil tamen habent nonnunquam periculosum. *lib. 3. de crisib. cap. 4.*

Febrem magnam, & paruam nominare medici consueuerunt non propriè quidem rei quali nomen quanti accommodantes: hoc tamen facere assueti non in febribus tantùm, sed in mille aliis rebus, quæ licet in qualitate consistant, magnæ tamen, ac paruæ dicuntur. *lib. 1. de diff. feb. cap. 1.*

Febres homotonas, atque acmasticas, tum & paracmasticas, quas vocat Galenus *Libro secundo de different. feb. cap. 1.*

Febres legitimę, & exquisitę tunc sunt quando ætas & anni tempus, & regio, ac constitutio, naturáque, atque ea quę antecessit ratio victus, præsentia quoque accidentia, humoris formæ conuenerint. *lib. 2. de cris. c. 11.*

Febres inordinatę, alię typicos dierum motus conseruant, aliæ typi expertes. *lib. de typis.*

Febres errabundæ vocantur, quæ non præfinitè, nec recto ordine, sed in certo statu prouenium. *lib. definit. med.*

Febres errantes, diuersorum humorum soboles sunt. com. 2. ad li. 1. de pop. morb. super tex. 22.

Febris incompressa, annotatio est, in qua neque horror aliquis, neque extremarum partium frigefactio facta est. *lib. 1. de diff. feb. c. 9.*

Febrium figuras anticipantes nominare eas medici con-

sueuerunt, cum circuitus vsque ad integram solutionem anticipare visi fuerint: prout tardantes, quæcunque statim ab initio futuri temporis aliquid posterius assumunt. *Libro* 1. *de cris. cap.*3.

Febris ea propriè vocatur hepiala. quando simul febricitant & rigent: atque eodem tempore in toto corpore vtrunque sentiunt affectum. *Libro* 2. *de diff. feb. cap.*6. *& lib. de inequali intemp.*

Febrem hepialam à pituita acida, & vitrea putrescentibus fieri, testatur Gal *li.*2 *de diff feb. cap.*6.

Febres lypiriæ sunt, in quibus simul & frigus & calor immodicus non eodem loco sentiuntur. *libro de inæquali intemperie. & lib. de definit. med & lib.* 1. *progn. com.*4.

Febres lypirias esse valdè malignas. *lib.*4. *aph com.*48.

Febrium differentias antiqui nominauerunt hepialas, & lypiriam, eloden, & typhoden, pestilentem, & ardentem. *lib.* 7. *aph. com.*43.

Febrium quandoque esse morbum, quandoque casum morbi. *li.*7. *aph. com.*43

Febrem hepaticam, vel lienosam, aut pulmoniam aut lateralem nemo dixit. *lib.*7. *aph. com.*43.

Febres non ex his solùm, quæ illis extrinsecè adiacent, sed primùm quidem, ac maximè ex iis quę secundum propriam insunt substantiam. *lib.* 2. *de cris. c.*2. *&* 1. *de feb. diff. c.* 10.

in Febribus intermittentibus non accessionum modi tãtùm aduertendi: sed & ipsa febrium forma, vt in tertiana, & quartana explicat Gal. *libro* 2. *de cris. cap.*2. *& lib.* 1. *de feb. diff. cap.*10.

Febris qualis sit, incumbendũ statim per initia vt cognoscas. *li. ad eos. qui de typis scripserunt.*

in Febribus nihil adeò vtile est, quàm accessionum futurarum principia prænoscere. *eod. li de typis.*

Febrem vnamquanque, ei qui propriis signis nosse studuerit, non modo lucro est vanam loquacitatem contemnere, sed etiam victus speciem vnicuiq; conuenientem prænosscere. *eod. li. de typis.*

Febrium naturæ cognitionem ex vrina, & anteacta vita, sumi testatur conceptis verbis Gal. *Com.*1. *ad li.*6. *de vul morb. super textu* 10.

Febrium per pulsus dignotio *lib.*3. *de præsag. ex puls. lib. c.* 7.

in Fe-

in Febribus omnibus, quoniam venosi generis sunt passiones, ad vrinas præcipuè attendere oportet. *li.1.de cris.c.7.& com.1.ad li.6.de vulg.morb.super text.10.*

Febres per accessiones & repetitiones agnoscere, quàm lubricum sit, & anceps. *Lege lib.ad eos qui de typis scripserunt.*

Febrium subitę mutationis dignoscendę methodus tradita *li.2.de cris.c.12.*

Febrilis dispositio, ab vno genere febris in aliud nonnunquam progreditur. *li.de diff.feb.c.1.ad fin.*

Febrium ab vtraque bile prouenientium notę, à calore sumptæ. *li 2.de diff.feb.c.9.*

in Febricitantitibus omnibus signa maxima, in pulsibus atque vrinis consistunt. *libro 1.ad Glauc.c.2.*

Febrium biliosarum pręcognitiones ex quibus petendę, nempe ex regione, conditione temporis, laborantis natura, & victu qui antecessit, & aliis *li.2.de cris.c.3.*

Febricitantium pulsibus celeritatem perpetuam esse, plurimi medici, atque pręstantissimi censuerunt. *Lib.3 de præsag.ex pulsibus.c.1.*

in Febrium accessionis initio, pulsus in raritatem, tarditatem, paruitatémque desinens, ex aceruo materię humidę ad cor peruenientis periculum minatur. *li.3.de præsag.ex pulsibus c.7.*

de Febribus per pulsus dignoscendis. *libro tertio de præsag. & puls.c.7.*

Febrium differentes calores, varios efficiunt pulsus. *li.3.de præsag.ex pulsibus colligitur.c.2.*

Febres quędam compluribus medicis imponunt, in quibus nec celeritas clara pulsuum, nec remissio febris fiat, ipsique ægroti febre liberos esse affirment. *Libro 3.de præsag.ex puls.c.4.*

Febris nulla hectica magna est. *ibid.*

Febrium temporum vniuersalium pręcognitio ex quibus sumenda, ex febre inquam, & vrinis. *li.1.de cris. cap.16. & 17.*

in Febribus non oportet accessionum circuitus, ac similes proportiones aduertere: sed multo magis ipsius febris modū, ac formā, atq; ex hac ipsas dignoscere febres. *li.1.de dif.feb.c.10.*

Febris formam sępius se primo die cognouisse testatur Gal. *li.1.de diff.feb.c.10.*

Febrium vnaquæque accessio quatuor habet partes, principium, augmentum, statum, & declinationem. *libro.3. de cris. cap.4.*

Febrium accessionum tempora, ex quibus dignoscas. *li.2. de diff.feb.c.vlt.*

Febrium accessiones longiores efficiunt, cùm plura, tenaciora, frigidioráque, & crassa fuerint quæ accenduntur: cōtra cùm calidiora, pauciora, tenuioráque fuerint, breues. *li.2. de diff.feb.c.11. & eod.li.c.3. & 5.*

Febrium accessionem circuitus, pro humorum mutatione variantur & ipsi. *li.2.de diff.feb.c.11.*

in Febribus nihil adeo vtile est, quàm accessionum futurarum initia prænoscere. *li.ad eos qui de typis scripserunt.*

Febrium paroxismi, cur alij in febricitationem desinant, alij non. Causam vide lib.2.de diff.febrium c.11.& qua ratione accessiones redeant, *vide eod.li.& c.*

Febris causæ, motus, putredo, vicinia calidi corporis, angustatio, alimentum ad calefaciendum, accommodatum. *lib. de caus.morb.cap.1.& li.1.de feb.diff.c.3.*

Febris ortus, caloris natiui ad igneum est conuersio. *lib.1. de rat.vict.acut.com.*18.

Febris peculiare remedium, vt virtute tum refrigerante, tum humectante sit oportet. *com.eod.proximè citato.*

Febrium generationis modus, qui à putredine proficiscitur, cùm pars quæpiam ita incaluerit, vt aut insignis sit, aut calorem in cor protendere possit: quod si semel accensum fuerit, facilè totum iam corpus excalfiet, quemadmodum ab ingenti in foco flamma, quæ illam continet domus. *lib.de curandi ratione aduersus Erasistrateos, qui Romæ degunt.*

Febricitare alios magis, alios minus, alios nequaquam, tū pro viribus effectricis causæ, tum pro corporis ipsius affectu, apertissimum esse arbitror. *li.de inæquali intemp.*

Febrium causæ præincipientes à Gal. exponuntur. *li.1.de diff.feb.c.3.& 4.*

Febrem cur non semper accendant causæ calefacientes in causa est quòd efficientis causæ quantitas par non existat, & quod animalium corpora plurimum inter se differunt, in hoc vt aut facilè, aut ægrè à naturali recedant habitu. *Lib. de morb.caus.c.2.*

in Febribus diariis, vbi obstructio subest, nisi hanc summoue-

summoueris, in plurium dierum febres transeunt. *li. 10. meth. med. c. 3.*

Febrem ex putredine patiuntur animalia in obstructionibus foraminum, & humorum intrusionibus. *Lib. 1. de diff. feb. cap. 3.*

Febres quæ ab exustione, à frigiditate, ab angustatione, ab obstructione foraminum fiunt, balnea sanant. *Lib. 7. aph. com. 43.*

Febrem in iis corporibus meatuum constipatio excitat, in quibus quod transpirat halituosum non est. *Lib. 5. meth. med. cap. 2.*

Febrilis intemperantiæ excessus in caloris abundantia. *li. 5. meth. med. cap. 1.*

Febris si in generatione adhuc est, causa quæ eam accendit summouenda est. *eod. lib. & cap.*

Febre facile ob inediam corripiuntur, qui sunt habitu corporis gracili, atque hirto. *li. 8. meth. med. cap. 2.*

Febris, & rigor vna in hepialis febribus sentiuntur. *lib. de inæquali intemp. & pluries alibi.*

Febris qui magis, qui minus corripiantur. *lib. 1. de diff. feb. cap. 3.*

Febres præcipuè in pituitosis fiunt, si ver pluuiosum, & australe fuerit. *li. 3. aph. com. 11.*

in Febribus omnibus præter hecticas, sanguis alteratus est, vasorum tunicæ mutantur adhuc. *lib. de inæquali intemp.*

Febres inordinatas quando fieri contingat. *Lib. 3. progn. com. 29.*

Febrium quæ ordine carent, nonnullæ ex transmutatione humoris, aliæ ob victus errorem, ad talem dispositionem perueniunt. *lib. 2. de diff. feb. cap. vlt.*

Febres lethargicæ fiunt ex humore pituitoso in cerebro aceruato. *li. 3. aph. com. 30.*

Febris nisi accedente obstructione, ab humoribus vitiosis gignitur. *colligitur li. 1. de diff. feb. cap. 3.*

Febribus diuturnioribus laborant, qui pubescunt. *lib. 3. aph. com. 27.*

Febricitant pueruli, cùm dentire incipiunt, & propter æstates, & vigilias & inflammationes. *li. 3. aph. com. 25.*

Febres in siccitatibus non multas, sed acutas, fieri scribit. Hipp. *li. 3. aph. com. 7.*

rare fine vllo tumore, lethale est. *li.4.aph.35.*

Sudores febricitanti si inceperint, boni & tertio die, & quinto, & septimo, & nono, & vndecimo, & quartodecimo, & septimodecimo, & vigesimo, & vigesimoseptimo, & trigesimoquarto. Hi enim sudores indicant morbos. *lib. 4. aph. 36.*

Frigidi sudores, cum acuta quidem febre, mortem: cum mitiori autem, longitudinem morbi significant. *lib. 4. aphor. 37.*

Febres quæcunque non intermittentes, tertia die fortiores fiunt, magis periculosæ. Quocunque autem modo intermiserint, periculum abesse significant. *li.4.aph.43.*

Quibus febres longæ, his tubercula, vel labores in articulis fiunt. *li.4.aph.44.*

Si rigor incidat, febre non deficiente, ægro iam debili, lethale est. *li.4.aph.46.*

Execrationes in febribus non intermittentibus liuidæ, cruentæ, fœtidæ, omnes malæ, & biliosæ, & si bene exeunt, siue per alui excretionem, siue per vrinas, bonæ: si vero non aliquid eorum quæ iuuant, per hæc loca excernitur, malum. *li.4.aph.47.*

Hac rursus sectione quarta, multi de febribus aphorismi insunt, nempe. 48.49.50.51.52.53.54.55. 56.57.58. 59.60.61.62. 63. 64.65.66.67.68.

Febricitantibus lac dare malum. *li.3.aph.64.*

A quartanis capti, non admodum à conuulsionibus capiuntur. Si verò prius capiantur, & quartana superuenerit, liberantur. *li.5.aph.70.*

Qui in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio soluuntur. *li.6.aph.26.*

In acutis passionibus, quæ cum febre sunt, luctuosa suspiria malum. *li.6.aph 54.*

Quibuscunque febricitantibus, in vrinis fiunt sedimina, veluti farina crassior, longam ægritudinem fore significat. *lib. 7.aph.31.*

Si febris non ex bile habeat, multa aqua calida capiti superinfusa, solutio fit febris *li.7.aph.42.*

Eiusdem rursus sectionis aphorismus. *66.69.70.* ad hanc de febribus tractationem pertinent.

Febres, siue sanus ab ipsis quis euadat, siue pereat, æquali dierum

dierum numero finiuntur.*li.3. praesa. tex.1.* Textus item secundus,& tertius eiusdem libri de hoc ipso genere tractant. Item 24.25.26.27.28.29.30.32.35.36.

Si in ardente febre aurium sonitus cum caligine fuerit, proueneritque in naribus grauitas, mente ex melancholia aberrant.*li.1.prorrhetici,textu* 18.

Si in febribus aphoniæ, conuulsiuo modo in motionem mentis cum silentio transeat,perniciosum. *lib.2. prorrh.textu* 19.

Febres ex hypochondriorum doloribus malignæ. *lib.2. prorrh.textu* 21.

Cum febribus acutis sudor multus si fiat, inutilis. *lib.2. prorrh.textu* 23.

Neque in febre comatosos,inclinatósque: perniciose enim habent.*li.2.prorrh.textu* 39.

Febres cum comate,labore,lucis turbulentia,vigiliis,& sudoribus,malignæ.*li.2.prorrh.textu* 42.

In ardentibus febribus cum aliquantula perfrictione,deiectionibúsque aquosæ bilis, multísque, oculorum peruersio signum malum,tum aliàs,tum si catochi fiant.*li.2.prorrh.text.* 49.

In febribus ad hyppochondrium dolores sine voce,sudore,si soluuntur maligni:his ad coxas dolores,cum ardente febre, etsi aluus profluxerit, perniciosum. *lib.2. prorrh. textu* 58.

Quibus voces cum febre deficiunt post iudicationem, hi cum tremore,& comate pereunt.*eo.lib.textu* 59.

Qui in febribus sudāt cum capitis dolore, suppressa aluo conuellentur.*li.3.prorrh.text.*27.

Si quis dentibus strideat in febribus, non consuetus à pueritia ita efficere,insania significatur ac mors.Si verò mente commotus ita efficiat, admodum exitiosum iam est. *lib.1. progn.text.*24.

Si febris vigesimum transcendit diem, & febris detinet, & œdema non desistit,in suppurationem vertitur. *li.1.progno. textu* 35.

Febrium iudicationes fiunt iisdem numero diebus, & ex quibus supersunt homines,& ex quibus intereunt. *li.3.progno. textu* 1.

Simplicissimæ febres,ac signis firmatæ securissimis,quar-

to die, aut citius desinunt. Deterrimæ vero, ac signis affligentes difficillimis, quarto die aut citius interimunt. *Li.3.prognos. textu 2. & 3.*

Innumeri præterea de febribus loci sunt libris de morbis, & de internis affectionibus: præsertim vero libris de popul. morbis, ad quos lectorem remittere (ne citandis locis omnibus, longas nimium moras trahamus) commodissimum visum est. Præcipuos nanq; de quaq; re locos attulisse (quod sæpe iam monuimus) sat esse pro compendij ratione, arbitrati sumus Ad Galeni locos iam transeamus.

GALENI.

FEBRIS est natiui caloris in ardentiorem conuersio, *In introductorio, & li.1. aph. com.16.*

Febris vnus est morborum, quos intemperies creat, cum adeò immodicè auctus calor est, vt & hominem offendat, & actionem lædat. *li.8. meth. med. ad princ.*

Febris est innati caloris declinatio ad statum, qui præter naturam sit. Vel febris est cordis, arteriarúmque caliditas præter naturam, vitalem firmitatem lædens. *In definit. medicis.*

Febricitantium indicia colligimus ex calore intenso, & intolerabili, tum in accessionis principio ex languido, inæquali, & crebro pulsuum motu: in statu ex vehementissimo motu, elato, & veloci admodum. *In introductorio.*

Febrium duæ species omnium sententia, continua, & intermittens. *Ibidem.*

Febris continua est, quæ nō ad integritatem, priusquam morbus ex toto solutus sit, venit. *eod. loco, & lib. 9. meth. med.*

Febris intermittentis sex species inuenimus apud veteres, quotidianam, tertianam, quartanam, quintanam, septimanam, & quæ à nono die nomen habet. *eod. lib. introductorij.*

Febris semitertiana, modò inter continuas, modò inter intermittentes ponitur. *In introductorio.*

Febris è primis est ægritudinis, quæ ex intemperatura primarum qualitatum fiunt. *li.1. de diff. feb. cap.3.*

Febrium genus vniuersum, atque essentia, in caloris differentia consistit. *Com.1. ad lib. de pop. morbis, super textu 29. & li.1. de diff. feb. cap.1.*

Febris

Febris substantia, in eo qui præter naturam calore consistit. *lib.1.de diff.feb cap.1.*

Febris natura communis est, vt sit, calor adeò auctus, vt eius occasione corpus laboret, nec probè perfungi actione possit. *lib.2.meth.med.*

de Febrium nominibus vanam esse contentionem. *lib.2.de diff.feb.cap.8.*

Febrium diuisio secundum Hip *lib. de pop.morb. com.3.in eundem librum, textu.2.*

Febrium differentiæ quidem maximè propriç sunt, ac principales ab earum sumuntur substantia, aliç ab accidentç aliquo. *lib.1.de diff.feb.cap.1.*

Febris differentiæ à materia sumptç, maximè propriæ sunt, quòd vel calor cordis corpus occupauit, vel eos qui in eius ventriculis sunt humores, vel cùm aërea substantia sufficienrer incaluit. *lib.1.de diff feb.cap.1.*

Febrium diuisio per differentias ab ipsa rei substãtia sumptas, ex Hipp. sexto Epidem. à Galeno ponitur. *lib.1.de diff. feb cap.1.*

Febrium differentiæ ab ipsarum substantia expositç, & exemplo lebetis calida pleni, luculenter à Galeno explicatç. *li.1.de diff.feb.cap.1.*

Febrium, quæ facilè discntiuntur schetica, quç ægrè hecticç nominantur. *lib.8.meth.med.*

Febrium vna differentia est, cùm causa adhuc adest, quæ febrim creat, aut febri iam excitata desiit. *li.8.meth.med.*

Febrium differentiæ ex colore, vt sint quçdam rubeæ, pallidæ, liuidç: & item aliç differentiæ ex tactu, vt sint aliç mites, mordaces aliç, & multç aliç differentiç ab aliquo symptomate sumptç. *Com.1. ad li.6.Epid.Hip.super textu 29.*

Febres, quæ cum symptomatis consistunt, non sunt aut febrium genus vllum, aut species, differentiáve, sed veluti tum alius morbus alij morbo, tum symptoma symptomati, vno tempore, eodem in corpore copulatur. *lib.12.meth.med.*

Febribus superuenientia symptomata in triplici differentia sunt: Aut enim in actionum offensa consistunt, aut in vacuatorum, aut retentorum immodico excessu, aut corporum ipsorum affectu. *lib.12.meth.med.*

Febrium modos nonnunquam mores vocant, nonnunquam differentias, & essentias. *Com.3.ad li.1.de popul.morb.su-*

per textu.10.

Febrium species,& ad elementa comparatio, ex Platone: vt sit continua ex ignis abundantia : quotidiana ex aëris: tertiana ex aquę:quartana ex terrę:quod tamen improbat Gal. *Com.2.ad lib.de nat.hum.Hipp.ad finem libri.*

Febrium species enumeratæ ab Hippocrate, & Galeno, *com.3.ad lib.3.de popul.morb.super textu 64.*

Febrem si post sensibilem alicuius membri aduenerit affectum, accidens esse, alioquin ægritudinem esse censendam. *lib.de morb.diff.c.5.*

Febrium intemperiem cordis inæqualem consequentium longa explicatio.*lib.3.præsagat.ex pulsib.*

Febres aliquas Archigenes albas appellauit. *lib 3. de præsag.ex pulsibus.*

De febribus per pulsus dignoscendis. *lib.3. de præsag. ex pulsibus.*

Febris varias diffinitiones & differentias omnes,nempe continuæ causodis,intermittentis,pemphygodis, lipyriæ , fluxuosæ,adstrictæ,icterodis, ignauæ,pestilentis, horridę, quotidianæ, tertianę,quartanæ,hemitriteæ,errabundæ.*Vide longa serie in definitionibus medicis.*

Febres horrificæ eæ sunt Hippocrati, in quibus per totã ferè accessionem horror producitur. *Com.1.ad lib.1.de popul. morb.super textu 23.*

Febris diurna , quę interdiu tenet noctu intermittit: nocturna contrà , quæ noctu tenet, interdiu intermittit. *Com.2. ad lib.1.de popul.morb.super textu 6.*

Febris,morbus,& febris accidens.*com.eod.super textu 4.*

Febris cum horrore à bilioso,& pituitoso succo prouenit. *Com.2.ad lib.1.de popul.morb.super textu 5.*

Febris semitertiana dicta est, quòd tertio quoque die inuadat, nec tamen ad infebricitationem perueniat. *com. 2. ad lib.1.de popul.morb.super textu 5.*

Febris nocturna , non admodum est lethalis. *Com. eodem textu 6.*

Febres salsuginosæ , quæ pruritum aliquem, ac morsum tangentibus inferunt. Pemphygodes vero febres , spiritibus affluentes interpetantur , aut aspectu terribiles.*Com.1.ad lib. 6.de popul.morb.super textu 29.vel quæ pustulas in ore generant. li. definit.medic.*

Feb-

Febres foris refrigeratæ, intus feruentes, lehales. *com. 1. ad.lib 1.prorrh. super textu 7.*

Febrire exstimamus, non eum modò, qui in cute, & superficie exteriori igneam habet caliditatem, verùm etiam & hoc magis qui eam in corporis imo, & visceribus continet. *com. eodem, textu item. 7.*

Febris singultuosa in qua singultus per omnem ferè febris decursum perseuerat. *Com. 4. ad librũ de rati. vic. acut, textu 69.*

Febres cum comate, lalore, lucis turbulentia, vigiliis, & sudoribus malignę. *lib. prorrh. textu 42.*

Febrium cacoëthum symptomata, sudare, sed non toto corporę, cum extremitatum frigiditate aluo turbata, paucis, ac meris, ac tenuibus diętis. *Com. 1. ad lib. 1. dę pop. morb. super textu 24. & 25.*

Febres debiles, ac paruę, quandoque malignæ valdè sunt, & aliæ calidæ, atque incedentes, nihil tamen habent nonnunquam periculosum. *lib. 3. de crisib. cap. 4.*

Febrem magnam, & paruam nominare medici consueuerunt. non propriè quidem rei quali nomen quanti accommodantes: hoc tamen facere assueti non in febribus tantùm, sed in mille aliis rebus, quæ licet in qualitate consistant, magnæ tamen, ac paruæ dicuntur. *lib. 1. de diff. feb. cap. 1.*

Febres homotonas, atque acmasticas, tum & paracmasticas, quas vocat Galenus *Libro secundo de different. feb. cap. 1.*

Febres legitimę, & exquisitę tunc sunt quando ætas & anni tempus, & regio, ac constitutio, naturáque, atque ea quę antecessit ratio victus, præsentia quoque accidentia, humoris formæ conuenerint. *lib. 2. de cris. c. 12.*

Febres inordinatę, alię typicos dierum motus conseruant, aliæ typi expertes. *lib. de typis.*

Febres errabundæ vocantur, quæ non præfinitè, nec recto ordine, sed in certo statu proueniunt. *lib. definit. med.*

Febres errantes, diuersorum humorum soboles sunt. com. 2. ad li. 1. de pop. morb. super tex. 22.

Febris incompressa, annotatio est, in qua neque horror aliquis, neque extremarum partium frigefactio facta est. *lib. 1. de diff. feb. c. 9.*

Febrium figuras anticipantes nominare eas medici con-

sueuerunt, cum circuitus vsque ad integram solutionem anticipare visi fuerint: prout tardantes, quæcunque statim ab initio futuri temporis aliquid posterius assumunt. *Libro 1. de cris. cap.3.*

Febris ea propriè vocatur hepiala. quando simul febricitant & rigent: atque eodem tempore in toto corpore vtrunque sentiunt affectum. *Libro 2. de diff. feb. cap.6. & lib. de inæquali intemp.*

Febrem hepialam à pituita acida, & vitrea putrescentibus fieri, testatur Gal *li.2 de diff. feb. cap.6.*

Febres lypiriæ sunt, in quibus simul & frigus & calor immodicus non eodem loco sentiuntur. *libro de inæquali intemperie. & lib. de definit. med & lib. 1. progn. com.4.*

Febres lypirias esse valdè malignas. *lib.4. aph com.48.*

Febrium differentias antiqui nominauerunt hepialas, & lypiriam, eloden, & typhoden, pestilentem, & ardentem. *lib. 7. aph. com.43.*

Febrium quandoque esse morbum, quandoque casum morbi. *li.7. aph. com.43*

Febrem hepaticam, vel lienosam, aut pulmoniam aut lateralem nemo dixit. *lib.7. aph. com.43.*

Febres non ex his solùm, quæ illis extrinsecè adiacent, sed primùm quidem, ac maximè ex iis quę secundum propriam insunt substantiam. *lib. 2. de cris. c.2. & 1. de feb. diff. c. 10.*

in Febribus intermittentibus non accessionum modi tãtùm aduertendi: sed & ipsa febrium forma, vt in tertiana, & quartana explicat Gal. *libro 2. de cris. cap.2. & lib. 1. de feb. diff. cap.10.*

Febris qualis sit, incumbendũ statim per initia vt cognoscas. *li. ad eos. qui de typis scripserunt.*

in Febribus nihil adeò vtilè est, quàm accessionum futurarum principia prænoscere. *eod. li. de typis.*

Febrem vnamquanque, ei qui propriis signis nosse studuerit, non modo lucro est vanam loquacitatem contemnere, sed etiam victus speciem vnicuiq; conuenientem prænoscere. *eod. li. de typis.*

Febrium naturæ cognitionem ex vrina, & anteacta vita, sumi testatur conceptis verbis Gal. *Com.1. ad li.6. de vul. morb. super textu 10.*

Febrium per pulsus dignotio *lib. 3. de præsag. ex puls. lib. c. 7.*

in Fe-

in Febribus omnibus, quoniam venosi generis sunt passiones, ad vrinas præcipuè attendere oportet. *li.1.de cris.c.7.& com.1.ad li.6.de vulg.morb.super text.*10.

Febres per accessiones & repetitiones agnoscere, quàm lubricum sit, & anceps. *Lege lib.ad eos qui de typis scripserunt.*

Febrium subitę mutationis dignoscendę methodus tradita.*li.2.de cris.c.12.*

Febrilis dispositio, ab vno genere febris in aliud nonnunquam progreditur.*li.de diff.feb.c.1.ad fin.*

Febrium ab vtraque bile prouenientium notę, à calore sumptæ.*li 2.de diff.feb.c.9.*

in Febricitantitibus omnibus signa maxima, in pulsibus atque vrinis consistunt.*libro 1.ad Glauc.c.2.*

Febrium biliosarum pręcognitiones ex quibus petendę, nempe ex regione, conditione temporis, laborantis natura, & victu qui antecessit, & aliis *li.2.de cris.c.3.*

Febricitantium pulsibus celeritatem perpetuam esse, plurimi medici, atque pręstantissimi censuerunt. *Lib.3 de præsag.ex pulsibus.c.1.*

in Febrium accessionis initio, pulsus in raritatem, tarditatem, paruitatémque desinens, ex aceruo materię humidę ad cor peruenientis periculum minatur.*li.3.de præsag.ex pulsibus c.7.*

de Febribus per pulsus dignoscendis.*libro tertio de præsag. & puls.c.7.*

Febrium differentes calores, varios efficiunt pulsus.*li.3.de præsag.ex pulsibus colligitur.c.2.*

Febres quędam compluribus medicis imponunt, in quibus nec celeritas clara pulsuum, nec remissio febris fiat, ipsique ægroti febre liberos esse affirment. *Libro 3.de præsag.ex puls.c.4.*

Febris nulla hectica magna est.*ibid.*

Febrium temporum vniuersalium pręcognitio ex quibus sumenda, ex febre inquam, & vrinis.*li.1.de cris. cap.16. & 17.*

in Febribus non oportet accessionum circuitus, ac similes proportiones aduertere: sed multo magis ipsius febris modú, ac formã, atq; ex hac ipsas dignoscere febres.*li.1.de diff.feb.c.*10.

Febris formam sępius se primo die cognouisse testatur Gal.*li.1.de diff.feb.c.10.*

summoueris, in plurium dierum febres transeunt. *li. 10. meth. med. c. 3.*

Febrem ex putredine patiuntur animalia in obstructionibus foraminum, & humorum intrusionibus. *Lib. 1. de diff. feb. cap. 3.*

Febres quæ ab exustione, à frigiditate, ab angustatione, ab obstructione foraminum fiunt, balnea sanant. *Lib. 7. aph. com. 43.*

Febrem in iis corporibus meatuum constipatio excitat, in quibus quod transpirat halituosum non est. *Lib. 5. meth. med. cap. 2.*

Febrilis intemperantiæ excessus in caloris abundantia. *li. 5. meth. med. cap. 1.*

Febris si in generatione adhuc est, causa quæ eam accendit summouenda est. *eod. lib. & cap.*

Febre facile ob inediam corripiuntur, qui sunt habitu corporis gracili, atque hirto. *li. 8. meth. med. cap. 2.*

Febris, & rigor vna in hepialis febribus sentiuntur. *lib. de inæquali intemp. & pluries alibi.*

Febris qui magis, qui minus corripiantur. *lib. 1. de diff. feb. cap. 3.*

Febres præcipuè in pituitosis fiunt, si ver pluuiosum, & australe fuerit. *li. 3. aph. com. 11.*

in Febribus omnibus præter hecticas, sanguis alteratus est, vasorum tunicæ mutantur adhuc. *lib. de inæquali intemp.*

Febres inordinatas quando fieri contingat. *Lib. 3. progn. com. 29.*

Febrium quæ ordine carent, nonnullæ ex transmutatione humoris, aliæ ob victus errorem, ad talem dispositionem perueniunt. *lib. 2. de diff. f. b. cap. vlt.*

Febres lethargicæ fiunt ex humore pituitoso in cerebro aceruato. *li. 3. aph. com. 30.*

Febris nisi accedente obstructione, ab humoribus vitiosis gignitur. *colligitur li. 1. de diff. feb. cap. 3.*

Febribus diuturnioribus laborant, qui pubescunt. *lib. 3. aph. com. 27.*

Febricitant pueruli, cùm dentire incipiunt, & propter æstates, & vigilias & inflammationes. *li. 3. aph. com. 25.*

Febres in siccitatibus non multas, sed acutas fieri scribit. Hipp. *li. 3. aph. com. 7.*

bant. Quòd si propter lateris inflammationem, vel pulmonis vel talis partis alterius febricitarent, non febricitantes ipsos nominabant, neque à febribus molestari dicebant, sed pleuriticos aut peripneumonicos, & aliis similibus nominibus, veluti hepaticos, & lienosos nominabant. *li.4.aph.com.73.*

Febrem quandoque morbum esse, quandoque casum, seu accidẽs, colligitur cõceptis penè verbis à Gal. *li.4.aph.cõ.66*

Febris accenditur ob innati caloris maximè conuersionẽ ad igneam naturam. *lib.1.aph.com.14.*

non Febricitant senes acutas febres, sicuti iuniores: & si quando rarenter talis his accidit febris qualis iuuenibus, omnino hæc ad interitum ægrotantis terminatur. Indicio enim est immensam quandam esse causam febris facientis magnitudinem. *li.1.aph.com.14.*

Febri, quoniam calida & sicca passio est (est enim conuersio natiuæ caliditatis ad igneam) victum humidum consulit. Hipp. *li.1.aph.com.16.*

Febris nomine, æstum nominari quidam intellexerunt. *li.7.aph.com.13.*

Febrem magnam, ignem vocare Hip. in Epidemiis consueuit, quasi non aliam habeat naturam, præter quam ignis substantiam. *li.1.de rat. vict. in morb. acut. com.18.*

Febriles morbos intelligit Hip. quando febres ipsæ sunt passio, & non casus partis alicuius, quæ aliquo affectu laboret. *li.4.aph.com.66.*

Febres vehementes, veluti ignis neruos exsiccantes, eos extendunt, atque conuellunt: atque hoc modo malas afferũt conuulsiones. *li.4.aph.com.66.*

Febrilem calorem esse alterum à naturali, colligitur à Galen. *li.4 aph. com.37. conceptis verbis.*

Febrilis calor flatuosum spiritum aptus est natura sanare, hæc quidem incidens, extenuans, atque dissoluens, hæc verò ad temperaturæ æqualitatem perducens. *li.6.aph.com.40.*

Febris superueniens conuulsioni ex plenitate, solita est magna ex parte calefacere, extenuare, atque dissoluere. *lib.2. aph.com.26. & li.6.aph.com.51.*

Febris conuulsionem sanat, calefaciendo, & exsiccando neruos. *li.5.aph.com.5.*

Febres aduenientes distensione neruorum tentatis, partim quidem superfluam dissoluũt humiditatem, partim vero

concoquunt frigiditatem *li.4.aph.com.57.*

Febrilis calor exurit natiuam humiditatem. *lib.6.aph. com.6.*

Febris in pręgnante, fœtum occidit *li.5.aph.com.30.*

Febre vehemente, alui fluxu, vel profluuio ſsanguinis, vel ſaltu, grauidę mulieris vehementiore, vel clamore, vel ira, vel timore, vel victu parciore, abortum fieri teſtatur Gale. *lib.5. aph.com.45.*

Febrientes prægnantes difficulter pariunt, & cum periculo, aut abortum facientes periclitantur. *lin.5.aph.com.55.*

Febres quotidie ceſſant, ſi rigores quotidie fiunt. *li.4.aph. com.63.*

in Febribus ante diem ſeptimum, morbum regium aduentare, malum. *li.4.aph.com.62.*

in Febribus continuis, quod vna dies poteſt, hoc in intermittentibus acceſſio. *li.4.aphor.com.59.*

Febres in grauidis facilè reuertuntur, non potentibus medicis aliquod forte auxilium adhibere, neque exquiſita victus ratione in ipſis vti. *li.5.aph.com.55.*

in Febribus laborioſis, citò fiunt abſceſſus poſt aures. *lib. 4.aph.com.74.*

Febres typhodes, id eſt ſuccedentes, incedentibus longiores. *lib.1.aph. com.12.*

Febricitare vehementius, infidum ſignum eſt, & firmitatem non habet. *li.2.aph.com.27.*

cùm Febres paruę fuerint, in tempeſtate frigida, & ex repletione, ęgrotanti non collabi corpus, neque extenuari contingit. *li.2. aph.com.28.*

Febres maiores, magis & citius corpora extenuant ęgrotantium, ſicuti & diuturnitas morbi. *li.2.aph.com.28.*

cùm Febres maiores fuerint, ſi non extenuetur corpus, multam adeſſe repletionem ſignificatur. *li.2.aph.com.28.*

in Febribus extenuationis cauſa eſt humorum tenuitas, corporis verò raritas. *eod.com.*

Febres, & febriles rigores interdum frigore fiunt. *li.5.aph. com.17.& 20.*

Febres in longum tempus extenduntur, ob humorum multitudinem, craſſitiem, vel frigiditatem, cùm longum exigant tempus ad concoctionem. *li.4 aph.com.44.*

Febre non deficiente ſępius fieri rigorem, & alioqui bonum

num non est, in virium autem imbecillitate factus, perniciosus. *lib. 4. aph. com. 46.*

Febrium, tertiana, & causon calidissimę. *libro 4. aph. com. 48.*

in Febre continua partium peruersiones, cum virtute debili, mortem esse vicinam indicant. *lib. 4. aph. com. 49.*

Febribus omnibus proprij sunt sudores præcipuè incendentibus. *lib. 3. de crisi, cap. 3.*

Febrium quieti fidendum non est, si cum prauis fiant tum symptomatis, tum signis. *li. 4. de rati. vict. acut. com. 61.*

in Febre hyemali si lingua aspera sit, & animæ defectus, periculosam eam esse est fatendum. *eod. lib. & com.*

Febris vehemens, vna est ex causis perducentibus ad mortem. *li. 4. aph. com. 35.*

Febricitantibus vrinam similem farinæ crassiori mingẽtibus, si saluari debeant, tardè liberantur. Quicũque verò exitialiter se habent, contingit hos quàm citò interire. *lib. 7. aph. com. 11.*

Febris colliquantis signum est, vrina pinguis apparens. *lib. 7. aph. com. 33.*

sine Febre qui sanguinem euomunt, salutare: si cum febre, malum. *lib. 7. aph. com. text. & com. 37.*

si Febris vnà cum inappetentia aduenia, difficultati intestinorum toto patiente ventriculo, ægri se habent exitialiter. *lib 6. aph. com. 3.*

à Febre habito, si quis deuorare non possit, lethale. *lib. 4. aph. com. 35.*

Febres ex inguinum tumoribus omnes malæ, præter diarias. *lib. 4. aph. com. 71.*

Febris, quæ breuem habet accessionem, non modò sine periculo est, sed breui iudicatur. *lib. 4. aph. com. 43.*

Febricitanti si quis cibum dederit, vt sano robur, sic laboranti morbus. *li. 7. aph. com. 63.*

Febres illę solę, quæ in quietem febre vacantem desinunt, periculo carent, etiamsi vehementissimam, & satis longam habuerint accessionem. *lib. 4. aph. com. 43.*

Febres quę ex inflammatione aliqua, aut maligna humorum putredine occasionem habent, periculosę. *Colligitur eod. com. 43. 4. lib. aph.*

in Febribus, quę vrinę longitudinem significent, quę

bonam crisim,& quæ non.*li.4.aph.com.69.*

cum Febre qui vires habent imbecilles, omnes musculos thoracis mouere conantur, non ob id solum quòd adaucta sit necessitas respirationis,sed quia vis est imbecillis.*lib.2.aph. com.42.*

Febres in puris generatione sequuntur,principio concalefacto ex quadam veluti ebullitione, atque exustione sanguinis.*li.2.aph.com.47.*

in Febribus expectare oportet multos sudores, quando æstas fit veri similis.*li.3. aph.com.6.*

Febres in siccitatibus pauciores quidem sunt iis, quæ fiūt in temporibus pluuiosis,sed acutiores..*li.3.aph.com.7.*

Febres longas ex multitudine fieri humiditatis, minimè mirum: siquidem ægroti ad morborum solutionem egent coctione: plures autem humiditates, non nisi in longo tempore concoqui possunt.*li.3.aph.com.16.*

Febres continuas,ardentes, & tertianas æstate generari. *li.3.aph.com.21.*

Febres quartanas autumno fieri ait Hippoc.quia scilicet ex atra bile ortum habent.*li.3.aph.com.22.*

Febricitant pueruli cùm dentire incipiunt, & propter ætates,& vigilias & inflammationes.*lib.3 aph.com.25.*

Febres ardentes, & tertianæ ex acutis præ cæteris febribus sunt biliosissimæ, & adolescentibus accidunt. *lib.3.aphor. com.29.*

Ardores iuuenibus accidunt.*li.3.aph. com.30.*

Febres lethargicæ fiunt ex humore pituitoso in cerebro aceruato.*li.3.aph.com.30.*

ad Febres, & præcipuè ardentes, quicunque rigores superueniunt,iudicium habere solent bonum, atq; perfectum, vbi in die iudicatoria fiunt,& cum signis coctionis,nō bonum autem,neque perfectum,quando vel diei, vel coctionis signa fuerint imperfecta..*lib.4.aph. com.29.*

in Febribus cur, si accessiones eadem semper hora inuaserint,difficile habeant iudicium, *vide li.4.aph. com.30. longa serie.*

in Febribus iis, quæ quomodocunque lassitudinem habent,ad articulos, & circà maxillas præcipuè abscessus fiunt. *li.4.aph.com.31.*

si Febricitanti homini,tumore non existente in faucibus strangu-

strangulatio repentè superuenerit, lethale. *li.4. aph.comm.34. & 35.*

De diebus in quibus sudores febricitanti si inceperint, qui boni habendi sint. *li.4.aph com.36.*

Febre acuta existente, cur frigidi sudores exitiales. *lib.4. aph.com.37.*

Febres illæ solæ, quæ in quietem febre vacantē desinunt, periculo carent. *li.4.aph.com.43.*

neutra Febrium quæ vel ex inflammatione, vel ex maligna humorum putredine occasionem habent, ad quietem veniunt febre vacantem. *eod.com.*

in Febribus longis non semper tubercula, vel labores in articulis fiunt. *li.4.aph.com.44.*

Febres præ cæteris calidissimæ sunt causon, & tertiana *li. 4.aph.com.48.*

in Febribus, quæ causones ab incendio nuncupantur, atq; iis solis accidere videtur, vt cute refrigerata profundiora perurantur. *li.4.aph.com 48.*

Febres diariæ omnes ab Hipp. vocantur, quæcunque sui ratione vna die durant. *li.4.aph.com.55.*

Febres quæ ex inguinum tumoribus, ex viscerum inflammationibus fiunt, malas esse. *eod.lib.& com.*

Febrem ardentem fieri nouimus æstiuo tempore, quando venæ exsiccatæ, acutos, ac biliosos ad se liquores attraxerint. Bile igitur ex qua febris ardens ortum habuit expurgata, soluitur febris. *li.4.aph.com.58.*

Febris tertianæ, & ardentis differentia. Non humore faciente differunt, vtraque enim à flaua bile fit Differunt autem quoniam febris ardens habet in venis vna cum sanguine bilem plurimam ebullientem : tertiana verò eandem bilem habet in toto corpore latam, ac motam. *li.4.aph. com.59.*

quod in Febribus continuis vna dies potest, hoc in intermittentibus accessio. *eo.lib.ac com.*

Febres quotidie cessant, si quotidie rigores fiunt. *li.4.aph. com.63.*

Febres vehementes, veluti ignis neruos exsiccantes, eos extendunt, atq; conuellunt, atque hoc modo malas afferunt conuulsiones. *li 4.aph.com.66.*

in Febribus cùm Hipp. dicit morbos febriles, intelligit

quando febres ipsæ sunt passio, & non casus partis alicuius. *eod.lib. & com.*

ANNOTATIO.

Ex hoc Galeni loco apertissimè constat febrem nonnunquam morbum esse: nonnunquam morbi casum, seu accidẽs: vt cùm ob visceris alicuius inflammationem, aut erysipelas, febris consequitur. Non enim tum febris huiusmodi morbus est, sed morbi casus. In pleuritide namque, quæ febris coniũgitur, casus est profectò inflammatæ succingentis costas mẽbranæ. Discussa namque inflammatione cessat mox febris. Morbus verò tum certè febris est, cùm ipsa per sese subsistẽs, (hoc est, non ad alios consequens affectus) gignitur, ex copia nimirum, aut putredine humorum orta.

A febribus vehementibus corripi vtero gerentes accidit, in quibus vitiosi humores priusquam conceperint sunt aceruati. *lib.5.aphor.comment.55.*

Febris in vtero gerentibus frequenter reuertitur, non potentibus medicis fortè aliquod auxilium adhibere. *lib.5.aph.com.55.*

In acutis febribus lac dare malum. *lib. 5. aphoris. comment.64.*

Febrem ardentem quæ efficiunt causæ in venoso genere existentes: quando ad neruos transferuntur, primùm tremores faciunt: compatiente verò principio etiam delyria. *Lib.6. aph.com.26.*

Febris præciso cerebro aduenit ea ratione communi, qua quolibet membro principali patiente inflammationem subsequitur febris. *lib.6.aph.com.50.*

Febris superueniens iis, qui sani dolore capitis repentè capiuntur, & statim muti fiunt, & stertunt, soluit dispositionem. *li.6.aph.com 51.*

Febris sua est apta natura sanare musculorum thoracis frigiditatem, & motus conuulsioni similes. *li.6 aph.com.54.*

Febres ab exustione, ac frigiditate factæ sunt, à balneis vtilitatem capiunt. *lib.7.aph.com.41.*

Febres non omnes ex bile fieri. *ibid.*

Antiqui laterum inflammationes, aut pulmonis, aut hepatis, aut lienis nominabant, volentes febrem non esse morbum ipsum, sed casum morbi. *li.7.aph.com.43.*

Febricitanti si quis cibum dederit, vt sano robur, sit la-

beranti

horanti morbus, *li.7.aph.com.63.*

in Febribus excreationes liuidæ, sanguineæ, fœtidæ, omnes malæ. *li.7.aph.com.66.*

in Febre non intermittente si labrum, aut nasus, aut oculus, aut supercilium peruertitur, si nō videat, si non audiat, & iam debilis sit, mors prope est *li.7.aph.com.70.*

Febres acutas æstate fieri necesse est, si hyems squalida, & aquilonia fuerit, ver verò pluuium, australéque. *li.1.prædictionum.cap.2.nonæ vers.*

in Febre acuta, pulmonia, delyrio, ac dolore capitis intueri se tanquam foris sita credunt ea, quæ intus in oculis habeantur. *lib.1.prædict.cap.9.*

Febris si fuerit acuta, prorsus afferet mortem sudor frigidus. *li.2.prædict.c.11.*

Febris si mitior est, poterit facultas non absumpta prius ab acuta febre, spatio temporis prauos concoquere humores. *eod.lib.& c.*

si Febris detinet ægrum, nisi desistat inflammatio, in suppurationem vertitur. *lib.2.prædict.cap.13.*

Febre hectica febricitantibus, accidit omnibus, vt calor noctu increscat. *Li.2.prædict.c.11.*

Febres dixit simplicissimas Hip. tanquam dixerit placidissimas ac mitissimas, haud quaquam maleficas.

Febrium prorogationis triplex causa: aut propter aliquā partem affectam curatu difficilem, aut propter humores crassos, & crudos, incoctósque, aut propter aliquod commissum *li.3.prædict.c.9.*

Febrem non omnem acutam malignam esse. *li.2.prorrhe. com.21.*

Febres ex hypochondriorum doloribus, quæ malignæ, & quæ non. *eod.li.& com.*

in Febribus cum sudoribus non iudicatoriis præterfluentia sputa, ob copiam immoderatam, vel virtutis imbecillitatem oriuntur. *li.2.prorrh.com.30.*

tria Febrium genera, vnum earum quæ diariæ appellantur, alterum hecticarum, tertium earum quas acutas vocant, comites putridorum humorum. *comm.1. in lib.3.de morb.vulg. sup.tex.5.*

Febrem validam ignem appellat Hip. *eod.li. & comm.ac textu eisdem.*

in Febribus quæ frigidioribus,& pituitosioribus accidunt succedere solere sopores, lethargicáq; mala: calidioribus aut prorsus mordacibus vigilias,& deliria. *li.3.de vulg.morb. com.1. super text.5.*

quæ cum acuta Febre est,dementiam, phrenitim appellat Hip.*li.1.prorrh.com.text.1.*

in Febribus,non feruidæ qualitatis gratia medicamétum purgans porrigimus: verum vt humores febrem excitantes extirpemus. *lib. Quos oportet, & quibus medicamentis purgare.*

Febres & omnes alios morbos, si breues sint futuri per initia purgare oportet:sin diuturni expectanda concoctio est. *Libro,Quos & quibus medic.purg.conueniat.*

Aduersus febrium accessiones,theriacæ auxilia.*lib.de vsu theriacæ ad Pamphilianum.*

Febrium curandarum indicatio est euacuatio, & alteratio *In arte medicinali,c.89.& li.10 meth.med.c.1.& 2.*

Febres inconstantes dixit Hipp. in quibus nihil constans quietúmq; existit.*li.4.de rat.vict.acut com.52.*

Febres ἀσώδεις vocat Hip.in quibus ægri ἀσῶνται, id est grauiter afficiuntur, atque implacidè, molestéq; habent. *eod.lib.com.47.*

Febres ephemeræ à constrictione:putridæ ab obstructioctione fiunt meatuum.*li.1.de dif.feb.c.3.*

Febres omnium per pulsus dignoscendarum ratio. *lib. 3. præsag.ex pulsib.*

Febres ephemeras à putridis distinguentia signa.*li.de diff. feb.c.7.*

ANNOTATIO.

SAT multos de Febribus attulimus, ex omnibus Gal. monumentis communeslocos:non omnes tamen(qui de hac tract. infiniti propè sunt) adferre de industria eò voluimus,ne locos recensendo,volumen non compendium edidisse videri possimus. Qui enim præter citatos à nobis in præsens locos,eorum imménsam syluam componere volet, libros Gal.duos de feb. diff. & alterum artis cur. ad Glauc. secundú item de crisibus.Rursus.8.9.10.& 11. meth.med. & in prorreth Hip. atque epid. libros commentarios legat, innumerósque tum certè de febrium differentiis,caußis, signis, atque cura-

curatione colliget locos,qui vberem & fructuosam præbeāt tractationis febrium materiam:qua instructus medicinæ diligens professor,& magno commodo profiteri, & artis studiosis accurata hac diligentia vberem fructum docendo,explicādo,congerendo adferre magna sanè cum laude, omnino poterit.Hoc vt scires, nec nos indiligētiæ criminari meritò posses,admonitum te optime lector voluimus.

De morbis contagiosis, popularib. & pestilentibus in genere.

CAP. II.

CVm morborum perniciosissimi, maximéque exitiales, contagiosi vocati sint,quíque ab vno in multos deriuari,occulto quodam,nec satis explicabili modo soleant, haud abs re facturum me putaui, si de omni eorum natura, tum de popularibus, ac pestilentibus morbis, germanitate quadam tractationis disseruero. Quo in genere id primum tractabo,quid contagio sit, à quo contagiosi morbi nomenclaturam sortiti sunt: quid contagiosus morbus, quid item popularis & pestilens: quo inter se populares, pestilentes, & epidemici distent. De contagiosorum generationis modo, & causis:postremò de præcautione ab his, antequàm incidant, & de curatione posteaquam quis in eos inciderit, ordine agemus: sic enim absoluta videri poterit de contagiosis morbis tractatio.Contagio igitur affectus sui generis quidam est, plurimis tacito quodam consensu, atque contactu communicatus:quod & ipsum nomen indicat. A contactu nanque contagionis vocem deductam esse (quod videlicet contactu afficiat) inter omnes sanè conuenit. Nisi enim quod primò vitium concepit,simile vitium alteri communicet, ipsúmque vno quopiam modo cōtingat, nunquā sanè afficiet. Id nanq; contagione affectū iure dicimus,cùm simile illi,atque alteri à quo primò vitium manauit,vitiū inest. Cōtagio siquidē nō vnius tātùm esse potest,sed duorū saltem,aut plurimum.Cùm sit nimirum consimilis,ab vno in aliud deducta pernicies, siue ea mala & aduersaria quædam homini qualitas sit, siue infectio tabifica,& pestilens, siue venenata substantia quæpiā lethalē noxā inferens.Hæc.n.omnia contagione inferri videmus.In scabie,elephātiasi,lippitudine,phthisi,aduersariā quādam gigni qualitatem cernimus, quæ his communicetur, qui

Contagio qui

Cōtagione affectū

Cōtagionis definitio.

li.1.de dif. feb.cap.2. cum tali malo affectis consuetudinem habuêre, vt meritò dixisse illud Gale. videri possit, pestilenti morbo laborantium conuersationem periculosam esse, ne inde cõtagium contrahatur, quemadmodum ex scabie, & lippitudine. Eorum etiã qui tabe correpti sunt, & in vniuersum eorum, qui putridum expirant, consuetudinem nequaquam tutam esse: quòd tetro illo vitiati aëris inspiratu, cõtagio in proximos deriuetur. In pestilẽtibus autem morbis infectionem tabificam, & corrumpentem ingenerari animaduertimus, quæ ab cæca quadam, & abdita causa nascatur: siue ea sit grauis anni constitutio, seu sui generis qualitas aëri impressa, seu exhalationes tetræ, à terra, aquisve manantes. In canum verò rabiosorum & reptilium morsibus, venenosa infligitur in alio substantia quæ acceptæ ex morsu, si planè consimilis, & grauem, atque nonnunquam lethalem noxam adferat. Illud porrò in vniuersum omni contagioni conuenit, vt ex vno in alium transeat, cui simile vitium infundat, quo ipsum primò affectum est. Cùm enim & cui contagio accidit, & à quo manauit, consimili vitio affecta sunt, contagionem tum productam iure dicimus. Fit autem contagio secundum substantiam maximè cùm infici substantiam eius qui cõtagione afficitur, corrumpíque cernamus. In particulis nanque minimis primum infectio suscipitur, indéque latiùs manans, arteriarum, & meatuum corporis adminiculo, in totum corpus disseminatur, partésque eius principes attingens labefactat: vnde mors vt plurimum consequitur, totúmque compositum tandem in corruptionem abit. Est autem mistorum propria affectio, cõtagio quæ vocatur. Non enim simplicia quæ sunt, contagione tangi possunt, ob eorum substantiæ puritatem, ob simplicitatem, qua valde causis inficere potentibus, obnituntur, cùm contra mista ob partium diuersitatem, impuritatémq;, ac dissimilitudinem, contagionem excipere apta sint. De qua quidem (vt illius natura exactè teneatur) quærenda multa sunt. Illud primum contagio quomodo perdat, an ne per aduentum contrarij: an mistionis dissolutione, vt in iis quæ putrescunt, experimur. Tum & illud inquisitione dignum, qualisnam sit infectio ea, quæ ex contagione suscipitur, an partiũ quibus hæret corruptio quædam, an alteratio sola. Rursus an in putrefactione contagio omnis posita sit. Quæ si omnia pro dignitate tractata fuerint, contagionis naturam accuratè

tenere

tenere, nos profiteri sanè poterimus. Contagionem porrò vt contrarium quoddam perdere, indéque misti dissolutionem fieri, compertum est. Cùm enim corruptio omnis (vel philosophorum omnium testimonio) à contrario fit, affectus verò contagione impressus, si vehemens sit, ac deleterius (non enim contagio omnis lethalis est) compositum perdere cernamus, vt contrarium id efficere consequens certè est. Contrarij vero nomine, hìc latiore in significato vti oportet, pro eo omni quod suopte natura aduersarium, & inimicum alteri est, illúdque corrumpere natum. Quæ enim maior contrarietas, quàm veneni ad corpus? quàm deleteriæ cuiuspiā substantiæ, ad eam quæ illi opponitur, nec sustinere illam potest? Sunt. n. ἀντιπαθείαι in rebus, h.e. contrarij dissensus quidam, qui natiua quadam cōtrarietate sese inuicem perdāt, atq; corrūpant, qualis est brassicæ & rutæ, brassicæ & vitis, collocynthidis cum cæteris plantis, quas omnes, si iuxta serantur, perdit. Agno & lupo, gallinaceis ac miluo, leoni & gallo, muribus ac feli mutua quædam est antipathia, qua sese perdere, nec vnquam vnà esse possint. Eadem antipathia, contagio omnis pestilens perdere vt plurimum solet; quòd inimica sit corpori, quòd misti temperiem, non qualitate vlla manifesta atque elementari, sed deleteria, corruptiuáque potestate frangat, ac proinde misti dissolutionem faciat, vnde interitus consequitur: ac proinde cùm substantiam corrumpere contagio soleat, rectissimè dici poterit (si definitione comprehendere eam volumus) vt sit corporis, seu compositi corruptio quædā ei similis, à quo primum manauit, quæ infectione in particulis communicata ex vno in aliud transeat. Hac descriptione apertissimè contagionis explicatur natura, vt in qua genere, & differentiis propriis tota ipsius essentia constituatur. Corruptio enim vice generis ea in definitione ponitur, cùm non omnis corruptio contagio sit, vt omnibus patet. Omnis tamen contagio corruptio quædam fit, eius cui inhæret, Fieri autem similem ei, à quo primùm exorta est, & ab vno in aliud transire, infectione in partibus communicata differentiæ loco sunt. Ob id autem fit similis in eo qui inficitur corruptio, atque in eo qui infectionem intulit, quòd idem in vtroque seminarium insit, eandem corrumpendi facultatem habens. Ab vno verò in aliud transire ea

infectio poteſt, affectus conſimilis communicatione, ſeu ea per inſenſiles & ſpirituales ſpecies, ſeu vaporum malignorũ attractu fiat. Tum enim infectum quicquam iure dicemus, cùm tetra, & malefica qualitate, aut vitio contaminatum eſt corrumpíque paratum. Ex his quonam pacto cõtagio perdat, explicaſſe me ſatis arbitror, nempe vt & vicem contrarij gerens, & vt compoſitum totum deleteria poteſtate diſſoluens. Nunc qualiſnam ſit infectio ea, quæ ex contagione ſuſcipitur, num ſola partium quibus hęret alteratio, num corruptio quędam, paulo penitius explicemus: eſt enim res vt difficillima, ſic ſcitu profectò digniſſima. Eſſe autem corruptionem partium magis quàm alterationem, illud abundè declarat, quòd plerunque abſque vlla fere partium in ſuis qualitatibus, temperiéque immutatione concidere totum repentino quodam interitu videamus, vt in ephemera peſtilenti, cordis ſpiritus contagione lethali affectis, cernere eſt, vbi laborãtem nec admodum à natiuo ſuo ſtatu demutatum, nec æſtuantem, & ſolita etiam obeuntem munia, bonóque alioqui pulſu | præditum, & lotia emittentem ſanis quàm ſimillima, & ad cibos, potus, ſomnum bene ſe habentem, repentina tamen morte corripi (cordis nimirum ſubſtantia, ac viribus, tetra & malefica lue corruptis magis quàm alteratis) cernimus. Vt enim alteratio quædam qualitatum eſt à contrariis qualitatibus, ſic ſanè ſubſtantiæ quædam eſt, ac peculiaris à contraria quadam ſubſtantia corruptio. Nec hîc philoſophorum ſpinoſas ſubtilitates moror, dicentium, Subſtantiæ nihil eſſe contrarium. Nam medicus medica tracto. Eſt autem in more medicis, ſubſtantias aliquas ſibi inuicem contrarias cõſtituere, vt paulò antea explicauimus. Quin & morbos quoſdam totius ſubſtantię eſſe dicunt. Vt cùm rei perfectio, & integritas, qua vnaquęque res conſiſtit (& quæ propriè rei ſubſtantia appellatur) immutatur, & de ſua perfectione decedit, res ipſa tota continuò corrumpitur, cuius corruptio totius ſubſtantiæ interitus meritò appellatur, vti ſubſtantiæ morbus, ſubſtantiæ à ſua integritate deceſſio. Quæ enim in ſubſtantia mutationes accidunt, duæ tantùm ſunt, generatio, atque corruptio. Generatione producitur, corruptione diſſipatur, atque diſſoluitur ſubſtantia: vti concors eſt & philoſophorum, & Medicorum ſententia. Conſtat igitur ex his quæ prælibauimus, in-

Infectum quid.

Morbi quidam totius ſubſtantiæ.

infectionem eam, quę ex contagio suscipitur, in corruptione totius quę inficitur substantię, magis quàm in alteratione consistere: cùm sit nimirum totius substantię morbus, cęca quadam, & abdita potestate perdens, vt paulo post cùm de contagiosorum morborum generatione, & causis agemus, dicturi sumus. Disquirere verò an in putrefactione contagio omnis posita sit, maioris momenti res, difficultatísque plena esse videtur. Sed nos hanc enodare difficultatem pro viribus satagemus, si priùs contagionum differentias commodè huic loco appinxerimus. Sunt autem manifestissimæ contagionum differentiæ tres: quædam quæ contactu solo afficiant: quędam præter contactum, fomitem etiam in re, quam tetigerunt relinquunt, cuius interuentu contagiosa non minus fiunt, quàm si adhuc manentia inficerent. Fomes autem id dici iure potest, quodcunque seminaria contagionis in seipsum excipere, exceptáque diu retinere potest, atque per ipsa retenta, ac conseruata seminaria inficere: vt lana, linum, xillon, seu Gossipion, & quæ ex his conficiuntur stragulę, vestes, integumenta. Neque enim omnia idonea sunt vt fomes fiant, sed ea solùm, quæ foraminulenta, rara, calida, lentáve sunt, aut frigida parum. In iis enim tantùm contagionum seminaria condi, cōditáque seruari diutius possunt. Quamobrem quæ vehementer dura, compacta, densa, frigidaq; sunt, nec foraminulenta, qualia sunt ferrum, lapides, aurum, ęs, & pleraque talium, minimè apta sunt, vt fomes contagionum fiant. Ex quo colligere promptum est periculo omni carere, si quis nummos à contagioso homine contrectatos ipse contrectet: non enim excipere seminaria contagij ob soliditatem, duritiem, densitatémve suæ substantiæ possunt. Lectos verò, stragulas, vestes, culcitras, & eiusmodi talia, quę & ob mollitiem & pororum copiam excipere seminaria contagij possunt, & ob lentorem diu retinere, contingere tutum non est, sed periculi plenum. Tertia porrò contagionum differentia ea est, quę non contactu solùm, aut fomite, sed etiam ad distans ferri potest, eóque vim mali transferre. Vt in vasta illa pestilentia, quę ex Asia in Europam translata, multa hominum millia perdidit. Eę pręcipuę contagionum differentię,

Contagionū differentiæ.

quę vt diuersę sunt, atque dissimiles, sic non idem omnes generationis principium nactę sunt. Quę enim contactu solo afficit (vt in marcescentibus fructibus spectare licet cum se contingunt, quorum vno marcescente, mox qui contingunguntur marcorem & ipsi putrefactionémque induunt) à putredine contagio ea initium sumit. Quod enim primum putruit inter fructus, id alteri putredinem consimilem contactu affricat. Cuius sanè contagionis principium, putrefactio ipsa est. Eò enim, quod primum putre affectum est, & secundum quoque consimilem putrefactionem contactu concepisse iure existimandum est, partibus quibusdam insensibilibus, à primo effluentibus seu vaporibus putridis, atque alteri per viciniam & cõtactum adhęrentibus. Itaque in iis contagionibus quę solo contactu afficiunt, putredini omninò eius contagij principium tribuendum est. Nisi enim primò putruisset, aut pomum, aut pyrum, reliqui illi coniuncti fructus minimè putruissent. Gignitur ergò contagio huiusmodi ex putredine ceu principio primo, alteri euaporationis putridę interuentu communicata: quę sanè euaporatio, eius putrefactionis, quę in altero à primo dimanauit, seminarium, & principalis causa est. Quę enim multo aqueo abundant, & alterari citissimè apta sunt, ea quidem putrescentia contagiosa fieri solent. Quę ratio est, cur & fructus humidi celeriter marcescant, & marcescentes, in sibi proximos idem vitium committant, contactu quidem afficientes, fomite autem non quod & aqueo plurimo abundent, & quòd ab his euaporat, lentum glutinosúmque non sit, quominus residere, & agglutinari contactę rei possit. Solent enim glutinosa fortiter iis quę tangunt adhærere, in illísque diu residere, ob mistionis fortitudinem, & substantię tenacitatem. Quodnam sit contagionis eius, quę contactu fit, principium diximus. Eius verò quę non contactu solùm, sed & fomite afficit, quodnam sit principium modò dicamus, sit ne putrefactio, an aliud quicquam: nam ea res ambiguitatem habet maximam. Dicendum autem videtur, contagionem non omnem quę per fomitem afficit, in putrefactione consistere, neque item omnem, quę ad distans fertur putrefactione fieri. Constat nanque interdum à fomite infecto contagionem in plures manare, vti experientia docet, in his qui lectos, pannos & stragulas, vestes peste infectorum contrectant, qui inde contagium contrahunt, & pestifera

fera lue corripiuntur. Atqui cùm huiusmodi vitium, ex attrectatione pannorum conceptum, à putrefactione non oriatur, cùm panni quos attrectarunt putredinis capaces non sint, euidentissimum sit, contagionem eam, quæ à fomite vitiato concipitur, à putredine non nasci. Est enim putredo, autoribus Aristotele, atque Galeno, corruptio natiui caloris ab externa caliditate, quæ ambientis esse dicitur, vel mutatio totius putrescentis corporis substantiæ ad corruptelam à calido externo. Ex qua definitione constat pannos & cætera huiusdi, quæ fomites sunt, putrescere minimè posse, quòd nec viuentia sint, nec natiuo calore, qui ab externo corrumpi possit. Quanquam corrumpi alio quodam modo isthæc possint, putredine affici minimè queant, si verè, & propriè loqui velimus. Et si nihil impedit quin nimium diu conclusa, & difflationis prohibitione calorem externum concipientia interdum marcorem putredini similem contrahant. Sed vnde digressi sumus reuertentes, dicimus contagionem non omnẽ in putredine consistere, cùm plerunque contagio absque hac constare possit. Quod vt euidentissimis rationibus demonstremus, illud præfandum nobis erit, contagionem, atque putredinem res longè diuersissimas esse, cùm sit contagio, infectio quædam ab vno in alterum, analogia quadam transiens. Putredo vero natiui caloris ab extraneo corruptio, quæ solius putrentis substantiæ propria sit, nec suapte natura in alium dimanans, quatenus putrefactio tantùm est, nisi illi morbida vocata excretio, seminariúmque contagiosum aliquod admixtum sit: quo casu contagiosam dicere putredinem iure licet, vt in febribus putridis simul & pestilentibus experiri licet. Non esse autem contagiosam suapte natura putredinem, inde colligere possumus, quod in tertianis, quartanis, quotidianis, ac continuis etiam febribus à putredine ortis (modo ne populares pestilentésve sint) nullum contagium inferri adstantibus videamus, etiamsi cùm ęgris perpetuò versentur, quod tantùm putredo ægri corpus obsideat, ad alios tum minimè transeat, quòd videlicet seminarium illud contagiosum desit, & pestilens quod lõgius serpere, & in multos spargi suapte natura possit. Hoc enim illi proprium est, vt ex vno in multos deriuari, ceca quadam, lethalíque potestate queant. Vnde est illud Hippocratis, li. de hominis natura. *Quando (inquit) ab vno morbo multi homines corripiuntur eodem tempore cau-*

Gal. 11. metho. med.

ſam ad id quod communiſsimum eſt, & quo maximè omnes vtlmur referre oportet. Eſt autem hoc, ſpiritus, & aër quem inſpirando trahimus. Et paulò poſt. *Quum vnius morbi popularis graſſatio conſiſtit, manifeſtum ad dietam non eſſe culpabilem, ſed quem trahimus Spiritum in cauſa eſſe, palámque, eo inſuper eum ipſum ſpiritum ſiue ſiue aërem, morboſam aliquam exhalationem habere:* quam quidẽ Hippocrates Græcè νοσηρὴν ἀπόκρισιν appellat, Galenus expirationem interpretatur, proprietate totius ſubſtantiæ infenſam. In exſpirationib⁹ (inquit) Galenus quæ proprietate totius ſubſtantiæ, magis quã qualitate corpora offendũt, rectè curationem tradidit Hippocrates, in duplicem redigens ſcopum, loci mutationem, & exiguę inſpirationis vſum. Ex quibus ſanè Hippocratis, & Galeni locis conſtat, morbidam excretionem in popularibus morbis, contagionis in plures delatæ cauſam eſſe: quæ ſi deſit, contagioſus non erit morbus, etiamſi multa putredo alioqui ſubſit, vt in febribus ab humorum putredine ortis declarauimus, illud vt conſtet, putredinem non omnem contagioſam eſſe, ſed eam tantùm cui morbida hæc exhalatio, totius ſubſtantię proprietate infenſa, cõiuncta copulatáque fuerit. Quin & alia ratione firmari id poteſt, contagionem inquam in putredine non conſiſtere: quòd ſępenumerò in ſæuiſſimis peſtilentiis concidere ſanos alioqui homines derepentè videamus, nulla in ipſis exiſtente putredine, aut obſtructione humorúmve corruptela tanta eſt vis morbi, tanta contagio, vt non rarò, vno, aut altero die plures concidant, qui ſe ſanos eſſe alioqui arbitrentur, quos poſt ſex, aut duodecim horas de medio ſublatos videas: vti in ephemeris peſtilentibus febribus: cordis ſpiritibus morbida exhalatione affectis, viribúſque affatim collapſis plerunque experiri licet. In his enim nulla putredo ſubeſt, ſed ſpiritus vitalis à tetra lųe diſſolutio, & diſſipatio, cùm tamen contagionem validiſſimam inibi eſſe, vſu compertum habeamus. Vnde eſt illud Gal. li. 3 de præſag. ex pulſ. Et Auic. fen. prima quarti. cap. de peſtilenti febre, multos bono pulſu prędítos in peſtilentibus febribus concidiſſe: quod Gal. accidiſſe in ſui tẽporis peſtilentia, loco iam citato teſtatur. Quod & rurſus in canis rabioſi veneno apparet. Vbi enim quis à rabioſo cane demorſus, noxam contraxerit, illum in rabiem agi aliquanto poſt tempore cernimus: putrere tamen humores, nec febrire quidem ipſum animaduertimus, niſi ad aliunde febris ſuboria-

Com. 2. ad li. de nat. hum.

Hip. ſuper extu 10.

Secunda ratio.

boriatur. Non ergo Hier. Fracastorio Veronensi, viro alioqui doctiss. & cui vni in hac de contagione materia plurimum omnis medicorũ schola debet, vt qui vnus exactissimè atq; doctissimè rem hanc totam pertractarit, assentiendum duco, qui contagionem omnem in putrefactione quadam consistere, capite nono sui de contagione libri affirmauit: cùm contagionum plura esse genera, absque putredine infestantia paulò antè monstrauerimus. Multóque minus mihi probatur, quod ab eodem dicitur, nullam aliam euaporationem aptiorem videri ad contagiones inferendas, quàm quæ in putrefactionibus fit: cùm tamen ea euaporatio, quæ in spiritibus, & tenui substantia figitur, & totius substantiæ proprietate (vt ait Galenus) infensa est, multò magis, atque celeriùs ad inferendum contagium sit prompta, vt in pestilẽti ephemera experimur, in qua nulla subest putredo, corripi tamen malo de repente homines videamus, & post paululum temporis deficere. Quo modo enim tantulo tempore gigni putredo in corpore alioqui bene valente, & post sex, aut duodecim horas mori parato, potest? Magno itaque errore duci eos omnes, qui putredinem vnam epidemiorum, pestilentium, contagiosorum & venenatorum morborum causam esse arbitrantur, iure existimandum est. Hi enim magnis tenebris morborum causas inuoluentes, omniáque permiscentes, atque perturbantes, vehementissimos quosque, & implicabiles morbos, vel in plethoram, cacochymiam, vel in obstructionem, vel tandem in ab his ortam putredinem: ceu in causas proprias referunt: cùm in his, qui ex morbida excretione nascũtur morbis, maior quædam, & à putredine, obstructione, plethora, aut cacochymia, longè semotior subsit causa, nempe tetra illa, morbosáque exhalatio vim veneni habens, quæ totius substantiæ proprietate, non obstructionis, aut putredinis interuentu, substantiã nostram labefactet, innatáque antipathia perdat, ídque confestim exigua interposita mora. Quum enim aliquis integrè sanus accessu ad peste correptum, peste quoque inficitur, atque paucis post horis concidit (quod fieri sæpe videmus) aut cùm quis à rabido cane demorsus, in rabiem & ipse agitur, aut scorpionis compunctu, præsentísve alicuius veneni haustu extinguitur, quis tam hebes sit, quis putredinẽ tam repẽtinæ mortis causam statuat? Nam quæ possit tam vehemens, támque perniciosa putredo in hominem incurrere, sine alterius

Hieron. Fracastorij error.

Com. 2. ad li. de nat. hum. super textu 10.

cuiusquam rei concursu, quę tam citò hominem tollat? præsertim quum qui cōcidit, nec plethora, nec cacochymia, obstructionéve esset correptus, sed bene valens, sanus, atque vegetus bonóque nonnunquam habitu prędîtus, derepentè & morbo pestilenti corripitur, & confestim mortem obit: Hæc profectò in tali proposito euentu referri in putredinem nullo pacto possunt. Magna certè pernicies, cęcáque, ac deleteria facultas quędam morbidę excretioni copulata id facit, & hominem nullis eiuscemodi causis inquinatum breui temporis curriculo rapit, quemadmodum interdum hæ quas commemorauimus causæ, nempe obstructio, putredo, plethora & cacochymia, absque morbida exhalatione homines perdere magnitudine sua solent. Adde quod si in putredine cōtagio ipsa consisteret, sublata putredine remediis propriis auferri, & contagij vim oporteret, contra quàm fieri cernamus. Nam nisi alexipharmacis aduersus contagij seminaria pugnes, nihil proficias. Ob id confestim in pestilentibus morbis terram Lemniam, lutum Armenum, theriacam, & huiusmodi talia exhibemus, vt seminaria pestilentia extinguantur, auferatúrque contagij vis. Quamobrē tolerari id certè minimè potest, quod à Fracastorio dicitur, Si propriissimé (hęc enim illius verba sunt) velimus contagionem cōsiderare, quę in morbis spectatur, & non solo contactu afficit, erit quidem contagio consimilis de vno in aliud transiens putrefactio. Cùm illud exploratissimum sit, in sęuissima pestilentia quæ spirituali magis, quàm corpora actione agat, & in spiritus cordis obrepat, multósque eodem tempore rapiat, putredinem nullam subesse, sed totius substantiæ à morbida excretione dissolutionem: Nec illud item ferendum est (quod tamen Fracastorius existimat) in rabie putrefactionem quandam accidere: cùm natiuus corporis calor eo in affectu, non ab extraneo corrumpatur, quod ad putrefactionem, autoribus Arist atque Galeno necessarium est: sed tota corporis substantia à venenata rabiosi canis saliua imbuta, maléque affecta dissoluatur peculiari quodam dissolutionis modo à putredine valdè alieno. Quæ enim putredine dissoluuntur corpora, ea & marcida, & malè olentia, & calore extraneo multo obsessa apparēt, quū nihil tale in rabie actis appareat, nisi si ex agitatu & furore nimio incalescāt, putrescere tamē eorū partes nō videmus, pręsertim partē eā quę demorsa sit.

Teria ratio.

libr. 1. de cōtagione cap. 9. Fracastoriu errat.

vbi suprà

lib. 4. meteor. 11. meth. med.

Vide

Vidi ego ſanè quàmplures à rabioſo cane demorſos, quos curandos ſuſceperam in parte affecta nullam putrefactionis, aut ſphaceli notam habentes, etiam ſi multò poſt, abſq; medici ope conſtitiſſent vulnerati. Nec quidem aut febrientes, aut putredinis ſigna in pulſibus, vrinitve conſiſtentia habentes annotaui, præterquàm in vno, aut altero iam deploratis. Sed quod ſubiungit idem autor, putredines quæ in viuo animali fiant, nō admodum manifeſtas eſſe, admitti nullo prorſus pacto debet, cum nullibi putrefactiones magis ſeſe prodant quàm in vita præditis animátibus, vt quorum proprius, inſitúſq; calor ab extraneo corrumpi promptior ſit, quódq; viua animantia ſtipationi, obſtructioníque ob humorum copiam, & cacochymiam magis obnoxia, putredinem facilius cæteris rebus concipiant. Ab his enim cauſis oriri putredo ſolet, vt docta Galeni lib. octauo, nono, & vndecimo methodi medendi ſententia eſt. Conſtans itaq; maneat, contagionis naturam in putredine minimè conſiſtere. Ab hac igitur contagione, de qua iam tam multa diximus, cōtagioſi morbi appellationem ſortiti ſunt, quòd contractu quodam afficiant, & ad aliud tranſeant. Erit itaq; contagioſus morbus is, qui morbidā quandam in ſe excretionem continens, deriuari in aliud poteſt, ſuámq; quam cōtinet morboſam excretionem cōmunicare. Nunc quid popularis, & peſtilens morbus ſit, quóque inuicem differant (quod facturos nos propoſuimus) diſſeramus. Popularis porrò morbus is eſt, qui paſſim in vulgus graſſatur, communiſq; omnibus eſt, communémque habet cauſam, nempe aërem, qui vulgarium morborum cauſà præcipua eſſe ſolet, autoribus Hippoc. atque Gal. Hunc Græci ἐπιδήμιον, id eſt publicè graſſantem appellare conſueuerunt. Cùm enim vno tempore plures idem morbus occupat, in id referre cauſam oportet, quod communiſſimū omnium eſt, nempe aëris vitioſi attractum. Atque qui tum viget morbus, popularis, epidimicus, vulgaris, atque communis dici ab omnibus conſueuit. Peſtilens verò morbus is cenſeri debet, qui cùm vulgaris ſit, pernicioſus etiam eſt, atque lethalis. Vnde Galen. locum quendam Hippocrat. enarrans, lib. 1. de ratione victus acutorum, oſtendit hac oratione Hippocrat. (inquit) morbos multos vno fieri tempore, quos, ſi pernicioſi fuerint, peſtem appellant: ſi verò mitiores, altera quadam indicant appellatione, epidemos, vel epidimicos nominan-

Fracaſtorij error.

Hip. li. de natu. hum. Ga. in cō. 2. ad li. de nat. hum. & lib. 1. Epidemio rumſtatim ad principium. Peſtilēs morbus. Peſtis.

tes, vt epidemus morbus sit, qui tempore anni aliquo in regione aliqua abundet, insolescátque. Pestis verò, epidemia pernitiosa, vti is qui regioni cuipiam peculiaris est, endemum, seu vernaculum, & genti proprium nuncupare solent. Hi autem omnes ex diametro dispersis vocatis opponuntur, qui priuati vniuscuiusq; sunt, & Græcè σποράδες vocantur: Popularium autem morborum, item & pestilentium multiplices differentiæ ab Hipp. libris epidem. mites traduntur. Sunt enim quidam, nec lethales, contagiosi tamen, & populares, qui pro alia, atque alia aëris conditione, certo tempore procreantur, vt ophthalmiæ quædam, tertianæ populares, & intestinorum difficultates, atque tenesmi, tum & tussis quoddam populare genus, quod nos anno elapso (qui annus erat redempti orbis sesquimillesimus quinquagesimus septimus) vigere populariter per vniuersam Galliam, vidimus tanto impetu, vt derepente sanis alioqui degentibus hominibus morbus obreperet. Quod morbi genus, antè sub annum 1510. populariter item viguisse scimus. Erat autem huiusmodi. Grauis capitis dolor, respirandíque angustia, ac vocis raucitas initio ægros præhendebant: mox horror, febris, tussísque adeò valida, vt in præfocationis periculum plerique deducerentur. Primis diebus tussis sicca, atque vehemens sine screatu, mox concocto humore qui pulmones implebat, post septimum, aut decimum quartum screatus multus viscidus, lentus, nonnullis tenuis, & spumosus. Procedente autem sputo, tussis & spirandi difficultas plurimùm remittebantur. Verùm in omni morbi progressu lassitudo corporis, virium deiectio, inappetentia multa, & à cibis auersio ægros vexabant, inquietudo, languor, vigilia ob validam tussim vehementer premebant, nonnullis alui fluor sub finem, aliis sudores manabant. In vniuersum verò cuiusvis ætatis, sexus, victus rationis homines, eodem morbo, eodémque anni tempore corripiebantur, móxque vno in vna quapiam familia correpto, in vniuersam domum, incendium, atque contagio obrepebant. At etsi plurimum, diúque etiam afficerentur qui laborabant, nemo tamen mortem obibat præter infantes, quibus vis tanta non erat, vt expectorare quæ in pulmonibus insederant, possent. Curationis vis neque in sanguinis missione, neque in purgatione consistere videbatur. Nihil enim hisce remediis, aut parùm proficiebatur. Imo quibus

Epidemici morbi.

Tussis popularis quam vulgus la coculuche vocabat.

hæc

hæc remedia imperabantur, deterius planè habere sunt visi, exagitati mali seminariis, nec proprio, ceu alexipharmaco extinctis. Extinguebantur autem potissimum eclegmatis deuoratis, sensimque in asperas arterias illabentibus, tum & potionibus pectoralibus, & pastillis in os detentis ad tussim sedandam: sed ita si huiusmodi auxiliis aliquid, quod & siccandi vim haberet, & tota sua substantia retinendi venenati seminarij potestate esset præditum, admixtum esset. Imprimis verò bolo Armenio plurimum iuuabantur, si ea linctibus, decoctis, pastillisve in ore tenendis admisceretur, additis his, quæ expectorandi vim haberent, quò eorum vis ad sedes affectas (thoracem & pulmones) deduci commodè posset. Iusculis & potionibus humidi leuabantur, magis quàm attenuante victu, sic enim faciliùs screabant. Hæc morbi natura, hæc medendi ratio fuit. Morbum hunc vulgus, *la coculuche*, vocabat, quòd qui eo morbo tenebantur, cucullione caput velarent. Arbitrabantur enim a cerebro in pulmones fluxionem irrumpere, capútque cucullo tegentes, putabant se sic melius habituros. E plebe profectò qui contingebantur, omnes ferè cucullo secundum caput amicti visebantur. Vnde id nominis vulgo inditum morbo fuisse, non vana coniectura est. Sed hæc & extra artem sunt, & in minimis ducenda, & ab imaginatione, quam nomina præbent ad res ipsas deflectendum, vt rectè Gal. monet. Vnde verò digressi sumus redeuntes, populariũ & pestilentiũ morborũ multiplices esse differẽtias dicimus: vt sint alij periculosi, alij periculo carẽtes, acuti aliqui, nõnulli diuturni: quidã qui vnicã dũtaxat corporis partẽ infestẽt: quidã qui totũ corpus. Ophthalmia nãq; popularis oculos tantũ, phthisis pulmones, scabies cutim, elephas vniuersum corpus occupat, etsi is inter populares minimè numerãdus sit. Vt enim inter venena quædã vnã magis, quã aliã partẽ inficiũt, lepus marinus pulmones, cãtharides vesicã, idq; totius substãtiæ proprietate: sic populariũ morborũ alij partibus quibusdã proprij sunt, alij toti cõmunes. Quin & pestilentium tanta est in eorum natura varietas, vt contemplantibus admirationem sanè maximam pariat. An nõ id admirabile videri debet, pestem quandã satis, & arboribus propriam esse, quæ neque animalia, neque homines contingat? Vnde vredo, carbunculus, & id genus mala, in satis & arboribus creantur. Quædam verò pestis est, quæ iumentis, quæ bobus,

Coculuchã morbus & cur sic dictus.

Li. 2. met. med.

quæ ouibus propria,peculiarísque sit, hominibus innoxia, sicut & alia quædam est, quæ hominibus lethalis, cæteris animantibus innoxia cernitur. Sed vnde id? Non aliunde profecto, quàm ab occulta quadam rerum in se inuicem sympathia,& antipathia, quod vnum ab vno quodam patiatur,vnũ vni contrarium sit,non alteri, eo fieri, vt quod alteri totius substãtiæ proprietate aduersarium sit, id antipathia quadam illi noxium sit, atque pestilens: ac proinde suam esse quandam &arborum,& iumentorum,& suum,& ouium,& boum, atq; hominum pestem. Hoc autẽ porrò pestilentes à popularibus differunt, quòd pestilens omnis popularis sit,non autem contrà agatur, vt popularem omnem pestilentem esse oporteat: cùm sit pestis epidemia perniciosa: multi vero popularium pestilentes non sint,vt tertianæ &ophthalmiæ populares,etsi contagiosi dici meritò possint,pestilentes autem minimè.Hæ præcipuæ popularium morborum, atque pestilentium differentiæ, alias plures à symptomatum ratione, à tempore in quo eueniunt, & ab aliis multis ex libris epidemiorum Hip.colligere licebit. Nunc quis sit contagiosorum generationis modus, quæ causæ, vt promisimus,explicemus.

Contagiosorum & pestilentiũ morborum generatio.

Generantur porrò contagiosi & pestilẽtes morbi, secretiore quodam generationis modo, abditioresque habent sui ortus causas.Alij nãq; vel à plenitudine nimia, vel humorũ vitio,& obstructione,stipatione,atq; putredine nascũtur.Qui contagiosi sunt,à nullo istorũ(quã cõtagiũ inferũt) oriri iurè dicũtur,etsi interdũ cũ huiusmodi causis cõiungi queãt. Nascũtur porrò oẽs eiusmodi morbi ex corrupto atq; vitiato malo aliquo inquinamẽto,aëre,qui morbidã excretionẽ in se habens, quæ veneni instar sit,pestilẽtes, & contagiosos parit morbos. Hoc Gal.libr.de theriaca ad Pisonẽ his verbis bellissimè expressisse est visus,inquiẽs: *Pestis tãquã & ipsa existat quedã bellua,haud paucos interimit, verũ ciuitates quoq; totas depascẽs,malè cõficit. Quippe*(subdit)*praua quedã aëris ad corruptionẽ prõpta mutatio efficitur, & homines cũ respirationis necessitate periculum euitare nequeãt, ipsũ aërẽ veluti venenũ quoddã ad se per os attrahũt.* Quod & rursus idẽ autor, lib.ad Pãphilianũ cõfirmauit,Hippocr.vtiq; lib.de humana natura mentẽ secutus.Hæc profecto prima,atq; præcipua cõtagiosorũ morborũ, tum & pestilentium causa. Vitiosi aëris inquinamento aliquo, seu vaporibus infecti attractus. Verùm qui altius rem totam perscrutari

scrutari volunt, duplices statuunt talium morborum causas. Terræ alteram: alteram cœlo adscribunt. Vbi enim à locis palustribus, vel tabo aliquo infectis, vtpote cadauerum nidore, cœno, luto, aliísque consimilibus, aut à terræ specubus, ac barathris lethales spirarint auræ, ambientem nos aërem inquinantes, tum ab huiusmodi terrenis spirationibus, mali moris gigni in aëre vitium astruunt, vnde pestilentes morbi nascantur: causámque huiusmodi à terra esse dicunt. Alteram porrò, eámque secretiorem pestilentibus morbis assignant, cùm medicorum plurimi, tum verò Astronomi omnes causam, abditum cœlorũ, syderúmque influxum, certúmque eorum concursum, ac configurationem, vnde pestilitas in aëre nascatur. Hoc Ptolomæus, Alkabitius, cæteríque omnes, in magnis planetarum coniunctionibus complexionibúsque euenire tradunt. Hoc Auicenna pestilentis febris causas enumerans arbitratur. Principium (inquit) omnium horum sunt formæ ex formis cœli, faciẽtes esse necessarium illud, cuius aduentus ignoratur. Et paulò post, Oportet vt scias quod causa prima longinqua ad illud, sunt figuræ cœlestes, & propinquæ dispositiones terrestres. Quem vtpotè scholæ Arabũ principẽ, multi non eius factionis solùm, sed meliorum disciplinarum cultores secuti sunt. Vt verò illis concesserim vnà cum Gal. à terris spirationibus aëri circunfusis, & ab impuris terræ locis manantibus, contagium huiusmodi creari: sic certè à cœlo defluere id mali admitti nullo prorsus pacto debet. Neque vllum esse cæli, ac syderum concursum talem, aut configurationem, quæ pestẽ immittere in inferiora hęc quæ incolimus possit. Quod vt nõ temerè affirmasse videri possim ea adferam, quæ dicto fidem asserere possint. Pugnabo primũ summorum autorũ, non dilutæ autoritatis sententiis, à quorum testimonio prouocari nullo pacto fas sit. Dein rem totam rationibus validissimis firmabo, vt res in posterũ controuersia amplius esse non queat. Plato in Epinomide, astrorum eam vult esse naturam, vt & visu pulcherrima sit, & progressu, choreáque insignis, animalibus cunctis cõmoda præbeat. Eius hæc verba sunt: ἄλλο δὲ χρὴ ζώου γένος θεῖναι δεύτερον γιγνόμενον ἅμα καὶ δυνατὸν ὁρᾶσθαι. τὸ γὰρ πλεῖστον πυρὸς ἔχει. ἔχει μὲν γῆς τι καὶ ἀέρος, ἔχει δὲ ἐκ τῶν ἁπάντων τῶν ἄλλων βραχέα μέρη. διὸ δὴ ζῶα

Gal. li. 1. diff. feb. c. 4.

Fen. 1. 4. trac. 4. c. 1.

lib. de diff. feb. c. 4.

A cælo nõ fieri pestilẽtes morbos nec defluere cõtagiũ

τι ἐξ αὐτῶν παντοδαπὰ γίγνεσθαι χρὴ φάναι καὶ ὁρώμενα. νομίσαι δὲ δεῖ πάντα τὰ κατ' οὐρανὸν ταῦτα εἶναι ζώων γένη. ὃ δὴ πᾶν χρὴ φάναι θεῖον γένος ἄστρων γεγονέναι. σώματος μὲν τυχὸν καλλίστου, ψυχῆς δὲ εὐδαιμονεστάτης τε καὶ ἀρίστης. δυοῖν δὲ αὐτοῖς μοιρῶν, τὴν ἑτέραν χρὴ δόξῃ μεταδιδόναι σχεδόν. ἢ γὰρ ἀνώλεθρόν τε καὶ ἀθάνατον ἕκαστον αὐτῶν εἶναι, καὶ θεῖον τὸ παράπαν ἐξ ἁπάσης ἀνάγκης, ἤ τινα μακραίωνα βίον ἔχειν ἱκανὸν ἑκάστῳ ζωῆς, ἧς οὐδέν τι πλείονος αὖ προσδεῖσθαι ποτέ. Quod est, *Alterum animalium genus statuendum, quod etiam & gignitur, & cerni potest, & ignis quidem plurimum terre quoque & aeris, cæterorùmque omnium paruas particulas habens: variáque omnino hinc animalia, & visibilia generari dicendum. Hæc cœlestia existimamus animalia esse, diuinum astrorum genus, corpore quidem pulcherrimo, anima autem tum beatissima tum optima constitutum. His vtique animalibus è duabus sortibus alteram tribuendam putamus. Nam aut absque pernicie immortalia, atque diuina necessariò singula sunt, aut vitam longæuam agunt, singulis adeò sufficientem, vt longiore non egeant.* Hactenus Plato, qui & astra diuinum quoddam genus, absque pernicie sempiternáque corpora quædam esse iure existimat. Quod si absque pernicie sint astra & sydera omnia, síntque diuina, & sempiterna (vt hac serie Plat. voluit) quonam pacto contagionem (perniciem omnium maximam) his inferioribus largientur? cùm sint ipsa purissima ętherea, & ab omni prorsus contage alienissima? Sed rursus Platonem audiamus. τοῦτο δὴ εἶναι τὴν τῶν ἄστρων φύσιν, ἰδεῖν μὲν καλλίστην, πορείαν δὲ καὶ χορείαν, πάντων χορῶν καλλίστην, καὶ μεγαλοπρεπεστάτην, χορεύοντα, πᾶσι τοῖς ζῶσι τὸ δέον ἀποτελεῖν. Quod est. *Hanc astrorum naturam esse, visu quidem pulcherrimam, progressu & chorea optima vtentem, omniúmque chorearum decentissima, ac magnificentissima quæ cunctis animalibus commoda præbet.* Si ergo astrorum hæc est natura, vt aspectu quidem pulcherrima astra sint, incessu, ordinè, ac motu (quam choream hîc Plato vocat) decentissima, eóque incessu, ac motu suo ordinatissimo, commoda, hoc est bona, cunctis animalibus præbeant.

beant, nempe generandi vim, seséque tuendi alimentorũ ope, quæ fotu suo, ac benefico, vitalíque calore astra è terra ad animalium alimoniam proferunt, quomodo si hæc tanta bona (vt hoc loco sentit Plat.) ab astris animantibus proueniāt contagio vlla inde manare poterit? Effectrix enim nulla causa, contrario per se vnquam efficere potest, vel omnium Philosophorũ testimonio. Quamobrnm si bona, atque cōmoda impartiri astra animantibus cunctis soleant, vt hîc rectissimè Plato sentit, sit autem bono malum contrarium, ipsáque cōtagio malorum omnium perniciosissimum, fieri profectò minimè potest, vt ab astris contagio (quod nobis probandum erat) eueniat. Rursus idem autor cœlorum virtutes recensens, Solis, Lunæ, ac quinque reliquorum planetarum, ac stellarum omnium potestatem, atque naturam admirans, in Epinomide sorores omnes appellat: nefásque cuiquam esse putat, existimare horum siderum legitima alia, alia illegitima esse, taliáque, qualia nefas est pronuntiare: quasi velit impium esse, sentire astrorum alia esse bona (quæ legitimi nomine appellant) alia illegitima, hoc est mala. Quod si nullũ sydus (vt hîc Plat. sanctissimè censet) malũ est, quomodo mala in hæc inferiora vi sua planè benefica, ac salutari immittēt? Platonis in Timæo doctissima sensa enarrans Chalcidius, ac veluti eius, quæ in Epinomide scripta est sententiæ interpres, nullum à stellis oriri malum, nullas maleficas esse his verbis testatur. Inquirens enim vnde mala proueniant, nec à cælo oriri posse affirmans, sic inquit, *Aut omnes stellæ diuinæ sunt & bonæ, nec quicquam faciunt mali, aut quædam maleficæ. Sed maleficas esse in illo sancto, & pleno bonitatis loco quatenus conuenit? Cúmque omnia sydera plena sint cælestis sapientiæ, malitiam porrò sciamus ex dementia nasci, quatenus conuenit maleficas esse stellas dicere? Nisi forte, id quod fas non est interdum easdem bonas, interdum malignas esse existimandum: proptereáque promiscuè beneficia, & maleficia præbere. Sed hoc absurdum est putare, cælestem substantiam, vna, eadémque natura præditam, non in omnibus stellis eandem esse, sed plerasque tanquã à propria degenerare natura.* Hactenus ille. Quod si, vt Chalcidius hîc testatur, omnes stellæ ex æquo diuinæ sunt, & bonitatis excellentia præstantes, nec maleficas v llas esse in pleno illo bonitatis loco, nempe cœlo, congruere quonam pacto maleficij insimulare eas audebimus? At verò id non alia ratione foueri potest, quàm

Explicatio loci Chalcidij si modò beneficas, maleficas modò esse (quod nefas est) dixerimus. At hoc (inquit Chalcid.) perabsurdum est existimare, cùm sit vna cœlestiũ substantia (nempe optima) salutaris, benefica. Quòd si maligna, aut malefica fuerit, iã à sua ipsius natura degenerabit, quod fieri minimè posse omnes ex æquo Philos. censent: quod enim vniusmodi est, è seipso degenerare minimè potest. Nimis igitur absurdum putare cœlestium motus, & configurationes (si modo variant istę configurationes efficientiam planetarum) aliter vnquam ire, atque componi, quàm naturalis tenor & cursus exigit eorundẽ. Nec audiendi sunt, qui contagionem, rem omnino malam, inordinatam, non naturalem, cuius origo, virium, & infirmitas, primis adscribunt naturæ causis, cœlo & sideribus omnium optimis, ordinatissimis, & potentissimis. Vt illud verè dixisse Auerrous videri possit, qui crediderit martem, aut sidus aliud quoquomodo dispositum nocere corporibus, aliena credere ab omni Philosophia. Sed ita certè est, nulla professio cœlo magis iniuria, aut inimica, astrologica superstitione ac vanitate: quę quicquid in infimis vitio materię euenit pręter naturam pręterque ordinem, id totum sideribus imputat, nec putat illorum saluam dignitatem, si non illis indignissima quęque accepta referantur, clades, incendia, pestes, bella, alluuiones, quo quid absurdius dici possit non video. Cum Platone iam satis: cum Aristotele iam agamus. Is in his quę sempiterna, atque ętherea sunt, neque malum, neque errorem, aut corruptionem inueniri, conceptis verbis testatur. *Non igitur* (inquit) *quicquam in iis quæ à principio, & quæ perpetua sunt, malum est, neque error, neque corruptum. Etenim corruptio de malis est.* Quem locum Auerrous, summus Aristotelis interpres, enarrans textu comment. decimi noni sic de tota re disserit. *Manifestum est* (ait) *quod in rebus quæ non sunt post potentiam, & sunt illa quæ sunt æterna, sed eorum essentia est principium: in his neque malum est omnino, neque error, neque corruptio, corruptio enim est ex rebus malis. Et ex hoc cognoscitur* (subdit) *impossibile id esse scire, quod Astronomi dicunt, stellas quasdam fortunatas esse, alias infortunatas. Id autem sciri de eis potest, quasdam quibusdam esse meliores.* Hactenus Auerrous

li.9.meth. aph.c.10. ex Argyropilo & Bessarione.

rous qui vnus omnium optimè insanientium astronomorum inscitiam arguere,summa certè ratione est visus, cùm affirmet vanum id esse,quod ab Astronomis dicitur, stellas quasdam fortunatas,alias infortunatas esse: sed id tantùm de astris affirmari posse, esse alia aliis meliora, cùm sint vtique bona omnia,sed alius alio melius.Cùm itaque Aristoteles in his,quæ à principio proxima sunt (ea autem sunt cœli,& quę in eis sunt diuina lumina) neque malum cadere, neque corruptionem dicat (quòd corruptio in malis sit) quomodo à siderib.contagionem inferri dicemus, malum scilicet omnium perniciosissimum? Quomodo item fortunam, aut infortunium? cùm hęc,autore Arist.rerum sint temerè & non semper se eodem modo habentium? *Libr.2.de Phys.aud* Neque enim stellæ ac sidera aut temerario & inordinato cursu feruntur,aut infortunium sinistro euentu vnquam pariunt. Infortunium enim, rerum caducarum, errantium & mutationi obnoxiarum esse Philosophi omnes affirmant: *Plato in Timeo.* quorum nihil tale sideribus congruit, vtpote quæ ad summi boni exemplar sint diuino artificio constructa:illiúsque pulchritudinem summam,aspectu,lumine,positu,effectione,ordine,atque perennitate referant.Quis hæc ætherea corpora, tot illustrata Dei dotibus, malum inferre mortalibus credere queat?Quicquid de alto descẽdit(inquit Mercurius Trismegistus in Asclepio)generãs est.Quòd si generat, quod è cœlo ad nos labitur, quomodo corrumpere potest? Non ergo à cœlo vnquam contagium, sed generatio potius,atque perfectio. Quod Proclus libr. de anima,& dæmone scitissimè expressit,inquiens: Superi harmonica ratione mundana omnia continent, atque perficiũt, & inuicem accommodant,& ad mundum.Si igitur harmonico concentu,atque motu cœlesti, quæ sursum sunt corpora, mundana omnia (vt vult Proclus) & continent,& perficiunt, & accommodant, qua ratione destruere, incommodare, & perdere contagio poterunt?cùm sint isthæc inuicem contraria, quæ à nullo efficiente fieri suapte natura queunt. Quod & rursus Auerrois sententia firmari quàmcommodissimè potest,inquientis,de Plat.promptuario id esse, vt malum in eorum albo sit,quæ inordinata sunt,omne autẽ diuinum antiquum,& ordinatum:Non igitur in diuinis malum erit, sed in natura mortalium, vt idem conceptis verbis tradit. *Li.3.de th cælo,textu com.25.ad finem.* Quamobrem cùm diuina sint corpora, stellæ ac sidera omnia,

Arist. li. 1. de cælo c. 9 nu. 33. ue. trad.

Auerrous lib. 1. cæli cō. 19. & 22.

vt idem autor 1. cœli com. 13. affirmat, malum neque in illis esse, neque ab ipsis manare consentaneum est. Presertim cùm intransmutabilia sint, & passionis expertia, quæ illic sunt corpora, vt & Arist. & Auerrous ipse contendunt, quos & Iamblichus libro de mysteriis Ægyptiorū, c. 8. volens insequitur. At vero rei propositæ firmiora vt testimonia adhibeamus, vniuersa Platonicorum schola, quæ deinceps magistro & duce Platone, magnam in omni Musarum choro accessionē fecit, idipsum conceptis verbis affirmat Plotinus inprimis summus Platonis interpres. Qui libro eo quo inquirit, Num astra aliquid agant, firmissimis rationibus demonstrat, à cœlo, & astris malum in hæc inferiora delabi minimè posse. Astrologorúmque sensa ridet, existimantium planetas suis motibus nō solùm inopias, & diuitias facere: verùm etiam valetudinem prosperam aut aduersam, vitia atque virtutes, & singulis in temporibus singulas actiones inferre mortalibus: perinde ac si aduersus homines sint irati. Neque verò ex Planetarum albo quosdam esse malos vllo prorsus pacto admittit, aliósque atque alios hoc est modo bonos, modo malos ex aduerso inter se aspectu fieri, nullatenus astronomis dādum, magnis certè rationibus contendit: vti eius operis capitibus primo, secundo, tertio, quinto, sexto, præcipuè verò vndecimo & decimotertio, est videre. Quę Marcilius Ficinus, summus & Platonis & Plotini interpres, suis Commentariis, non minus doctè quam copiosè illustrans & explicans, longa rationum serie: & Picus Mirandula sui seculi decus, & ornamentum in suis aduersus Astrologos libris, & Chalcidius in Platonis Timæum fusissimè, maximísque demonstrationum viribus, non tam confirmarunt, quàm certè demonstrarunt. Sed iam cum autorum non dilutę autoritatis sententiis, nostrum paradoxum abundè firmauerimus, rationibus nunc validissimis roboremus: quo nullum perfugij locum aduersum sentientibus relinquamus.

Prima ratio.

Quod conseruat, ac continet, cæterísque omnibus est veluti forma, id contagio afficere, quæ conseruat ac continet minimè potest, cœlum autem atque astra huiusmodi sunt, vti Auerrous 1. de cœlo com. 24. testatur, dum inquit, Corpora cœlestia conseruant elementa, & continent ipsa, & vniuersaliter sunt eis quasi forma. Non igitur à cœlo contagium manare potest: quod nobis erat probādum. Si enim aduersaria nobis cœlestia corpora essent, corrumpi statim vniuer-

niuersum consequens planè foret, vt idem autor com 28. libri de cœlo primi, conceptis verbis affirmat. Quin quod vitam vegetabilem, sensibilem & animalem præstat, id contagium inferre minimè potest, vt cuius sit natura, atque vis vitam perdere, éque antipathia quadam aduersari. A cœlo autem vita nobis plantísque benefico munere impartitur (dicente nimirum libro de substantia orbis Auerroë, vitam nobis vegetabilem, sensibilem, & animalem calore cœlestium corporum tradi) non ergo ab his contagij pernicies delabetur. Præterea à cœlo contagium fieri, naturæ contagionis repugnat: cùm sit nimirum contagio, ab vno in alterum profecta infectio. Quod si sic est, vti re vera est, & infecta prius, & lue illa pestilenti obsita astra esse oportebit, vt contagium inferant. Quo quid absurdius, aut ineptius dici, excogitaríque potest? Vt enim contagio fiat, id à quo primum manat inquinatum esse oportet, si alteri inquinamentum affricare debet: cùm cõtagio non vnius solùm, sed duorum sit affectus, eius nimirum qui inficit & qui inficitur, vti anteà diximus. Quamobrem si à siderum certo congressu quodam contages oriatur, contagiosa ipsa esse, & morbida excretione inquinata (si contagium illatura sint) omnino oportet. Quòd cùm impium sit dicere, atque nefas, diuinissimis vtique, ac purissimis existentibus corporibus, corruptionis omnis, ac passionis expertibus (quod suprà probauimus) fateri omnino necesse est, nec à cœlo, nec sideribus tantùm mali in mortalium perniciem deriuari, sed id omne ab impura inferiorum exhalatione manare, & in natura mortalium, vt Auerrous sentit, subesse. Desinant itaque Astronomi, & qui eos sequuntur parum cordati Medici, nobis suis fallaciis, technísque imponere: graueque facinus arbitrentur, malum cœlo ac astris tribuere, vnde bona ad nos omnia, ceu à fonte purissimo manant: illúdque cogitent, vanas esse, quæ de hisce rebus traduntur Astronomorum regulas, prorsúsque fallaces, vt quæ de cataclismo venturo sub annum salutis millesimum quingentesimum quartum mendaces Astronomi prædixerant, temerario ausu, & falso euentu fidem facere possunt: incertas etiam, & incomprehensibiles, nec vlla certa demonstratione firmatas, vt diuinus autor Iamblichus, vel Cheromonis etiã testimonio indubia fide testatur: & Cicero

Secunda ratio.

Cap. 1.

Tertia ratio.

lib. 3. cœli com. 25.

lib. de mysteriis Ægyptiorũ cap. de Iudiciis Astrologorũ. Exo. 5. & 12. leuit. 26. Num. 14. Deut. 28.

atque Gellius grauissimi iudices cum cura adhibita probant. Id nos tamen ingenue confiteri non verebimur, Dei summi arcana voluntate atque inscrutabili consilio, non raro pestilentes morbos, sæuaque contagij semina, hùc ad punienda hominum scelera, reuocandósque ad se à corruptela morum homines immitti. Quod Mercurius Trismegistus in Asclepio, & Mosis sanctissima dogmata in Leuitico, & Deuteronomio perspicuè docent. Sed iam quod incepti operis reliquum est absoluamus, vtque seruanda sint à contagio corpora, & qua ratione vbi affecta semel fuerint curanda doceamus. Quibus traditis finem faciemus. Ergo si contagij vis locumquempiam occuparit, tractúmve terrę aliquem, protinus periculum subesse constat, ne labem eam aëris inquinati attractu contrahant, qui ibi degunt homines. Quod ne fiat, prima, pręcipuáque ea cautio fuerit, vt solum, in quo morbus populariter grassari incipit vertant, indéque se quàm possunt celerrimè

lib. de na. hum.

fuga proripiant, quod iubet Hippocrates, & ad longissima inde loca, eáque saluberrima se transferant, inde minimè de reditu cogitantes, quàm tota vis morbi dissipata extinctáque fuerit. Id vulgus obseruans, his tribus aduerbiis, quasi compendio Hippocratis mentem explicans vice prouerbij vtitur, Citò, longè, tardè. At verò cùm non omnibus ex æquo id liceat, si manendum in loco sit contagione affecto, id consilij fuerit,

lib. de nat. hum.

quod est à diuino Hippocrate profectum, vt quàm paucissimus spiritus corpus ingrediatur, ísque vt maximè peregrinus sit prouidendum, hoc est (vt ego quidem interpretor) purus, attenuatus, nullo inquinamento corruptus, odoratus, ac salutaris, prorsúsque ab eo qui morbum infert, quàm alienissimus: quod peregrini nomine indicauit Hippocrates. Prouidebitur sanè vt talis inspiretur, si à septentrione manantes auras, quæ saluberrimæ esse solent, exceperimus: si item contagij seminaria, in aëre sparsa dissipare, atque extinguere multo ex odoratis lignis accenso igne satagemus: quod in

lib. de theriacã ad Pisonem.

magna illa ex pestilentia Æthiopia in Græciam populariter sequiente fecisse Hippocratem, scribit Galenus. Sint autem ligna odorata, & quæ igni admota suauissimum spirent odorem, qualia etiam habentur, iuniperus, laurus, libanotis, quem vulgo rorem marinum vocant, quercus, agallocum, lentiscus, & eius generis multa alia.

Suffitus etiam odorati in id optimè faciunt. Purum

Purum nanque, & suaueolétem aërem exhalatione odorata reddunt: ac proinde Hippocratem vnguéta pinguissima, & odorifera lignis superfundi ad ignium structuram iussisse, in Galeni monumentis legimus. Itaque hyeme magno accenso in cubiculo igne, ex styrace, lasere Indico, olibano, rore marino, mosco, chariophyllis, ambare, atque similibus suffitum parabimus, confectis inde pastillis, atque prunis subditis. Quod si æstas fuerit, ex rosis, violis, santalis, malorum putaminibus igni admotis, idem efficiemus. Iuuerit etiam plurimum naribus odorata admouisse, vt rosaceam aquam ex oxyrrhodino exceptam, & vase vitreo inclusam, florum item citri aut myrti aquam odorasse conuenientissimum. Solo folia odorata æstate spargere cubilia sertis, florúmque calathis ornare saluberrimū. Hæc nanque omnia purioré aërem reddere solét, contagiique sparsa in eo semina disiicere. In summa hęc obseruanda, ne & multus intrò aër feratur, & qui attrahitur ab omni inquinamento purus sit: ac proinde & igne multo, & suffitibus odoratis vtendum, & id in primis cauendum, ne laborioso motu corpus exagitemus. Quamobrem in pestilenti aëris statu, nec pugna, nec lucta, nec cursu, nec citatiore aliquo motu multóque minus venere fatigandum corpus: sic enim multum spiritus ingredi corpus necesse est, quod perniciosissimū esse Hippocrates iure cēsuit. Quin ab ira, mœrore, omníque animi perturbatione tùm maximopere cauendum. Concitant enim hæc corporis succos, & à naturali statu euertunt, vt docta Galeni in arte medicinali sententia est. Nec tantùm iis procuranda salus homini, sed & congruo ciborum, potionis, somni, vigiliarum, veneris vsu, saluberrimis vtendum cibis qui & concoctu faciles sint, & probum sanguinem generent: quales inter auitij generis capi pinguiculi, cohortales pulli, perdices, phasiani, meleagrides, & quæ in dumetis ac saltibus degunt aues, turdi, ficedulæ, alaudæ, turtures, merulæ, quęq; multo volatu, & tenui, siccóque alimento vtuntur. Ex quadrupedibus hœdi pinguiculi, lactentes vituli & castrati probè alti cōueniūt. Ab aquatilibus omnino cauendum, à bubula item atque suilla, & iis omnibus, quę vel humidū, vel excrementis refertam carnem habent. Sed sit horum omnium moderatus vsus: vti & potionis, quæ ad salutem, non ad voluptatem sumi debet. Sit autem vinum quo vtimur tenue, pauciferum, odoratum,

Vbi supra.

li. de. nat. hum.

æstate album, hyeme rubrum. Aestate dilutius atque copiosius: hyeme parcius atque meracius bibatur. Somnus & vigilia, moderata omnia sunto. In venere autem summa parcitas. Nihil enim magis aut corpus, viresque eneruat, aut excipiendæ contagi promptiorem facit, intempestiua, aut immoderata venereà qua ceu periculo præsentissimo in pestis grassatione cauendum, doctissimi quiq; censent. Vbi hæc ad vnguem obseruata fuerint, antidotis, & alexipharmacis muniendum corpus, ne contagio irrepere possit. Sic enim Romanos illos veteres olim ad præcautionem fecisse, scribit Galenus: qui & theriacem & Mithridatiam antidotum sumere solitos, ne à contagio corriperentur, affirmat. At inter hæc, simplicia quædam sunt tota sua substantia eneruandæ contagioni cōgruentissima: in quorum albo primas partes bolus Armenus, & Lemnia terra (quam vulgus medicorum sigillatam appellant) iure tenere à Galeno, atque medicis omnibus dicuntur, non tam quod siccando prosint, quàm quod venenosæ substantiæ intro conceptæ tota eorum substantia aduersentur: Dictamnum Cretēse hæc proximè sequitur, de quo illud produnt. Capras in Creta sagittis percussas veneno litis, huius herbæ pastu excutere illas facile. Quod & Dioscorides affirmat, ac proinde venenatorum ictibus, omníq; venenosæ materiæ aduersari creditur, rutam, abrotanum, betonicam, pentaphyllon (quam tormentillam dicimus) cinnamomum, agaricum, Dioscorides: smyrnium, aristolochiam, viticis semen, lauri baccas, Paulus, valde commendant: vti iuniperi baccas Gal. lib. de antidotis secūdo. Oxalidis folia aceto præinfusa, & accepta, medicinā factitantes omnes laudant. Perinde atque zeduariam radicem, quam vel ore retentam, venenatos halitus pellere scribunt. Citri semē valde Auicenna commendat: vt quod venenis omnib. aduersari pro comperto haberi velit. Quin & citra odorem, aëris corruptelam, & pestilentiam omnem repellere idem affirmat: quod & longo vsu atq; experientia comprobatum à multis est. Hæc ex immensa simpliciū silua contagioni propulsandæ aptissima, collegisse sat fuerit: ex quibus pulueres, confectionésq; parari ritè possunt. Sumantur autem ventre vacuo, ex vino odorato hyeme; vti æstate ex rosarum, intybi, aut buglossi aqua. Sumenda autem ad drachmæ vnius, duarúmve pondus. Sunt quæ ad præcautionem deuorantur, vti maiore dosi cùm malū iam occurrit.

Superest

Lib. de Theriaca ad Pisonem.

Gal. li. de ther. ad Pison. & lib. 9. de simpl. fac. Paul. li. 2. c. 36. & li. 7. cap. de terra.

Li. 3. c. 31.

Lib. 3. cap. propriis.

Paul. li. 5. c. 2. & 28.

Supereſt vt ad antidotos deſcribendas, quibus probati veteres in contagio pellendo vſi feliciter ſunt, properemus. Paulus ex Rufi authoritate, confectionem eam in primis laudat quæ ex aloë partibus duabus, ac totidem ammoniaci guttis,& parte,vna myrrhæ conficitur. Hæc ex vino odorato contrita ac quotidie deuorata ad dimidiæ fabæ magnitudinem, adeò prodeſſe ſcribit pellendis contagij peſtilentis ſeminariis,vt potione ea omnem ſuperari peſtilentem labem, *Fē.1.quar* de Rufi ſententia,atq; experimēto teſtetur.Auicēna huic an- *ti trac. 4.* tidoto,ammoniaci loco,crocū ſubiicit : vúltque eius antidoti *cap.5.* drachmā quotidie ſumi.Cōfectionē hanc, ſeplaſiarij, & medicinam factitantes omnes, pillulas communes vocare in vſu habent. Quòd enim potio, ob inſignem amaritudinem, ingrata laborantibus eſſet, in catapotiorum formam redigere excogitarunt:ſic enim & liberius,& facilius ſumi medicamēta ab ægrotantibus putauerunt. Nec mirum profectò tantū medicamento huic tribui,quantum vix alteri ad depellendū contagij noxam. Siquidem valentiſſima ſunt ad id muneris *Libr.2.de* ea,ex quibus conficitur. Cùm aloë, vel diui Meſuei teſtimo- *ſimp.med.* nio, medicamentorum purgantium omnium præſtantiſſi- *purg. c 1.* mum,& ob ſuam quandam prærogatiuam excellentiſſimum *ex Syluio.* habeatur, & quód ſine morſu vacuet, excrementa conſu- *Meſues v* mat, & à putredine corpora vindicet, vt etiamſi myrrhæ *bi ſuprà.* admiſceatur,imputria cadauera ſeruare poſſit,vt idem autor *Gal.li. 6.* teſtatur. Creber itaque aloës vſus, ſenſuum inſtrumenta, & *ſimp. et li.* corpus reliquum nullo inſanabili affectu tentari ſinit, ſed *7.met.me* ſenſus acuit,cogitationémque reddit meliorem. Quātis por- *den. & li.* rò myrrha polleat viribus,à Dioſcoride,li.1.c lxvij.legendum. *6.de comp.* Ego profectò antidotum hanc (ſi ritè parata habeatur) cæ- *med.ſecun* teris cunctis in præſeruandis à peſtilenti lue corporibus præ- *dum locos.* ferri debere iudico.Hanc ſequitur,quæ ex rutæ foliis, caricis *& libr.6.* pinguibus,nuce iuglande, & ſalis grumo inuicem miſtis con- *de ſan.tu.* ſtat. Hæc ſi ieiunus aliquis edat,à venenis lædi non poterit, ſi *libro 2. de* Galeno ex Apollonij monumentis fides habenda. Sic autem *antidotis.* parari medicamentū debet.Rutæ folia viginti, nuces iuglandes duæ,ſalis grumum vnum, caricæ duę, tritis omnibus ſimul,ſumatur inſtar offæ,ſeu boli: aut ſi quis integra hęc nec contrita deuorare velit, præſtiterit id feciſſe. Antidotus ex ſanguinibus,quæ à Galeno,& Paulo deſcribitur, & vt ſingularem prærogatiuam habens, magnis laudibus cōmendatur.

Mirificè prodest & quæ item à Galeno Centenaria appellatur, quam quæ in Cæsaris gratiam (Antoninus is erat) vt eum à veneno seruaret, composuit. Mihi verò ex his omnibus, Guidonis antidotus valde probatur, quam recentes theriacalem Guidonis appellant. Est enim profectò magni in pellendo veneno vsus, vt quotidiana experientia docet. Sed omnium primas Andromachi Theriaca, vel Galeni testimonio Mithridatiaque antidotus tenent. His antidotis si quis rectè vtetur, à pestilenti labe seruari immunis poterit: præsertim si Galeni consilium fuerit secutus. Is enim in pestilentis aëris statu, corpora pleniora, & plethora, referta, inanire sanguine misso curabat, vti impura, & cacochyma, dato medicamento purgare: quę sicco erat habitu in eo ipso seruare studebat: quæ obstructionibus obnoxia erant, ab infarctu liberare de obstruentibus satagebat: quæ humidiora essent, omni studio exsiccare nitebatur, sicque à contagij labe illæsa seruabat. Hanc methodum si qui sibi caueri volunt sequentur, pestilentis veneni noxam nō sentient. Hactenus de præcautione. De curatione pauca subnectamus. Qui contagione nocent morbi, & pestilentes sunt, cùm totius substantiæ morbi dicti sint, præsidiis item indigent, quę tota substantia iis auersentur non qualitate vlla elementari. Tametsi pro ratione superantis in morbo qualitatis, contrariis etiam qualitatibus pugnandum sit, vt & Galenus, & Paulus docent, vt si intemperies calidior fuerit, refrigerantibus vtamur, si frigidior, calefacientibus, vti si humidior, siccantibus, si iusto siccior contraria qualitate vincentibus medeamur. Sed hoc aduersus qualitates manifestas pugnare est, nō morbum qui tota sua substantia lędit, corporisque nostri substantiam depascit curare, quod pestilens sit, & aliquid contineat substantiæ nostræ aduersarium, atque corrumpens ac proinde remediis opus est, quæ proprietate substantię delere contagii vim possint. Id quomodo fiat, paulò post dicemus. Principiò vbi quis contagiosa, atque pestifera lue laborare cœperit, dignoscetur autem id signis propriis, febris maligno more, vomitu, angustia, conturbatione, animi deliquio, pestilenti aëris statu, à quo multi eodem morbo corripiuntur cōsuetudine cum inquinatis eo morbo hominibus, carbone bubonéve: aut exanthematis prodeuntibus) sæuienti morbo confestim occurrere studeat, quòd procrastinatio in talibus mor-

Gale. com 2. ad li. de nat. huma. Hipp. Paul. li. 2. c. 35. ex Aderance.

tem adferre soleat. Vnde est illud Hippocratis, medicari in valde acutis, si materia turget, eadem die, tardare enim in talibus malum. Cùm vero morbi hi, qui contage afficiunt, peculiare quid, ac proprium habeant ab aliis omnibus discretum, nempe seminaria contagij, seu quam vocat Hippocrates morbidam excretionem, à qua lethalis morbi vis pendet. Huic frangendæ ac disiiciendæ, toto morbi decursu est insistendum, siue in initio fuerit morbus, seu altas iam radices egerit. Seminaria porrò hæc vt curemus, aut frangere ea, aut educere, aut tandem enecare studendum est. Nec verò semper omnibus his vti medico licet, sed modo frangētibus, modo educentibus, interdum enecantibus, seu extinguentibus vtendum. Franguntur, & alterantur seminaria his, quæ antipathiam ab ipsa habeant, frigidáque ac sicca potentia sint, quo in genere bolus Armenus, Lemnium sigillum, acetum, citri succus, margaritæ, corallus, & pleraque id genus reponuntur. Educuntur verò seminaria, si vno aliquo vacuationis genere extrahere ea à corpore satagerimus, vacuatis malignis intrò latentibus humoribus. At verò quoniam dispersa huiusmodi seminaria in omne corpus vt plurimum sunt, magna sanè difficultate educi etiam dato medicamento possunt. Euacuatione tamen humorum, quibus agglutinata hærent, quadantenus & ipsa quoque euacuari contingit: præsertim aluum mouentibus medicamentis, aut iis quæ sudorem, vrinámve eliciunt. Minus tuta sanguinis missio est, vt plenius paulo post dicemus. Cucurbitulæ cum scarificatu tutiores. Enecantur verò, atque extinguuntur seminaria mali, his quæ omnino ea disiiciunt, & absumunt: qualia sunt ignis & vrentia loco admota, si extra morbus appareat. Ac proinde Acronem Agrigentinum (quod refert Paulus) non ineptè fecisse, qui lignorum aceruatim structorum incendio, sparsa in aëre pestilentis morbi seminaria extinguere conatus sit. Quod & fecisse Hippocratem in vasta illa pestilentia, ex Aethiopia Athenas, & Græciam omnem delata, legimus. His itaque modis si aut frangere, aut educere, aut extinguere seminaria conati fuerimus, magnam curationis partem adeptos esse nos arbitrari iure poterimus. Hæc itaque imprimis seruanda in pestilentis morbi curatione, quæ exacta tum certè curatio erit, si propriis scopis definita fuerit. Sunt autem scopi hi. Congrua in sex rebus

Li.4 aph. 10.

Li. de nat. hum.

Li. de Theria. ad Pisonem.

non naturalibus administratio. Venenosi humoris, & seminarij in eo contenti per ea quæ euacuant,& antipathiam habent, bezoardica vulgus medicorum vocat eductio, bubonis pestilentis, atq; carbonis procuratio, postremo symptomatum correctio. Quoniam vero præcipuas in morbo leuando aëris attracti qualitas partes habet, prouidendum vt qui ab ægro inspiratur aër, purus, & ab omni inquinamento liber, probéque perflatus, & aquilonibus expositus sit, talis enim saluberrimus esse, vel omnium autorum sententia, existimatur. Quamobrem præstandum id erit, vt radiis solaribus cubiculum illustretur, vt quæ ad septentrionem expositæ sunt, lumina cubiculi excipiendæ auræ inde spiranti pateant, renouetúrque sæpe in cubiculo inclusus aër, suffitibúsque odoratis suauis reddatur: vt si hyems fuerit, ex styrace, lasere Indico, olibano, moscho, agalloco, ladano, citri corticibus aridis, sampsycho chariophillis, gallia moschata, omnibus tritis,& in tenuissimum puluerem redactis, ex aqua florum citrij infusionis tragacanthi effictis pastillis, ac igni subditis, cubiculi aërem vaporare. Item ex libanotide, lauro, iunipero igni admotis suffire licebit. Aestate verò sternatur cubiculi solum myrthi foliis, citrij mali, modicóque rosaceo aceto,& rosacea aqua aspersis. Iuuerit etiam ex redolentibus pomis putamina accepta, cum rosis aridis ignibus admouisse: rosas item violas, odoratósque flores multos in cubiculo contineri, vtilissimum: vti & odoratos fructus, imprimis verò citriorum aceruos, si in eo loco fueris, vbi eorum copia adsit: sin minus, cotoneorum,& pomorum redolentium domi habere saluberrimum. Irroretur cubiculi pauimentum, ac parietes etiam ipsi sequenti aqua. Accipe aquæ rosarum libram, aquæ myrrhi,& florum cirij (quam vulgo naffe appellāt) singulorum libram, aceti rosacei albi libræ dimidium, vini cretici vncias quatuor, omniū santalorū singulorū drachma, caphuræ scrupulū, omnib. simul mistis, probéq; inuicē agitatis, irrorentur cubiculi partes. In summa id cauendum, ne calidus & humidus aër sit, sed frigidus potius, ac siccus: ne caliginosus, conclusus, teter, sed purus, liber, suauis. Cibi sint, qui & optimum succum generent,& facile conficiantur, & putredinem humorum arceant, vt & virtus refici, & resistere perniciei cibo instaurata possit, ob id ad cibum cogendi sunt, qui pestilenti lue corripiuntur, quòd in eo affectu prosterni plurimum appetentia soleat:

Rasis 4. ad Alim. ca. de pestilentia & eius cautela. Auic. fen. 2. pri. lib. 2. cap. 5.

soleat: quæ nisi congruo cibo reponatur, mox concidit virtus. Ob id rectissimè id dixisse Auic. est visus, Plurimos eorum, qui viriliter agunt, & sese ad cibum inuitant, à morbo liberari, ac viuere. Vtantur itaque iure ex caponum, altilium pullorum, perdicúmve carnib⁹ parato, in quod oxalidis, buglossi hortensis, intybi, aut lactucæ folia indantur. Intinctus fiant ex omphacio, rosacco aceto, oxalidis, vel punicorum malorum succo. Sed omnia citrij vel limonis succus, bonitate & virium præstantia, in pellendo veneno superat: quo nedum in cibis, & in iuribus quoque ipsis, atque etiamnum aquæ saccharato pro potu immiscendum consulo, vti & capreolorum vitis expresso succo Isthæc enim omnia putredini arcendæ, seminariis pestilentibus frangendis, atque alterandis, principibúsque partibus confirmandis optimè facere, vsu exploratum, ac deprehensum est. Potus sit aqua frigida, affatim, copioséque hausta si æger ardore æstuet, vt Paulus, atque Auic. docent. Verùm vbi quieta & mitis apparuerit febris, vt plerunque pestilens solet, tum magis vinum tenue, odoratum, album, atque pauciferum, fontana aqua dilutum, magis prodest. Nam etsi aqua frigiditate sua ardorem compescere potest, humiditate tamen sua nimia augere putredinem, atque obstructionem crudiorem reddere qui propelli debet humorem, viresque deiicere solet. Quamobrem in maiori parte pestilentium febrium, abstinere à copioso frigidæ potu, ob eas quæ dictæ sunt causas præstiterit magis: nisi & ardentissima fuerit febris, & ægri temperies calida siccaque valde, tempúsque anni æstiuum. Aqua verò cùm vtendum est, illi admisceantur quæ veneni vim retundere facultatem habent: qualia sunt paratus ex succo limonum sirupus, aut de duobus granatis, vel ex oxalidis succo, prodeŕitque plurimum si aquæ immadeant folia aliquot oxalidis: nam præter id quod gratam gustui reddunt potionem, salubrem etiam, & venenis aduersantem efficiunt. Hæc de cibo ac potu. De somno ac vigilia hæc præcipienda, vt plus in vigiliam, quàm in somnum inclinet æger, modo virium ratio habeatur, ne nimia vigilia labascant vires. Equidem cùm per somnum intrò cum natiuo calore condi humores, à superficieq; quasi in centrū retrahi certum sit, metus est, ne & venenosa seminaria in ambitu corporis dispersa, reuocato natiuo

Fen.1.4. trac.4.c.4

Li.2.c.36. Fen. 1. quarti tract. & cap.4.

calore intrò quoque & ipsa ferantur, lethalem afferentia noxam, ob id vigilare iubendi sunt, qui bubone, carbonéve pestilenti laborant. Possunt tamen vbi sat vigilarint, se in somnum sub auroram dare, horámque vnam, aut alteram dormire. Corpore, animóque quieti sint. Plenitas omnis, ac redundantia desit: quæ si fortè adsit, leuibus clysteriis tollatur, aut siliqua Aegyptia, sirupóve rosaceo, aut melle aëreo deuoratis. Spe bona, hilaritate, fiducia in Deum animum foueant, nec mali formidine terreantur. Qui enim animo forti, infractóque sunt, hi bona ex parte morbo superiores euadunt: vt contrà qui meticulosi, pusillanimes, diffidentésve fuerint, vinci protinus à malo consueuere. Sed iam ad alterum scopum vacuandi seminaria morbi stylum vertamus. In quo quæri illud imprimis solet. Sitne aut sanguine misso, aut purgantibus medicamentis, in pestilenti affectu vacuandum. Gal. certè in pestilenti aëris statu, quæ corpora superfluitantibus redundare animaduertebat, purgationibus ea sanare studebat. Paulus in sanguinis redundantia secandam venam peste correptis iubet, vti & purgandum, tum iis quæ à toto corpore superflua educunt, tum iis quæ vrinas mouent, & (si pituita in ventriculo redundauerit) vomitionem excitandam consulit. Idémque Arabs Auicenna pestilentis febris curationem docens, cùm inquit, *Summa curationis earum est exsiccatio: & illud cùm phlebotomia, & solutione ventris. Et oportet* (subdit) *vt incipiatur in ea ad euacuandum. Si autem materia vincens fuerit sanguis, fiat phlebotomia: & si fuerint humores, aliis euacuentur.* His autorum præiudicatæ autoritatis sententiis, vacuandum esse in pestilenti affectu, seu sanguinis missione, si plethora adsit, seu purgantium medicamentorum auxilio, si cæteri vincant humores, perspectissimum haberi potest. At verò res vt tota dissolui ex vero possit, illud pro confesso habendum, congruere quidem vacuationem, eámque exercendam vbi plenitudo subsit humoris, vel ad putrefactionem parati, vel iam etiam putrentis. Verùm vbi corruptio tota citra plenitatem, è contagione, & seminariis inquinatis dependet (fieri nanque potest, vt homini probè sano, nec vllo humorum vitio malè affecto, contagio à pestilẽti aëris statu inferatur) tum profectò materiæ inquinatæ non esse sanguinis missione, aut purgante medicamento, quod delectu trahat vacuationem moliendam, pro comperto haberi debet.

Libro 1. de diff. feb. c. 4.

Li. 2. c. 36.

debet. Siquidem cùm, autore Gal. experientia normæ vice habenda sit in iis, quæ ægris accidunt, exploratum autem sæpissimè sit, in pestilentiis bonam eorum partem quibus detractus fuerit sanguis, aut in grauia discrimina lapsos, aut mortem paulo post obiisse (vt & nos anno salutis Millesimo quingentesimo vigesimo octauo, & rursus Millesimo quingentesimo quadragesimo secundo) quibus autem missus non fuisset, euasisse bona ex parte, consentaneum est dicere, inutilem in eiusmodi sanguinis missionem fore, quod hæc pestiferam luem, atque inde manantem perniciem non summoueat (vt quæ in humoris vitio posita non sit) ac proinde neque laborantem adiuuet, nec morbum leuet, sed contrà & ægrum grauius offendat, & morbum truculentiorem, citiúsque interimentum reddat: ídque optima ratione: quòd exagitata sanguinis missione pernicies extrinsecus in nos demissa, vacuato sanguine & spiritu, promptius in pulmones, cor, venásque permeet, ac deferatur, maioréque impetu inualescat patefacta ad internecionem via. Quin & sanguis secta vena exagitatus, promptius morbidam excretionem cõtrahit (ex ipsa nanque rerum natura deprehenditur, causam motam quiescente esse molestiorem) quæ docta Galeni sententia est: ob id scilicet, quòd noxium omne quiescens, consuetudine quadam nobis familiare efficitur. Vnde assuefactum corpus, aut nullam, aut certè minimam noxam percipit: motum vero & agitatum, in partésque sanas impetu latum, illas afficit, & pro sui ratione in contrarium quendam statum immutat, túmque non sanas tantùm partes, sed & eas quibus per quietem familiare factum fuerat, fatigatione & alteratione sui generis propria, hoc est perniciosa, euertit. Sic certè mota, sollicitatáque flamma (quod Aphrodisæus Alexander tradit) seipsa calidior euadit: aër autem motus, atque diuerberatus frigidior. Cùm itaque exagitetur secta vena sanguis, profectò tetra lue infectus magis ægrum vexabit: perinde atque aqua, cui vel fel, vel aloë sit admistum, amara magis fiet si agitetur, quàm si consistat, quod experientia docet. Adde sanguinis missione vires valdè exhauriri, vt minus posteà fæuienti morbo resistere queant. Hæ rationes experientiæ fide roboratę, docent à venæ sectione abstinendum in pestilenti morbo, prout & eædem vincunt, à validis purgationibus temperandum:

Libr. 6. de sanitu.

Libr. 5. de sympt. cau. cap. 5.

Li. proble problemate 112. & 113.

præsertim si morbus iam extra initij fines fuerit, & radices iam altas egerit. Non enim tum vlla ratione, aut sanguinis missio, aut valida purgatio conueniunt. Sed si magna plenitudo subsit, virium robur, & florens ætas, sitque adhuc in initio morbus, mitti tum absque periculo sanguis poterit. Id autem in vniuersum obseruandum, ne medicamentis purgantibus validis venenatum humorem educere satagamus) magis enim tum irritatur, vt experientia docet) sed placidis, & mitibus agamus: quæ educere modicè noxium humorem, non exagitare possint: qualia sunt siliqua Aegyptia, mel aëreum, syrupus rosaceus, radix barbara, ex decocto acetosę scabiosæ, buglossi, & florum communium exceptis, adiecto vno aliquo ex antidotis suprà memoratis. Conueniunt etiam clysteres, & si demendus sanguis sit, placet magis cucurbitulis incisis, quàm secta vena adimi. Quòd si secandæ venę sint, tali venæ vt secentur magis probo quàm brachiorum, ne in cor & pulmones tetra lues labatur. In summa cùm morbus pernicie venenosa infestet, & à venenata qualitate sui generis impendeat, magis aduersus hanc antidotis, & his quæ frigiditate, & adstrictione leui, spiritus, sanguinem, & humores cohibere possunt, pugnandum, quàm vacuantibus medicamentis exacerbandum morbum. Cùm enim iam sparsa contagio est, & seminaria morbi latè diffusa, nihil quicquam aut venæ sectio, aut purgatio, quę validis medicamentis fit, prodesse potest, at longè magis nocere his quas antea attulimus rationibus. Sed iam de vacuandi scopo satis. Nunc ad bubonis pestilentis, carbonisq; curationē proximè accedamus. Ergo si bubo apparuerit, mox locus in quo insidet accuratè spectandus est, num in cerebri, cordis, aut hepatis emunctorio constiterit, hoc est, sub aures, axillas, inguina: túmque foras euocandi, non intrò trudendi intentio sit. Euocantur autem foras calidis attrahētib. admotis. Quamobrem ex vsu erit cataplasma exceptis, & theriaca confectum admouisse. Conficitur autem sic. Excauētur cępæ aliquot, intra quorū cauitatem theriaca indatur, suóque operculo integantur, & prunis simul subdita donec mollescant resideant, probèq; trita buboni admoueātur. Confert itē cataplasma ex cępis, calamento, origano, hyssopo contritis, & in lixiuio elixis, quibus in tritura addantur ammoniaci guttæ, galbani, serapini singulorum vnciæ duæ, terebinthinæ, mellis, ceræ quantum agglutinandis omnibus sat

ſat viſum fuerit,& buboni ad ſuppurationẽ admoueatur: Theriaca ſemper his quę admouentur indica: trahendi nanque ad ſe venenum, etiam appoſitu, poteſtatem habet, vt Gal. lib. de theriaca ad Piſonem conceptis verbis teſtatur. Prodeſt quoque plurimum deplumem gallum, podice buboni admoto diu continuiſſe, ita vt galli ore occluſo, podice trahere aërem gallus cogatur: ſic enim vnà & venenum ad ſe trahit, ſibique mortem concitat. Quamobrem plures in id habendi ſunt, vt in demortui locum alter confeſtim ſupponatur. Ex ficubus item ſiccis, ſale, fermento acri, paſſulis enucleatis, omnibus ex oleo liliorum exceptis, amplaſtrum conficitur ei rei valde idoneum. Suppurato bubone candenti ferro aperiẽdum eſt, diúque fluere permittendum, túmque extergentibus & virus trahentibus vtendum, donec venenoſa omnis lues exhauſta fuerit. Agglutinantibus poſteà, ac ſigillantibus commodè vtendum. Interea verò dum hæc perficimus, antidotis ſuprà ſcriptis perpetuò vtendum: hácque methodo curari bubo peſtilens poteſt. Carbonis verò hæc propria eſt curatio, vt candenti ferro ſi fieri id commodè poſſit, protinus venenum intus latens extinguatur: quod nullo præſentiore remedio quàm igne fieri poteſt. Quod ſi ignem æger ferre non poſſit, aut nolit, ſcarificatu circuncidendus locus eſt, ſanguíſque effluere ſinendus, móxque in ambitu ne venenum latius ſerpat, bolum armenam, ex aceto & roſaceo oleo imponere expedit. Carboni verò ea admouere, quæ vrendi vim habeát, & trahendi facultate ſint prædita, inter quæ primas, quæ ſequuntur partes obtinent. Accipe vitellum oui, ſalem tritum, fuliginem camini, fermentum acre, caricas bene pingues, ſcabioſam & ſymphitum ſimul contrita, & oleo liliorum imbuta, in modum cataplaſmatis imponito. Theriaca ex adipe ſuillo admota, cum ſalis momento & pipere, optimè facit. Nonnulli ſapyrum tota ſui ſubſtantia ad id valere prędicant, ſi carbunculo admoueatur. Vbi non amplius veneni vis ſerpit, ſiſtitúrque maligna putredo, tum eſcharam remouere emollientibus expedit, idque ſenſim: quod præſtant butyrum recens ex oui luteo: item ſi ex altheæ foliis, atque radicibus, tum & geranij eius, quam vulgo Roberti herbam nominant, aqua decoctis, & cribratis, ex butyro & ſuillo adipe pulmentum confeceris, vnicè ad id prodeſſe exploratum eſt. Amota eſchara detergẽtibus vtẽdũ, nẽpe rhodomelite ex ſucco apij,

Carbonis peſtilentis curatio.

vel vnguento ex resina parato, aut vnguento, quod mistum officinę vocant. Detersa sanie, epuloticis sarcoticísque vtendum, vnguento ex aloë, myrrha, olibano sarcocolla, & argenti spuma parato. Hęc de carbonis curatione. Symptomata porrò, quę præcipuam curam desiderant, sunt animi deliquium, vigilia, sopor veternosus, sitis. Animi deliquio succurratur bonis odoribus, epithematis refrigerantibus, antidotis crebrò assumptis. Vigilię somniferis, & crurum lotionibus ex lactucæ, salicis, nympheę, vitis, & arundinum foliis adiectis papaueris albi capitibus, violarum, rosarum ac nympheæ floribus. Fronti quoque soporifera admouisse ex vsu fuerit, nempe violarum, & de seminibus papaueris, aut lactucę oleum, adiecto si opus fuerit opij momento, & croco. Soporatus si fuerit æger, sonis, clamoribus, aceti acerrimi odore excitandus: rutæque ex aceto odoramento à somno arcendus, violenter agitandus, extrema fricanda asperis pannis, interdum & sale id fecisse pręstiterit. Siti frigidæ, potu, & refrigerantibus syrupis occurrimus: sit autem exuberans potus affatim sumptus, vt Paulus & Auicenna iubent. Si aluus nimium fluat, non confestim sistenda est, sed sensim adstringentibus & refrigerantibus, syrupo myrti, cotoneorum malorum, & oxyacanthæ aquáque chalibeata. Si sanguis è naribus immodicæ erumpat, cucurbitulis ad hypochondria affixis, dextro, si ex dextra nare: sinistro, si ex sinistra erumpat, medendum. Ligaturis brachiorum & crurum, ad hęc puluisculis ex aloë, armenio luto, & sanguine draconis, thurísque polline ex succo arnaglossi exceptis, & naribus admotis. Hæc præcipua, quæ ad se curam vertunt morbi, symptomata sunt, hæc eorum curatio. Quamobrem hîc finem iam faciamus, si id vnum prius testatus fuero, maxima me admiratione teneri, priscos autores ita sui oblitos, vt de contagione vix verba fecisse videri possint. Non Hippoc. non Galenus, Paulus, Aëtius, Alexander, non denique qui illis successere Arabes quicquam nisi tenue, & exiguum de ea re tractare aggressi sunt. Vnus profectò nostra æstate Hieronymus Fracastorius, eo in argumento omnes impleuisse numeros, suo iure, atque merito videri potest. Cui tantò maior habenda gratia, quantò veteres ea in re superasse sit visus.

Symptomatũ pestilentiũ curatio

De

De morbis contagiosis, & pestilentibus, Hippocratis, & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

SVNT febrium duo genera vt hoc quoque nunc attingam, quorum alterum commune omnibus pestis appellatur. *lib. de flatibus.*

Communis febris propterea omnibus accidit, quòd eundem spiritum omnes attrahunt, fitque vt simili corpori similes spiritus similiter permixti, similes gignant febres. *lib. de flatibus.*

Sed est fortasse qui dicat, vt quid ergo non omnibus animantibus, sed alicui eorum generi incidunt hi morbi? Cui ego sic respõderim. Differt corpus à corpore, natura à natura, & nutrimentum à nutrimento. Non enim omni animantium generi eadem, aut non conferunt, aut commoda sunt, alia aliis magis conuenientia. *eod. lib.*

Quando igitur aër eiusmodi inquinamentis plenus est, quibus humana natura offenditur, homines ęgrotant. Quando verò alteri cuipiam animantium generi aër inconueniens est, tum morbus genus illud corripit. Qui ergo populares sint morbi, hactenus dictum sit, & quare, & quomodo, & quibus, & vnde gignantur. *Eod. lib. de flatibus.*

Quando ab vno morbo multi homines corripiuntur, eodem tempore, causam ad id quod communissimum est, & quo maximè omnes vtimur, referre oportet. Est autem hoc spiritus, & aër, quem in spirando trahimus. *libro de nat. hum.*

Cum vnius morbi popularis grassatio existit, manifestũ est diætam non esse culpabilem, sed quem trahimus spiritum in causa esse: palámque est eum ipsum spiritum, siue aërem, morbosam aliquam exhalationem habere. *Libro de natur. hum.*

Eo itaque tempore (id est pestilenti) homines in hunc modum commonefacere oportet, nimirum vt diætas non permutent, quia morbi causa non existunt, verùm vt videant quo corpus habeant quàm minimæ molis, ac debilissimum. Detrahendi insuper sunt cibi & potus, quibus vti consueuerunt, idque paulatim facere oportet. Nam si quis cito diætam permutet periculum est etiam à permutatione ali-

quid in corpore nouatum iri.

Prouidendum verò, vt quàm paucissimus aëris influxus in corpus ingrediatur, & vt ille ipse quàm peregrinissimus existat. *lib. de natur. hum.*

Regionum locos in quibus morbus (intellige popularis) consistit, quantum eius fieri potest, permutare oportet, & corpora attenuare. Sic enim minimè multo, ac denso spiritu homines opus habuerint. *eod. li. de natur. hum.*

ANNOTATIO.

De contagionis porrò natura, causis, effectionève, non est quod ab Hippocrate in his quæ extant eius operibus quicquam descriptum inuenias: vt ne verbũ quidem ab eo de ea re vspiam sit prolatum. Nam quæ attulimus ex libris de flatibus, & de hominus natura, generatim quidem pestilentis morbi causam explicant: aëris scilicet inquinati, & dira exhalatione affecti comunẽ ab omnibus attractum. Verùm cur contagio ea serpat, quid sit, vnde nascatur, quomodo sese propaget, aut quemadmodum sit præcauenda, atque curãda, ne per somnum quidem ipsum meminisse viro in eius autoris lectione versato euidentissimum fieri potest. De popularibus autem morbis, varij generis locos libri de morbis vulgaribus tibi suppeditabũt, quos vanum fuerit hic descripsisse.

GALENI.

QVOD cõmune multarum ægritudinum est, communem hoc causam habere, rectè dixit Hippocr. at non rectè tamen communium morborum ortum, in vnum aërem confert. Siquidẽ qui in Æno grassante fame vescerentur leguminibus, cruribus debilitabantur, qui verò erua essent, hos genuum dolor corripiebat. Neque hoc nos ignoramus, cùm in fame quidam frumentum semiputre coacti manducare essent, in communem communi de causa incidisse morbum. Aliquando etiam cum vsus infecta aqua esset totus exercitus, similiter afflictos omnes milites fuisse. *com. 2. lib. de natur. hum.*

Communium morborum quos parit aër, curationem non prodidit integram Hipp. Nam non rarò stagnorum respirationes, vel locorum cœnosorum, vel eiuscemodi terræ, eos morbos concitant, interim solum intemperatum. *com. 2. ad lib. de natur. hum.*

In euaporationibus, potius totius proprietate essentiæ, quàm

quàm nuda qualitate offendentibus corpora, ordine curationem tradidit in duo referens proposita, loci vicissitudinem & paucula attrahendæ vsum animæ. *eod. com. 2.*

Quod aëris pestilens status febrem afferre consueuit, nemo sanæ mentis dubitauit: sicuti & pestilēti morbo laborantium conuersatio periculosa, ne inde contagium contrahatur, quemadmodum ex scabie, & lippitudine. *lib. 1. de diff. febr. cap. 2.*

Est etiam eorum qui tabe correpti sunt consuetudo nequaquam secura: atque omninò eorum, qui putridum exspirant: adeo vt domus quas habitant fœtidum exhalent odorem. *eod. lib. & cap.*

Fortè autem per continuum ex Æthiopia quædam putredinis fluxêre contagia, his quorum corpora erant ad patiendum parata, febrium causæ futura. *libro primo de diff. febr. cap. 4.*

ANNOTATIO.

PRAETER hos tres, quos nunc ex secundo, & quarto capitibus primi de Febrium differentiis libri citauimus, de contagio locos, non est quòd alios inquiras. Nusquam enim Galenus de contagio in reliquis, quę extant suis operibus locutus est. In id enim mentem adhibere de industria volui, dum de contagione ex professo tractarem, vt viderem ecquid ea de re à Galeno traditum literis, explicatúmque foret. Sed cùm omnia lustrassem, & attentè omnia illius monumenta, atque volumnia perlegissem, ídque non semel: nihil tamen præter ea, quę à me nunc adducta sunt, inuenire potui. Quæ me res in summam certè admirationem deduxit, vt cùm tantus esset Galenus, támque rerum naturæ scientissimus, támque etiam multa de pestilentibus morbis, ac popularibus, de pestilenti febre tradidisset, nihil quicquam eum tamen de contagio, pręter ea pauca, quę attulimus, tractasse. Non enim vspiam de contagij natura, atque essentia conceptis verbis tractauit, non de illius causis, de contagij propagatione, & quomodo corpora afficiat, non etiam de illius seminariis, de noxę modo, aut quanam ratione pręcauenda contagio sit, ne suscipatur: aut posteaquàm suscepta est, qua mothodo sit curanda, vt planè nesciam an mancum, & ab summi medici officio deficiētē hac in parte appellare Gal. liceat: qui cùm in rebus aliis

plurimis, quarum non ita intererat, ad satietatem vsque illis explicandis profusus fuerit, in cõtagij tamen explicanda natura, ac noxa vix vnum aut alterum verbum protulerit. Nisi fortè vnica tãtùm ratione defendi à calumnia possi, quod multa eius autoris desiderentur, in quibus ea de re fortasse copiosa adsit tractatio. Sed hoc nos scire minimè possumus. Illud scimus, nihil habere in pręsens nos quod ab eo delibare valeamus. Id te scire, lector candide, volui.

Pestilentia est morbus, qui in omnes, aut plurimos grassatur, ab aëris corruptione proueniens, quo fit vt plurimi intereant *lib. definit. medic.*

Pestilentia est communis affectus plurimorum, qui sub idem tempus per vrbes, nationésque acuta pericula, mortésque infert acutas, Vel, Pestilentia est versura aëris, qua de re nec ordinem proprium seruent anni tempora, simúlque plures ab eodem morbo intereant *lib. definit. medic.*

Morbi multi, qui vno tempore fiunt, si perniciosi sint, pestem appellant: si verò mitiores, altera quadam indicant appellatione, Epidemos, vel Epidemios nominantes. *lib. 1. de rati. vic. acut. com. 9.*

Epidemus morbus est, qui tempore anni aliquo in regione aliqua abundat, insolescitque. *eod. lib. & com.*

Pestis est epidemia perniciosa. *ibid.*

Est autem & aliud morbi genus commune multis, quod in regione superuenit, accedítque, endemúmque, vel endemium appellitatur, quasi patrium dixeris, aut vernaculum. *lib. de rat. vict. acut. com. 9.*

Pestis in communibus morbis est. *comm. de morb. popu. circa princ.*

Qui perpetuò tenent locum aliquem morbi ἐνδήμιοι, id est publici vocantur. *com. eod.*

Patet ex vulgarium morborum esse genere eos, qui pessimi sunt, & pestilentes appelantur. *eod. com.*

Vulgares morbi de genere sunt popularium, & vniuersalium, qui morbis dispersis è regione opponuntur. *ibid.*

Postes appellant omnes homines, sciúntque exitiales esse morbos: & vero etiam ad Deos sępe referunt, de curatione eorum consulentes. *com. 1. ad 1. de pop. morb.*

Morborum, qui semper vulgantur, ortum, ac temporum anni statum sedulò obseruare oportet, nec anni tem-

poris ignorare statum. *ibid.*

Ἐπιδήμιον, id est publicè grassans, nos vulgare semper appellamus. *ibid.*

Pestis tanquam & ipsa existat quędam bellua, haud paucos interimit, verùm ciuitates quoque totas depascens malè conficit *lib. de theriaca ad Pisonem.*

in Pestifera lue, theriaces antidotum malo correptis prodesse adeo visum est, vt nullum aliud præsidium tanto malo resistere fuerit idoneum *eod. lib. de ther. ad Pisonem.*

in Pestilentia, praua quædam aëris ad corruptionẽ prõpta mutatio efficitur, vt homines cum respirationis necessitate periculum euitare nequeant, ipsum aërem veluti venenum quoddam ad se per os attrahunt. *eod. lib.*

Pestiferam luem ex Æthiopia Græcos inuadentem, Hip. non aliter curauit, quàm aëris mutatione, alteratione que: ne talis amplius inspiraretur, accenso per totam vrbẽ igne multo ex floribus, & sertis, vnguentis pinguissimis, & odoratissimis superinfusis, vt aërem purum hoc modo redditum, homines in mali subsidium respirarent. *eod. li. de ther.*

in Pestifero aëris statu, theriacem, ceu ipsa quoque ignis quidam purgatorius existat, pręsumentes, neutiquam malo corrumpi sinere nouimus. *eod. lib.*

Peste correptis iam, theriacam posse mederi, aëris inspirati malitiam inalterantem, mutantémque: vt quæ corporis temperaturam infici magis prohibeat. *eod. li.*

Consilium est ob has tam repentinas aëris constitutiones, aliásque noxarum causas oborientes, in prospera quoq; valetudine crebro antidotum assumere, quo & externis accidentibus corpus resistat, ac vbi iam fuerit affectum, illud curatu facilè inuenias. *eod. li. de theri. ad Pisonem.*

vide in Pestifera lue summam theriaces commendationem tam in præuisione, quàm curatione. *Libro de vsu theriaca ad Pamphilanum, long. serie.*

Pestis nomine hi censentur vulgares morbi, quicunque vno in loco multos inuaserint, qui si hoc quoque habuerint, vt multos perimat, pestis fit. *Com. 3. ad tertium de popul. morb. su- pert x. 20.*

de Peste nullum peculiarem confecit Hipp. librum, quoniam ex epidemiis vnum esse illam, per libros epidemiorum demonstrauit. *lib. 1. de rat. vic. acut. com. 9.*

Pestem neque vulgares morbos fieri contingit, vbi anni tempora secundum naturam procedant, & in se conuertantur. *Com.1.ad 1 de pop.morb super text.1.*

In pestilentia aër est, qui corruptus cùm sit, homines perimit. *lib.de vsu theriacæ, ad Pamphilianum.*

Pestilens febris est, quæ cum multa caliditate sitim inextinguibilem inuehit, bilis omnis generis vomitus, fœdas alui excretiones, ac virulentas, vt paludium grauεolentiæ sint quæ excernuntur similia, vrinas multas, ac tetri odoris, pulsus paruos, obscurósque inducit. *lib.definit.med.*

Pestilentes febres cum pustulis interdum apparentes, ex Thucydidis testimonio probat Gal. *com.1.ad li.6.de pop.morb. super text.29.*

in Pestilenti febre, vt Thucydides testatur, corpus exterius quidem tangenti neque valde calidum erat, neque viride, sed subrubrum, liuidum, pustulis exiguis, & vlceribus efflorescens, *com.1.ad lib.6.de popul.morb.super textu 29.*

in Pestilẽti aëris statu, inspiratio plurimum est causa. *li.1.de diff.feb.cap.4.*

Fit enim aliquando ob eos, qui sunt in corpore humores ad putrescendum paratos, cum breuem aliquam occasionẽ ad febris originem, ab aëre ambiente acceperit animal. *eod.libro & c.*

Pestis magna ex parte incipit ex inspiratione aëris circunstantis, à putrescibili euaporatione vitiati. Putredinis autẽ principium, vel à cadauerum multitudine, non crematorũ: quemadmodum in prælijs contingere solet, aut ex aliquorũ vel lacuum, vel paludum, æstatis tempore euaporatione. *Eod. lib. & cap.*

Quia humores corporum, ex victus prauitate erant putredini obnoxij, hinc febribus pestilentibus origo data est. *ibid.*

cur non omnes in Pestilentiis corripiantur, causam vult esse Gal. quòd nulla causarum sine patientis aptitudine agere potest: quòdque magnam in generatione ægritudinem partem habeat eius qui passurus est habilitas corporis. *li.1.de diff.feb.c.4.*

Vide longa serie, proposito exemplo à Galeno, quę corpora excipiendæ contagioni pestilentis aëris sint proniora, & quæ

quæ minus. Proniora sunt, quæ multis superfluitatibus plena ex seipsis ad putrescendum parata sunt, præsertim si & obstructio foraminum, & plethora, & otiosa vita, crapulis & rei venereæ dedita, & cruditates multæ adsuerint. Contrà pura corpora, & excrementis vacua, & liberè spirantia, vel nihil omnino, vel minimum à pestilenti aëris statu læduntur. *li.1.de diff.feb.c.4.*

Pestilentes oriri morbos est necessarium, cum aëris temperatura à naturali habitu ad caliditatem, atque humiditaté immodicè fuerit conuersa. *Li.1.& c.eod.*

Pestilentibus morbis plurimùm laborare solent, quicũcunque superflua fuerint pleni humiditate: quemadmodum qui modicis se laboribus exponit, ac victu vtitur moderato, in omnibus huiuscemodi dispositionibus, nullã omnino sentit offensionem *li.& c.eod.*

in Pestilenti aëris statu, Gal. quæcunque corpora humida videbat, omni via exsiccare conabatur: quæcũque sicca erant, antiquum statum in illis conseruabat. At in quibus superfluitates abundabant, hæc purgationibus sanabat: obstructiones autem foraminum aperire, atque abstergere studebat. *lib.1.de diff.feb.c.4.*

Vide rursus eodem capite, cur quædam corpora illæsa in pestilenti statu perseuerẽt, alia corripiãtur: quod ad multiformes, & dissimiles corporum dispositiones referendum cẽset Galen.

eorum qui à Pestilentibus, & in populum grassantibus morbis, affici prohibentur, non paruam coniecturam affert eorum dispositio, quòd non æquè omnes ab eadem causa patiantur. *Libro primo de diff.feb.cap.4.*

in præcautione à Pestilentibus morbis, prima est in omnibus communis intentio, quòd corpus quàm maximè superfluitatibus vacet atque optimè spiret. Secundo loco post hoc, vt præpotenti causæ, quoad eius fieri potest aduersetur. At quibus eorum contraria insunt, celerrimè capiuntur, ac quàm maximè laborant. *eod.lib.& capitulo.*

Pestilentes omnes febres à putredine ortum habent. *lib.1.de diff.feb.c.5.*

Pestiferis febribus, atque putridis nonnullos ex vitiato & corrupto cibo ingesto interiisse *li.1.de diff.feb.c.3.*

Pestilentes quosdam morbos, ex annonæ caritate ortos, testatur Galenus. *lib. de boni & mali succi cibis.*

Pestilentis febris dignotionem, ex pulsu & vrina, atq; colore corporis, quòd vrina conturbata, aquosior, ac tenuior, quàm pro naturali statu: interdum verò colore, & sedimento naturali sit similis, & pulsus interdũ à naturali statu haud ita multum euariet, color corporis erysipelatosus, sitis multa, oculi flammei, ciborum inappetentia, & quæ sequuntur longa serie. *lib. 3. de præsag. ex pulsib. cap. 4.*

Pestilentium febrium pulsus interdum fiunt moderatis similes, quòd substantia in corde contenta frigidior, cor autẽ ipsum calidius esset, quódque hectica pestilenti laborarent, qui sic affecti essent, vt in pestilentia magna, quæ tùm vigebat accidisse testatur Gal. qui quidem sic affecti præ cæteris perierunt, & ab huiusmodi affectu plurimos, atque præstantissimos medicos falli asserit. *Libro 3. de præsag. ex pulsib. cap. 3.*

Cur verò probo pulsu apparente in pestilenti febre, intereant ægri, causam vult esse Galenus, quòd vbi aër quem inspirando attrahimus infectus putredine sit, ac putredo ad cordis corpus peruenerit, tales pulsus fiant. Quamobrem non mirandum, quòd tales habeant pulsus qui sic laborant, nec si pestilentem animam habeant, nec si omnino morituri. Quam enim excogites medicinam (inquit Galen.) ad putredinem, quæ cor occupauit. *libro 3. de præsag. ex pulsib. cap. 3.*

in Pestilẽtibus febribus colliquationes fiunt, & euacuatur per ventrem bilis crassa, graueolens, & abundè colorata. *lib. 8. de comp. medi. secundum locos cap. de hepate & eius affectionibus. & lib. 4. aph. com. 21.*

Pestilentis febris præcautio, atque curatio. *li. 1. de diff. feb. cap. 4.*

ex febribus Pestilentibus qui euasuri quandoque erant, exanthemata iis in toto corpore apparuerunt. *li. 5. meth. med. cap. 4.*

in Pestilenti febre, contingens in aspera arteria vlcus, à Galeno persanatum. *li. 5. meth. med. cap. 12.*

Pestilentes quasdam febres hecticas fuisse in magna illa pestilentia, quæ suo tempore vagabatur, affirmat Gal. *Libro decimo meth. meden. capite vltimo & lib. 3. de præsag. ex*

ex pulsib.cap.3.& 4.

De popularibus autem morbis, non est quòd peculiares hîc locos describamus, infiniti nanque sunt: sed qui de huiuscemodi affectibus locos parare sibi volet, Hippocratis libros septem de popularibus morbis, & Galeni ad eosdem libros commentarios diligenter legat. Inueniet nanque vberem, quam sibi parare possit locorum de morbis popularibus copiam, quæ varias, ac multiformes morborum vulgatium species atque formas, causas, & varia inde consequentia symptomata tradat: ex quibus attentus lector omnia, quæ de passim grassantibus morbis sciri operæpretium est, magna facilitate inuenire poterit. Atque hîc iam tractationi huic finem faciamus.

De tumoribus præter naturam, seu apostematibus.

CAP. III.

AD exactam de morbis tractationem superesse tantùm videtur, vt de tumoribus præter naturam, tum etiam de vlceribus sermonem instituamus. Hi enim ex omni morborum genere (quod plerunque in externis corporis partibus insidere solent, etsi nonnunquam etiam in internis accidant) sensibus conspicui magis sunt. Itaque hoc capite de tumoribus præter naturam, sequenti de vlceribus agemus. Illud vero in præsens de tumoribus inquirendum, quidnam tumor, seu apostema sit: num simplex affectus, num compositus potius apostema censendus sit: an in apostemate temperies ipsa partium, primò & per se, an constructio, an vnitas præcipuè lædatur: quæ apostematum differentiæ: quæ signa: quæ causæ. Postremò de curatione in genere agemus. Ergo tumoris nomine id cum Galeno intelligi volumus, quod supra iustum naturæ modum, in molem nimiam secundum omnem dimensionem assurgens, membrorum functionibus officit. Neque enim temerè id adiectum esse putare oportet. Tumores namque aliqui secundum naturam membris quibusdam insunt, vt capiti, genibus, ventri, qui neque præter naturam dici, neque membrorum actionibus officere, iure putandi sunt. At vbi tumor aliquis ex affluxu vitiosæ substãtiæ natus, in parte quapiam insederit, qui actioni noceat,

Gal. lib. 1. de mor. dif. c. 5. cũ tumores præter nat. facilè deprehẽdi dicit, vt nullũ medicorum latere possint.

Li. de tumo. præter nat. & lib. 1. de morb. diff. ca. 12.

Nnn

Apostema. iam is profectò morbus est. Hunc medicorum vulgus apostema nominare solet, cum sit apostema tumoris præter naturam species quędam, quã abscessum Latini, Gręci ἀπόστημα nuncupant, quòd à se inuicem spatio quodam partes abscedant, ac diducantur, contento vtique in spatio, aut copioso, aut vitioso quopiam humore, flatuosàve substantia aliqua. Propriè verò abscessus, seu apostematis nomine si vti voluerimus, id pro genere vsurpabimus, quod sub se omnes præter naturam tumores complectatur. Sic enim communis medicorum schola de apostematibus loqui consueuit: & si qui Auicennę interpretis, atque Arabum partes sequuntur, apostema nonnunquã tumoris differentiam faciunt, diuersum quid ab exitura, quam vocant, statuentes. Nos rudioribus consulentes, sub apostematis nomine de omnibus præter naturam tumoribus agemus. Galenus affectum esse definit, quo partes à naturali habitu in quantitate recesserunt. Sic enim lib. 13. meth. med. In hoc, inquit totius operis tertio decimo, de tumoribus, qui præter naturam incidunt, disserere incipiemus, in quibus scilicet partes à naturali habitu in quantitate recesserunt. *Tract. 2. doct. 1. c. 1.* Libro de tumoribus præter naturam, affectum hunc, incrementum naturalem statum excedens, cuius finis sit actionis læsio esse voluit. Guido Cauliacensis apostema ægritudinem compositam esse definiuit, ex triplici morborum genere in vnam magnitudinem aggregatorum constantem. Tria autem morborum genera, quæ ad apostematis essentiam complendam concurrunt, sunt partis intemperies, incommoderatio (quam malam compositionem dicunt) & soluta vnitas. Adesse nanque isthæc omnia in apostemate, vel ipsa sensuum fide deprehendimus: vt haud immerito essentialem hanc esse apostematis definitionem, quæ genere & differentiis constet, Guido contendat. Omnium autẽ appositissimè Halyabbas inter Arabes percelebris semper habitus, definiuisse apostema, lib. 8. theoricæ, cap. item 8. est visus, inquiens, Apostema est tumor membro incidens præter naturam, ex materiæ replentis, ac membri cauitates distendentis abundantia natus. *Loci Halyabbatis explicatio.* Qua in definitione tumor generis locum obtinet, præter naturam, ad differentiam eorum tumorum, qui vel natura nobis insunt, vt capitis, ventris, articulorum, adductum est: vel ob incrementa ea, seu totius, seu partis cuiuspiam: quæ cum præter naturam non sint,

sint, suprà naturam tamen, vel vltra naturam censeri, ex Galeni sententia, debent. Neque enim tumor omnis, incrementúmve quodcunque naturalem statum superans, apostema confestim dici debet, cùm & sanis alioqui non modò ægris (autore Galeno) tumores huiusmodi accidere soleant, vt in obesis, & ventricosis hominibus cernere licet: qui etsi suprà naturalem habitum in vastum tumorem attollantur, obesitate nimia, non tamen extra naturæ limites egressos esse fateri oportet, quoad excessus huiusmodi actionem lædat. Quod cùm fit, tùm & præter naturam esse, & morbi nomine appellandum incrementum huiusmodi, vnà cum Galeno iure censemus. Cùm nanq; partium incrementa ita constant, vt ipsa partium essentia ab omni noxa immunis euadat, tùm quidem minimè in morborum ordinem redigi debent: vt de cuiusdam lingua immodicè aucta, testatur lib. de morborum differentiis Galenus. Cùm verò in definitione adiicitur ex materiæ replentis, ac distendentis abundantia, ex eo intelligi datur superfluum esse, quod membro incumbit, & à naturæ modo, vel quantitate vel qualitate alienum: tum & illud quoque malam constructionem, vnitatísque solutionem, cum intemperie partis adesse significari his vocibus, replentis, ac distendentis. Ex quo enim impletur pars, atque distenditur, vitium statim compositionis, atque vnitatis nascitur: prout aggregata intus, atque conclusa materia, intemperiem nasci sit manifestum: vt tria illa omnino ad apostematis essentiam concurrere sit necesse, nempe partis intemperiem, vitiatam structuram, solutámque vnitatem: ex quibus in vnam quandam essentiam coalescentibus, fit apostema. Ex quo intelligere promptum est, num apostema simplex, an complexus sit æstimandus affectus: quod secundo loco dicturos nos proposuimus. Esse autem compositum potius quàm simplicium affectum illud indicat, quod tria lapsuum genera in vnum, eo in affectu concurrunt. Vitiatur namque tum temperies ipsa, tum structura tum partium vnitas, quæ simul aggregata, ac in vnam veluti essentiam collecta, apostematis essentiam complent. Simplicem namque vocare Galenus eum affectum solet, qui vnam tantùm in nobis naturam lædit, vti compositum, qui plures. Vel eum etiam qui vna tantùm qualitate, non pluribus malè afficit simplicem: qui verò duabus qualitatibus nocet, compositum vocare

Li. de tumo. præter nat.

Li. de tumo. præter nat.

Vbi suprà.

Cap. 9.

An apostema simplex sit affectus.

Libr. 1. de mor. diff. c. 2. 4. & 12.

solet, vt lib.de morborum differentiis, cap.12.conceptis verbis idem testatur Galenus. Quamobrem cùm in apostemate omni, intemperies adsit vnà cum affluxu substantiæ, vel calidæ & humidæ simul, vel calidæ & siccæ, vel frigidæ & humidæ, vel frigidæ & siccæ: consequens certè est, affectum huiusmodi compositum non simplicem esse de Galeni mente statuendum. Quod ille de huiusmodi affectibus loquens, lib.de morborum differentiis his verbis testatus est. Atq; huiusmodi morbi (inquit) compositi sunt, vel nullo comitante vlcere: deinde compositionis eorum varios tradit longa serie modos. Nec obstat quod ab eodem autore dictum est, Phlegmonem primorum, similariúmque corporum morbum esse, vti & reliqua tumorum genera. Nam etsi primò ad similaria corpora affectus hi referendi sunt, non vt simplices tamen, sed vt compositi illis insunt. Simplicibus nanque partibus, tum simplices, tum compositi accidere morbi possunt, vt lib.3.meth.medendi, & lib.de morborum differ.cap.vlt. probat Galenus. Carni nanque vlcus simplex atque cum intemperie & phlegmone accidere potest, vti & omnia tumorum genera eidem quoque euenire, experientiæ fide constat. Ex quibus colligitur, apostema compositum suapte natura, non simplicem esse affectum. Quod cum ita sit, & illud quoque euidentissimum existimari debet, in apostemate vnitatem partis, & constructionem, magis quàm temperiem lædi: tametsi ex quo simplicium partium affectus est, primò videatur temperies lædi. Nam cùm apostema tumor sit præter naturam ex affluxu substantiæ, vel copia, vel vitio lædentis, necessum est à tali influxu partis vnitatem, prius dissolui, affluente vtique aliena substantia quapiam, partium diuisionem efficiente, à qua mox structuræ vitium sequitur, figura vtique deprauata, partéque in tumorem sublata, vt & figuræ, & situs, & magnitudinis vitium interesse necesse sit: statimque ex mora talis substantiæ in parte, euerti ipsius temperiem consecutione quadam oporteat. Non enim confestim intemperatior ipsa pars donec residens aliena substantia & parti impacta, nec congruè difflata, calorem immodicum in ea pariat, vel frigiditate nimia sua, humiditate, siccitatéve temperiem partis euertat. Itaque cùm in affluxu substantiæ alienæ, vel per viam congestionis, vel deriuationis genitæ, atque tumorem præter naturam inferentis, ratio apostematis essentiáque

Ca.12.circa finem.

Libro 1.de morb.diff. cap.vlt.

que

que sita sit: is autem tumor structuram partis, & vnitatem manifesta sensuum fide vitiet (à qua autore Gal.iudicium de rebus medico sumendum est:non ab exacta rerum natura:ne in dogma perpetuæ passibilitatis incurramus) sequitur profectò (quod iam anteà diximus) in apostemate structuram magis, & continuitatem partis, quàm illius temperaturam euerti,etsi etiam & hæc quoque labefactatur, quatenus primorum similariúmque corporum morbi hi sunt, vt Gal.ait. *in arteme dic.cap.8. ex versione Leoniceni.*

Sed de hoc iam satis. Nunc ad apostematum differentias sermone explicandas stylum vertamus. Primæ, ac potissimæ apostematum differentiæ à materia propria, ex qua gignuntur, sumendæ videntur, vt Galenus variis in locis adstruxit: tum & à sedibus affectis aliæ quoque differentiæ, ac nomenclaturæ tumorum sumuntur. Itaque vt quatuor sunt, quæ præter naturam tumores creare solent,sanguis,pituita, bilis, & atra bilis, sic quatuor erunt præcipuæ tumorum differentiæ, Phlegmone, Oedema,Erysipelas, Scirrhus. Phlegmone sanguinei confluxus germen est. Oedema pituitæ tenuis. Erysipelas biliosæ fluxionis. Scirrhus, limosi & fæculenti sanguinis,vel crassæ,lentæque pituitæ,autore Gal.cum hæc exuperarint germina sunt. His addenda sunt flatuosus spiritus, & aquosus humor: qui sui generis tumores creant, vt paulo post dicemus. Abscessus autem extraneam quandam, & purulentam varij generis materiam intra se continent. Phlegmones porrò duæ sunt differentiæ, prout vel ex sanguine puro,syncerόque nec aliis humoribus commisto creatur, vel ex eodem impuro,& aliorum admistione coinquinato. Quæ ex syncero gignitur sanguine, phlegmone vera nuncupatur; quæ ex eodem impuro,non vera: atque pro ratione vincentis in ea humoris denominationem aliam,atque aliam sortitur,vt si bilis sanguinis admisceatur, phlegmonem erysipelatosam:superante vero bili,erysipelas phlegmonosum, atque sic de pituita, & atra bili admixtis dicatur vt sit phlegmone quædam œdematosa, sciirhosa alia, vt Galen.lib.de tumoribus præter naturam, conceptis verbis affirmauit. Phlegmonosi etiam affectus censentur, dothienes, bubones, phygethla, phymata, carbones. Dothienes, Celso furunculi, Auicennæ Aldemurrenul dicuntur. Sunt autem tubercula acuta, cum inflammatione, & dolore Bubones, laxarum partium & glandosarum inflammationes sunt. Phygethlum *Li.de mor. diff.sa.vl. Li. de tumo.præter nat. & li. 2. ad Glauc. & 13.meth. Li. de tumo.præter nat.*

de genere phlegmones erysipelatodis est,& Celso panus vocatur:in inguinibus,& alis vt plurimum nasci solet. Phyma, glandularum phlegmone quædam est,quæ cito & incrementum suscipit,& ad suppurationem,accelerat.Celsus id genus tuberculum nuncupat. Ex phlegmonarum quoque genere & carbo est,ex feruente sanguine originem trahens, qui & crusta integitur & pustulis iis quę ex igne fiunt, simillimis circumambitur: atque ob id & febrem acutissimam creat, & non raro vitæ periculum infert,si ei præter feruorem contagio pestilens adsit:quod in pestilentibus constitutionibus fieri sępe videmus.Phlegmonas etiam non raro sequuntur abscessus,sinus, fistula, gangręna,sphacelus.Abscessus interdùm nulla etiā pręcedente inflāmatione fit,interdū,idque sæpius, ad illam sequitur. Gignitur autem,autore Gal.cum natura à fluore deuicta non amplius in pus,sed peregrinam aliquam mutationem alias aliam sanguis permutatur:vel cum pus retentum,& à carne ei subiecta recedens,& acredine vulnerans substat,tandémque foras erumpit, nisi quis sectione id anteuertat.Sinum id esse vult Gal.cum pus acredine sua erodens, ita particulam excoriat,& continentia & subiectis separat, vt distantia inter se pristinum statum recuperare haud facilè queant.Hunc vero affectum,nisi quis sedulò curare aggrediatur,callo obducitur, vt agglutinare ipsas quę interiacent, partes difficillimum sit:túmque ex sinu fistula efficitur(Græci σύριγγα vocant)arctus nimirum,oblōgúsque sinus. Gangręna ingentes phlegmonas sequitur,éstque veluti partis mors quædam:veluti sphacelus,seu syderatio,completa & exacta partis corruptela,in qua fœtor,nigrities,frigiditas,sensus priuatio atque motus,ob caloris natiui,spirituúmque defectionem insunt.Phlegmonarum quoque genera sunt, quę à partibus quibus insident, pro ipsarum ratione varias nomenclaturas sortiuntur,vt vuę,tonsillę,paristhmia.Vua gurgulionis inflammatio est, quem Græci γαργαρεὼν, καὶ σταφυλὴν Latini columellam dicunt. Tonsillæ, glandularum(quas amigdalas vocant) inflammatio quędam est,παρίσθμια Græci vocant.Sed hæc tria non solū morborum,sed & partium quoque nomina sunt, vt libro enarrationum medicinalium secundo,à me plenissimè demonstratū est.Sequitur erysipelas,quod fluxionis biliosę germen esse Gal.variis in locis pdidit:etsi li.2.ad Glau.ex sanguine & flaua

Abscessus. *lib.de tum. præternat.* *Sinus vbi supra.* *Gāgrena.* *Sphacelus* *Vua.* *Tonsillæ.* *Parysthmia.* *Enarrat. prima* *li. de tum. præternat.*

flaua bile mistam fluxionem erysipelas esse dixerit : quo etiã loco ex sanguine quidem sed efferuescente,& secundum substantiã tenuiss mo,creari erysipelas affirmauit.Qua de re cũ à me exacte lib.Enarrationum mearum tertio dictum sit, sublatáque omnis è Gal.repugnantia,non est quod hîc actum iam agamus.Exquisitum erysipelas solius cutis affectio est, & absque vlcere.Illegitimum vero,non cutim modo ,sed etiam subiectam carnem occupat. Interdum nimia humoris acrimonia cutem exulcerat;sed id dum facit,iam ad herpetis magis naturam,quàm erysipelatos vergit.Fit & nonnunquam ex aliorum humorum cum bili miscella, sanguinis pituitæ atrę bilis,túmque erysipelas,vel phlegmonosum, vel œdematosũ, vel scirrhosum,iure vocatur.Herpes à syncera bili natus , eáque à sanguine secreta erysipelati proximus est.Hunc duplicem Gal.constituit,exedentem & miliarem. Exedens,qui Græcis ἐσθιόμενος dicitur,à bile fit acriore, sed mera cutim vniuersam ad subiectam vsque carnem cum incendio & pruritu depascentem,vnde illi exedentis nomen. Miliaris κεγχρίας Græcè,ex bile tenuiore,atque dilutiore ob pituitæ tenuis admistionem ,fieri creditur:ob id albicantia quædam instar milij seminum, vnde illi miliaris nomen. Ad erysipelatos porro genus illud pertinent , quę à Græcis φλύκταιναι καὶ φλυκτίδες dicuntur pustulæ, veluti bullę quædam,iis similes quæ in corpore , à feruente aqua exoriuntur.Iam verò ad Oedema transeamus , quod & ipsum, vel vt morbus,vel vt symptoma concipi potest. Oedema vt morbus est,tumor laxus,mollis, fungosus,doloris expers , ex pituitæ tenuis influxu originem ducens.Fit ex pituita aliis humoribus confusa, túmque illegitimum œdema nascitur. Vt verò symptomatis rationem habet,alios affectus sequi consueuit, vt cachexiam & aquam intercutem : prę sertim eam, quę φλεγματία καὶ ἀνασάρκα dicitur. Sumitur Hip. œdematis vox pro omni tumore partem quampiam infestante.Tumores nanque cuiusuis generis omnes ,œdemata solet appellare,vt com.1 ad lib.progn.Hip com.13.Gal. Oedema quoddam phlegmonodes,erysipelatodes,scirrhodésque,à sanguinis,bilis,& atræ bilis admistione dici cõsueuit. Ad œdematis porrò naturam referenda sunt,hydrocele,ascites , & leu-

li.13.meth. & lib.de morb.diff. Enarr.3. libr. 3.ad Glauc.

cophlegmatia. Hydrocelen vulgò herniam aquosam dicunt, cùm aqueus humor in testium tunicas allabitur. Ascites, seu aquosus hydrops, cùm serosis humor in membrana abdominis interiore continetur: vti leucophlegmatia, cùm corpus subtumidum totum efficitur, instar mollis, & subtumidi panis. Scirrhus ab atra bile nascitur, éstque Gal. tumor durus absque doloris sensu, si exquisitus fuerit, qui & ipse curationem haudquaquam admittit. Non exquisitus vero vt non omnino sine sensu est, ita & difficulter curari solet. Gal. non solùm ex atrabilario succo, sed ex pituita lenta crassaque, tenuiore eius parte resoluta, fieri scribit. Fiunt quoque & scirrhi ex transmutatione, cùm phlegmone erysipelas, aut œdema plus æquo nimium perfrigerantur, transitque in scirrhum affectus. Sunt & scirrhi phlegmonodes quidam, erysipelatodes, ac œdematodes, pro ratione humoris confusi, à quo fiunt. Melancholici porrò tumores sunt; cancer, elephas, psora, lepra, phagedæna tumens, vlcera maligna, vt Chironia, & Telephia. Cancer ab atra bile fit, citra feruorem. Elephas vniuersi corporis cancer est. Psora & lepra cutis tantum vitia sunt: sed altera profundius se immittit, altera cutem tantum afficit. Phagædena cum cute pariter carnem subiectam depascitur. Satyriasmus, seu elephas incipiens, ad hoc genus refertur. Varices quoque attrabilario sanguine tumentes, eiusdem ordinis censeri possunt. Inter tumores quoque ad hoc genus pertinentes, censentur quę Gręcis ἐκχυμώματα & ἀνευρύσματα dicuntur: quorum alterum ex contusione, ruptionéve nascitur, vbi sanguis cutem subiens tumorem cum liuore facit: alterum tumor est ex vulnerata arteria natus, cùm incumbens arteriæ cutis obducta, arteria verò nondum agglutinata interiacens sanguis tenuis tumorem facit: barbari emborisma deprauata voce nominant. Scirrhosi etiam affectus sunt ab affecta parte nomen sortiti: chœrades, &, sarcocele: alterum glandosarum partium tumor est, alterum testium. Hic varix Latinis, alter affectus strumæ vocantur. Inflationes porrò ad flatuosum tumorum genus pertinent, vt tympanites, quæ Hippocrati aqua inter cutem sicca in aphorismis dicitur: & priapismus, qui pudendorum, à flatulento spiritu in cauernosum neruum sese immittente, intentio est. Sunt & parui quidam tumores in cute orientes, vt achores (salsæ plerunque pituitæ germina) eadémque parua in cute capitis vlcera,

Scirrhus.

li. de tum. prater na. & li. 2. ad Glauc.

li. 4. aph. 11.

cera,tumore modico prædita: Faui, ex quibus melli consimilis humor effluit, & foraminulenti tumores exigui sunt. Duriora & prominentiora sunt,verrucæ latiores,& pensiles: quarũ priores μυρμηκίας, posteriores ἀκροχορδώνας, Græci vocant.Sic & epynictides,exanthemata,& ecthymata, ad pustularum genus referri,quæque in suo genere possunt epinyctides,exigua vlscula sunt, suapte sponte erumpentia, pustularum formam nacta,quibus disruptis cruenta sanies manat.Inde autem nomen sumpserint, quod interdiu nõ admodum,noctu grauius ægrum infestent.Exanthemata,efflorescentiæ quædam subtumentes sunt,instar gemmarum in plantis turgentium.Has Plin.& Latini papulas,& pituitę eruptiones vocant(vulgus medicorum variolas)quæ interdùm latiores.& absque pruritu multo,à frigidiore ac crassiore humore nascuntur:interdum sublimiores apparent,& à calidiore simul & tenuiore humore ortum habēt. Psydracia,tumores non admodum supra summam cutem protrusi, bullis similes,quæ ab igne excitantur sunt. Tumoribus porrò adnumerantur,non iis qui ex humoribus nascuntur,sed qui ex tumente aliqua corporis parte fiunt,nullo contento humore, vt epiplocele,enterocele,enteroëpiplocele,circosele,bubonocele,& vmbilici prominentia.Fit epiplocele, cùm omentum in scrotum labitur:enterocele,cùm intestina descendunt:enteroepliplocele,cùm intestinum simul cum omento in scrotum delabitur. Cirsocele hernia varicosa:bubonocele,inguinis ramex est: & fit rupto peritonæo iuxta inguen, aut eo vulnerato & procidente,ex carne porro supercrescente fiunt epulides,& parulides,hoc est,exigui abscessus circa gingiuas orti carne nimiùm supercrescente.Polypus, deformis eaque carnosa prominentia quædam in naribus est,pendula, multísque radicibus,seu pedibus nixa,vnde illi nomen.Sic atheromata,steatomata,meliceriides abscessus sunt in quibus quid simile pulti,melli,seuo inuenitur:vti etiam in quibusdam aliis variæ,atque extraneæ quædam substantię reperiuntur,veluti lutum,cœnum,limus,fæx,vngues,lapides,pili,pori,ossa,testæ, vermes,& eiusmodi animalcula ex putredine nata.Hæ tumorum omnis generis differentiæ.Nunc de signis,tum de causis dicemus.Signa tumorum omnium in conspicuo sunt. Ipsa nanque sensibus subiecta sese produnt.Apparet enim elatum in omnibus tumorib.mẽbrũ,modò cũ dolore,renixu,rubore,

duritie,modò sine his,pro ratione humorũ tumores creãtiũ. Causę sunt,quæcunque hos gignere possunt,vt ex præcedentibus,casus,offensio,vulnus,luxatio,& huiusmodi:ex internis,& corporeis varij & humorum in partem quampiam decursus: Cùm hi vel copia aggrauantes,vel acrimonia,maláque qualitate alia infestantes,expultricem facultatem ad horum propulsionem proritant,& à fortibus partibus in imbecillas deiectis,tumores varij generis excitant,vt docta Gal.millies in mille locis sẽtentia est.Decursus porro humorũ causæ sunt, partiũ mittentiũ robur:suscipientium imbecillitas: humoris redundantia vel malignitas,ad sui excretionem facultatem proritans:meatuum quibus defluxio fit amplitudo:situs partis fluxionem recipientis inferior , partis excipientis decursum facultas altęratrix deiecta.Sed hęc vltima causa non decursum humorũ sed paulatinã cõgestionem facit,dũ non rectè alteratũ alimentum in membro residens,atque superfluũ ceu excrementitiũ quiddam sensim in parte cõgestum accumulatur,tumorémque creat,non influxu aliunde facto , sed congesto in parte humore,facultatis rectricis parti insitæ defectę:vt rectè Halyabbas libro theoriæ medicinæ octauo ,capite eiusdem numeri ,post Gal.affirmauit.Continentes porrò apostematum omnium causæ sunt,qui in partibus laborantibus continentur humores, tumorem in parte inferẽtes: qui verè continentes causæ dici merentur,vt quibus in parte consistentibus tumor creetur præter naturam,qui verè morbus est,ablatis atque discussis, quoquo tandem id modo fiat, mox auferatur tumor:quæ ratio causæ cõtinentis est,vt in definitionibus medicis,& in introductorio,pluribúsque aliis locis à Galeno habetur.Qua de re nos cum exacta narratione ad Leonhartum Fuchsium , libro enarrationum nostrarum sexto egerimus,non est quod in causa continente asserenda amplius,idque inaniter laboremus. Tametsi eandem telam retexere fortè cogar,ob eam quam mihi dicatam de ea re in uulgauit disceptationem Fuchsius.Cui (ne veritatis desertor haberi possim,dũ pro illa agẽda fortiter causa est ,respõdere omnino necesse fuerit,sed ita vt in ea disceptatione, non victoriæ palmã quęsisse me,sed veritatis stãtũ assertionẽ,firmiorẽ que cõfirmationem cõstare omnib.possit quę mihi vnica in meis scriptis ratio sẽper fuit.Ad curationẽ tumorũ propiùs iã accedẽtes dicam^9 de Gal.sẽtẽtia,eorũ omniũ,qui iã facti sunt,

Enarratione prima.

Curatio. lib. 13. & 14. meth.

nec

nec amplius in generatione cōſiſtunt, communem ac primā eſſe indicationem, vt quod in particula quæ afficitur contentum eſt, id totum vacuetur, atque tollatur. Vbi verò in generatione adhuc ſunt, vt prius confluens in partem humor inhibeatur, poſtea verò quod iam parti hæſit vacuetur. Hi generales tumorum præter naturam omnium curandorū ſcopi: qui & ipſi, pro varia morbi eſſentia, laborantium partium natura, ſymptomatúmque conſequentium, aliter, atque aliter perficiuntur. Non enim in omnibus tumoribus, ſiue parui hi, ſeu magni ſint, neque in omni corporis particula, eius qui infeſtat humoris vacuatio iiſdem præſidiis, eadémve ratione adminiſtratur, vt pluribus in locis exactiſſimè docet Galen. Præcipuos igitur ſcopos à morbi eſſentia, & partium natura ſumere expediet, vt paſſim vbique Galen. Morbi eſſentia hic, tumor eſt præter naturam: qui pro ſui quantitate, qualitate, & cauſa effectrice alia, atque alia præſidia poſtulabit. In maiore nanque tumore tollendo, valentioribus præſidiis, in minore mitioribus vtemur. Sic ſi tumor per viam deriuationis genitus ſit, aliter quàm qui cōgeſtione creatus fuerit, curabitur: prout etiam vbi qui tumorem excitat humor, calidus, aut frigidus fuerit. Hi à morbi eſſentia ſcopi. A partib. laborātib. itē indicationē aliā, atque alia ſumemus, ex partis tēperatura, formatione, ſitu, virtute, & ſentiēdi facilitate, aut contrà. Hæc omnia curationem plurimū conſiderata adiuuant, ſine quorum animaduerſione procedere curatio rectè nequicquam poteſt. Qui itaque ab influxu fiunt tumores ſubmouentur abſciſſione cauſæ tumorem excitantis. Ea autē eſt humorū in partē decurſus qui prohibendus eſt, & aliò auertendus. Siquidem, vel Hippocratis, & Galeni teſtimonio, à tentata fluxione parte reuellere ad diſtantiſſima, atque contraria ſemper oportet. Auertitur autem humor, prohibetúrque decurſus, his modis, quos Galenus, tum li. 13. meth. med. tum libr. de ſanguinis miſſione, & lib. de reuulſione tradidit: nempe cùm à plethora, vel cacochymia fiant huiuſmodi morbi, ſanguine à parte oppoſita miſſo, vel purgatione adhibita, tum reuelli cōmodè, tum ſiſti decurſum: idque ſi ab initio, dum adhuc in generatione morbus eſt, id fiat. Itaque ſanguinis miſſione incipientibus phlegmonibus, & aliis tumoribus quibus ea conuenit, mox ab initio ſuccurrimus: tum etiam adſtringentibus, & reprimentibus medicamentis parti admotis, vbi prius ple-

Li. bi. ad Glauc. & lib. 13. & 14. meth.

plethora vel cacochymia sublata fuerit. Repellunt enim à se vasa roborata stypticis, & adstringentibus medicamentis, vt in arte medicinali Gal. Atque hic primus est obseruandus, in curatione tumorum præter naturam omnium, qui ab influxu fiunt, scopus. Alter est, dolorem qui in huiusmodi affectibus incidere solet, ob calorem & humoris decursum, anodynis sedare. Tertius & vltimus, quod iam fluxum est, & parti impactum vacuare. Vacuatur autem contentus in parte humor, non digerentibus solùm medicamentis, & diaphoreticis: sed etiam repellentibus, vt Gal. 13. meth. med. adstruxit. Quẽ locum nos exactè lib. 1. enarrationũ medicinalium nostrarũ, enarratione quinta explicauimus: quòd difficultatem ea res non paucam habere videatur, ab adstringentibus inquam, & repellentibus medicamentis, quod parti impactum est discuti. Sed nos eam rem totam, quo citauimus loco planam fecimus. Hi tres scopi (si illis alterum adieceris, congruam scilicet victus rationem) vniuersam medendi rationem tumorum prẹter naturam complectuntur, si digeri tumor possit. Quod si ad suppurationem vergat, tùm represso ab initio decursu, & dolore sedato, ad suppurantia veniendum, moliendáque concoctio erit. Quę vbi perfecta fuerit, tum aperiendus abscessus, detergendus, tandémque siccantibus glutinandus erit. Porrò quod de repellentibus dictum est, non in vniuersum omnibus ex ęquo tumoribus competit. Vbi enim in principum partium emunctoriis vocatis, phlegmone constiterit, adhibenda repercutientia non sunt, ne intrò in princeps viscus materia trudatur, lethalem noxam inferés. Neque item, si venenosus humor qui tumorem creat, fuerit, proinde in pestilentibus bubonibus pestilentíque carbunculo admouere talia prohibitum est. Si crassa admodum, & ad digestionẽ inepta materia fuerit, repellentibus non vtendum, ne crassior, & ineptior ipsa reddatur, vel cùm valdè parti infixa est, atque impacta, vel cùm decretorius est tumor: cùm à causa præcedente excitatus, quod vult Guido, cui hac in parte non assentior, cùm tumoribus à casu, vel offensione excitatis, repellentia à principio debeantur, qui communis est medicinam factitantium omnium vsus. Cùm in corpus plethoricũ incidit, cùm in imbecillum, frigidum, & viribus destitutum, cùm in principe parte constiterit tumor, aut illi vicina, cùm vehemens coniungitur dolor, quo tempore mitigatoriis po-

tius

tius,quàm repellentibus vtendum. In his casibus, repellentibus ab initio minimè vtendum : in cæteris commodus est eorum vsus.Cæterùm & illud quoque meminisse oportet,apostemata salubria omnia,quatuor temporibus discriminari initio,incremento,statu,&declinatione:pro quorum varietate alia,atque alia auxilia postulabunt. Repellentibus ab initio vtendum.In incremento his ipsis adiectis digerentibus, exigua portione.In statu digerentibus,cùm iam fluxit humor. In declinatione his ipsis puris,atque exsiccantibus. Hæc vniuersalis curandorum præter naturam tumorum ratio,atque via.Hícque capitis finis esto.

De apostematibus,seu tumoribus præter naturam, Hippocratis,& Galeni locis.

HIPPOCRATIS.

TVMORES laxi boni,crudi verò mali.*lib.5.aphor.67.*

Cæterùm de tumoribus, qui exitiales, qui ad suppurationem vertantur,qui minus periculosi, *vide Hipp.lib. 1.præsagiorum, à text.33. vsque ad 46.qui lib.vltimus est, inibique de suppuratione obseruãda, & de optimi puris,tum de illaudati notis pulchrè disseritur.*

Tumores quicunque vteri in partu, aut ex partu fiunt, eos adstringere non oportet,veluti medici faciunt, sed pharmaca optima exhibeto,& vide ibi præscripta ab Hipp.medicamenta.*li.1.de mulierum morbis.*

Tumores præter rationem alleuantes, prauum : maligniora sunt, quæ derepentè disparent. *li.2.de popul.morb.sect. 3.ad fin.*

Si in vulneribus fortibus, tumor non appareat magnus, malum:laxi bonum:sursum pascentes,peius:*li.2.de popul. mor. sect.3.ad fin.*

quibus Tumores in vlceribus, non valdè conuelluntur, neque insaniunt. His autem derepẽte dissipatis, quibus quidem ad posteriores partes conuulsiones cum doloribus, quibus autem ad anteriores,aut insaniæ,aut dolores,lateris acuti,& dysenteria rubra.*Eod.loco.& li.5.aph.65.66.67.*

Tumor vteri à fluxu iam sedato, purgante medicamento curatur.*li.2.de morb.mulieb.*

Tubercula deprehendere, & dissoluere posse, maximè

artificiosum habetur, itémque collectiones ipsorum impedire. *lib. de medico circa fin.*

Turberculum supra inguem fieri mulieribus in mẽsium mora, testatur Hip. *lib. 1 de morb. mulier.*

Tubercula, quibus in pulmone fiunt, pus educunt ad dies quadraginta post ruptionem. Has vero transgredientes plerunque tabidi fiunt. *lib. de Coacis prænotionibus.*

Tubercula circa aurem, quibus circa iudicationem exorta, non suppurata fuerint, his disparentibus recidiua fit, pro ratione recidiuarum. Recidiua verò fiente rursus intumescunt, & permanent, vel febrium recidiuę in simili circuitu his spes est ad articulos abscedere. *lib. 6. de popu. morb. sect. 4.*

GALENI.

TVMORIS vocabulo, vnum aliquod eorum, quę corporibus accidunt significatur. Sed enim diuisionem in longum, latum, & profundum nominant. Et cùm incrementum naturalẽ statum excedens, tumorem appellamus *lib. de tum. prœter nat.*

in Tumoribus omnibus pręter naturam succus aliquis influit. *lib. 4. meth. med. cap. 9. & lib. de tum. præter nat.*

Tumorum species multiplices, diuersæque sunt, vt in externis sic in profundis partibus fieri posse. *li. de boni & mali succi cibis.*

Tumor in carnoso genere, vt contingat. *libro de multitudine.*

Tumor durus in dextra præcordiorum parte, non lienis, sed iocinoris affecti nota est: quemadmodum si fuerit in sinistra, non hepatis sed lienis affectum portendi. *libro 1. de loc. aff.*

Tumorum omnium, qui præter naturam sunt, varietas, ex eius quod influit natura, nascitur. *lib. 13. meth. med. cap. 4.*

de Tumoribus pręter naturam, quot numero, qualésque sint, singulari volumine à Galeno tractatum est, nempe *Li. de tum. præter nat. libro* 14. *meth. med. statim ab initio.*

de Tumoribus pręrer naturam qui chirugiam desiderant, tractatio, *lib. 14. meth. med. cap* 13.

Quando potius Chirurgia, quando medicamẽtis tumores curandi sint. *lib. 14. meth. med. cap. 13.*

Tumori

Tumoris suppurati curatiua methodus traditur Gal.*lib. 2. artis curatiuæ ad Glauc.c.7 & 8.*

Tumores veluti inflati pituitam significant. *li.4.aph.2.*

per Tumorem,& inflammationem, prisci idem intelligebant.*li.4.aph 34.*

Tumorum triplicem esse differentiam. Vel enim sunt cum dolore, quos iuniores inflammationes nominat: vel absque dolore, duri, quos Græci scirrhos vocant : vel sine dolore molles, quos iidem Græci œdemata, id est inflationes appellant.*lib.4.aph 34.*

Tumore non existēte in faucibus, si à febre habito strāgulatio repentè superuenerit, lethale.*lib.4.aph. 34. & comm. eodem. à Galeno.*

Ob duros tumores, aut inflammationes, aut siccitates, aut immodicas frigiditates, contingit, neruos extendi.*lib.4. aph.49.*

Tumores inguinum ex causa manifesta, non malum.*lib. 4.aph.55.*

Tumores inguinum, qui sine manifesta causa fiunt, fit verisimile ex viscerum inflammationibus fieri : atque ideo febres, quæ vna cum ipsis eueniunt, malas esse. *Libro quarto aph.55.*

Tumor durus hepatis morbum regium parere solet. *lib. 4.aph.com 62.& 64.*

Propter durum tumorem, os vteri comprimitur,*li.5.aph. com.51. & 54.*

Tumor durus vteri, paucitatis mensium causa esse potest. *lib 5.aph com.57.*

Tumorem prædurum, aut laxum offendit lac. *lib.5.aph. com.64.*

Tumores omnes preter naturam οἰδήματα, id est inflammationes, nominat Hippo *li.5.aph.com.65.*

Tumores in vlceribus si appareant,& si euanescant, quas dispositiones faciant.*lib.5.aph com.65.*

Tumor si non appareat in vulneribus grauibus, ingens est malum.*lib.5aph.com.66.*

Tumor generaliter dicitur de omnibus tumoribus preter naturam.*li. 5.aph.com.66.*

Tumores quicunque molles sunt, optimos esse : contrarios vero prauos, Hip.docet.*lib.5.aph.com.67.*

Tu[illegible] molli opponitur durus, atque renitens, quem [illegible]um nominauit. *lib. & com. eod.*

Hip. [illegible]umores renitentes esse, id est duros, impossibile est, bene concoquente mẽbri natura humores ad ipsum confluentes. *lib. 5. aph. com. 67.*

Tubercula quædam tendunt in acumen, & altum petunt: quædam ad maiorem extenduntur locum, non tamen in altum attolluntur: sic & pustullæ nonnullę sublimes, nonnullæ latæ fiunt. *li. 6. aph. com. 9.*

Quando aliquis magnus tumor suppuratur, periculosam esse vniuersam euacuationem videmus, cùm è vestigio deficiat anima, & vires debilitentur, & postea debilitas ista remedium non habeat. *lib. 6. aph. com. 27.*

Tumor durus, σχόῤῥωσις dicitur. *li. 6. aph. com. 42.*

Tumor durus, aut abscessus, tantam facere potest loci angustationem, vt nihil possit ad inferiora transmitti. *Lib. 6. aph. com. 44.*

Tumor vteri in muliere grauida, premere potest tenuia intestina: vesica verò, si in tumorem attollatur, solum potest rectum premere instinum. *lib. 6. aph. com 44.*

Tumorem fieri in parte colli, ab angina habito, bonum. *li. 7. aph. com. 50.*

Tumor contra naturam, vrinæ difficultatem facere potest. *lib. 7. aph. com. 49.*

Tumore non existente in faucibus, à febre habito, strangulatio superueniens, lethale. *li. 4. aph. com. 34.*

Tumorẽ cancrosum in mammilla, forti, atque frequenti euacuatione curauit Gal. *lib. 6. aph. com. 47.*

Abscessus, est corporum ex phlegmone in pus transmutatio. *In def. medic.*

Ἀπόστημα, id est abscessus. *lib. 2. meth. med. & lib. 14.*

Abscessus duplex genus est. Vnum cùm phlegmone in pus versa pus ipsum tanquam in sinu aliquo est collectum. Alterum cùm nulla præcedente phlegmone, humor aliquis statim ab initio, ísque aliâs specie alius, cæterum omninò acris in parte aliqua colligitur. *li. 1. 4. meth. med. cap. 12.*

Abscessus qui dicantur, & de eorum generatione, & curatione. *li. 2. ad Glauc. ca. 7. 8. & 9. & lib. de tum. præter nat. c. 3.*

Abscessuum generatio fit per transmissum humorũ à partibus robustioribus ad imbecilliores. *lib. de cauf. morb. cap. 6.*

Absce-

Abſceſſus in corpore fit ab effluxione aliqua. Vult nanque Hipp. ipſe, decumbendo, & etiam effluendo fieri abſceſſum. *Com.2.ad li.1.Epid.ſuper text.8.*

Abſceſſuum flatuoſorum curatio. *Libr.14.meth. medend. cap.7.*

Abſceſſuum, in parte intercoſtali contingentium curatio. *li qui medicus inſcribitur.*

quibus Abſceſſibus maturatio, quibus ſcarificatio debeatur. *Com.2.ad lib.6.epidem.ſuper textu 30.*

Abſceſſus vocare ſolet Hip. non tantùm eos, qui per effluxionem fiunt, ſed etiam cùm alius morbus in alium trãſit, tùm dicat abſceſſus in quartanis factos eſſe. *Com.1.ad lib.1.epid.ſuper textu 11.*

in Abſceſſibus diſſectis, variæ rerum, tum aliarum, tum animalium formæ repertæ. *lib.de tum.præter nat.*

Abſceſſuum optimi, qui ab effluxione. *Com.3. ad lib.1.de pop morb.ſuper textu 21.& li.2 prognoſt.com.2.ſuper text.66.67.68.69.* In quibus locis Hip. & Gal. ex profeſſo de abſceſſibus meminerunt: *& lib.item de inæquali intemperie, longa ſatis ſerie.*

Abſceſſus decretorij maiores, vel minores damnantur: quòd maiores ſuſtineri nequeunt, minores nihil iuuent. *lib.1.prorrh.com.2.ſuper text.6.*

Abſceſſus iuxta aurem, vel articulos, ſi in diebus iudicatoriis fiant, optimè apparent. *lib.4.aph.36.*

Abſceſſus, vel tuberculum in pulmone, diuturna paſſio eſt. *lib.4.aph.com.74.*

Abſceſſus, qui decumbendo fit, maximè in diuturnis accidit morbis. *lib.1.epid.com.2.ſuper text 31.*

Abſceſſus articulorum fieri in laborantibus, atque ob caliditatem accidere, non mirum. *li.4.aph.com.31.*

Ex abſceſſu dirupto manat pus, bene expurgans partem patientem. *li.4.aph.47.*

Abſceſſus in febribus longis expectandi. Crudis nanque & craſſis ſuccis, natura aut per abſceſſum, aut per concoctionem medetur. *com.3.in prognoſt. Hip.ſuper textu 25.*

Abſceſſuum prænotio, in quam incumbant partem. *com.3.ad lib.1.prorr.ſuper textu 68.& 70.*

Abſceſſus iudicatorij, ſi diutinus, & crudus morbus perduret, neque malignus ſit, expectandi. *comment.2.ad lib.6.*

epidem.super textu 17.18.19.*&* 21.

Abscessus iudicat morbos longos, vltra quadragesimum. *lib.4.aph.36.*

vide de Abscessibus, quæ Hip.& Gal. tractarint. *lib.3.prognost.à text.25.vsque ad textum 31.inclusiuè.*

Abscessu futuro ad articulos, liberantur, vrina multa crassa facta, vel fluore sanguinis narium *lib.4.aph.74.*

Abscessus cito fiunt, in febribus laboriosis. *eod.com.*

Abscessus fiunt iis, qui quomodocunque in febribus lassitudinem habent, ad articulos, & circa maxillas. *lib.4.aph.com.31.*

Abscessus in hypochondriis duri, molles, ac dolentes, in morbis acutis contingentes, & ex illis præsagia. *comm.3. ad progn.Hip.super text.34.& 38.*

Abscessus si euanescit, nequaquam egrediente screatione, ac febre detinente, difficilis morbus est. *Comm.2. in progn. Hipp.super text.68.*

Abscessus è pulmonia in articulos decumbentes, citra concoctionem, claudicationem minantur. *comm.2.in prognost. Hip.super textu 67.*

Abscessus in febribus, qui ad primas iudicationes non soluunt, longitudinem morbi significant. *lib.4.aph.51.*

Abscessus quantam habuerit crassitudinem, tantum fieri cauas cicatrices contingit. *lib.6.aph.com.45.*

ad malos Abscessus cruda, & incocta, conuersa iudicationis carentiam, vel labores, vel tempora, vel mortes, vel eorundem malorum reditus. *lib.4. aph.com.22.*

Ascessuum renum indicia. *li.7.aph.com.36.*

Abscessus sequuntur labores, & dolores. *lib.4.aph.comm.44.*

ob Abscessum in visceribus dolores fiunt. *lib.4. aph. com.66.*

Abscessus incidunt ibi, vbi laborauerunt, qui ex morbis conualescunt. *lib.4.aph.32.*

Abscessus facit vrinæ difficultatem cum dolore. *lib.7.aph.com.49.*

Abscessus tantam potest facere angustationem partium vt nihil possit ad ipsas transire. *li.6.aph.com.44.*

Abscessus, & per ossa fieri posse scribit Hipp. *lib. 7. aph. com.55.*

Abscessus

Abscessus ossis à corruptione. *lib.3.aph.com.74.*

Abscessus in vesica, causa esse potest stillicidij vrinæ. *lib.3. aph.com.16.*

Reliquos de abscessibus locos, ex lib.13 & 14. meth. med. & li.2.ad Glauc.& com.ad lib.epid. Hip.& prorrh. & in prognost.colligere poteris: præcipuos nanque tantum scribimus.

De vulneribus, & vlceribus in genere.

CAP. IIII.

Solutæ vnitatis morbus, vulnus, seu vlcus medicis dici consueuit. Cum sit nimirum vlcus, autore Galeno, soluta in carnosa parte continuitas. De huiusmodi affectu, nobis hoc capite sermo erit: ostendemúsque quo vulnus & vlcus ab inuicem differant: etsi sæpe pro eodem vtramque vocem vsurpare, Galeni interpretibus mos sit. Vulnerum differentias omnes, signa, causásque trademus, sic ad eorundem curationem progredientes. Ergo etsi vlcus, vulnúsque pro soluta in carnosa parte continuitate sumuntur, aliud tamen vulnus, alius, vlcus propriè significare videtur. Vulnus nanque eam in carnosa parte solutionem vnitatis designat, quæ ex vulnerando relicta est: vt nimirum ea tantum vnitatis solutio, quæ ab vno quopiam telorum genere facta sit, mollémque contingat corporis partem, vulnus propriè, atque significanter dici debeat. Quod animaduertens Gal lib.3. meth.med. hanc de ea re sententiam tulit. *ἡ γὰρ τῆς συνεχείας λύσις, τὴν ἕνωσιν οὖν ζητεῖ, κατὰ μὲν ὀστοῦν κάταγμα λεγομένη, κατὰ δὲ τὸ σαρκῶδες μέρος ὥσπερ γε καὶ τὸ τραῦμα καὶ τὸ ῥῆγμα, καὶ τὸ σπάσμα. τὸ μὲν ἐν σαρκώδει μορίῳ διὰ τοῦ τρωθῆναι γέγονος.* Vnitatis (inquit) solutio, vnionem postulat. Ea in osse fractura nũcupatur: in carnosa parte vlcus: sicuti etiam vulnus, & ruptio, & conuulsio. Vulnus quidem (subdit) solutio quædã ex vulnerãdo, in carnosa parte genita. Ex quib. sanè verbis, liquido cõstat vulnus id propriè Gal. dici, quod in carnosa parte dissectum, atq; solutum vulneratione fuerit. Vt haud immeritò Guido Cauliacensis, atq; omnis chirurgorum schola vulnus definiuerint, solutionem continuitatis in mollioribus partibus extrinsecus incidentẽ, quæ recens sit, cruenta, sine vllo pure. Id genus affectus Latini plagam appellant.

Li.3.& 4. meth.med.

Trac.3.de vulne.c.1.

Li.6.de regali dispositione.

vti & Halyabbatis interpres. Vlcus verò, etsi continui solutio in carnosa parte, sicuti & vlnus dicatur, significantius tamen eam diuisionem denotat, quæ cum erosione, vel purè est. Id Gal. conceptis verbis, lib. de constitutione artis expressit, inquiens, continuitatis in carne solutio, vulnus est: quemadmodum ruptura, non ex distensione, sed incisione profectum. Quod si ab acuto, ac gracili vulneretur caro, affectus punctura, seu punctio dicitur, si à graui contusio. Quod ab erosione ossi contingit, τερηδών, id est caries, in aliis partibus vlcus appellatur. Ex qua verborum serie fit manifestum, vlcus solutionem continuitatis in carne esse, quæ cum erosione coniuncta sit: tametsi, vt ibidem testatur Gal. & alio modo vlceris vocem vsurpare licet, nempe pro simplici carnosæ partis diuisione, vt lib. 3. & 4. meth. med. Galenus. Sed de nominibus, citò componere pacem oportet, & ad rerum designatarum notiones progredi: quod passim nos monet Galenus. Itaque ad vlcerum enarrandas differentias conuertamur. Hæ porrò aut à partium natura, quibus insident, aut ab ipsa solutæ continuitatis essentia, vel à propriis differentiis solutæ vnitatis sumuntur: nempe quantitate, spatio, figura, situ. Sumuntur & aliæ quædam differentiæ ex complexu solutæ continuitatis cum morbo aliquo, aut symptomate. De his omnibus singulatim dicemus. Quæ à partium natura fiunt, pro ipsarum diuersitate, diuersa quoque nomina sortiuntur, & aliam atque aliam creant vlcerum speciem: vt sit aliud in parte similari, aliud in instrumentaria. In parte similari rursus, molli, dura, mediocri. Molles partes sunt caro, & pinguedo: duræ, ossa, & articuli: mediocres neruus, tendo, copula seu ligamentum, arteria, vena. Atque in his omnibus accidere extrinsecus vulnera possunt prout in alterutram harum partium vulnerantia tela incidunt, has, vel illas partes lædentia. In partibus quoque instrumentariis, pro ipsarum varietate, & vlcera quoque accidunt. Sunt autem ex organicis vocatis quædam principes partes, quædam his subseruientes, aliæ viles, & abiectæ. Quæ in principibus partibus vlcera insident, corde, cerebro, hepate, vt magni momenti habenda sunt, sic certè magnum vitæ adferunt periculum. Partes principibus subministrantes sunt venæ, arteriæ, nerui, pulmones, aspera arteria, quarum vlcera negotium ingens pariunt,

Vlcerum differentia.

riunt, difficultérque sanantur. In aliis verò partibus, quæ incidunt vlcera, vt minus momentaneæ partes sunt, sic minus verēda habenda eorum vulnera sunt: qualia sunt in medio musculi, manu, naso, brachio, crure, atque similibus: si modò tantum ab ipsa partis natura, non à vulneris magnitudine indicationem sumas. Possunt enim & in his quoque parum momentaneis partibus ingentia accidere vulnera, quæ magnitudine sua graue adferant discrimen: sed id non ratione læsæ particulæ sed magis vlceris essentia prouenit. Vnde est illud Galeni lib.6.aph.Cō 18. Magna vulnera, quę consueuit Hippocrates nominare discissiones, adferunt mortem, & fatentur omnes. Quæ verò absolutæ continuitatis essentia, vulnerum differentiæ sumuntur, ab ipsius simplicitate, vel cum aliis complexu petendę sunt: vt sit vulnus quodpiam simplex, quod cum nullo alio cuiusuis generis affectu copulatum est: solámque habet vnitatis solutionem, taleque simplex appellatur: vti compositum, quod cum alio quopiam pluribúsue affectibus consistit. A solutę vnitatis differentiis quę in spatio, quantitate, seu magnitudine diuisionis continui, figuraq; positæ sunt, varię quoque vlcerum rationes, atque discrimina nascuntur, qualia sunt vulnus magnum, paruum, longum, breue, angustum, latum profundum in superficie æquale atque inęquale, quę differentię omnes à spatio, seu magnitudine sumuntur, vti à figura, vulnus rectum, obliquum, cauum, retortum, rotundum, vncum, pro ratione teli vulnerantis. Sumuntur & quædam ab euentu, & fine, differentię, vt vulnerū quædam salubria toto genere, quędam lethalia sint, periculosa quędam, alia periculo vacantia. Simplicia vulnera, & in superficie posita, salubria sunt: vti lethalia principum partiū, cordis, cerebri, hepatis. Periculosa magna vulnera, & quæ in finibus musculorū, & articulis sunt: vti quæ intra peritonæum permeant. Quasdam etiam differentias Galenus à generationis modo, tum & à situ, seu loco affectæ partis assignat: qualia sunt vulnus diruptum, incisum, partim incisum, partimque diruptum: ad quod genus referūtur punctio nerui, eiusdémque pręcisio, veluti venarum atque arteriarū præcisiones. A situ sunt hę differentiæ, vulnus secundum longitudinē, vulnus secundū transuersum, in principio musculi, in fine musculi, in medio musculi. Quæ ad fines musculorum sectiones pertingunt, & dolorem, & conuulsionem, & peri-

culum etiam adferunt. A complexu autem multæ etiam differentiæ sumuntur: vt si cum symptomate vno, vel pluribus, aut cum morbo aliquo vulnus complicetur. Ad symptomatum complexum pertinent vulnus crucians, seu dolorosum, dolore vacans, vulnus pruriens, vulnus cum delirio, cum resolutione, cum spasmo, cum animi deliquiis, cum sanguinis immoderata profusione. Ad morborũ cõplexum pertinent vulnus cum intemperie, cum phlegmone, cum erysipelate, cũ œdemate, cum scirrho, cum supercrescente carne, & cum aliis quæ simul cum vlcere iungi possunt. Præcipua vero solutæ vnitatis apud Galenum nomina sunt, τραῦμα, id est, plaga, seu solutio continui ex vulnerãdo in carnosa parte relicta: ἕλκος, id est, vlcus in carnosa itidem parte consistens: κάταγμα, id est, fractura, quæ ossibus propriè conuenit: σπάσμα, id est, conuulsio, seu distẽtio, quæ neruorum proprius est affectus: ἀπόσπασμα, id est, auulsio in ligamentis: ῥῆγμα, id est, ruptio in musculis: θλάσμα, id est, contusio, vel collisio, à re graui in in vasis propriè incidens. Est & ἐκχύμωσις, quæ fit cùm ab ictu sanguis subter cutem effunditur, liuorem in parte inferẽs: quæ vt plurimùm cũ cõtusione, ruptioneq; incidit. Ad vasorum solutam continuitatẽ referuntur ἀναστόμωσις, id est, oris vasorum apertio: διαπήδησις, id est, transcolatio, subsultio, aut exilitio: fit tunica vasorum sanguinis rarefacta, aut gracilium vasorum ore adaperto, & sanguine tenuato: vti ἀναύρωσις, diductio venarum ab erosione, venis & arteriis ab interno vitio accidit, ex succo aliquo, cui acris & mordens qualitas insit. Auicenna Fen. primi canonis secunda, plurimas adfert solutæ continuitatis species: excoriationem, scarificationem, vulnus, vlcus, puncturam, incisionem, apertionem, scissuram, contusionem, attritionem, rupturam, fracturam. Hæ præcipuæ solutæ continuitatis species, atque differentiæ, à Galeno, & Auicenna traditæ. Ad causas, & signa iam transeamus. Causæ porrò sunt, quæcunque per se continui solutionem efficere possunt: quas Galenus li. de morborum causis, cap. vltimo in duo præcipua genera diduxit, nempe externarum, & earum quæ in animali ipso ortum

li. 4. meth. med. et li. de cõstitu. artis.

Doctrina 1. cap. 4.

Causæ vlcerum.

tum habent. Quæcunque igitur extrinsecus aduenientia secare, diuidere, vulnerare, frangere, collidere, comminuere, atque contundere possunt, ea omnia vlcerum extrinsecus irruentes causę iure statuendę sunt. Quamobrem cuiusuis generis tela, quę id prę stare occursu suo possunt, tum & quæ ex animalibus offendere nata sunt, cornua, calces, dentes, aculei, ea omnia illatiuę vlcerum causæ censeri meritò debent. A corpore prodeunt immoderati & incompositi animalis motus, & humores quidam deprauati, qui erodendi vim habent: inde cancrosa vlcera, phagedęnę, Chyronia, & Telephia vocata vlcera, herpetes excedentes, & innumera alia oriri solēt. Incompositi autem corporis motus ij intelligendi sunt, qui & præcipites, & inęquales, & violenti sunt: atque ea ratione soluere continuum possunt, vt saltus, cursus, lucta, pugna, offensio, casus, pręceps per ima lapsus, & eiusmodi talia, quæ vlcerū causæ, ab ipso animalis corpore prodeūtes iurè censendæ sunt. Signa vero vlcerum ipsa sese produnt, nempe sensuum iudicio conspicua. Tactu enim, & visu solutam vnitatem deprehendimus, presertim cùm illatiuę vlcerum causę pręcesserint, ictus ab ense, gladio, saxo, alióve teli genere, aut casus, & offensio acciderint: tum enim solutam esse continuì vnitatem visus iudicio cernimus. At vero vt demonstratiuis signis vulnera dignoscere prōptum est, sic de eis iudicium ferre nō ita promptum. Sumuntur autem iudicia tum ex propria affectus, hoc est vulneris essentia, tum ex symptomatis vulnera concomitantibus, aut consequentibus: tum verò ex substantia, vsu, actionéque vulneratæ particulę. Vulnera itaque magna, autore Galeno, graue afferre periculum solent. Magna autem, grauiáve dicuntur tribus modis, aut ob afflictæ, vulneratæque partis pręstantiam ac dignitatem: aut propter affectus magnitudinem: aut quòd cacoëthe sint, id est, mali moris, contumacia, rebellia, ac prorsus maligna. Eò fit vt capitis vulnera, vel Hippocratis testimonio, ob partis excellentiam periculosissima sint: tum & quę intra thoracem, intráue peritonęum penetrarunt, presertim si quid intus sit lęsum. Vulnera item, quæ in articulis accepta sunt, & quę ob ipsorum magnitudinem sutura indigent, grauia, nec sine periculo ęstimanda sunt. Vesicæ itaque vlcera, intestinorum gracilium, septi transuersi, cordis, hepatis, cerebri, lethalia esse dixit Hip-

lib. 4. met. & libr. 6. aph. 18.

li. de capitis vulner.

lib.6.aph. 18 & li.5. 65. & 66 lib 5. aph. com 66.

poet & quibus tumores apparentes delitescunt, vel in quibus tumor non apparet, maligna esse idẽ affirmauit: vt quę in capitib. musculorũ accepta sunt, praua dici affirmat Gal. Cùm autem periculosa vulnera esse dicimus, periculi nomine, vel mortem totius corporis, vel partis singularis, quam sphacelũ partis, seu maleficium, ac vitæ priuationẽ dicunt, aut affectę partis impotentiam perpetuam, hoc est, sensus, ac motus abolitionẽ intelligi volumus: quod vitium iuriscõsulti mutilationẽ appellandã censent, cùm pars vulnerata suo amplius munere ob illatũ vulnus fungi nõ potest; aut cùm mẽbri pars vulnere ablata est, vt digitus in manu aut manus ipsa tota id mutilatũ iure optimo vocãt. In summa (vt ad rẽ redeamus) quæcũque vulnera magno impetu, ac valida vi illata, magnã attulere noxam, vel interiora læserunt, ventriculum dico, tenuia intestina, septum transuersum, cor, pulmones, hepar, vesicam, renes lienem, asperam arteriam, & venas grandiores, cerebrum, eiúsve membranas, aut in articulis, neruosísque partibus constiterint, ea omnia in difficillimis, ac lethalibus, maiore ex parte habenda sunt. Quę sanè cuncta summa animaduersione spectare, atque dignoscere peritus medicus debet: vt si quando illi coram magistratu de illatis vulneribus, pro testimonio dicendum sit, rem totam ad veri normam expromere queat: quæ vna cautio illi summopere tenenda est, vt nunquam à verò desciscat, præsertim vbi de capite agitur: nec liuore, inuidia, odio, aut alia vlla perturbatione affectus, aut metu, minísve cuiusquam impulsus, à Dei timore, à veritatis amussi declinet. Sed vulneris naturam, magnitudinem, sedem affectam, & quæ in eo lethalia, aut secus, symptomata apparuere, accuratè describat, & quoto die insequuta mors sit explicet: quæ intus læsa sint, quàm altè telum descenderit, ne id quidem prætermittat. Curationem etiam adhibitam recenseat, ne vel incuria, vel ignoratione periisse æger videri possit. Vt nos longissima serie, lib Enarrationum nostrarum tertio, enar. 8. docuimus. Quamobrem plura hìc adiecisse, consilij non fuerit. Explicatis vulnerum causis, signis, atque indiciis, id tãtùm superesse videtur, vt de eorum curatione generatim tractemus. Solutæ continuitatis curationem in vniuersum docet Galenus in arte medicinali, cap. 90. 91. 92. & libris tertio, quarto, quinto,

vt pro testimonio medicis dicẽdũ de vulnerib. sit.

to, ac sexto methodi medendi, è quibus locis curatiua vlcerũ omnis generis omnium, atque fracturarum methodus petenda est, Nos tamen compendij gratia curationis scopos in genere adferemus Omnis continui solutio vnitionem, & agglutinationem postulat: quę in instrumẽtariis quidem partibus dissectis perfici minime potest: in simplicibus quibusdam, carne scilicet ac pinguedine potest: in osse vero per se nequicquã, sed interuentu calli, seu pori, quem sarcoidem vocant. Cur vero in organicis partibus fieri Galeno minimè possit, nos causam priore hoc li ca. 12. attulimus, vt eam hic denuò recẽsere opus non sit. Prima igitur hęc indicatio, hoc est faciendi insinuatio, omnibus nota est. Cõstat enim quod diuisum est, & diuortium perpessum, vnitione esse sanandum quod vnitio diuortio contraria sit: At vero per quæ ea fieri debet, non sic vsquequaque omnibus notum, ac proinde rectissime illud à Galeno dictum est, primas morborum indicationes, omnibus hominibus natura pręsto esse: at id non satis esse tamen, ad rectam vlcerum curationem Non enim qui vulneratæ parti naturalem vnitionem esse moliendam nouit, is iam medicus est: sed quibus id rebus perfici debeat & quo pacto remediis sit vtendum, & omnem curationis viam, eousque percalluit, vt ipsum consequi destinatum finem queat, is demum est qui medici nomen meretur: ac ob id Galenus lib. 3. methodi medendi non esse cuiusque probè vlcus curare, primámque indicationem, quæ vel plebeiis paret, minimam esse curationis partem, rectissimè affirmauit. Prima igitur curationis vulnerum indicatio, eáque maximè communis, vnitio est, ex ipsa affectus natura desumpta, quæ præcipuè à natura, ceu opifice, suárumque virtutum, atque alimoniæ adiumento perficitur, tum vero à medico, ceu idoneo naturæ ministro. Omnium nanque huiusmodi operum natura opifex est, medicus verò minister, vt in arte medicinali Galen. Vt autem destinatum finem, hoc est vulneris coalitionẽ assequamur, quatuor veluti scopis propositis niti medicum oportet: quorum prior est, vt extrinsecus incidentia, quæ multa labris vulneris intercidere possunt, qualia sunt pili, ossium frusta, armorum cuspides, & minuta infixa pittacia, innumeráque alia, ea omnia amoueãtur. Atque hic primus est scopus. Secundus extrema distantia applicare, atque ad seipsa adducere iubet. Tertius sic commissa labra, atque adducta conseruare docet. Quartus læsę sub-

li. 1. meth. med.

stantiam partis tueri, seruaréque præcipit. Quibus accedere quintus scopus potest, vt euenientia in vulneribus symptomata singula, quæque pro ipsorum natura corrigamus. Hæc verissima à Galeno curandorum vulnerum tradita methodus, hi scopi. Primam itaque intentionem assequemur, extranea quæ inciderunt amouendi, si non satis dehiscat vlcus, quo extrahi commodè ipsa possint, vlcus amplificare, vt patentiore ore possint eiici, quæ intus infixa erant: quæ vt conspicua facta fuerint, mox digitis, volsellis, aut forcipe, quàm mollissimè, & citra dolorem extrahenda erunt, atque euellenda. Quod vbi peractum fuerit mox ad committenda quæ distant labra vlceris (quæ secunda intentio est) properandum erit. Id assequemur adductis vulneris labris dissidentibus, atque in vnum coniunctis. Neq; enim agglutinari vulnus potest, autore Galeno, nisi prius orarum ipsius adductio fiat. Variis autem modis coniungi in vnum dissipantia possunt, vinculo, sutura, fibulis quas græci ἀγκτῆρας vocant. Vulnus quidem si simplex & exiguum est, atque in partu molliore constans, sola partis deligatura orbiculatim fascia circundata, coalescere facile potest. Coalitionis eius opifex, & pręcipua causa natura est, quæ alimenti interuentu ex sanguine carnem generat, partibúsque vulneratis ex æquo applicat, vnde coalitio fit. At verò vbi maius vulnus fuerit, labráque longè dissita, tum, vt coëat vulnus, sutura opus erit, tum etiam ligatura, atque his præsidiis, quæ glutinandi vim habeant, quæque collectam saniem desiccare, commodè queant. Omne nanque vlcus, autoribus Hippocrate, atque Galeno, siccari postulat. Sui auté carnosę partes vulneratæ debét, vt quæ suturam facilè admittant. Si verò adeo patens est vulnus, hiéntque labra ita, vt sutura: aut deligatura cõmitti non possint, fibulis impositis adducere oras solebant antiqui. Earum nunc vsus periit, in quarum vicem ea sutura quæ circa chirurgis appellatur successit. Fit pittatiis glutino adstringẽte litis, & parti admotis, filísque sericeis validioribus, ab vtroque pittatiorum capite impositis, & inuicem copulatis. Dum enim iunguntur fila, inuicémque cõmittuntur: adducuntur item vulneris oræ, sed non ita vt coëãt, eo fit, vt cicatrix lata postea inducatur, quod committi dissidentia labra minimè potuerint. Sequitur tertius scopus, in vulnerum curatione seruandus, vt diductorum oræ, quæ iam in vnum per adductionem coniunctæ sunt maneant,

lib. de vlc. & Galli. 3. meth.

heant,atque seruentur :quod iisdem ferè auxiliis perficitur, quibus & in idem adducta sunt, congruo inquam morbi positu,quiete,deligatura,atque sutura.Duplici autem ratione agglutinantur,quæ commissa sunt:alia quidem per se, nulliúsque alienæ substantiæ interuentu,vt caro ipsa,& quæcunque sequacem habent,ad vnitionem materiam.Quęcunque vero dura siccáque sunt,vt ossa & nerui, atque ligamenta,eorum partes sine glutino coire non possunt Partis autem substantia seruatur mediocriter exsicantibus vt docet in arte medicinali Gal.Sic enim quarta proposita intentio perficitur. cap.90. Corri untur porro euenientia in vulneribus symptomata, pro ipsorum varietate.Nimiæ enim sanguinis profusioni,vinculis,fasciis & ligamentis ex posca imbutis, aut adstringente vino,puluere adstringente,qui ex Armenia terra,leporis pilis, sanguine draconis,thure,& manna eiusdem constat,oui albore excepto,& admoto,tum quiete,& congruo membri positu medemur. Conuulsioni,vnguinibus ceruici & neruorum propaginibus admotis,& calente lana pingui, oleis lenitiuis imbuta superiniecta:seruata tamen prius exacta victus ratione,corporeque purgato,prospicimus. Sit autem vinctio in spasmo ex oleo liliorum,violaceo,& anthemidis florum, costino,laurino,& butyro recenti,additis styrace calamitha & rubra,mastiche Chia,olibano,& similibus. Sincopi & animi defectionibus,vini meracioris haustu,frictionibus validioribus & clamoribus,& strepitu:& facies ex rosacea aqua vino optimo irroretur:sic enim facilè reuiuiscit ęger : arcenda tum à conclaui ingredientium turba est, & aura frigidiore leuandus ęger.Dolorem sedamus variis ingeniis,auersione facta sanguinis missione,aut purgatione(est enim sanguinis missio in magnis inflammationibus,& vehementissimis doloribus, teste Galeno præsentissimum auxilium)anodinis item remediis, fotibus,cataplasmatis ex mica panis albi lacte excepti,vitello oui,& croco interdum momentum opij,ob vehementiam doloris admiscere cogimur.Delyrio succurrimus,sanguinis missione,si vires valentes sint, purgatione,somniferis admotis & crurũ lotionib.atq; simi ib.Sed ante omnia instituẽda vulneratis tenuis,& cauta victus ratio,ab initio est,ne in phlegmonẽ abeat vulnus,néve humorũ subliuies,nimietate alimẽti in vulnere gignatur,sordiúq; , & mali moris efficiat. A vino & carnib.arcẽdus æger,donec à phlegmone tutus euadat.Postea li.1.aph. com.25.

iusculis pullorum,& pane loto,vti post septimũ sine noxa poterit. Mittendus item ab initio sanguis,si non satis ex vulnere fluxerit,& ætas florens,validáque virtus fuerit. Purgatio in omnibus ferè vulneribus,sed præcipuè capitis,ventris,articulolorum,autoribus Hipp.atque Gal.optimè facit. Purgandi autem,qui in corpore superare succi maximè videbuntur, vt si bilis abundet,cholagogũ dare expediet: si pituita, quæ illã vacuent,sicque de atra bile dicendum. Itaque biliosos radice barbara,catholicone,siliqua Ægyptia,rosaceo sirupo, in mollioribus naturis. In fortioribus vero electuario rosato,& ex prunis solutiuo vocato,oxi laxatiuo,& similibus purgabimus commodè humoris biliosi excessum: vti pituitæ agarico, diaphenicone, electuario ex carthamo parato, electuario Indo maiore, & de citro vocato: tum catapotiis cocceis, aggregatiuis,& de agarico. Atram bilim sena,polipodio, epithimo,catholicone,electuario ex sena cõfecto: quod diasenæ solutiuũ nũcupãt,cõfectione hamech,pillulis de fumoterræ, aureis,& de quinq; generib. mirabolanorũ, atq; similib. educemus: si modò prius,pro Hip. præcepto corpora fluida facere tẽtabimus,cõgrua victus ratione,& humorũ lẽtorẽ,atq; crassitiẽ attenuãtibus,& incidẽtibus. Atq; hæc pro compẽdij ratione de curatiua vulnerum methodo.

De vulneribus Hippocratis, & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

VVLNERATOS fame affligito, & ex aluo, quæ insũt subducito,aut per clysterẽ,aut pharmaco infrà purgante exhibito,& in potu dato aquã,aut acetum, aut sorbitiones præbeto. *lib. de affect. seu de morb.*

Qui ex vulnere impotẽtes fiũt corpore,febre quidẽ accedẽte citra rigorẽ sanãtur: nõ autẽ accedẽte, syderati fiũt dextra aut sinistra parte. *lib. de Coacis prænotionibus.*

Morbi quicũque vlcera sũt,& super reliquũ corpus eminẽt,eos simul cum medicamentis etiam fame curare oportet. *li. de locis in homine.*

ad Vulnera spongiis vtendũ est,hæc enim per se probè auxiliari videntur. *li. de medico.*

quæ circa Vulnus ligamenta,medicamenta,& lintea, & cataplasmata adhibentur,considerare omnia oportet, vt conferant maximè si ægrotæ parti adhibebũtur. *eod. li. de medic.*

Maximè autẽ prosũt duo hæc,quib. vtẽdũ est, cõprimere

vide

videlicet vbi oportet,& remissè deligare.*eod.li.*

Vlcera quatuor vias habere videntur, vnam in profundum,hæc autem sunt fistulosa,& quæ sanie plena sunt, ac intus excauata, alteram in altum, quæ videlicet carne supercrescunt:tertia via est in latitudinem,atque hæc sunt quę appellantur serpiginosa:quarta via est, quæ sola secundum naturam motus esse videtur.*eod.li.*

Vlceri conueniens est,linteolorum impositio.*eod.li.*

Per vlceris ambitum,cataplasmate vtaris.*eod.lib.*

Vlceri opitulari videtur vis eorũ,quæ circũponũtur.*ibid.*

Vulnerum militarium curatio, à sequente militiam fieri debet.*ibid.*

qui de Vlceribus cognoscere volet, quomodò singula finient,eum primum hominum species perscrutari oportet,tũ eas quæ meliores sunt ad vlcera,tum quę deteriores: deinde ætates nosse,in quibus singula vlcera curatu difficilia existũt. Locos autem in corporibus perspectos habere,quantum alij eb aliis differunt. Sed & alio,qualia in singulis bona,aut mala accidunt nosse oportet Si quis enim omnia hæc nouerit, is sanè sciet etiam quomodo singulorum euentus continget. *lib.2.prædict.*

Vide ibi longa serie quæ hominum species, quæ ætates, quę loca in corpore periculosa magis sint. Vulnera magis lethalia sunt,quæ in venas crassas, in collo,ac inguinibus infliguntur.*eod li.2.prædict.*

Vulnera,quæ in cerebrum,& in hepar,postea quæ in intestinum,& vesicam sunt,hæc omnia perniciosa valdè: non tamen ita,vt nemo ex his euadat,velut put[illegible]tur *eod.lib.*

Ab omnis generis vulneribus moriuntur homines. *Eo.li.*

multa Vulnera in locis vilibus,ac non malis esse, & nulla re grauia videntur,& tamen sic dolore affligit plaga, vt respirare non possit. Alij verò præ vulneris dolore, quod sanè graue nulla re erat,spiritum quidem duxerunt, verùm delirarunt,& febrientes mortui sunt.*li.2. prædict.*

Vide ibi,quæ vulnera aggrediunda sunt,& quæ fugienda, longa serie.

Ex capitis vulneribus lethalissima sunt,quæ ad cerebrum pertingunt, & vide ibi quæ in capite vulnera aliis grauiora sint,longa serie.*eo.li.*

In capitis vulnere,quarta die,aut septima,aut vndecima,

incipere febrem, valde lethale est *lib.2.prædict.*

Ex quo loco vide apud Hip. longa serie, in vlceribus decretorios contingere dies, in quibus vulnera iudicentur, perinde atque in febribus, vt ibidem docet conceptis verbis Hipp.

Vulnera in articulis, quæ quidem magna sunt, & neruos contingentes penitus præsecant, clarum est quòd claudos efficient. *libro secundo prædictionum.* Et vide ibi longa serie de his, quę in articulorum vulneribus accidunt: & de his item, quę ad medullę spinę lęsionem, ex lapsu sine alia causa sequuntur.

Si in vulneribus fortibus tumor appareat magnus, malum: laxi bonum, sursum pascentes peius. *lib. 2. de popul. morb. sect. 3. ad fin.*

Quibus tumores in vlceribus, non valdè conuelluntur, neque insaniunt. His autem derepentè dissipatis, quibus quidem ad posteriores partes, conuulsiones cum doloribus, quibus autē ad anteriores, aut insaniæ, aut dolores lateris acuti, & dysenteria rubra. *lib.2. de popul. morb. sect.3. ad finem.*

Tumores pręter naturam alleuantes, prauum. Maligniora sunt quę repente disparent. *ibid.*

Vlcus liuidum, & siccum, aut cum virore pallidum, lethale est. *lib. de Coacis prænotionib.*

Quibus cerebrum concussum fuerit, & doluerit, percussis, aut aliàs lapsis, hi statim voce priuantur, & neque vident, neque audiunt, & plerunque moriuntur. *Ibid. & lib. 7. aph. 59.*

Quibus cerebrum vulneratur, febris plerunque, ac bilis vomitus, & corporis syderatio, atque tales perniciosè habent. *eod. lib. & lib. 6. aph. 50.*

Ex ruptis capitis ossibus, difficilima cognitu sunt ea, quæ circa futuras rumpuntur. *eod lib. de Coacis prænot.*

Quibus omentum excidit, necesse est putrefieri. *eod. lib.*

Si intestinum quoddam ex gracilibus dissectum fuerit, non coalescit. *eod. lib. & lib. 6. aph. 18.*

Neruus dissectus, aut genę tenuis pars, aut pręputium nō coalescit. *li. de Coacis prænot. & lib. 6. aph. 19.*

Quodcunque os in corpore resectum fuerit, aut cartilago, non augescit. *lib. eodem. & lib. 6. aph. 19.*

ex Vulnere conuulsio accedens mala est. *li. de Coacis prænotionibus.*

notionibus.& lib.5.aph.2.

ex Vulnere, bilis vomitus accedens malum est, maximè in capitis vulneribus.*eod.li.*

Nerui crassi si vulnerantur, plerunque claudi fiunt, & si obliqui vulnerantur pręsertim,& si musculorum capita,maximè in femoribus.*eodem li.*

Moriuntur maximè ex vulneribus, si quis cerebrum sauciatus fuerit,aut spinalem medullam,aut hepar, aut septum transuersum,aut cor,aut vesicam,aut venam crassam. *eod.lib. de Coacis prænot & li.6.aph.*18.

Moritur etiam, si in arteriam, & pulmonem valde magnæ plagæ fiant.Moriuntur autem, qui in intestina vulnerati sunt, siue ex tenuibus aliquod, siue ex crassis vulneratū fuerit,si per transuersum fiat plaga, & magna. Si verò parua & recta quidam euadunt.*eod.li.& li.6.aph.*18.

Minimè vero moriūtur vulnerati in partibus corporis, vbi hęc non sunt, aut ab his quàm lōgissimè absunt. *eod. lib. de Coac.prænot.*

In Vulneribus fientibus in supercilium, & paulò altius, visus obscuratur.*eod.li.*

Vide li. 7. de popularibus morbis historias varias vulneratorum in ventrem,in hepar,in tempus dextrum,in latus,in frontem denudato osse, rursus ex denudatione ossis nullius momenti,ex fractura, ex digiti medij vulnere, ex luxatione in pede,ex vulnere in malleolo, ex ictu in pectus catapulta impresso,sequutā in omnibus præfatis mortem, autore Hippocrate.*li.7.de popul.morb.*

Vlcera vniuersa,nisi vino humectare non oportet, si non in articulo fuerit vlcus.*lib.de vlceribus.*

Vlceribus omnibus modicus cibus,& aqua, quàm maximè conducunt,& magnis recentioribus, quàm vetustioribus. *eo.li.de vlceribus.*

Stare vlceri minimè conducit, præsertim si quis in crure vlcus habeat,imo neque sedere,neque ambulare:verum ociū & quies maximè conferunt.*eod.lib.*

Si qua caro ex telo contusa & dissecta est, eam curare oportet,quò quàm celerrimè suppuretur.*eod.li.*

Omni recenti vlceri, præterquam in ventre, conducit frequenter sanguinem defluere facere : prohibet enim hoc maximè talia vlcera humectari.*eod.lib.*

Vlceribus ex recenti vulnere, neque oleum conducit, neque mollientia, neque adiposa medicamenta. *eod. lib.*

Purgatio ventris deorsum plurimis vlceribus confert, & in vulneribus quę sunt in capite, & in ventre, & in articulis, & in quibus corruptionis periculũ est, & in his quę consuta sunt, & in exedentibus ac serpentibus, & aliâs inueteratis vlceribus *eod. lib. de vlceribus.*

Plerisque vlceribus tempus calidius commodius est hyeme, exceptis his quæ in capite sunt, ac ventre. *eodem lib.*

Vlcera quæcunque probè, & prout oportet purgata sunt, semper ad sicciorem modum germinationem faciunt.

Vlcera non purgata, non committi solent, etiam si abducantur, neque sua sponte coëunt. *eod. lib. de vlceribus.*

Vbi circumsitæ vlceris partes inflammatę sunt, quandiu durat inflammatio, vlcera coire non solent. *libro de vlceribus.*

Sed & vbi circumsitę vlceris partes denigratę fuerint, & sanguinis putredine, aut etiam varice, influxionem sanguinis exhibente, neque hæc coire solent, si non circumsitas vlceris partes sanas feceris. *eod. lib.*

Ex vlceribus rotunda, si subcaua fuerint, excidere oportet vndiquaque in orbem ea quę discesserunt. *eod. lib.*

In omni vlcere igne sacro accedente, corporis purgationem facere oportet, in vtram partem vlceri contulerit. *eod. Lib.*

Cui tumor obortus fuerit circa vlcus, vlcere non inflãmato huic postea temporis progressu tumor puris subsidentiam habet. *eod. lib.*

Quocunque vlcus ex inflammatione tumidum non sedatur, dum alia quæ simul inflammari, ac tumescere cœperunt sedantur, etiam hoc non coalescere periculum est. *Eod. lib.*

Nullum capitis vulnus leniter cõtemni debet. *li. de capitis vulneribus.*

Vulnera quę circa synciput fiunt, lethaliora, ac ad curandum, & effugiendam mortem difficiliora sunt hac parte, quàm alibi in capite: quòd os tenuissimum sit, ac debilissimum, & carnem paucissimã, ac tenuissimam hac parte os in seipso habet, & cerebrum hac capitis parte plurimum subest.

Lib.

lib. de cap. vulnerib.

Ex his, qui posteriore capitis parte vulnerati sunt, quàm qui anteriore, plures mortem effugiunt. *eod. lib. de capitis vulneribus.*

Vlcus in capite nullo humore humectare conuenit, ac ne vino quidem, neque cataplasmate integere. *eod. lib.*

Vide eodem libro de capitis vulneribus, quæ vulnera sectione opus habeant, quæ minimè, & de curationis vniuersa ratione, vide longissima serie quæ ad hanc rem faciant: quæ quidem cuncta locorum communium instar, studioso lectori esse poterunt.

ANNOTATIO.

Hos præcipuos de vlceribus collegimus ex Hipp. locos, omnes enim recensere, immensum sanè fuerit. Innumeros enim continent libri de fistulis, de Chirurgi officina, prorrhetici, aphorismorum, præsertim quintus, sextus, & septimus: ex quibus diligens lector parare sibi bene multos, eósque appositissimos de vlceribus locos, poterit: præsertim verò ex libro, qui Chirurgi officina inscribitur, in quo instrumentorum, deligationis modi, fasciarum, nexuum, obuolutionum, spleniorum, ferularum, positionis, compressionis, linteorum, fulcimentorum, & cæterorum omnium, ad vlcerum curationem necessariorum, exacta ratio traditur.

GALENI.

VVLNVS est solutio quædam, ex vulnerando in carnosa parte relicta. *lib. 3. meth. med. cap. 1. & lib. de constit. artis med.*

Vulnerum exacta methodus tradita. *lib. 3. 4. 5. & 6. meth. med.*

Vulnera recentia curat emplastrum viride. *lib. 2. de comp. med. secundum genera.*

Vulneribus intrinsecis, sicuti extrinsecis, imponere medicamentum non possumus. Ideo per potiones sananda sunt. *li. 6. aph. com. 18.*

Vulnera agglutinari solent, quæ diuisa sunt, & non discissa: quoniam labra vulneris non sunt parum distantia inuicem. *li. 6. aph. com. 19.*

Vulnus cerebri vidit Gal. sæpius sanatũ. *lib. 6. aph. com. 18.*

Vulnera magna quæ consueuit Hipp. appellare discissiones, afferunt mortem, & fatentur omnes. *li. 6. aph. com. 18.*

Vulnera cerebri, quæ vſque ad aliquid in ventriculos penetrant, afferunt mortem. *eo. com.*

Vulnus dolorem inferre poteſt. *lib. 2. aph. com. 6.*

Conuulſio ex vulnere lethalis. *lib. 5. aph. com. 2.*

ex Vulneribus fiunt conuulſiones, ratione ſequentis ipſas inflammationis, vbi partes neruoſas attigerit. *li. 5. aph. com. 2.*

quibus Vlceribus tumores adueniunt, non admodum cõuelluntur, neque inſaniunt. *lib. 5. aph. com. 65.*

in Vlceribus, ſi tumores derepente euaneſcant, conuulſiones ac diſtentiones fiunt. *eod. com.*

Si vulneribus prauis exiſtentibus, tumor non appareat, ingens eſt malum. *lib. 5. aph. com. 66.*

Vulnera praua dici exiſtimandum eſt, quæ ſunt in capitibus, aut finibus muſculorum, & maximè neruoſorum. *lib. 5. aph. com. 66.*

in Vulneribus prauis, ſi tumor non appareat, periculum eſt, ne humores ad vulnera defluentes, ad partes principaliores transmutentur. *ibid.*

Vulnera in quibus adeſt dolor, & propter ipſum aliquid influit à medicis autem reprimitur, cum valdè infrigidãtibus, aut adſtringentibus medicamentis, metus eſt, ne ad partes principaliores tranſmutentur humores. *eod. com.*

in Vulneribus tumores molles boni, crudi, id eſt duri, ac renitentes, mali. *lib. 5. aph. com. 67.*

Vulnera circum glabra, cur praua ſint: quòd ſcilicet prauos humores confluere ad partem indicẽt, qui vlcus erodũt. *lib. 6. aph. com. 4.*

Vulneratis adoleſcentibus, profluuia ſanguinis accidunt. *lib. 3. aph. com. 29.*

Diſciſſis veſica, cerebro, corde, aut ſepto tranſuerſo, aut aliquo ex tenuioribus inteſtinis, aut ventriculo, aut iecore, lethale eſt. *lib. 6. aph com. 18.*

Vulnus veſicæ diuiſæ ad ſpatium interius non coaleſcit. *ibid.*

Vulnus in parte ſepti neruoſa, & in tenuibus inteſtinis, non coaleſcit. *lib. 6. aph. com. 18.*

Vulnera magna ab Hipp. diſciſſiones nominari ſolent. *eod. com.*

Librum de vulneribus exitialibus, non aſſeuerat. Galen. Hipp. eſſe. *ibid.*

ANNO-

ANNOTATIO.

Propoſueram omnes de vlceribus ex Galeno locos hîc attexere, pro tractationis inchoatę ratione: ſed cùm illos tam multos eſſe perſpexiſſem, vt illis deſcribendis integro eſſet volumine opus, ſat mihi viſum fuit, ſi vndenam ij petendi ſint, lectorem admonerem. Velle nanque ſingillatim vniuerſos deſcribere, non eius fuerit, qui compendiariam locorum medicinæ communium rationem tradit: quod nos hac ipſa tractatione præſtamus. Itaque vt ad fontes ipſos, vnde locorum de vlceribus ſcaturigines immenſæ prodeunt, lectores relegem, adeant ad libros therapeuticos Gal. præſertim librum tertium, quartum, quintum, & ſextum methodi medendi, tum libros de compoſitione medicamentorum ſecundùm genera, & libros de ſimplicium me[illegible]amentorum facultatibus, & eiuſdem autoris commentari[illegible] in libros aphoriſmorum Hipp. in libros de iis quæ in medicatrina fiunt, & in libros de fracturis, & de articulis, & in prorrheticon. Has enim Gal. commentationes, ſi quis diligenter, & accuratè perlegerit, vniuerſam vlcerum naturam, ac differentias, tum ſimplicium, tum complexorum, eorundem cauſas, ſigna, ſymptomata, & curandi viam exactè tenebit: vnde ſibi locos propè infinitos parare poterit. Hæc vt ſcires, candide lector, his paucis te admonendum duxi.

De fracturis. CAP. V.

ETſi fracturis, déque luxationibus tractatio chirurgica magis, quàm medica habenda eſt: ne quid tamen huic, quam de locis medicinæ communibus paramus, tractationi deeſſet, néve aut oſcitantiæ tamen, aut prætermiſſæ doctrinæ inſi[illegible]ulari, noſtro merito poſſemus, pauca de iis adiicienda cenſuimus. Hæc itaque hoc capite inquiremus, fractura quid ipſa ſit, & qua ratione rebus tantùm duris, vim paſſis conueniat: quæ fracturarum differentiæ, quæ cauſæ, quibus notis fracta dignoſcantur, poſtremò qua methodo curandæ fracturæ ſint: quibus abſolutis finem capiti faciemus. Ergo fractura in vniuerſum, definiente Paulo, oſſis eſt diuiſio, aut ruptura, aut præciſio, à violentia quadam extrinſecus accidens. Vt enim carnis, partiúmque mollium diuiſio vulnus eſt, ſi extrinſecus accidat: ſic quoque quæ in partibus duris vnitatis ſolutio fit, ſi in oſſe contingat, fractura meritò nun-

met. med. capatur. Hæc Græcis κάταγμα dicitur, autore Gal. Cur verò rebus tantùm duris, & renixu contranitentibus, fracturæ ratio conueniat, ex Aristotelis penu depromendum. Is nanq; lib. Meteororum quarto, cap.9. hanc videtur huius rei rationem adferre, quòd frangi ea tantùm iurè dici possint, quæ in magnas partes secari, ac distrahi, diuelliq; queant: quæq; substantiam nec mollem, nec vacuam, aut sequacem: seu solidam, & duram renixúq; reluctantem nacta sint: qualem naturam cùm ossa sortita sint, & multis præterea meatibus scateant, fit vt non frangibilia tantùm ossa, sed & friabilia, & cōminui quoque parata, haberi meritò debeant. Hoc enim frāgibilia à comminuibilibus distare, idem Aristoteles voluit, quòd fractilia quæ sunt longè porrecta foramina habeant ob idque non nisi in magna, & longè posita secari possint: friabilia verò, seu comminuibilia, & multa, & obliquè potius, quàm directim posita foramina contineant: quamobrem & minutatim diuidi, & quasi frustillatim atteri ipsa possint. Ad fracturam item duobus potissimum opus esse, rerum naturæ scientissimi existimant, valido frangentis impetu, & rei frangendæ renixu. Quæ causa est, quòd neque carnem, neque medullam, aut adipem, aut id genus mollium quidpiam frangi dicimus, quòd facilè cedant, mollitiéque sua frangentis impetum minimè sustineant: quamobrem contundi potius, aut vulnerari, quàm frangi, iurè dicemus. Quod præter Aristotelem, sensisse eius interpres Auerrous, libro metheorologicorum quarto comment. 44. conceptis penè verbis est visus. Causam attulimus, cur ossibus tantùm fracturæ nomen congruat. Fracturarum nunc quæ differentiæ sint, breuibus explicemus. Earum quædam simplices habentur, quædam multifidæ, vt Paulus lib.6.c.90. de capitis fracturis, & post eum Cauliacensis Guido testatur. Quæ porrò simplices sunt, aut os transuersim per crassitudinem secant, aut assulæ modo in oblongum findunt, recta fissura facta, aut in extremo quasi lunatam efficiunt sectionem, aut farinæ modo os in multas, easque tenuissimas partes frustillatim diuidunt. Quæ transuersim fit in osse fractura (quam Græci ῥαφανηδὸν vocant, σικυηδὸν, καὶ καυληδὸν) à raphanorum, vel cucumerum, seu brassicarum similitudine, quæ sic effringuntur, nomen sortita est. Auicenna

Fracturarum differentiæ.

Li.5. ca.1.

cenna raphanalem, hastalem, & arundinalem vocat. Quæ assulæ modo fit, ea oblonga est ossis fissura, quasi scissionem dicas: in longitudinem protenditur, nec in totum ossis partes seiungit. Hanc Paulus σχιδάκηδον Græcè, Auicenna linealem appellat. Est & altera quædam, quæ καλάμηδον, vel ad vnguem dicitur, quæ iuxta partem aliquam recta est fissura, in extremo lunata: Auicennæ interpres lunarem nuncupat. Est & quæ ἀλφίτιδον, vel καρυηδὸν dicitur, ad farinæ similitudinem dicta, cùm in multas tenues partes os disrumpitur: Auicennæ interpres sanchiam nominat. Refractio autem, vel etiam præcisio ea est ossis fractura, quum pars ossis per summitatis rupturam aufertur, vt ablata superinnatet. Hanc Paulus ἀπόθραυσιν & ἀποκοπὴν Græcè nuncupandã censet. Celsus fracturarũ tria tantùm genera facere videtur, in hęc verba: Omne os (inquit) modò rectũ, vt lignũ in lõgitudine finditur, modò frangitur transuersum, interdũ obliquũ, atq; idipsum nonnũquã retusa habet capita nonnũquam acuta, quod genus pessimũ est. Hæc Celsus. Fracturarum hæ potissimæ differentiæ sunt. Verùm quæ in capite fracturæ contingunt, quum à violenta quadam re extrinsecus incidente caluaria diuiditur, multas & ipsę quoque differentias sortiuntur. Prima dissectæ caluariæ differentia, rima dicitur, quam Græci ῥωγμὴν appellant. Hæc caluariæ est per summa diuisio, rimáve profundior, in qua nequaquam os vitiatum foras emouetur. Interdum adeò arcta rima huiusmodi est, vt sensum effugiat, túmque τριχισμὸς, vel τριχίασις, quasi capillarem dicas, nuncupatur: quæ quoniam sensum exiguitate sua fallit, plerísque sic affectis mortis causa fuit, vt Paulus testatur, & non rarò experientia ipsa docet. Memini olim, dum Auenione medicinam factitarem casum accidisse huiusmodi: vt non satis perspecta rima mulieri cuidam secundum frontem vulneratæ, mortis causam attulerit. Quoniam verò res est animaduersionę, ac scitu dignissima, historiam recensere ad veri fidem, haud pigebit, quòd autore Galen. exemplorum ea sint pro potioribus habenda, quæ ipsi oculis vsurpauimus. Erat mulier quędam florenti ętate, eleganti forma, ac bono corporis habitu prædita, quæ viro cauponi nupserat eius di-

Fen. v. 4. trac. 2. c. 1.
vbi suprà
vbi suprà.
Lib. 8. c. 7.
Li. 6. c. 90

Historia mira. uersorij Auenionensis, cui Gryphus auis insigne erat. Ad cauponam cùm multi insolentes, impurique homines accederent, vt ferè fieri solet, vbi se mero multo impleßent, vnus assidentium probè potus, & hospitę (quam vt aiunt deperibat) cùm propinaßet, illáque renuißet, gestãs manu vitreum poculum ioco vinum in illam cùm proiicere vellet, vnà & poculum vino plenum proiecit, vulnerátque exiguo, ac planè contemnẽdo vulnere mulieris frontem. Accitus chirurguis, ille officio fungens linamenta admouet, nullus capitis dolor, nulla vrẽda symptomata, nec primo, nec altero die insecuta sunt: tertio, dolor grauis, febris, totiꝰ faciei ingẽs tumor, rubori & inflãmationi coniunctus: mox delirium, & conuulsio quasi quædã interceptáque vox. Apertum vulnus, multi adhibiti medici, atque chirurgi, magnitudine casus inopinati acciti, rimula vix conspicua apparebat, quinto die mors. Dissectum cadaueris caput, Prætoris vrbani iussu, ingens phlegmone intra caluariam inuenta, dura menynx, tumẽs, dura, liuore affecta, & ingenti puris copia suffusa, reperta est. Erat autem tanta puris congesti copia, vt librarum ferè duarum pondus ęquaret. Hic euentus miserrimus fuit, illud vt verum esse fateamur, quod est à nobis paulò ante, ex Pauli autoritate citatum, rimam in capite mortis nonnunquam causam attulisse. Sed iam ad differentias fracturarũ recensendas, denuo stylum vertamus. Est *li.6.c.90.* & altera differẽtia, quæ excisio nũcupatur, Paulo ἐκκοπὴ, scissio est, in qua os læsum, disruptum, atque effractum est. Vbi vero à reliquo osse pars offensa discesserit, ἀποσκεπαρνισμὸς vocant, quasi à securi facta denominatione, quod ita diffractum os videatur, ac si securi percussum fuisset. ἐκπίεσμα, est ossis in multas partes diuisio talis, vt rupta ossa ad mẽbranã vsq; descẽderint, vt cerebri membranas contactu suo premant. ἐγγίσωμα quasi corporum appropinquationem dicas, caluę ictus est, in quo os vitiatum ad interiorem cerebri membranam prolabitur, eámque contingit, καμάρωσις, diuisio caluarię est, in qua pars affecta cameræ modo exaltata relinquitur, ac intro à sanis fracturæ partibus ossa magis recedunt, membranæque immittuntur. θλάσις, quæ contusio dicitur, & infantibus ex offensione accidere sępe solet, caluariæ diuisio non est, eóque nec fracturam rectè dixeris: verũ est ossis

cal-

caluæ in interiorem partem impulsio, aut inflexio, concauitatem integræ caluæ continuitate, tantùm efficiens. ἀπόχημα secundum nonnullos id fracturæ genus est, cùm non pars caluæ percussa, sed alia illi opposita frangitur. Id fieri posse Paulus negat. Celsus solere ait euenire, vt altera parte ictus insiderit, & altera os fiderit. Recẽtiores medici, qui de factitanda, medicina scripserunt, Celso consentiũt, inter quos Nicolaus Florent. oculatum se esse eius rei testem affirmat. Historiam nanque ille narrat filioli Masi Flunamollis qui qui cùm secundum dextrum tempus claua percussus fuisset, contusio quidem, ac vulnus parte illa qua impactus ictus fuit, apparuit, rima tamen nulla, aut scissio ea in parte conspicua erat, patentiore quidem de industria facto vulnere, cúmque vigesimo die horror, febrisque inuasissent, die vicesimotertio liuor, atque gangræna in sinistro tẽpore illi aduerso apparere cœpit, summotáque rasorio demortua carne ad caluariam vsque, cranium fractum ea parte repertum est. Vnde constat fieri posse (quod Paulus negat) vt altera parte ictus, altera fractura, scissiove sequatur. Quam fracturæ differentiam, quasi ab Echo responsionem dicas, ἀπόχημα Græcè vocari Paulus contendit. Hæ sunt fracturarum in vniuersum differentiæ atque modi. Ad causas modò properandum, si modò id prius de fracturarum differentiis adiecerimus, esse quasdam fracturarum compositas differentias, vt cum fracturæ ossis vulnus insuper iacente carne coniungitur: aut dolor, inflammatióque non contemnenda copulantur: aut cum fractura ipsa, prominens quippiam in osse apparet, vel cùm ex osse male ferruminato, atque commisso tophaceus nodus relinquitur. Hos complexus, etsi recentiores medici fracturarum differentias statuant, propriè tamen differentiæ censendæ non sunt, cùm quod seorsum, atque per se consistere potest, nunquam alterius fuerit differentia, vt ex Galeno libro tertio methodi haberi potest. Possunt autem & vulnus, & dolor, & tophus absque fractura consistere, quo fit vt veræ ipsius differẽtiæ non sint, sed de his hactenus. De causis illud promendum quæcunque extinsecus insidentia contundere, diuidere, frangere, illidere, atque compressu grauare ossa possunt, ea omnia causarũ loco habenda meritò esse Omne nanque os cum iniuria accessit, aut vitiatur, aut finditur, aut frangitur, aut fora-

li.6.c. 90. Celsus li.8 cap.4. Serm.7. sum.2. tra.4 .c.3 Historia à Nicolao Florẽtino prolata. li.6.c.90. Fracturarum causæ Celsus li.8 cap.2.

tur, aut colliditur, aut loco mouetur: de quo sequenti capite agemus. Causas has, vt acutiùs perpendamus, protinus vt fracti ossis suspicio incidit, considerandum est, lapide, an ligno, an ferro, an alio telo percussum os sit, & hoc ipso, leni an aspero, mediocri, an vastiore, vehementer, an leniter. Quia quò mitior ictus est, eò facilius os ei restitisse credibile est. Contūdentia omnia grauia duráque, nec mole minima esse oportet, vehementíque impetu, vel iacta, vel obuiantia. Quæ impetu incidunt diuidere, & frangere ossa possunt: sicuti collidere, quæ impetu valido occursant, vt casus ab alto præceps, ad durum lapidem occursus, vel impulsio. Ex circūtorsione nonnunquam fractura incidit, vt in luctantibus euenire sæpè videmus, præsertim si arida, imbecilliáque crurum ossa sint: mox enim vim passa franguntur. Fracti ossis signa hæc sunt, si præcesserint causæ fracturarum productrices, vt si quis graui telo, vehementérque sauciatus fuerit, si ex sublimi ceciderit, si in lapidem durum, aut magnum impegerit, si ictum acceperit, ad os vsque descendentem. Si quid tale quis passus sit, de ossis fractura suspicio habenda erit: ea porro ad tactum maximè dignoscetur. Fracti nanque ossis partes disiunctæ, separatæ, ac vario positu sitæ, inęqualésque, si quis manum admoueat, reperiétur, mēbri in quo fractura subest figura peruertitur, collisio quædā, ac crepitus ex fractorum ossium collisione natus sentitur, attrectato membro: pars læsa attrectata dolet, corpus diffracto membro inniti minimè potest. Hæc fracturæ transuersim factæ signa potissima sūt, ex Rasij, Haliabbatis, & Auic. sētētia. Si verò secundum longum diffractum os sit, crassities quędam supra iustum naturæ modum tactu percipitur, cætera signa non adsunt, quæ adesse in fractura transuersali diximus, nisi quòd & dolor, & inæqualitas sensus etiam iudicio deprehenduntur. De fracturis porrò variè iudicandum est. Quæ transuersim fracturæ incidunt, difficiles sunt habendæ, quòd rectè coire ossa non possint secundum naturalem vnitatem. Quæ propè iūcturas, & in artuū vicinia, grauiores, vel ea potissimū ratione, ꝙ ligari cōmodè minimè possint, motūq; posteà partis difficilē reddāt. Minimè periculosè ossa media in humeris, brachiis, femoribus, crurib. & digitis, frāgūtur. Nā & faciliùs coalescūt, & fasciis a cferulis vinciri ad coitionē facilius possūt. Tolerabilis est simplex, trāsuersa vel longa peior vbi fragmēta multa adfuerint, aut vbi obliqua cōstiterit, fractura. Pessima

Fracturarum signa

quæ

quæ foratione fit: quod & carnem, nõnunquã verò & neruũ & musculum lædat. Quæ cum contusione valida, dolore, inflammatione, aut vulnere contingit fractura, pessima habenda est, quòd instaurari fractura prius nõ possit quàm reliqua curata sint: tùm quod vbi vulnus cum fractura incidit, inflãmationes grauiores, & cancros promptiores (vt Celsus ait) sic affecti patiuntur, vbi ani:n aduertendum Celsum hoc loco, per cancros gangrænam, & sphacelu:n, non cancrum apostema intellexisse. Postremò vero ea ratione difficilis est fractura huiusmodi cum vulnere carnis copulata, quòd neque ferulis, neque canalibus (necessariis ad fracturas præsidiis) vti tum possumus, sed neque fasciis ad ligandum (quas Hippocrates ὑποδεσμίδας, id est, subligamina vocat) vti possumus. Neque enim vulnus huiusmodi, fasciis obuoluẽdũ esse, tum prisci, & qui Hippocratis ætate fracturas curabant, tum recentiores qui de ea re scripsere, censuerunt: ne scilicet ichorum effluxus ligatura quæ fasciis fit inhibeatur: ingens planè malum. Quo fit vt cùm talia accidunt, in difficili rem esse rectè pronuntiare possumus. Eum autem modum, quo Chirurgi in huiusmodi fracturis cum vulnere curandis vti solent, vt circuniectis vtrinque fasciis aperturam in medio relinquant, damnat libro de fracturis Hippocrates. Fractura quo vetustior, hoc est, quò tardius diffracta ossa ferruminantur, eò cõtumacior efficitur, quòd & spatia inania aliena substantia impleantur, & callus inæqualis gignatur. Fracturæ nõ omnes pari dierum numero coalescunt, ac committuntur: sed aliæ citius, tardius aliæ. Caluaria trigintaquinque diebus: brachium & tibia, si rectè tractentur, diebus circiter quadraginta: cubitus diebus vtplurimum triginta: coxendicis os diebus decem & octo. Costæ diffractæ, post vnum & vigesimum diem, Celso: aliis post vigesimum octauum, ferruminatæ sanescunt. Maxilla, iugulum, scapula, os tali, calx, manus, planta, intra decimumquartum, & vnum & vigesimum diem committi solent. Coxa Hippocrati diebus quinquaginta: pes sexaginta dierum spatio concrescit. Sed tamen ad celerem tardàmve fracturarum coalitionem plurimùm facit ętas, virium robur, habitus corporis, vitæ ratio, aëris conditio, vt in his ferruminationũ terminis, nihil pro stato & firmo ponendum sit. In Cranij autem fractura notæ hæ in malis habendæ sunt: si subtensa cal-

Li. 8. cap. 20. vbi de cõmuni curatione ad humeros, brachia, crura, & fæmora tractat.

Fracturarum coalitionis tempus.

Hip. li. de fracturis. uariæ membrana tumet, si liuet, nigricat, si tensa, si immobilis manet, si delirium, si insomnia, si vox intercepta sit, si rubent oculi, si iugis vomitus, si neruorum resolutio, aut distentio appareat, si maxillarum ac ceruicis rigor, si nihil ex vulnere effluat. Salubria signa sunt, membrana mobilis, benè colorata, increscens caro, symptomatũ prædictorum defectio. Hęc si adfuerint certam spem salutis faciunt. Ossa rectè commissa esse testantur, æqualis membri præfacti, & iam ferruminati compago, naturalísque figura si sano membro cõparetur: sublatus doloris sensus, membri ad motum localem firmitudo, & potẽtia. Sed iam ad fracturarum curationem methodo tradendam accingamur. *Fracturarum curatio.* Fracta omnia glutino ferruminari postulant, fasciis diffracta ossa committentibus, vinculis, ferulis, atque canalibus. Qua autem ratione adhibenda hæc in fracturis sint, nos bellissimè Hip. lib. de fract. Gal. li. 6. meth. meden. Paulus libro 6. à cap. 90. ad 110. Celsus lib. 8. Auic. fen. 5. quarti canonis, & vt in summa dicatur, omnes, qui de factitanda medicina scripserunt, tractationem hanc accuratè attigerunt. Est autem præcipuus in fracturis curãdis scopus, vnitio, & coalitio, quoniam soluta partium ossis continuitas est, quæ quidem ipsa, vnitionem postulat, ita tradente libr. 6. meth. med. Gal. At verò quoniam qui proponitur finis in ossium fracturis perfici nequicquam potest, (non enim coalescere ipsa per se ossa possunt, quod è semine genita sint) superest, vt alterius cuiusdam substantiæ interuentu quę glutinis instar sit, diffracta ossa ferruminentur, cùm instar carnis, molliúmque partium regenerari ipsa per seipsa nequeant, nimia siccitate, ossis duritiéque vetante, & materię inopia id fieri prohibente. Ea tantùm ossa vnitionem per se, & nullius interuentu recipere possunt, quæ mollia, humidáque fuerint, qualia puerorum & infantium ossa habentur. Sed id rarum est. Illud frequentius, vt callosæ substantiæ interuentu ossa ferruminentur. Gignitur porrò ea substantia in ossibus fractis, ex superfluente ossium alimento, quod ossa ipsa ad sese tractricis facultatis vi alliciunt. Vnde quod ex proprio ipsorum alimento redundat, in fracturæ labris cohærens, agglutinatúmque concrescit, diffractásque partes vnit. Corpus id Græcis πῶρος, Latinis callus dicitur. Qui cùm mediocritatẽ quan-

quandam in duritie,ac mollitie, crassitie ac tenuitate nactus fuerit,tum agglutinandis fracturis idoneum vinculum fuerit. Quatuor itaque precipuis scopis fracturarum curatio perfici solet,præsertim transuersim factarum. Prior est,vt diffractæ partes ad rectitudinem dirigantur,inque naturalem sitũ coaptentur. Secundus,vt sic conformata ossa,ritéq; commissa prorsum immota donec curata sint,maneant. Tertius,vt calli cum diffractis partibus agglutinationem moliatnur. Quartus,vt quæ superueniunt symptomata arte emendemus. His scopis vniuersa perficitur fracturarum curatio. Verùm hi,vt rectè à medico in actum ducantur,obseruationibus quibusdã opus est,sine quarũ presidio ritè procedere curatio nequit. Illud in primis obseruandum vt in fracturarum curationibus docti in primis adhibeantur chirurgi prudentésque ministri, qui accuratè imperata facere norint:locúsque,lumen, medicamenta,linamenta,ferulę,vincula, fascię,parata, promptáq; sint omnia. Medicamenta sint,oleum rosaceum,idq; omphacinum si haberi potest,ouorum albumina, oxicraton, locus planus,ac lumine collustratus,vt ritè chirurgus operari queat linamenta concerpta multa sint, seu etiam stuppę lenes ad contegendum membrum,ferulę probè dolatæ, tenues, è sequaci ligno,corióve fabrefactæ apparentur. Fasciæ latę,oblõgæ,firmæ è tela nec rigida omnino,nec molli, & quæ ad vinciendum membrum satis sint,construantur:vt lectus, & stragulæ vestes,probè ad ęgri quietem composita sint. Quæ vbi parata fuerint,tum ad fracti ossis reductionem, seu æquationem est arte properandum. Vbi nanque ad dextram detorta ossa sunt,ad sinistram ducenda erunt,& contrà. Semper nãque in directum agendi ossis fracti partes sunt. Directum autem id audire oportet,cùm in naturalem figuram, quã prius habebant,ossa reducuntur. Eum verò situm, autore Gal. habuerint,si quis ea quæ dissident ossa,integræ partis intuitu in contrarium adducat: à qua transpositionis ossium certissima indicatio petenda erit. Vsu nanque venit,vt tum prorsum, tũ retrorsum,tum in hanc, illámve partem ossis translatio, fracturæ vi facta sit. Quæ igitur retrorsum acta sunt,ea prorsum hoc est in oppositam partem,pelli conueniet. Quę prorsum emota sunt retrorsum adducere oportet, altera semper parte modicè in contrarium deducta. Obseruandum item & illud quoq; est,vt cũ reducta ęquatáq; ossa fracta sunt,ea in æ-

quatione commoda ligatura (quæ fasciis obuolutis, atque variè circumactis perficitur) seruentur, idque etiam citra dolorem, quantum quidem fieri poterit, hoc est, vt quæ admouentur fasciæ, ferulæque, neque nimis arctè constringantur, nec laxæ nimis pateant. Arcta namque ligatura dolorem : laxa ad continendum inualida est. Arcta rursus immodicè, gangrænas, & sphacelos parit (quod ego sæpe fieri animaduerti) laxa æquata ossa dissoluit. Sic itaque ligatura inter extrema hæc mediocris, vt neque compressu dolorem, mortificationémque inserat, nec laxitate dissolutionem. Quin & cauendum erit, vt quod ad ferulas pertinet, initio ne graues, ne scabræ, aut duræ, sed leues, dolatæ, molliorésque admoueantur, & quæ continere quidem diffracta ossa possint, compressu torquere nequeant. Post septimum verò diem paulò firmiores admoueri poterunt, vbi à phlegmone metus non subsit, vt Galenus libro sexto methodi & medendi Auicenna conceptis verbis sensisse sunt visi. At verò neque parum de dissolutionis ferularum, atque fasciarum tempore soliciti esse debemus. Nam si vel nimis properè ante ossis ferruminationem eas sustulerimus, ingẽs malum parti inferemus, sin nimium tardè, longo compressu mẽbrum in mortificationis periculum adducemus. Itaque si neque pruritus, neque dolor, gangræna, inflammatio adsint soluere ante decimum, aut quintumdecimum, aut vigesimum minimè expedit. Sin illa, alterúmve illorum adsit, intra septimum solui possunt, imo quotocunque die illa quæ diximus apparuerint, Hippocratis iussa sequentes, qui tertio quoque die deligationem soluendam, vbi dolor, pruritúsve infestarint, & membrum temperata aqua fouendum præcipit, vt & acris sanies discutiatur, & mitigetur dolor: prurigóque sedetur. Nec minor de calli generatione cura habenda est, vt is probè temperatus, orísque fracti ossis commissus regeneretur, id post septimum diem fieri solet: túmque largius nutriendus æger est valentioribus cibis, & paulò glutinosioribus, ficuti ab initio tenuiter cibandus ; à vino & carnibus quoque arcendus : sed vbi regenerari porus incipit, plenius alere ægrum ex vsu est. Hæc Hippocratis Gal. & Rasij sententia est. Nunc ad intentiones curatiuas obeundas, de quibus anteà diximus, propius accedendum.

Hip. li. de iis quæ in medicatrina fiunt.

Fen. 5. quarti.

Li. de fracturis.

Prima intentio.

Ha-

Harum primam ossis æquationem esse diximus. Ea sic perficitur vt membrum perfractum decenter à ministris intendatur, vt in directum diffracta ossa dirigi possint: quod vbi peractum est, os deinde depressum attolli: elatum & supereminens deprimi adeo debet, quoad ossis fracti fines rectè concurrant, & naturali positu coaptentur. Neque enim emota sedibus ossa, atque præfracta venire in suam sedem possunt, nisi illa per vim intendantur, sed ita vt distentio illa moderata sit. Immoderata nanque distentio plerunque febres, acerbos dolores, conuulsiones, & resolutiones creare solet vbi in directum reposita ossa sunt, lineis fasciis articulorum capita vincienda sunt, & probè collocandum membrum Atque hæc prima est curandi ratio. Altera est, vt sic æquatum membrum debitis fasciis, ac ferulis obuolutum eo in situ seruetur. Æquatum porrò membrum sublatione doloris deprehendimus. Id enim obeundum incunctanter esse Hippocrates iubet, vt ossium finibus coaptatis membrum deligemus, quod & Galenus, & Paulus confirmant. Nam cùm immota esse oporteat quæ ligaturis coaptata sunt, & coniuncta, ne scilicet motu & agitatu adæquata iam ossa rursus distorqueantur, ob id necessarium est non solùm fasciis contineri perfractum membrum, sed vno in loco immotum consistere, idque vel ferulis circumpositis, vel repositorio quodam leui ad membri perfracti formam effictо, in quo partem læsam absque dolore reponere valeamus. Fiunt huiusmodi repositoria alias aliter: quædam quę tibiæ fractæ, quædam quæ brachio cóueniant. Conficiuntur porrò ex leui, eóque probè leuigato ligno, vel corio, vel charta crassiore, quæ ad formam vel brachij, vel tibię effractæ, membro læso subtenduntur, fibulis, aut fasciis lineis circumpositis: sic enim membrum immotum firmiter manet. Sed in ea fracti membri repositione ei est vnicè intendendum, vt apposita & maximè conueniens membri figura seruetur. Siquidem inconcinna figura in fractis ossibus, non solùm dolores ingẽtes (vt Galenus ait) excitare, sed & ossa intorquere (ingens in huiusmodi affectibus malum) potest. In peruerso nanque situ atque figura, musculos quosdam tendi, alios solui ac remitti est omninò necesse. Vbi vero tenduntur, & dolorem excitari, & à deligatura comprimi ipsos est verisimile. At vbi ex inconcinno positu remitti musculos quosdam videamus, quà tensio remittitur,

li.6.meth.
lib.6.cap. plurib.

quo loco deligatura laxa est, ibi munimento destitui fracta quæ sunt, consequens planè est. Ob id aptissima figura reponi fracta membra debent. Fuerit autem huiusmodi, quæ & à dolore alienissima est, & membro familiaris, vt in qua diu citra dolorem consistere æger possit. Hæc & rectissima est, & membro naturalis ac cõsueta. Eam porro Galenus rectissimam vocat figuram, quę venas, arterias, & musculos quàm rectissimos habet. Itaque angulosa figura, quę modicè ad cubitum inflexa est (quæ ἐγγώνιος Græcè dicitur) brachio maximè cõgruit, & ei valdè naturalis est. Cruri verò, quę paulo minus porrecta sit. Vt igitur perfracta pars aptè, decenterque ligata reponatur, ea illi figura inuenienda est, quæ & secundum naturam consueta, & à dolore (vbi pars malè affecta est) quàm alienissima habeatur. In quam rem recentiores chirurgi, secundum deligaturas mox ferulas circumponunt, ipsas pro ratione fracturæ adstringentes. Veteres (vt Hippo. Celsus, atque Galenus) non protinus ab initio, sed à die tantùm septimo, nono, vndecimo eas admouebãt, vt libris de fracturis ab Hippocrate, & libro octauo à Celso, & à Galeno sexto methodi est videre. Sed errare minimè nostri dicendi sunt, & si eas mox iniiciant, modò id aptè, & citra dolorem (quod periti artificis esse putamus) effecerint. Sic enim melius fracta, apta, cohærentiáque manent, & porus facilius inter fracturę oras innascitur, vbi à principio circumpositæ ferulę fuerint: Quæ cuiusmodi esse debeant superiùs diximus. Hippocrates certè læuigatas planas, æquabiles deligit, id est, nullatenus distortas in summis tamen partibus, superiori inquàm & inferiori deradi leuiter debent, quà deligatio fit, & ea etiam parte minores effici, quâ fractura consistit, latiores & valentiores, vt firmius æquata ossa continere possint. Sic autem adhibere eas oportet. Splenia multiplicia, hoc est, triplicia, quadrupliciáve oleo imbuta super fascias ęqualiter circunductus admouere oportet. Dein ferulas lana, gossipióve, aut mollioribus stupis in orbem obuolutas, vnius digiti interstitio alteras ab alteris distantes circumducere conuenit, moderatè adstrictas. Atque hęc de secunda intentione. Tertia circa pori productionem tota versatur, qui vt gignatur cogi, cõcrescereque cum fracto membro aliquid proprij ossium alimenti oportet quod in fracturę labiis consistens ossa diffracta ferruminet.

li.6. meth & in com. ad lib. de fracturis. Hipp.

libr. de iis que in medicatrina sunt.

ferulas adhibẽdi modus.

Tertia intentio.

Crassa hæc materia poro gignendo idonea, ad duodecimum, vel quintumdecimum diem ab ossis fractura gigni incipit, vel Guidonis testimonio, tametsi in aliis citius, tardius in aliis id fiat. Callum porrò aggenerari indicant, dolor sedatus, inflammationis, & tumoris securitas, bonus ac floridus perfracti membri color. Quæ cùm apparuerint, paulò plenior instituendus victus tùm est, cibísque valentioribus alendus æger, qui & succum bonum, & tenacem creare valeant. In hanc rem oriza, similagineus panis, è tritico paratæ pultes, vel farre, aut amylo, tum & animalium pedes, ventres, ac capita, Auicennę valdè probantur, præsertim hœdi, vituli, ac veruecis. Per initia fracturarum, antequam gignatur callus, tenuiter cibandus ęger, detrahendus sanguis, si validę vires sunt, ętásque florens. Purgatio quoque abhibenda. Carne & vino ad decimum vsque diem, ex Hipp. præcepto abstinendum: posteà crassiore & styptico vino vtendum, porus gignitur, qui moderatus esse debet, neque iusto maior, aut minor quàm conueniant, vt docta Gal. sexto meth. sententia est. Sed iam de tertia intentione, callique generatione satis. Ad vltimam intentionem, quę symptomata corrigere docet, accedendum. Ea porrò quę in fracturis euenire solent, sunt dolor, inflãmatio, pruritus, vlcus, intẽperies, gangręna durities, pori deficiens, aut excedens magnitudo. Si dolor inflammatióve vrgeant, confestim ferulę fasciæque dissoluantur, deligatióque soluenda, & pro Guidonis præcepto lanam mollem, oleo & aceto imbutam parti dolenti admouere, & id genus præsidia, quę dolori sedando conueniant: vt est mica panis ex lacte caprino adiecto rosaceo ouorum vitellis duobus, & momento croci. Quod si inflammatio adsit, repellentibus ab initio vtare, mox discutientibus. Quod si discuti nequeat, modicè suppurantibus vtendum erit, curandáque detergẽtibus tandem sanies. Pruritui medebitur aquę tepidæ fotu (vt Hippocrat. atque Gal. sensere) aut aqua salsa, vt recentioribus in more est, locum perfundemus: vnguentóve albo vocato, aut eo quod pompholygen accipit, adiecto sulphuris momẽto: quod ad pruritũ plurimũ valet. Vlcus siccãtib. remediis, si adsit, curetur: & si sanguinis profusio sit, sistatur. Intẽperies si calida sit, refrigerantibus, si frigida, calfacientibus emendabitur: prout humida siccantibus, sicca humectantibus. Gangręna si superueniat, scarificatu multo, & ablu-

tione aquę salitę ex lixiuio, vel Ægyptiaco vocato vnguentō curanda erit. Quòd si liuor, nigrities cum mollicie, & putredine serpente, partem occuparit (sphacelum id vocant) extirpanda putredo omnis, pársque demortua erit. Durites emollientibus, tum fotibus, tum ceratis, atque vnguentis emendabitur. Pori deficiens magnitudo alimenti valentioris copia, & perfusionibus, & emplastris eiusmodi, quæ emplasticam substantiam habeant, quale est ex pice paratum, tum ex frictionibus partis affectæ reparatur. Vbi verò callus plus iusto grandior factus fuerit digerentibus medicamentis, autore Gal. minuendus erit. Cùm recens adhuc callus est, valdè adstringentibus medicamentis vtendum. Paulus censet, deligationem paulò firmiorem, & quæ comprimat adhibendam, in quem vsum plūbi lamina admota, partíque alligata optimè facit. Si malè ferruminata ossa sint, recénsque sit callus, fotibus ex aqua temperata fouendus locus erit: frangendus rursus callus, ossáque dirigenda, & ligaturis ferulísque commodè tractanda Verùm si iam occalluerit, & in duritiem lapideam versus sit, attrectandum nullo prorsus pacto, vnâ cùm Albucasi censeo. Id enim & dolores acerbos, & inflammationes excitat, & nonnunquam etiam mortem. Hęc de symptomatum fracturis euenire solitorum curatione, ac de fractis ossibus in vniuersum dixisse pro locorum communium ratione sufficiant. Atque hic capitis finis esto.

De fracturis, Hippocratis, & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

Si quidem os fractum fuerit, ac contritum (de capitis fracturis loquēs Hip.) periculo vacat, & curare oportet hunc humectantibus medicamentis. Si verò rumpatur, & fissura fiat, periculosum est. Huic serram adhibere oportet, ne in ossis scissuram sanies influens, membranam cerebri putrefaciat. Nam vt per angustum intrans, non autem exiens affligit, & furere hominem facit. Huic itaque serram adhibere oportet, vt sanies exitum habeat, non solum ingressum, ampla serratura facta. Medicamentis autem vtendum, quæ humorem in sese trahunt, & lauandum. *lib. de locis in homine, ex Cornarij versione.*

Oportet medicum & luxationum, & fracturarum extēsiones quàm directissimas facere. Hæc enim iustissima natura

est. Si verò quid vel hac, vel illac inclinarit, ad pronam partem vergere conuenit: minus enim hoc peccatum est, quàm ad supinam. *lib. de fract.*

Qui nihil præmeditati sunt, plerunque nihil peccant. *eod. li.*

Qui verò sapientes sibi vidétur medici, hi sunt nimirùm qui peccant. *eod lib.*

Crassissimam ferulam esse oportet qua parte extat fractura, non tamen multum. *eod. li. de fract.*

Ferulę deligationis conseruandę gratia apponuntur, non autem compressionis gratia alligantur. *eod. lib.*

In triginta diebus vniuersis, maximè ex toto cubiti ossa corroborantur. Certum tamen nihil est. *ibid.*

Natura à natura, & ętas ab ętate valdè differt. *eod. lib.*

Tertio quoq; die soluere, ac rursus ligare, iubebat Hip. fracturam manus. *eod. lib.*

Victus porro his, quibus ab initio vlcera non facta fuerint; neque ossa extrema eminent, sufficit aliquantò simplicior. A vino verò, & carnis esu abstinendum. *lib. de fract.*

Intendere oportet in directum secundum naturam, & secundum rectitudinem tibię ac fœmoris, siue tibiæ fractę, siue fœmoris ossa extenderis. *eod. lib.*

De canalibus, qui sub crura fracta subiiciuntur ambigit Hip. an subiicienda sint. *eod. lib.*

Licet & cum canali, & sine canali, & bene & malè rem moliri. *ibid.*

Ferularum locationes vitare oportet, & secundum malleorum rectitudinem, & supra tendinem, qui est in tibia pedis. *ibid.*

Tibię ossa corroborantur in quadraginta diebus, si rectè curentur. *eod. lib.*

Corroboratur fœmur in quinquaginta diebus. *eod. lib.*

Si suspicionem haebas eos aliquod directione opus habere, aut de vlceratione aliqua timeas, intermedio tempore soluere, & probè coaptata religare oportet. *lib. de fract.*

Deficere oportet semper ferulas à nuda parte. *eod. lib.*

Fracturæ cum vlcere curatio. *eod. lib. longa ferie.*

Quibus fœmoris, os extra eminet, hi non valde superstites euaduut. *eod. lib.*

Reliquos locos ex lib.eodem de fracturis,& de iis quæ in medicatrina fiunt, & lib.de articulis inuestigare poterit, diligens lector.

Galeni.

Fractio vocatur continuitatis solutio in osse. *lib. de morb.diff.c.11.*

Fractura est continuitatis ossis diuisio. *lib.4.meth.med.c.1. & lib.6.c.5.& lib.de const.art.med.& in art.med.c.91.*

Fractio dolorem inferre solet.*lib.2.aph.com.6.*

Fracturarum differentiæ quinque. Prima schidacedon,id est,per rectitudinem:altera per transuersum,cauledon Græci dicunt:tertia raphani in morem,raphanidon:quarta caryedon,id est in modum nucis: postremo aphitedon, hoc est in speciem farinæ.*lib.qui introductorius , seu medicus inscribitur.*

Nigrescunt interim ossa in fracturis, interdum sine his. *eod.li.*

Fracturarum capitis genera quinque. Rhogme, eugisoma,ecpiesma,apechema, & camarosis. Eodem lib.qui medicus inscribitur.

Fracturarum omnis caluariæ species excisione administratur, excisoribus id quod in ossibus fractum est auferentibus.*eod.lib.*

Fracturarum per singulas corporis partes contingentium,exposita curandi ratio.*eod.lib.pag.122.& 123.*

Fracturarum in vniuersum tractatio,& hisce conuenientium deligationis modi expositi. *Com.ad lib. Hipp.de his quæ in medicatrina fiunt,longissima serie,& lib.6.meth.med.*

Fracturarum curandarum vera methodus. *lib.6. method. med.cap.4.pag.152.A.*Deligationum in his modi.*eod.li. & cap. pag.153.D.*

Deligandi præcepta. *In com.ad lib. de his quæ in medicatrina fiunt.*

Cibatio conueniens in fracturis. *li.6.meth.med.pag.156.D. & 157.de longis fracturis.*

Fracturis conuenientium organorum formæ explicatæ. *lib.6.meth med.cap.4.pag.157.D.*

Fracturarum quæ in capite variè contingunt. curãdarum methodus. *Lib.6.meth.med.cap.4 pag.158. & eximendorum ossium præcepta,eo.li.pag.159.160.*

Fractu-

Fracturarum absque vlcere consistentium, idonea per chirurgiam exposita curatio. *In com. ad libros Hippo. de his quæ in medicatrina fiunt, & com. ad lib. de fracturis Hippocrat. pag. 825. C. & com ad lib. de articulis, longa serie, tum & de fracturis cum vlcere curandis. commentar. ad lib. de fracturis, lib. inquam tertio commentariorum, ad principium.*

Admonitio Lectori.

Non fuit animus vniuersos de fracturis locos describere, vt in quibus omnibus describendis vix integrum volumen sufficeret. Eos qui singillatim acquirere volet, libros Galeni adeat, quos in Hippocratis libros de fracturis, de articulis, de his quæ in medicatrina fiunt, conscripsit: tum & sextum librum methodi medendi accuratè legat. Inueniet enim illic immensam horum locorum farraginem, qui non solùm fracturarum omnis generis omnium differentias, nomenclaturas, & proprias rationes, sed & curationum varios modos, instrumentorum ad id conuenientium varias figuras, ac positus, curationum alias atque alias formas, pro cuiusque natura inueniet. Sed cum hæc ad chirurgicam magis, quam ad medicam artem pertineant, isthæc omnia (vt monet Galenus, lib. 6. methodi medendi) eius artis peritis relinquenda sunt.

De luxationibus in genere. CAP. VI.

QVæ de luxationibus est tractatio, germanitate quadam eam, quæ de fracturis est, consequi debet. Cúmque præcedente capite de fracturis tractatum abundè sit, postremo hoc capite de luxationibus agemus, quid luxatio sit inquirentes, quæ illius differentiæ, quæ causæ, quibúsque notis deprehendatur, qua demum ratione curanda luxatio sit. Ergo luxatio medicis nihil prorsus aliud est, quàm ossium secundum naturam connexorum, ex propria sede absque fractura separatio: qua motus voluntarius impeditur. Luxationes Græci ἐξαθρήματα, καὶ ἐξαρθρώσεις, ἐκπτώσεις, καὶ ἐκπτώματα iure vocant. Galenus certè ossium excessus seu dimotiones è propria sede, quæ sine fractione fiunt, luxationes vocandas esse, in commentario ad librum de articulis, mox ad initium libri voluit. Autor definitionum medicinalium, ita luxationem definiuit, vt sit ossium, quæ per articulum vel coagmentationem mouentur extra naturam

delatio: quemadmodum exarticulationem siue eluxationem ossis secundùm naturam se habentis in alenum naturæ locũ ex profunda cauitate egressionem. Hippocrates breuiùs luxationes ossium emotiones esse affirmat: vti Paulus articuli à proprio sinu ad insolitum excidentiam, & prolapsum, in quo motus arbitrarius impeditur. Nullas nisi in maioris minorisve ratione luxationum differentias idem author agnoscit: cùm sint tamẽ luxationum differentiæ satis multæ, vt sit alia simplex, & nulli alteri affectui copulata: composita altera, quæ vni cuipiam affectui coniuncta est. Rursus luxationum perfecta alia, quæ eadem & completa, & absoluta dicitur: imperfecta alia. Completa tum reuera est, cùm os integrè, atq; omnino suo loco excidit: atque ea propriè luxationis nomen Latinis meretur, Græcis διάρθρημα est. Imperfecta dicitur, cùm non omnifariàm os, sed aliquatenus à sua sede dimotum est, vocatúrq; subluxatio, & Græcè παράρθρημα. Auicenæ interpres dislocationem si integra, plena absolutáque sit, vocandam censet: si non sit integra, separationem iuncturæ vocat & torsionem, quæ vox ei id significat, quod Græcis στρέμματα, nos euersionem dicere possumus, seu peruersionẽ: quæ etsi in omnibus articulis accidere potest, spinæ tamen vertebris peculiaris, propriáque esse solet. Possunt autẽ vertebræ detorqueri, vel in anteriorẽ partẽ, vel posteriorẽ, vel tandem in latera. Si in anteriorẽ inclinent, vocatur vitium eiusmodi lordosis: si in posteriorem cyphosis, si in latera scoliosis. Prætereà accidere potest, vt articuli ipsi ita laxentur, vt membrum lõgiùs effectum & sit, & videatur: quod in coxendicum doloribus malè tractatis euenire sępe videmus, χαλασμένους, id est, laxatos articulos Græci vocant: Auicenna prolongationem, & algmenon, Arabica & barbara voce. Celsus à suis sedibus duobus modis dimoueri ossa posse affirmat. Altero, si quæ iuncta, copulatáque inter se sunt, dehiscant: hoc est, ita dissocientur, vt mediũ quendam locum vacuum relinquant, vt si radius à cubito dimoueatur. Radium & cubitum recentiores vocant duo brachij focilia. Vbi igitur alterum ab altero discesserit, primus erit luxati ossis modus, apud Celsum. Secundus, quum articuli suis sedibus excidunt. Sunt & apud Paulum ἀγκυλώσεις & ἀγκύλαι vocatæ, hoc est, articulo-

Lib. de fract.

li.6.c.111.

Luxationum differentia.

Paul. lib. 6.c.117.

lib.8. c.11.

culorum ex humoribus infractis, ac neruea quadam tensione contractio, detentioque. De quibus locutus fuisse Auicenna videtur, libro quarto, Fen. item quarta, capite de neruorum duritie, & tersione. Possunt autem & luxationes cum variis componi affectibus, nempe cum fractura, inflammatione, vulnere, dolore, duritie, gangręna, & similibus: sed hęc vbi inciderint, affectus complicati magis, quàm luxationum differentię dici merentur, quod per se sine luxatione consistere possint. Luxari porrò articuli omnes ferè possunt, maxilla, humerus, caluicula, cubitus, branchiale, digiti, spinę, vertebrę, coxa, genu, tali articulus, & digiti pedis qui modo in anteriorem, modo in posteriorem partem distorquentur, modò in interiorem, nonnunquam verò & exteriorem. Hę à situ luxationum differentię: déque reliquis omnibus luxationum differentiis dicta iam sufficiant, & ad causarum enarrationem stylum consecutione quadam vertamus, inde ad signa, curatiuámq; methodum progressuri. Ergo luxationum causę extrinsecus ingruentes, quædam sunt (quas & externas & primitiuas medici vocāt) internæ quędam & corporeę. Prioris generis sunt pręceps ex alto casus, percussio graui telo in articulorum sedibus facta, violentia membri dimotio, contorsio, aut peruersio, distentióque qua articuli sæpenumero sedibus exilire coguntur, vt in lucta, saltu, cursúque vehementioribus fieri non rarò videmus. Extrinsecus incidētes causę hę omnes sunt, vti internę, cum ab muccoso, lentóque humore quopiam in articulorum cauitatibus aceruato, moráque sua articuli ligamenta dissoluente, ac madefaciente, laxiora ipsa fiunt, tandémque sua sede os protruditur, vti in coxendicis dolore experiri sępenumero licet, & testatus est vetustissimus autor Hippocrat. lib. aphorismorum sexto. apho quinquagesimonono, & sexagesimo. Hęc breuiter de causis. Indicia luxationum sese sensibus ipsa insinuant. In vniuersum nāque os à sua sede dimotū apparet, prominétque in alterutram partem, tumórque ac dolor adesse solent, & arbitrarius motus aut omninò perit, aut summa cum difficultate perficitur, maláque luxatę partis structura, ac conformatio apparet, sinus seu cauitas ea parte quà os recessit, conspicitur. Hæ luxationum notę præcipuę, certáque signa sunt. Quoniam verò nonnullę earum graues, ac curatu difficiles habentur, præstiterit de iis omnibus iudicia, dare

lib. 4. c. 55. ex versione Guinterij

Luxationū causæ

Signa luxationum

Prognostica.

quæ medicum à calumnia vindicent, ne vel ignoraſſe quid euenturum ſit, vel fefelliſſe videri poſſit. Cenſent ſcientiſſimi artis, luxationes eas quę callo obduratę ſint & vetuſtate firmatę difficillimè, aut nunquam ſanari quod non niſi periculosè reduci oſſa poſſint. Quibus etiam luxationibus inflammatio, vulnus, dolórque ingens acceſſerit, non difficiles ſolùm, ſed & periculoſas habendas receptum eſt. Cauliacenſis Guido luxationes eas, in quibus oſſium margines franguntur, hoc eſt ſinus ſeu cauitatum ſupercilia, peſſimas eſſe cenſet. Reducti oſſis indicium eſt diſteatione commoda facta cum ſtrepitus veluti quidam auditus eſt in natiuum ſuum acetabulum regredientis oſſis, & cum partis figura naturalis apparet. Oſſa neque omnia ex ęquo proſiliunt, neque pari facilitate omnia reducuntur, ſed alia aliis facilius difficiliúſve pro ratione ſcilicet ſedis, ac loci vnde propelluntur. Genu & facilè prolabi, & nullo item negotio reduci in ſinũ ſuum poteſt. Digiti itidem facilè reduci queunt Cubitus vt tardiſſimè ac difficillimè excidit, ita ſummo cum labore ſanatur. Ob ſinuum nãque frequentiã ea in articulatione ęgrè reponitur. Humerus tantum negotij non exhibet, ſed in macilentis vt non difficulter emouetur, ſic non magno labore in natiuam ſedem compellitur. Ad quod plurimum, vel Celſi teſtimonio & corporis, & neruorum ac tendinum habitus confert. Vbi nanque corpus tenue, aut humidum fuerit, ſi nerui infirmi, expeditius os reponitur. Sed & primò facilius excidit, & poſteà minus fideliter continetur. Quicquid loco ſuo motum eſt, ante inflammationem reponendum eſt. Si illa occupauit, dum conquieſcat, laceſſendum non eſt: vbi finita eſt, tentandum eſt in his membris, quę id patiuntur. Talia in luxationibus facienda Celſus iudicat Sed iam ad curatiuuam methodum properemus. Pręcipua ac vera luxationum curatio, repoſitio eſt, vt in genere dicatur: quę vt commodè fiat, in varias partes diſtendendum luxatum membrum eſt, vt in rectitudinem dirigantur quæ luxata ſunt oſſa: túmque vbi ſpatium inter diſſilentia oſſa liberum relictum fuerit, ita vt in ſedem propriam reponi os poſſit, commoda manuum attrectatione reducendum eò erit, vnde prolapſum fuerat: quod perficietur, ſi os ab ea parte in quã per luxationem impulſum eſt, in contrariam rurſus partem impellas, inque natiuam ſedem ſuam reſtituas: quod dum facis, maximopere tibi conandum eſt, vt leniter, vt citra doloré, quoad

li.5.doctr. 2.cap.1.

Hip.de genu.lib. de fract.

lib. 8.c.11.

Hip.li.de articulis.

Curatio.

quoad id fieri maximè potest, impulsum, reductionémque agat. Atque hic primus est in luxationibus curandis medendi scopus. Alter est, articuli sic reducti firma contentio, vt quod repositum iam est, non amplius prolabatur sed sua in sede continenter, firmitérque consistat: quod fiet articulo, tum medicamentis appositis, tum deligatura & fasciis circũducto. Firmant autem ex medicamentorum ordine, rosaceum parti repositę illitum, ouorum albumina panniculis excepta, & superadmota, tum & stuppæ eodem ouorum liquore madefactæ: sed omnium maximè fasciæ imbutę, & pro ratione mẽbri decenter admotæ, ac circũductæ, robur addere parti, firmitatémq; solent. Atque idem præstant ferulæ arte circumpositæ, si res id fieri poscat, neque nimis arctandæ parti sunt, ne inflammatio, dolórve subsequatur. Quæ vbi peracta fuerint, ad quietem dare membrum oportet, eo situ atque figura, quæ membro maximè familiaris sit, & à dolore, quàm alienissima. Deligaturam porrò, nisi symptoma aliquod graue inciderit, ante diem septimum (quod nimium est) resoluere non oportet: quo elapso tempore, solutis fasciis fouere membrum calida expediet, ad doloris sedationem, túmque emplastrum ex polline, hoc est tenuissima farina, puluere rubeo chirurgis vocato, omnibus candido ouorum exceptis, admouere, firmiúsque quàm anteà deligare, ex vsu erit. Quę docta Rasij medici pręstantissimi sententia est. Tertius scopus is est, vt phlegmone, doloréque tentari membrum ne patiamur. Id fit tum cauta & tenui victus ratione ab initio obseruata: tum sanguinis missione, si res postulet: maximè verò noxiorum per aluum purgatione. Hęc .n. omnia & fluxionẽ aliò regerunt: & membrum consecutione quadam à dolore phlegmonéque vindicant: quemadmodum & quę repellendi vim habent, initiò parti admota, vt anteà diximus. Sequitur symptomatum correctio, qui quartus & vltimus est in curatione scopus. Si dolor infestet, sedandus erit tum missione sanguinis, & purgatione si opus fuerit: tum chalasticis reprimẽtibus admixtis, vt decocto rosarum, absinthij, altheę, anthemidis, fœnogręci, & similium: hęcque obeunda sunt ante membri reductionem. Si enim reponere membrum vrgente dolore tentaris vel phlegmonem, vel conuulsionem accerses. Confert etiam mollis lana ex hydræleo infusa, & admota, mirificè nanque dolorem mitigat.

Si cum vulnere luxatio fuerit, primò reducẽdum membrum est, post curandum vulnus sutura si opus fuerit, & remediis vulneribus curandis aptis. Si cum fractura luxatio composita sit, luxationi primùm repositione, posteà fracturæ intendatur. Duriciei, emollientibus est prospiciendum, vt fotu maluarum, altheæ, & similium, & vnguento ex althęa parato, vel diachylone ireato. Sed hîc iam finem faciamus.

De luxationibus, Hippocratis & Galeni loci.

HIPPOCRATIS.

LVXATIONES & emotiones ossium circa genua, multò mitiores sunt emotionibus, ac luxationibus circa cubiti flexuram. *lib. de fract.*

Ossa circa genu sępe quidem luxantur, facilè autem rursus incidunt, ac reponuntur. *lib. de fract.*

Luxantur ossa genu plerunque in internam partem aliquando etiam ad externam, quandoque etiam ad poplitem. *eod. lib. & de eorum repositione, vide ibidem.*

Ossa circa cubiti flexuram, molestiora sunt, quàm quę circa genu sunt, & difficilius reponi possunt ob inflammationem, nisi quis statim reponat. *eod. li. & de eorum repositione, vt perficienda sit. Ibid.*

Statim reponere articulum maximè confert, propter celeritatem inflammationis neruorum. *eod. lib.*

Confert omnia hęc similiter curare, & quę franguntur, & quę disparantur, & quę luxantur. Omnia enim multis linteis, & spleniis, & cerato curare oportet, velut etiam alias fracturas. *eod. lib.*

Fugiendum est in deligatione, quantum eius fieri potest, vt ne circa flexuram multa lintea coaceruata sint. *ibid.*

Locos præterea de hac re multos, libro de articulis, & libro de his quę in medicatrina fiunt, coligere diligens lector poterit, prȩsertim de repositionis articulorum variis modis, de congruis ad id perficiendum instrumentis, de variis deligationum, fasciarum, & ferularum formis. Isthęc enim omnia multis verbis prosequitur citatis libris Hippocrat. quæ non parum ad locupletandos communes hos de luxationibus locos facere queant, præcipuos nos hîc recensuimus, qui facere satis visi sint.

GALE

GALENI.

LAPSVS seu luxatio, est ossium, quę per articulum, vel coagmentationem mouentur, extra naturam delatio. *In definit.med.*

Exarticulatio, siue eluxatio, est ossis secundum naturam se habentis, in alienum naturę locum ex profunda cauitate egressio. *eod.lib.*

Dearticulatio, seu deluxatio est ossis euariatio, delatióve à naturali loco ad eum qui prętet naturam est. *eod.lib.*

Motio, est ossium per fixuram, harmoniámve compactorum ex propria sede in naturę oppositam exturbatio. *ibid.*

Diductio, est mutua ossium per suturam & coalitum coniunctorum sparatio, atque diremptio. *Eod.lib.*

Restitutio, est ossis, vel ossium à loco naturę contrario, ad naturalem traductio. *eod.lib.*

Traductio, est diducti ossis in naturalem locum reuocatio. *ibid.*

Luxationum per singulas corporis partes contingentium expositio, & cõueniens eorum per chirurgiam curatio. *lib. qui medicus, seu introductorius inscribitur, ad finem.*

Luxationum in singulis partibus euenientium conueniens explicatio: & curationis eorum per instrumenta, fascias, & ferulas modus. In com. ad lib. Hip. de fracturis, de articulis, de his quę in medicatrina fiunt: ex quibus vberrimis commentariis viuam medicinam spirantibus, non communes tantùm de luxationibus locos, sed & peculiares, ac proprios cuiusque luxati membri, inuenire medicinę studiosus poterit. Nos enim sat habemus ad fontes relegare lectorem, vnde sibi locorũ de quaq; re copiam parare queat. Atque commentationis nostrę hîc iam finem statuentes, anchoram figamus in eo qui nobis in inchoando, & perficiendo opere dux, author, præceptorque fuit, Deo Optimo Maximo, cui soli immortali omnis honor, & gloria in omne æuum.

APPENDICIS LOCORVM MEDICINÆ COMMVNIVM.
FINIS.

INDEX LOCVPLETISSIMVS corum quæ toto hoc opere Locorum Communium Medicinæ, notatu digniora habentur.

Aë-

Aristo-

Ca-

Hip.

pro Ele

Frictionis

Gigni

Manar-

Naturæ

Pesti-

Pudor

in Se.

simili-

per

Tem-

V

Vene-

in Vi-



Vri-

FINIS.

APPENDICIS LOCORVM MEDICINÆ COMMVNIVM

Index.

Citri



